


Agnellus excudit

SPIRITVALIS
OFFICINA
MORALIVM APHORISMORVM.

SPIRITVALIS
OFFICINA
MORALIVM APHORISMORVM,
EX HIPPOCRATIS, ET GALENI
CORPORALI MEDICINA,
AD SPIRITVALEM ANIMARVM SALVTEM
CONSTRVCTA.

VARIIS SACRARVM ERVDITIONVM, SPECVLATIONVM,
Pharmacis, & Antidotis, pro vitiorum morbis curandis
REFERTA,
COMMVNI OMNIVM BENEFICIO
EXPOSITA
DIVINI VERO VERBI PROFESSORIBVS PRÆCIPVE
PATENS.

PER
P. F. HYACINTHVM MARIAM
BAIARDVM
Derthonen. Sacræ Theologiæ Lectorem Ordinis Prædicatorum.

DERTHONÆ,
APVD FILIOS qd. ELISEI VIOLÆ. MDCLXIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

D. D. PETRO VIDONO
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO.

Bononiæ Legato, & Laudę Episcopo, Domino Colendissimo.

F. Hyacinthus Maria Baiardus, Ord. Prædicatorum Perpetuam felicitatem.

AD generosam, EMINENTISSIME PRAESVL, nominis tui fortitudinem in TVRRI adumbratam, à qua sicut frondosa maiestate, meritis frugifera, & munificentia vberrima VITIS prodit, vti ad asylum, & sacram anchoram, mihi tutelarem fore præsagiens, sicuti propitiam semper agnoui, præuio hoc præsentis OFFICINAE meæ munusculo, tua singulari fretus humanitate, ex animo lætabundus accurro. Nec meæ huius audaciæ repulsã vereor passurum, cum generosa VITIS auctoritate frondescens, & meritis eflorescens, imperitiæ meæ regat nuditatem, protegat debilitatem, & elanguẽtes spei mei artus generoso gratię, & benignitatis tuæ fructu viuificet, & roboret liquore; Quæ si genere, & nomine fœmina VITIS, factis tamen, & meritis masculat in VIDONE. TVRRIM hanc gloriosi stemmatis tui insignia, inexpugnabilem modo animaduerto, dum supra PETRAM solidam, in summa Montium Eminentia eleuatam, obfirmatam, & consistentem conspicio; à quà, velut ab illa Dauidica TVRRI, mille protectionis clypei pendent, qui veluti babylonica scuta, aduersantium telorum ictus irrident. Hinc mirùm non est, si supra hanc firmissimam nominis tui PETRAM, propè hanc TVRRIM, generoso jam benignitatis tuæ depastus liquore, OFFICINAE meæ debilem hanc structuram erexerim. Ab hac Nobilissima præclarissimæ Familiæ tuæ TVRRI, & gentilitio VIDONORVM stemmate, veluti ab Equo Troiano, Illustrissimi MARCHIONES prodiere, Duces, qui tum domi, tum militiæ, tum in

Bellonę

Bellonę Castris, sicut in Lyceis Mineruæ versati, consilio, sapientia, prudentia, & potentiæ viribus, populis, & patrię maximè profuere; & hanc VIDONORVM gloriam, eorum præclarissimorum facinorum, illustrarunt facibus. Hanc tuam, Eminentissime Pręsul VIDONORVM TVRRIM, mihi videtur, vt portatilem in medium afferre posse, dum hanc Præclarissimi familiæ tuæ Heroes, Antecessores tui, natu, non merito Maiores, potentię, & gloriæ magnitudine, veluti Elephantes, Herculeam virtutum suarum fortitudinem adepti, ad tutandas præcipuè S. Ecclesiæ Vrbes, eorum regiminis, & inuictę prudentiæ præsidio, per summos Ecclesiæ RECTORES, honorificè transtulerunt. Vnum modo inter cęteros Eminentissimum Cardinalem HIERONYMVM, Patruum tuum mihi obijcio, animo ingenio, & sapientia magnum Elephantem, hanc clarissimæ Familię tuæ TVRRIM ad summos honores, & inexpugnabilem gloriam euehentem; qui ad multa S. Ecclesiæ munera, Abbreuiatoris Parchi maioris, Vtriusque Signaturę gratię, & iustitię Referendarij, à Clemente VIII. ViceLegati Prouinciæ Piceni, à Paulo V. Clerici Camerę Apostolicę, & Præfecti Annonæ à Grægorio XV.; Præsidentis totius Æmiliæ, Residentis Rauenæ; Ecclesiæ Thesaurarij Generalis, & Ecclesiastici Exercitus Romę consistentis, Commissarij Generalis, obeunda, honorificè trãslatus, ita his dignè, & laudabiliter ex Summorum Pontificum voto, est perfunctus, vt meritò, meritis proprijs sibi constructas, purpureas ab Vrbano VIII. Cardinalis renunciatus, anno 1627. gloriosè conscẽderit, & consederit sedes; quas EMINENTIA TVA, velut hæreditario Iure, meritis non impar, à Sanctissimo ALEXANDRO VII. pręclaris facinoribus sibi ritè vendicauit. Immortalem gloriosi eius nominis, & famæ puluerem, imò eius glorię nobis, & posteris Eminentissimus PATRVVS TVVS monumenta relinquẽs, perenniter gloriosum sibi reddidit Sepulchrum; Verum quia ex sepulta VITE, viuidiora inde Vere pullulant germina, sic ab eodem Eminentissimo Patrui tui stipite, VIDONO, mortalis corporis terris subacta VITE, in te, ipsius virtutum, & meritorum eiusdem generis propagines prodiere; nam vix Doctoralem lauream in vtraque Legum facultate es adeptus, statim Eminentissimi ingenij tui, & talenti succrescentes palmites, Vrbanus VIII. ad Ecclesiæ Sanctę Regimen, primum Tiburtinæ Ciuitatis, inde Prouinciæ Sabinę, Arimini, Vrbeuetani, Spoleti, Æmiliæ, Firmi, Piceni ad Ecclesię populorũ salutem, & vbertatem extendit, vt generosis tuæ Gubernationis egregiæ, & prouidi Regiminis illi depasti fructibus, sub tuæ protectionis præsidio incolumes, tutarentur in TVRRI. Quibus honorum demandatis muneribus, ritè, & gloriosè ab Eminentia tua perfunctis, ad laborum tuorum aliquale premiũ te euocans, idem Vrbanus VIII. anno 1644. Episcopali, dignissimę Laudensis Ecclesiæ, te ornauit infula, decorauit honore. Hic modo Eminentiæ tuæ Lauda laudes promat, encomia concinat, qualiter sicut Episcopum decet, te in omni virtutum genere, & Pastorali munere Perfectum agnouerit. Verum post Vrbani VIII. in hac Eminentiæ tuæ, meritis florescẽte VITE depastas, APES, ipsius Pontificis obitu, in Cęlum ad gloriam conuolantes, ad hanc gloriosam virtutũ, & meritorum tuorum TVRRIM

sacra

sacra cœlitus Columba conueniens, conuolat, vt in ipsa spei suę ad spiritualem S.Ecclesiæ procreandam,& propagandā sobolem,nidum strueret,& firmaret; sic se huic VITI inserens, Eminentię tuę Summa Pontificia Auctoritate collata, Innocentius X., pacis ramum proferens,iuxta illud Virg.8.Æn. *Paciferęque manu ramum pretendit oliuæ*, in *Poloniā*,vt Regi,& Regno illi pro Ecclesię decore, prudentiæ inuictæ tuæ ore deferres, Dignissimum Nuncium Apostolicum transmisit; vt inter tot bellorum, & irruentium hostium turbines, & grassantis luis calamitates, Ecclesiasticam immunitatem tutando, tuæ sapientiæ insuperabili fortitudine, eis præsidio fores, vt VITALEM consilij, & auxilij tui populis poculum præberes afflictis, iuxta illud Prouer. 31. *Date ciseram merentibus*. Sic ex huius VITIS Eminentiæ tuæ poculo, tale solatium hauserunt, ex sapientiæ consilij, & prudentiæ tuæ TVRRI, ita Rex,& Regnū tutati sunt, vt meritò decantari possit illud Matth. 7. *Descendit pluuia,& venerunt flumina, & flauerunt venti, & non cecidit* (dicam ego Polonia) *fundata enim erat supra firmam Petram*, PETRI videlicet VIDONI Eminentissimi.

Cum igitur ob res, ita à te præclarè gestas, Principes, & Reges tot gratiarum, & beneficiorum ex hac sapientiæ tuæ generosa VITE vinum expressissent, & ipsi Summi Pontifices meritorum tuorum pocula gratissima degustassent, mirum non est,si isti te, vt Deorum nectar, & ambrosiam sibi reseruantes, ad Summam Montium altitudinem, Eminentia,eleuauerint VITEM, Cardinalitia dignitate insignitum. Quare si hanc primò vt Portatilem,vt dixi Eminentissimam TVRRIM aspexi, nunc stabilem super firmam Petram nominis, inquam PETRI Eminentiæ tuæ consistentē, altius tamen adhuc deportaturam, præsagio. PETRVS Ecclesiastici culminis à Christo electus, fundamētum præcessit, illum PETRVS Ecclesiæ sanctę columen,& columna successor,sequatur VIDONVS,vt à tam generosa VITE, vitalia spiritualis præcipuè salutis, & supernę benedictionis pocula, vt præcor, Ecclesię ministrētur filijs. Plaudat igitur interim Bononia,Eminentię tuę,Legati sui Pręstantissimi exornata gloria; nam si dicitur, *Bononia docet*, te Sapientissimum nacta est Doctorem; insuper exemplo Ductorem, charitate Pastorem, gubernatione Præsulem,amore Parentem, affabilitate conciuem, Generositate Principem, maiestate S.R.E. Cardinalem. Cum igitur summis Encomijs de Eminentia tua fama loquatur, & generosæ VITIS gloriæ tuæ propagines, vt illa arbor Nabucodonosor, totam gloria tua terram impleant,& ad Cœlum vsq; dignitatis Eminentia conscendant, mirum non est, si exilis ingenij mei calamus, sicut eruditione implumis, cum eò vsque conuolare nequeat, ad tuam immortalem gloriam scripto exarandam, ab incæpto tuarum laudum cursu, sicut mens, in ijsdem stupida,hæret; Nec opus est calamo, vel lingua, vbi egregia ipsa opera hominem commendant, maximè verò cum tu totius Vrbis,& Orbis Princeps, velut Ciuitas super montem Eminentia positus, omnibus conspicuus, & vt lucerna exemplo, super Ecclesiæ S. candelabrum, glorię, & virtutum splendore omnibus præfulgeas. Interim dum sileo, quod exprimere non valeo,hilari animo,& serena fronte,

huius

huius opuſculi, quod tibi ex animo dico, aſpice, & excipe tributum, quod maius obſequij, & ſeruitutis meæ erga Eminentiam tuam, debitum proteſtatur: Quod ſi munus, exilis ingenij mei viribus ſolum proportionatum, meritis Eminentię tuæ impar eſt; paruum re, magnum ex animo datum compenſa, ſic maximum volũtatis meæ erga Eminentiam tuam affectum aſpiciens, æquale, & par magnitudini tuę, munus excipies, cui humillimum me ſeruum ſubijciens, à Domino perpetuam precor felicitatem. Derthonæ è Conuentu S. Martiani die 21. Nouembris 1663.

APPRO-

APPROBATIONES.

DE *Mandato Reuerendissimi Patris Ioannis Baptistæ de Marinis, Sacræ Theologiæ Professoris Ord. Præd. Magistri Generalis, vidi, & magna animi mei voluptate legi, & considerani librum, cui titulus est:* Spiritualis Officina Moralium Aphorismorum, ex Hippocratis, & Galeni corporali medicina, ad spiritualem animarum salutem constructa, *per P. Fratrem Hyacinthum Mariam Baiardum Derthonensem, Sacræ Theologiæ Lectorem Ord. Præd. Et in ipso nihil reperi contra fidem, bonos mores; immò dignum esse, vt in communem omnium spiritualium vtilitatem imprimi mandetur, existimo.*

Ego Fr. Cynthius Montegualdonus de Derthona eiusdem Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Magister, & S. Officij Consultor.

DE Mandato Reuerendissimi Patris Magistri F. Ioannis Baptistæ de Marinis totius Ordinis Prædicatorum Generalis, Ego Fr. Vincentius de Massarijs Sac. Theologiæ Magister eiusdem Ordinis diligenter legi, ac recognoui librum, cuius titulus est, *Spiritualis Officina Moralium Aphorismorum ex Hippocratis, & Galeni corporali medicina ad spiritualem animarum salutem constructa*, per Adm. Reu. Patrem Fr. Hyacinthum Mariam Baiardum Derthonensem, Sacræ Theologiæ Lectorem Ordinis Prædicatorum; In qua quidem Officina obseruaui (non absque admiratione) doctrinam miro modo digestam, cum sacris literis contextam, eruditione Sanctorum Patrum conspicuam, & ingenij acumine preclaram; nihilq; in ea noui, quod aut bonis moribus, aut Catholicæ Fidei contradicat, immò quod eam illustret, & exaltet, ac proinde pro omnium vtilitate Typis demandari posse censeo. Derthonæ in Conuentu Sancti Dominici Ordinis Prędicatorum.

Fr. Vincentius de Massarijs qui supra.

MAndante Illustrissimo, & Reuerendissimo D. meo Episcopo D. Carolo Septala, librum, cui titulus est, *Spiritualis Officina moralium Aphorismorum*, Patris Admodum Reuerendi Fr. Hiacinthi Mariæ Baiardi Derthonensis, Sacræ Theologiæ Lectoris Ordinis Prædicatorum perlustraui, nihilque in eo censura dignum aduerti, sed ingeniosum artificium, sanamque, & omnibus perutilem doctrinam, ac eruditionem, quare, & opus dignum typis censeo. Derthonæ 5. Iunij 1661.

Ego Ioannes Baptista Chapuis Sacræ Theologiæ Doct. & Canonicus Theologus Cathedralis Derthonæ.

E*GO Don Lanfrancus Ferrarius Clericus Regularis S. Pauli, de mandato Reuerendissimi Patris Pij Gamundi Inquisitoris Generalis Terdonæ, opus hoc, cuius titulus est:* Spiritualis Officina Moralium Aphorismorum *Adm. Reu. Patris Hiacinthi Mariæ Baiardi Derthonensis Sacræ Theologiæ Lectoris Ordinis Prædicatorum vidi, & perlegi, & quia nihil in eo Sanctæ Catholicæ Fidei, bonis moribus, & regulis Sacrosancti Concilij Tridentini, & Indicis nuper editi contrarium inueni: propterea idem imprimi posse iudicaui.*
Dat. Terdonæ in Collegio Sancti Pauli die 7. Iunij 1661.

Imprimatur.

Carolus Episcopus Derthonæ.

Fr. Pius Gamundus Inquisitor.

Vidit pro Excellentissimo Senatu
Fontana Fiscalis Deleg. &c.

INDEX APHORISMORVM, ET Paragrophorum, qui ex ipsis eliciuntur.

APHORISMVS PRIMVS, Cum suis Paragrophis.

Vita breuis, Ars longa, occasio autem praeceps, experimentum periculosum, iudicium difficile, nec solum se ipsum praestare oportet, opportuna facientem, sed & aegrum, & assidentes, & exteriora. tex. pag. 1.

APHORISMVS SECVNDVS.

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt; sin minus, contra; sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet confert, & benè tolerant; sin minus, contra. Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non. tex. pag. 129.

APHORISMVS TERTIVS.

Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint; neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere; quum verò non quiescant, neque possunt in melius proficere, reliquum est igitur, vt decidant in deterius. His de causis bonum habitum, statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremum ducendæ, periculosum enim, sed qualis natura fuerit, eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic, & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ. Et rursus refectiones, quæ extremæ fuerint, periculosæ. tex. *pag.* 190.

APHORISMVS QVARTVS.

Victus tenuis, atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò in quibus non conuenit, periculosus: & rursus, qui ad extremum tenuitatis deuenit, grauis est; nam, & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt. tex. *pag.* 258.

 § VI. Spiri-

APHORISMVS QVINTVS.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quam in paulo pleniori victu; propterea etiam sanis periculosus existit, valdè tenuis constitutus, & exquisitus victus, quoniam errores grauius ferunt; ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo, qui sit paulo plenior, magis vt in pluribus, periculosus. tex. pag. 310.

APHORISMVS SEXTVS.

Extremis morbis, extrema exquisita remedia optima sunt. tex. pag. 353.

APHORISMVS SEPTIMVS.

Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremo tenuissimo victu vtendum est; vbi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior. tex. pag. 374.

APHO-

APHORISMVS TERTIVSDECIMVS.

APHORISMVS QVARTVSDECIMVS.

APHORISMVS QVINTVSDECIMVS.

APHOR-

APHO-

PRAEFA-

PRÆFATIO AVCTORIS
Ad Lectorem.

Ericulosum haud inficior in alienam messem falcem immittere, sic talia audentem pœna plectendum medicinæ messis maximè verò, quæ in Hippocratis, & Galeni fundo exoritur, concrescit, & decerpitur, aliena fateor medicorum est. Alta quidem, & matura, si subtiles nobilissimæ artis huius, quæstiones perscrutemur, si morborum naturas, species, qualitates, causas, & effectus, simul & ægrorum opportuna remedia, & cum symptomatibus, antecedentia, concommitantia, & subsequentia accidentia spectemus, non religiosorum, non concionatorum, prohibitum enim. Decret. ne Cleri. vel Monac. de homic. Cap. sua. Decret. *Pœnam igitur meritò in se temerarius inflectet contradicens. Et quænam profectò conuenientia Religiosi habitus, cum toga medicorum, quid horum Breuiarium, & Sacræ Lectiones cum illorum recipe, quid Diuus Thomas, cum Hippocrate, & Galeno, quid sacra Monachorum cella, & claustra, cum aromataria, quid Theologia cum medicina, quid concionator, & Confessor, cum Medico, quid pænitens ad Confessoris pedes prouolutus, cum infirmo, qui à Medico inuisitur, & curatur? Sed materialis similitudinis corticem relinquentes, intellectus nostri cuspide, ad sensus spiritualis medullam penetremus, ingenij vomere, terram materialis obiecti, speculatione fendentes, thesaurum inquiramus cœlestis doctrinæ, nec non moralis eruditionis. Optima quidem conuenientia, nec sanè decipior, non aspernenda proportione, hi duo Medicus, & Prædicator, veluti etiam Confeßor, fraterna quasi nominis cognatione mutua inter se collatione cohærent, nam à terra ad Cœlum, à materiali obiecto ad spirituale, à corpore ad animam, lento quodam cognitionis gradu discurrendo procedimus, vt Greg. hom. 11. in Euang.* Vt ex his *(ait D. Greg.)* Quæ animus nouit, surgat ad incognita, quæ non nouit, quatenus exemplo visibilium, se ad inuisibilia rapiat, & per hoc quod scit notum diligere, discat, & incognita amare. *Et ex creaturis etiam mutis, quæ suum tamen summum opificem proloquuntur, & opere commendant ad inuisibilium, & diuinorum cognitionem pertrahimur, ac manuducimur. Sic à Medico, & à medicina materiali, quibus ægrorum corporum languoribus opportunè mede-*

Collatio medicinæ spiritualis cum medicina corporali.

Greg.

mur,

Hug. Card. sup. Ecc. 38. *mur, ad spiritualia, quibus peccato infirmæ animæ subuenitur subsidia conscendimus. Ideo ait Hugo Cardinalis.* Corporis medici opponunt medicamenta diuersa, cibos, potus, emplastra vnguenta, similiter faciunt medici spirituales. *Isti enim, vt potè confessor amaras contritionis potiones pœnitentiæ pharmacum ægro spirituali præscribunt, vt Diuus Th. 3. p. q. 80. art. 4. ad 2. testatur dicens* Baptismus, & pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ ad tollendam febrem peccati;

Chrysol. *Ieiunij dietam, quod eleganter denominat Chrysol. ser. 41.* Ad effrenes sensus libidines edomandas; *mali ablati restitutionis phlebothomiam, satisfactionis consolidantia vnguenta, orationum pillulas, disciplinarum cucurbitulas ad carnis repressionem, & liquidum lacrymarum cibum, & eleemosinarum chlysteria, & deiectiones, pro morbi expulsione præordinant, & apponunt. Illi euacuatione purgant corpus, isti absolutione sacra curant animam. Quare non abs re erit hic, omnia sub medicinali facultate spiritualia remedia ad animæ salutem, debito analogiæ calculo compilare, sic enim non incongruè religiosorum habitus ad medicorum togam, eiusdem nominis denominatione propius accedet; illorum Breuiarium sacrarumq; eruditionum lectiones, cum horum recipe computabuntur. D. Thomas moralis Hippocratis personam geret; Monachorum claustra, & cella, sacræ pœnitentiæ aromataria, vbi varia sacramentorum, & præceptorum remedia ad hebetantia mentis membra confouenda, pestiferos vitiorum morbos tollendos, animas purgandas, fidei & contritionis pretio dispensantur, nomen sortientur, & formam, sic Theologia moralis cum medicina, proportionis fœdere consociabuntur; Prædicator, seu Confessor cum Medico, mutua nominis cognatione, fraterna charitate gaudebunt, & peccator vitiorum tabescens morbo, ægri cognomentum adeptus, & denominationem sortitus, ad opportuna sibi medici, & medicinæ, scilicet, remedia pro salute recurret. Altissimus, in cuius manu, mors, & vita admirabili pacis fœdere componuntur, iuxta illud sapientis medicina corporalis, & spiritualis à Deo.* Mors, & vita in manibus Domini, *qui medicum, & medicinam ad corporalem salutem creauit, vt ex Ecclesiast. 38. patet. Medicinam itidem, sicut, & medicum spiritualem pro animæ salute constituit.* Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorebit illa. *Quis est iste Altissimus, nisi ille de quo Psaltes dicit* Qui in altis habitat, & humilia respicit in Cœlo, & in terra, *dum in alto Caluariæ monte consisteret, de terra corporis sui sanctissimi, sacro mistici Abel sanguine cruentata, medicamentum creauit, dum illud inquam innocentissimum corpus in ara Crucis, charitatis igne atenuatum, æternæ salutis poculum, passionis suæ sacramento, nobis misericorditer distillauit ad vitam, vt Diaboli vires reprimeret, peccati virus infringeret, diuinæ iustitiæ rigorem mitesceret; & ab vniuersali mortis æternæ animas sacratissimi*

Analogia medicinæ spiritualis ad corporalem, quo ad effectus.

Medicina corporalis, & spiritualis à Deo.

Ps. 112.

Quando spiritualis medicina instituta fuit, & ad quid

cruoris

cruoris sui lauacro, contagione, purgaret; sic saluberrima huiusmodi sacramentorum, in sacra Ecclesiæ sanctæ aromataria, cum diuinorum præceptorum recipe nobis ad salutem animæ per sibi ministros successores remedia reliquit. Ideo vir prudens, *tùm æger, tùm medicus spiritualis à passiua, & actiua hac animæ curatione* non abhorrebit. *Quid plura? Non ne in suprema Cœlorum Regia, ante diuinæ maiestatis thronum; nostris necessitatibus medicinam opportunam adstare cernimus? Tob.* 12. Ego sum Raphael Angelus vnus ex septem, qui astamus ante Dominum. *Raphael enim medicina Dei interpretatur. Ideo hunc nostris infirmitatibus sicut Tobiæ cæcitati succurrendum, mitti suppliciter sancta precatur Ecclesia dicens.*

E cælo spiritualis medicina.

Angelum nobis medicum salutis,
Mitte de Cælis, Raphael, vt omnes
Sanet ægrotos, pariterq; nostros
Dirigat actus.

S. Eccles.

Hinc est etiam quod saluator noster surdum, & mutum sanaturus Marc. 7. suspiciens in Cœlum ingemuit, vt inde mutis, inquit Beda, loquelam, inde auditum surdis, inde cunctis infirmitatibus, medelam doceret esse quærendam. *Cum igitur, è Cælis copiosus diuinæ misericordiæ imber, & ad animarum nostrarum salutem in Ecclesiæ sanctæ theca suauissimum ad remedium reconditum manna instillet; mirum non erit, si nos hanc spiritualem nostram officinam, in Hippocratis solo consurgentem, diuersis sacrarum eruditionum remedijs, pro vitiorum morbis tollendis, diuinæ gratiæ sanitate recuperanda, præmunitam construemus, si denique Hippocratem, & Galenum, aliosq; sibi in hac præclara medica facultate coæuos, eorundem aphorismorum, & corporalis medicinæ vasis, & cibis occurrentes moralis sensus, salutis pocula, infirmis animabus administrantes obsequiosos aromatarios, vel deseruientes famulos hic in medium adducemus. Neque hoc mirum nam ait Origenes hom. p. in psal.* 37. sicut corpori medicamenta Deus præparauit, ex herbis, arte, disciplinaq; compositis, ita etiam animæ medicamenta præparauit, in his sermonibus, quos per diuinas scripturas seminauit, atque dispersit, vt hi qui aliqua ægritudine fuerint oppressi, statim vt vim morbi senserint, atque alicuius vulneris stimulum doloremque perspexerint, requirant aptam, & conuenientem sibi rationalem disciplinam, quæ eis ex præcepto Dei possit mederi. *His igitur spiritualibus sacrarum eruditionum remedijs, ex diuersis sacræ scripturæ, & Sanctorum Patrum, & Doctorum regionibus, exiguo debilis intellectus mei ære, comparatis, spirituale hanc nostram moralium Aphorismorum Officinam, in qua eadem communi omniũ vtilitati, & christianæ charitatis opportuna remedia reponerem per impressorum ianitores expositam omnibus construxi.* Hæc quidem in Hippocratis

Hanc spiritualem medicinam nos Christus docet.

Bed. apud D. Thom. in Cat. Au. hic

Ratio construendi hãc spiritualem officinam.

Orig.

Remedia spiritualia animæ saluti seruientia.

Quibus remedijs ad animæ salutem hæc spiritualis officina sic referta.

pocratis consurgit solo, si solum ad huius materiale Aphorismorum scilicet fundamentum animum referas, verum si ab huius materiæ somno ad spiritualis medicinæ, in qua tot sacræ scripturæ, & sanctorum Patrum Margaritæ, præciosi lapides, & vnguenta delisescunt, cognitionis auroram expergiscaris cum Iacob dices. Non est aliud hic nisi domus Dei, & porta Cœli, nisi Officina Spiritualis sacrarum eruditionum, quibus opere completis, ad superna conscendimus: Et propterea temeritatis nota, & pæna à Sac. Cannonibus sancita me absolutum iri spero, cum non in alienam messem ex professo de medica facultate simpliciter pertractando, discursus falcem immittere mihi arrogauerim, sed tantum opportunos Christianæ charitati fructus ex medicinæ fundo decerptos pro præsenti necessitate, superficialiter colligere mihi in animo induxerim; quare si quid minus Physicis disciplinis consentaneum, à professione mea remotum attigero, hoc mihi à benignitate Lectoris condonnandum crediderim. Hanc igitur Officinam pie Lector lento benignitatis pede ingredere, non censuræ oculo, rudia, & aspera simplicium verborum, & inornati sermonis testea vasa spectes, nec ad medicinæ tibi forsitan nauseantes odores latis inuidentium, & emulorum naribus ad derisum promoueas, & ad despiciendum obijcias; sed fragrantibus desiderij mei communi omnium animarum saluti proficiendi odoribus attendas, & tuæ mentis nares applices, illud mente recolens Aromatariam vniuersis, & benè, & malè olentibus odoribus esse refertam, & persepè nauseantes in suis subiectis applicatos medicamentum esse salutis: Tu igitur pie Lector ingenij mei imbecillitatis, modò medicus esse poteris, si quem erroris morbum in hoc opere me contraxisse conspexeris, humani ingenij fragilitati commiserans, causam, & culpam in pium meum animarum salutis, desiderium refundens, non temeritati adscribens, indulgentiæ tuæ pharmaco piè mederi dignatus fueris. Hæc spiritualis structura exilis ingenij mei partus est, primogenitus in septem fratribus aliorum librorum Aphorismorum Hippocratis. Matrem, non martem, Lectorem, non lictorem, qui amore, non terrore, fastu potius, quam fuste censuræ, illum offendet exoptat. Talis igitur pie Lector sis, qualis partus exilis ratio postulat: vt cæteris ad lucem prodituris fratribus animum addas. Interim te benignum sperans à summo omnium bonorum retributore tibi longum vndequaque felix vale præcor.

Margin notes: Gen. 28. — Absolutio Auctoris à pæna tractatus medicinæ. — Auctoris ad Lectores.

APHO-

APHORISMORVM HIPPOCRATIS

LIBER PRIMVS.

Aphorismus primus.

Vita breuis, ars longa, occasio autem praeceps, experimentum periculosum, iudicium difficile, nec solum se ipsum praestare opportet, oportuna facientem, sed & aegrum, & assidentes, & exteriora. tex.

QVONIAM Hippocrates, vt potè in hac præclara medicinæ facultate, sapiētissimum humani corporis oraculum, mortalis huiusce vitæ nostræ brauitatem, ex artis medicæ longitudine prænunciat; Ideò ne nos inceptam, præsentis officinæ nostræ structuram, imperfectam, & debitis necessarijsq; sacrarum eruditionum spiritualibus remedijs, ex assumpta prouincia, impræmunitam relinquamus, vt propterea derisorias linguas concitemus, in nos, illud Lucæ 14. resonantes, quia *hic homo cæpit ædificare, & non potuit consumare*; ad præsens assumpti operis munus, celeri ingenij manu, Deo auspice, à quo bona cuncta procedunt, & sine quo nihil est validum nihil sanctum, sedulò accuramus. Et quia *omne agens agit propter finē* ex Philos. 2. Physi. & cū agens à proposito, vt cognoscens finem, hunc sibi per debita media determinet, ac præscribat; ne igitur agentem à casu, Auctorem Hippocratem, quē in materiali fundamento, nos pro Officinę nostrę structura sequimur, suspicemur; eiusdem finem, & intentionem in hoc opere indagemus.

Præludium ad huius spiritualis officinę structuram.

Arist.

Hippocratis igitur intentio, vt conijcere est, statim emergere videtur, in salutis humani corporis quomodolibet procurandę, methodo traddenda; quare de ipsa arte medica, de medici munere, de obędientia ægri, de morbis, morborumque qualitatibus, de ægrorum natura, & victu, de symptomatibus, eorumdemque concommitantibus accidentibus, plenè differit; vt eisdem opportunis remedijs, morbis occurrere valeamus. Ideò hanc septem librorum cateruam, huic fini deseruientium, Aphorismorum, in quibus, quidquid in hac medica facultate desiderari posse videtur commodè, & abundè inuenitur, diligenter præordinat.

Intentio Hippocratis.

Vita breuis. tex.

AN simplex, vel multiplex, Aphorismus iste sit, non satis perspicuum est, hanc tamen Aphoristi-

ristieam orationem, veluti quoddam proemium, in toto hoc opere præcedere apud omnes in confesso est; & ex singulis huius Aphorismi particulis infra examinandis, non obscuræ Auctoris, & Aphorismi præsentis, sensum eliciemus.

Medicina corporalis.

Non solum simpliciter, vitæ homini exiguum, ac breue per inuiolabiles mortis leges, à natura circonscriptum intelligitur esse curriculum; sed apprimè comparatiuè ad artis medicæ longitudinem, vt mox dicemus clarè comperiemus, quod multorum annorũ spatio, ad perfectionis metam, finemque percurrit; Ideo ait *Ars longa.* Vel ideo dicitur Ars longa, vt ait Galenus. *Quia omnium ferè operationũ particularium, occasionem habet momentaneam, & ob id captu esse difficilem; vt nemo hanc perfectè internoscat, nisi qui in hac, diù fuerit exercitatus.* quare Hippocrates dixit *medicinã citò discere, nõ est possibile; propterea quia impossibile est, statam, certamq; doctrinã in ipsa fieri.* Quocirca verisimiler deduci, & conijci posse videtur, intendere Auctorem, dicendo, *Ars longa*, his verbis, quemquam in hac facultate studiosum, ad hanc omni studio, & labore, totisque viribus pro eiusdem perfecta, & completa possessione incessanter arripiendam, & sedulo exercendam, velle allicere.

Vita nostra simpliciter, & comparatiuè, breuis.

Quomodo medicina dicatur.

Ars longa.

Prima ratio.

Gal. in lib. p.

Hippo. Aph. p.

in lib. de loc. in ho.

Secunda ratio.

Alij dixerunt Hippocratem his particulis *Ars longa*, reprehendere eos, qui segniter, & minus sollicitè in hac facultate, in damnum, & salutis humanæ prẹiudicium, essent versaturi. Alij dixerunt, intendere Auctorem, hoc sermone admonere velle, Commentatores, vt breuitati consulerent.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Occasio præceps. text.

OCcasio vt placuit Petro Messiæ in sua silua, *est illud temporis punctum, in quo benè est, aliquid agere.* ista igitur occasio in arte medica est præceps, idest vt exponit Io. Marinellus *perpetuò fugiens*, vel vt legit Galenus *occasio volucris*, quæ citò transit ad similitudinem volucrum dicerem ego, de quibus Sap. 5. dicitur *transierunt omnia, tanquam auis, quæ transualat in aere*, nam materia circa quam versatur ars medica, fluxa est; Corpus siquidem nostrũ mutationibus obnoxium, à causis internis, ne dum ab externis facilè alteratur. Ideò debet Medicus, diligenter, idoneam faciendi, vel non faciendi, quæ infirmo expedit opportunitatem attendere, qua transacta inutilis molestaque ad remedium tentata foret omnis actio. Et ideo semper illius profectum in hac facultate sine intermissione debet studiosus medicinæ, solicitè accurrere.

Occasio præceps quæ sit.

Io: Marinell

Galen.

Sap.

Experimentum periculosum. tex.

ET hoc maxime ratione dignitatis, & humani corporis nobilitatis, conijcitur, quia non ita facilè, sicut in alijs artibus, si error committitur, in hac potest corrigi, & emendari, nam si perit homo, magnum, & irreparabile damnum inemendabilis, & irremediabilis error est; cum *à priuatione ad habitum*, vt ait Philos. *non detur* naturaliter *regressus.*

Qualiter experimentũ in medica facultate sic periculosum

Iudicium difficile. tex.

QVod quidem, siue pro rei euentu, siue pro rationis actu, & mentis sententia statuatur

vtrumq;

Qualiter iudiciũ sit difficile in medica arte.

vtrumque difficile est, quia si Medicus cognoscere debet naturam ægri, morbum, morbi causam, quanto tempore duraturus sit, quæ antecedunt, concomitantur, & subsequuntur accidentia, & quem finem habiturus sit morbus, multum temporis, disciplinęque cum requirat, ob id, iudicium difficile medici, esse declaratur.

Nec solum se ipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum. tex.

ET vt medica ars suum sortiatur effectum, requiritur, non solum medicum, suo fungi officio, in diligenti ægrorum curatione, sed etiam ægrum, necesse esse medici præscriptis acquiescere, præceptis obedire, mandatis, & ordinationibus non reluctari.

De medici officio, & ęgri obediẽtia.

Et assidentes. tex.

IDest illi, quorum interest, & quibus infirmorum cura demandata est, necesse est, vt sedulò assistant, & prout expedit solicitè inseruientes, necessaria à Medico præscripta, exequi curent, & opportuna subministrent.

De assistentia ægris deseruientium.

Et exteriora. tex.

EXtrinseca quoq; quæ infirmum consequuntur, & eidẽ circunstant debent esse proportionata, vt potè, sit aptus locus, aer, obiecta lætitiæ, tristitiæ, strepitus, quies secundum quod infirmo expedire videtur.

Omnia ęgris opportuna, pro salute consideranda.

Applicatio ad medicinam spiritualem, & Auctoris quoque intentio aperitur.

Medicinæ spiritualis.

QVod de medica corporali facultate, ad animalis sanitatem ordinata, huc vsque diximus; hoc itidem, de spirituali animæ curatione proportionaliter subinferendum duximus. Nam licet anima, corpore, nobilitate præstet, & prior sit, vt potè huius forma, & per consequens medicina spiritualis nobilior sit corporali, immò hæc ab illa emanet, vt Aris. ait lib. 7. Metaph. *Ex sanitate animæ, fit sanitas in corpore*; ordine tamen, cognitionis naturalis nostræ, quæ à sensu ortum habet, vt idem ait Philos. à corpore ad animam, à medicina corporali, ad spiritualem, gradu quodam cognitionis, conscendimus, vt Apostolus habet. Ad Rom. p. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. quare egregiè D. Th. 1. 2. qu. 77. ar. 3. ait, *potest autem dici infirmitas animæ ad similitudinem infirtatis corporis*. Medicina enim corporalis respicit corpus, vt sanabile; medicina verò spiritualis respicit animam peccati morbo laborantem, vt dicebat Dauid. Ps. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*. Et alibi Psal. 40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi*. Illa requirit commúniter medicum corporalem, iuxta illud Matthæi nono; *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus*; ista medicum spiritualẽ; Matth. 9. *Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde*; immò cœlestem Protophysicum requirit, qui est Christus Dominus, vt Augustinus de Verb. Dom. sup. Math. ser. 18. *Benè nouit sanctitas vestra*,

Intẽtio spiritualis medici.

Arist.

Medicinæ corporalis, & spiritualis cõparatio.

D. Th.

Matth. 9.

August.

Christus salutis nostræ medicus.

ait, *Dominum nostrum, & Saluatorem Iesum Christum, medicum nostræ salutis esse, & salutis æternæ*, & alibi etiam idem August. de Verb. Apost. ser. 9. *Si venit inquit de Cælo, magnus medicus, magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus, ipse ægrotus genus humanum est, & cælestis medicus*, inquit D. Gregorius hom. Luc. 9. *singulis, quibuscunq; vitijs obuiantia adhibet medicamenta*, nam sicut arte medicinæ calida frigidis, *frigida calidis curantur, ita Dominus noster contrario apposuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem*. Huius igitur cœlestis, & æterni medici, qui salutem præfert, ideo vocatur Iesus, idest Saluator, *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorũ*, vt ex Math. p. Intentio, & mens ab infelici culparum strato fœtidi inferni hospitali ad spiritualem æternæ vitæ salutem iacentem peccatorem erigere, & reuocare, & vt Luc 9. *filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*. Nec potest ab huiusmodi munere se cohibere, quin salutem afferat, & inferat; cum Iesus dicatur, & sit; vt D. Gaudẽtius ait, *quomodo potest salus per præscriptam legem prohiberi, ne saluet?* Nec solum, se ipso, sed aliorum spiritualium animarum salutis cultorum ope, id muneris præstitit, dicens, vt Matth. 10. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate*, demones eijcite, & Marc. 16. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium, omni creaturæ*. Ideo de gloriosissimo Patre nostro D. Dominico vti Prædicatorum Ordinis institutore, habetur, quod erat animarum salutis sitientissimus, quam salutem sibi suoque Ordini præcipuum scopum præfixerat, sic in eiusdem lectionibus ex Breu. Ord. Præd. habetur. Quare & nos, vt Domini, & Saluatoris nostri serui, & D. Dominici filij Prædicatorum decus, vt par est, piè ostentantes; & onus, pro viribus sustinentes, & munus ex corde exequentes; ne à diuinæ vocationis semita aberremus, & à paterno sancti gloriosi Patris instituto, quasi degeneres declinemus, hãc Aphorismorum materiam non ad literam tantum, ex professo, & physicè, sed moraliter, quantum in nobis est, ad animarum profectum explanantes, hanc Officinam nostram, in Hippocratis, licet solo, pro materiali fundamento consurgentem, construemus; eamque copiosis, ac saluberrimis sacrarum eruditionum, speculationum, vnguentis pharmacis, antidotis pro vitiorum morbis curandis, animabus infirmis purgandis, diuinæ gratiæ salute recuperanda, sufficienter præmuniemus. Ideo de cœlestis medici, & diuinæ gratiæ curatione, de infirmi peccatoris per liberi arbitrij concursum, cooperatione, obedientia; de vitiorum morbis; de spiritualium morborum qualitatibus; de ægri peccatoris natura; de spirituali animæ victu; de morali vita; de peccati, & peccatorum symptomatibus, eorumdemque accidentibus, & quibus etiam pœnitentiæ, & bonorum operum remedijs pro animarum salute occurrere valeamus, satis hic abundè opportuneque differemus, & sic hæc nostra moralis Officina consurget.

August.

Greg.

Auctoris intẽtio in spirituali hac Officina.

Vita breuis. tex.

1 HAnc Aphoristicam orationem, velut proæmium ad cęteros moralium nostrorũ Aphorismorum libros, pro opportuno animarum salutis, & diuinæ gratiæ com-

comparandæ methodo præmittamus. Vita noſtra breuis eſt. Ne in primordijs diſcurſus à recto finis noſtri tramite aberremus, ſcrupulos æquiuocorum abijciamus. Duplex nobis vita indicitur, naturalis ſcilicet, & moralis: prima à natura immediatè procedit, quæ ab Ariſtotele de morte, & vita, appellatur *manſio animæ in corpore, vel manſio animæ nutritiuæ in calido*, quam ſub nomine animæ, inſinuat idem Philoſ. lib. 2. de anima dicens. *Anima eſt principium, quo viuimus, ſentimus, & intelligimus, nutrimur, & ſecundum locum mouemur.* Nam hic, non eſt ſermo, de anima ſimpliciter, ſed de corpore animato, vt communiter Philoſ. igitur pro vita naturali hominis. Secunda moralis videlicet vita, & eſt illa, quæ ad mores ſpectat. Terent. in Adelph. *Inſpicere tamquam in ſpeculum vitas hominum iubeo.* Et egregiè diuinæ mentis interpres, ſciẽtiarum omnium viuum oraculum, cuius doctrinæ auctoritas ab ipſo veritatis ore commẽdatur Angelicus Doctor D. Thomas Aquinas, vtramque vitam exponens p. p. quæſt. 14. art. 2. inquit. *Contingit autem aliquorum operum ineſſe hominibus, non ſolum principia naturalia, vt ſunt potentiæ naturales, ſed etiam quædam ſuperaddita, vt ſunt habitus inclinantes, ad quædam operationum genera, quaſi per modum naturæ, & faciẽtes illas operationes eſſe delectabiles, & ad quam inclinatur, & in qua conuerſatur, & ordinat vitam ſuam ad ipſam, dicitur vita hominis, vnde quidã, dicũtur agere vitam luxurioſam, quidam honeſtam.* Et ad vtriuſque vitæ alimentum reſpiciens ſaluator Matth. 4. ait, *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Prima vita eſt animæ cum corpore ſubſtantiale compoſitum, ſecunda animæ cum habitibus accidentalis vnio.

Naturalis, & moralis vita. *Ariſt.* *Ariſt.* *Terent.* *D. Th.*

2. Vtraque igitur vita, & naturalis, & moralis breuis eſt, vt Pſ. 77. *defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum, cum feſtinatione.* Ecce moralis, & naturalis vita breuis. Quo ad naturalem vitam, patet homini ex humano vtero prodeunti, breues à natura vitæ circũſcriptos eſſe cancellos. Iob. 4. *Breues dies hominis ſunt.* Moralis etiam, præcipue vitioſa vita, breuis vt Greg. *Momentaneum ait quod delectat, æternum quod cruciat.*

Quod naturalis, & moralis vita breuis ſit.

3. Vtramq; rurſus vitam breuem eſſe, poteſt dupliciratione ſpeculari: primo ſimpliciter, & ſecũdum ſe præciſè: ſecundò comparatiuè ad voluntatem hominis, quæ ſemper vellet viuere, & namquam deficere; vel comparatiuè ad æternitatẽ, & ſic tanquam nihilum comparatur vt Pſalm. 38. *& ſubſtantia mea tãquam nihilum ante te*, & D. Hieron. T. 9. in Epiſt. ad Philom. ait *Ad comparationẽ enim æternitatis omne tempus breue eſt*, & D. Thom. ſuper Iob. 14. lect. p. qui, ait *ſtatus ergo mortis humanæ, quantocumq; tẽpore reſurrectio differatur breuis eſt, in comparatione ad ſtatum futuræ immortalitatis.* Vel tertiò etiam comparatiuè ad artis huius ſcilicet ſalutis noſtræ comparandæ, longitudinem, breuis eſt vita noſtra; cuius inquam ſalutis cum certitudinem non habeamus, ſemper huic ſedulò vacare deberemus.

Vtraq; vita breuis ſimpliciter, & cõparatiuè. *D. Hieron.* *D. Th.*

Ars longa. *tex.*

4 ARs, per D. Thom. 1. 2. qu. 57. art. 3. *eſt ratio recta aliquorum operum faciendorum, & habitus operatiuus.* Talis eſt huiuſmodi ſpiritualis medica facultas, eſt enim recta ratio, qua per oppot-

D. Th. *Spiritualis medicina ars vocari poteſt.*

opportuna pœnitentiæ remedia, & virtutum, seu bonorum operum pharmacum, nostris per peccatum contractis languoribus medemur, & animæ nostræ spiritualiter infirmæ, diuinæ gratiæ sanitatem, in Sanctæ Ecclesiæ aromataria, spiritualis medici studio, & ope per sacramenta comparamus. quare Bed. Luc. 4. *Quisquis se molestia ægritudinis fatigari cognoscit, recurrat ad Ecclesiam, ostendat ægritudinem medico; idest confiteatur Domino peccata sua, pœnitentiam agat malorum, quæ fecit, petat à Domino indulgentiam, vt veram à Domino percipere sanitatem mereatur.*

Bed.

5 Quod si in hac morali arte, medicamẽtorum spiritualium virtutem scrutamur, lento quæso mentis pede, Ecclesiæ Sanctæ aromatariam ingrediamur, & attento cognitionis oculo, animæ nostræ in D. Augustini Galeno, remedia spectemus, qui ait; August. lib. 6. de pœnit. *Pœnitentia languores sanat, leprosus curat, mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conseruat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum; vitia fugat, virtutes exornat; mentem nutrit, & roborat.* Et quod sit animæ nostræ spirituale medicamentum salutis, hoc affirmat D. Isid. de summ. bon. lib. 3. qui ait, *Pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores saluantur, per quam Deus ad misericordiam prouocatur.*

Virtus medicinæ spiritualis.

August.

Isid.

6 Ars est huiusmodi spiritualis medica facultas, animæ nostræ salutis, qua discere possumus, quomodo ad diuinam misericordiam confugere, veniam peccatorum petere, & consequi valeamus: non solum per nos ipsos, vt Ecclesiast. 38. *Fili in tua infirmitate, ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te*; sed etiam per aliorum piorum merita, orationes, & intercessiones, vt Ambr. in 5. lib. cap. 5. Luc. qui ait. *Disce qui æger es impetrare, si grauium peccatorum diffidis veniam adhibe Ecclesiam, quæ pro te precetur, cuius contemplatione, quod tibi Dominus negare posset ignoscat.* Et de hoc melius, vide quod in præfatione ad Lectorem scripsimus.

Quid nos doceat ars medicinæ spiritualis.

Ambr.

7 *Ars longa* verè dici potest hæc Spiritualis Medicina; & talem quidem meo iudicio affirmare posse crediderim. Primò secundum se, vt habitus est operatiuus virtutum moralium; habitus enim bonorum operum, & meritorum, quos in huius sæculi schola, & vniuersitate, & vitæ mortalis studio comparamus, in cœlestem aulam æterni præmij lauream percepturi deferemus, vt D. Hieron. ad Paul. *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseueret in Cœlis.* Secundò ratione durationis, & perseuerantiæ, quam in nobis operatur, vt D. Thom. 3. p. quæst. 84. a. 8., qui ait, *Vera pœnitentia non solum remouet peccata præterita, sed etiam præseruat hominem, à peccatis futuris; ideo inquit, oportet in homine perseuerare pœnitentiam, ne iterum incidat in peccatum.*

Quomodo medicina spiritualis ars lõga dici possit, diuersæ rationes. prima.

Hieron.

Secunda ratio.

D. Thom.

Vel ideo dicitur *ars longa*, quia omnium ferè operationum particularium naturæ scilicet, valde labilis, & ad peccatum pronæ, occasio intercidit momentanea, & subitaneus per sæpe æternæ vitæ interitus; in puncto enim consistit æternitas, & iuxta illud D. Gregorij, vt diximus *momentaneum, quod delectat æternum quod cruciat.*

Tertia ratio

Greg.

Vel etiam *ars longa*, quia cum certam, & statam salutis suæ scientiam nemo habeat, quia nemo scit an odio, vel amore dignus sit; propterea continuò, & indesinenter pro viribus laborare debet pro æter-

Quarta ratio.

Eccles. 11. næ salutis consecutione, vt Eccles. 11. *manè semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, hoc vel illud*, vt certam, pro vt in nobis est, nostræ salutis spem reddamus, vt 2. Petri p. 6. *Fratres magis satagite, vt per bona opera, certam vestram vocationem faciatis*. Quare nobis omni studio, in huius vitæ studio enitendum, ne ad cœlestis gloriæ brauium properantes, à cœpto bonorum operum cursu deficiamus: vt 2, Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*.

Quinta ratio. Vel *Ars longa* dicitur, vt reprehendat desides, & ignauos, in via Dei incedere minus satagentes, ne otiosi in vanitatibus mundi, tempus conteramus; sed ad salutis nostræ beneficia potiora festinemus, vt diuinæ indignationis manum effugiamus, vt ad Hebr. 2. *Quomodo effugiemus, si talem neglexerimus salutem*.

Occasio præceps. tex.

Quid sit occasio. CVm occasio sit breue tempus, habens in se alicuius rei idoneam faciendi, vel non faciendi opportunitatem, qua trãsacta, actio fit, & redditur inutilis, & molesta, vt Ioannes Marinellus hic. Cum vita nostra, tam naturalis, quã moralis, quæcumque sit illa, infinitis subiaceat mutationibus, & fragilis, & transitoria humana conditio, facilè alteretur, siuè ab intrinseco, à natura ipsa ad malum prona, siuè ab extrinseco, ab obiectis peccati, & etiam Diaboli stimulis concitata, ac propterea sit perpetuò fugiens, vt Iob. 14. *Et fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet*, ideò occasio præceps, seù *volucris* perpetuò fugiens; quapropter temporis opportunitatem, debemus attendere, huic, benè operando conformari; iuxta illud ad Galat. 6. c. *Dum tempus habemus, operemur bonum*, & sic opportunis diuinæ gratiæ beneficijs, & sanctis illuminationibus promptè occurrere, & assentiri; vt Psal. 84. *Audiam, quid loquatur in me Dominus*, & nullatenus has relinquere, quia aliter, post hæc, dicitur occasio calua, nam inutilis, & inanis forsitam inde pœnitentiæ reddetur actio, seù casus. vt Io: 9. *Venit nox, in qua nemo potest operari*: quod, & clarè explicat Aug. ser. 58. de temp. qui ait. *Erit tempus, in quo peccator velit pœnitere, & non poterit, quia quando potuit, noluit, & propter malum velle, perdidit bonum posse*; Vt sancta etiã nos admonet Ecclesia, ne talem pœnitendi opportunitatem relinquamus, dicens. *Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus, ne præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, & inuenire non possimus*..

Io: Marinel.

Iob. 14.

Bonorum operum occasio capitanda,

Psalm. 84.

Io: 9.

August.

S. Ecclesia,

Experimentum periculosum tex.

SI experimentum in corpore humano, à medico fiendum, periculosum est: eo quia corpus humanum omnibus cœterarum artium, materialibus subiectis, præstantius est; multò magis in anima rationali, quæ ipso corpore nobilior est, vt potè huius forma, imo imago ipsius Dei, hanc in æternæ mortis discrimen, per peccatum adducere, experimentum erit periculosius, vt Matth. 16. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimẽtum patiatur?* ideo S. Laur. Iustin. lib. de spirituali interitu animæ ait: *Nihil tanti appretiandum est, quantum rationalis anima, quæ vniuersa sæculi huius creata dignitate præcellit: si aurum disperdatur, vel à latroninibus diripiatur*,

Animæ periculum in peccatũ ruẽtis.

Matth. 16.

S. Laur. Iust. f.

ripiatur, recuperari potest, sicut, & aliæ facultates sæculares, at verò anima, si semel amittatur vlterius recuperari non valet.

Iudicium difficilè. tex.

Quomodo iudiciū Medici difficilè

SI in humani corporis medica facultate, determinatè in ægro, circa morbum iudicium ferre difficilè est, maximè in principio, & augmento morbi; cum maxima scientia, & longa experientia, & tēpus in Medico ad morbi causam; & concausam, accidentia, & circunstantias dignoscendas requiratur; sic dicere possumus proportionaliter in animæ ægritudine; quæ diuersas peccatorum causas, & concausas, circonstantias & accidentia implicat, velle quemquā in re dubia, cuius finem ignorat, in materia graui, in alterius præiudicium, in malo sensu, certè, & determinatè, mente, vel verbo ferre sententiā, iudicium difficilè, & temerarij rationem induet; quod diuinum iudicium, ad temere iudicantis pœnam, prouocat, vt ad Rom. 2. *In quo alium iudicas, te ipsum condemnas.*

Iudicij temerarij error grauis.

Nec solum se ipsum præstare oportet opportuna facientem; sed & ægrum. tex.

SIcut ad perfectam ægrotantis corporalem salutem, non solum medici scientia, cura, diligentia, & opportunitas requiritur, vt inuiset infirmum, agnoscat morbum, medicamenta tempore debito, exhibenda prēscribat, sed etiam infirmi obedientia desideratur, vt medici præceptis aquiescat, & prēscripta exequatur; ita ad perfectam animæ infirmæ curationem, non solum requiritur, ex parte cœlestis medici opportuna prēuenictis gratiæ diuinæ curatio, sed & ęgri peccatoris, per suam liberi arbitrij cooperationem, voluntaria correspondens obedientia, vti Chris. hom. 60 ad pop. *Sicut ad perfectionē nostrā dilectissima promptitudo nostra non sufficit, nisi superno potiatur fauore; ita nihil à superno lucrabimur auxilio si promptitudo nostra defuerit; Ex his enim duobus virtus texitur.* Quare August. tract. 12. in Io: ait, *quantum in medico est sanare venit ægrotum; Ipse se interimit, qui præcepta medici, seruare non vult.*

Chris.

August.

Vel secundò potest intelligi hęc obediētia subditi, siuè pęnitentis in ordine ad Superiorē, siuè ad Confessorem, non enim sufficit, vt Confessor, sicut Prælatus, suo fungatur munere in peccatoris, seù pœnitentis cura adhibenda, sed etiam pœnitentis requiritur obedientia, in imposita pęnitentia, seù alio munere adimplendo. Vt D. Chrys. ser. 41 ait: *Si pro temporali cura ægri medicis obediunt, seruant arduam parcitatem, quare pro sempiterna salute, fit durum Christo moderatis obedire ieiunijs?*

Diuino auxilio correspondens liberum arbitrium; & Superioribus subditorum obedientia.

Chrysol.

Et assidentes. tex.

QVI assistunt infirmorum curæ, illorum quoq; diligentia, & assiduitas requiritur, vt necessaria ad horum salutem subministrent, ne ipsorum incuria, & negligentia ægri pereant, vel malum patiantur, quod ipsis esset tunc assidentibus imputandum, & negligentiæ adscribendum. Ita Prælati, & Superiores animarū curam degentes, quibus harum salus tradita à Deo, & demandata est, debent sedulò subditorum curæ insistere, ne spiritualiter, culpa pereant, vt rationem Domino reddituri, pro eisdem animabus, secundum illud D. Ephrem de pęnit. qui ait.

De superioribus in eorum subditorum cura.

Ephr.

ait. *Ac si quidem per pastoris negligentiam ouem deesse cōtigerit, sanguis eius de manu illius requiretur: similiter & Abbas, pro se ipso, & pro grege suo rationem reddet*, & Greg. hom. 11. super Ezech. *Vbi subiectus ex sua culpa moritur: ibi is, qui praeest, quoniam tacuit reus mortis tenetur.*

Greg.

Et exteriora. tex.

SIcut de corporali diximus infirmo, sic de spirituali proportionaliter subinferendum. Dicimus ergo, quod sicut exteriora ægro debent opportuna esse, & corrēspōdere v.g. locus, aer, cibus, societas, obiecta læta, vel tristia, discursus, vel aliter, & similia. Vt locus sit remotus, vel proximus tumultibus, vel quieti, turbarum vacuus, vel plenus, aer humidus, vel siccus, & huiusmodi, sic ægro peccatori ad salutem animę per pœnitētiam, comparandā, exteriora debent esse opportuna eidem, vt primò ei locus remotus competat, scilicet ab occasionibus peccati remoueatur, ne ab his rursus, peccatorum germina pullulent. Vel locus remotus per humilitatem, vt de publicano dicitur. Luc. 18. *Publicanus autem à longè stans, non audebat oculos ad cœlum leuare.* Vel remotus per orationum attentionem maiorem, vt Matth. 6. *clauso ostio, ora ad patrem tuum.* Sicut Christus in horto, de quo dicitur, oraturus Patrem Luc. 22. *Auulsus est ab eis quantum iactus lapidis.* Vt etiam ait. Lir. hic, *quia oratio debet esse solitaria.* Tunc enim oratio optimè, fit quando homo est sequestratus ab alijs. Vel locus debet esse proximus, per peccatorum sacramentalem confessionem, vt Iacob. 5. *Confitemini alterutrū peccata vestra, & orate pro, inuicem, vt saluemini.* Si aer, debet esse siccus per carnis macerationem, vt Paulus p. Cor. 9. *Castigo corpus meū, & in seruitutem redigo.* Vel siccus per ieiunium, vt August. *Ieiunia, vt non preces, ieiuna, quia peccasti.* Vel humidus ob dissiplinarum macerationem, sanguinis vel lacrymarum, præ contritione effusionem, vt August. *vera pœnitentia vix sint lacrymis esse potest.* Vel per eundem D. Aug. in reg. *carnem vestram domate ieiunijs abstinentia, esca, & potus, quantum valetudo permittit.* Et hoc est per cœlestis medici saluberrimum recipe præscriptum Ioel. 4. Vbi dicitur, *Conuertimini ad me, in toto corde vestro in ieiunio fletu, & planctu.* Debet habere domum vacuam à turbis vitiorum, vel vitiosorum, vel ab occasionibus, ne iterū reincidat in peccatum. secundum illud Eccles. 21. *fili peccasti, ne adijcias iterum, sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittatur.* Vel plenam domū debet habere, scilicet religiosis, vel probis viris, qui eum spiritualiter consolentur. Obiecta possunt esse læta in spe ardenti diuinæ gratiæ, & amoris Dei, & misericordiæ pro suorum remissione peccatorū. Læta ad Paradisi gaudia aspirans, vt Psalm. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus.* Vel tristia ad pœnitentiam cogitans, vel ad iudicium, mortem, & infernum; vt se iudicio disponat, & morti, & vt æternas illas pœnitentia effugere pęnas valeat. Vt Aug. in lib. de vti. agen. pęnit. *In tribunal mentis tua ascende contra te, & reum te constitue, ante te, noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante te.*

Vel exteriora: Idest omnes sensus nostros debemus ad salutem animæ disponere, omnia nostra bona, siue facultates eleemosinas pauperibus

Quęnam exteriora, necessaria spirituali ęgro.

Locus quomodo remotus esse debeat.

Luc.

Matth.

Lir.

Locus quomodo proximus.

Iacob.

Quomodo aer siccus.

1. Cor. 9.

August.

Aer quomodo humidus.

August.

August.

Ioel. 4.

Quomodo domus vacua, vel plena ægri.

Obiecta ęgri quomodo læta, & tristia.

August.

Qualia absolutè exteriora esse debeant ad ægri spiritualis sanitatem.

peribus errogando, vt Daniel. 4. *peccata tua eleemoſynis redime*; ſiue bona corporalia quæque, ad animæ ſalutem ordinare, & dirigere. Vt Apoſt. ad Rom. 6. *ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Sic oculus lugeat, quæ deliquit, os oret, vt peccata dimittantur, & reddat famam, ſi detractione abſtulit; lingua ſua fateatur errata; manus operetur pęnitẽtiã; venter ieiunijs maceretur iuxta illud. Eccleſiæ Sanctæ præceptum ad horam tertiam. *Os, lingua, mens, ſenſus, vigor, confeſſionem perſonet.* Ex quibus omnibus paragrophos opportunos ad diſcurſum eliciamus.

S. Eccleſ.

Vita breuis. tex.

Paragrophi, primi Aphoriſmi.

§ I. Vita noſtra, tam naturalis, quam moralis breuis eſt.

Ars longa. tex.

§ II. Habitus pęnitentiæ, meritorum, & bonorum operum, quos nobis in hoc mortalis vitæ ſtudio, comparamus, in patriam perpetuò duraturos deferemus.

Ars longa. tex.

§ III. Homo, cum non habeat certam ſuæ ſalutis ſciẽtiam, ſeù ſecuritatem, debet pro æterna beatitudine conſequenda, bonis operibus ſedulò incumbere.

Ars longa. tex.

§ IV. Debemus ad profectum virtutum, pro æterna ſalute, continuò, & indeſinenter contendere.

Occaſio præceps. tex.

§ V. Quam fluxa, & fragilis ſit humana naturæ conditio, ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco, ratione phyſica, & morali.

Occaſio præceps. tex.

§ VI. Non debemus diuinæ gratiæ auxilia reijcere, ſed cœlitus oblata, ad animæ noſtræ ſalutem, excipere; quia aliter poſt hæc occaſio calua.

Experimentum periculoſum. tex.

§ VII. De animæ excellentia, & nobilitate in communi, & in particulari.

Experimentum periculoſum.

§ VIII. Quam periculoſum ſit, animę ſalutem, per peccatum, in æternę mortis diſcrimen adducere.

Iudicium difficile. tex.

§ IX. Difficile eſt in rebus dubijs,

dubijs, & futuris, quarum naturas, cauſas, circunſtantias, & accidentia, & finem ignoramus, determinatè, maximè verò in deteriorem partem iudicium ferre.

Nec ſolum ſe ipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & ægrum. tex.

§ X. Ad peccati morbum curandum, & peccatoris iuſtificationem, non ſolum requiritur diuinæ gratiæ præuenientis cęleſtis medici curatio: ſed etiam ægri peccatoris per liberi arbitrij cooperationem correſpondens obedientia.

Nec ſolum ſe ipſum &c. tex.

§ XI. Non ſolum ad animæ ſalutem requiritur, vt Cōfeſſor, ſiue Superior, ſuo fungatur munere, in abſolutione, & pœnitentia præſcribenda; ſed pœnitens etiam, vt in hac adimplenda obediat, & exequatur.

Et aſſidentes. tex.

§ XII. Prælati, & Superiores quicumque animarum curam degentes, debent ſiue ex charitate, ſiue ex officio earundem curæ ſedulò vacare.

Et exteriora. tex.

§ XIII. Omni, & quecumque bona extrinſeca temporalia, & corporalia ad animæ ſalutem ordinanda.

Quo ad primum. Vita breuis. tex.

§ Primus. Vita noſtra tam naturalis, quam moralis, tum ſimpliciter, tum comparatiuè, breuis eſt.

1 HÆc breuis Aphoriſmi pars, ipſam moralitatem immediatè præ ſefert; nec eſt opus, à cōmuni ſententię medicorum via declinantes, peculiarem moralitatis tramitem perquirentes, ſpeculationis pede calcare. Quod vita noſtra breuis ſit, non longè ad huius veritatis probationē diuagabimus; ſi ad vitæ noſtræ principium cum Philoſopho animum referamus. Ait Philoſophus: *vnumquodque in ea reſoluitur, ex quibus componitur*; cum igitur vita noſtra ex materia, & forma, quæ prima principia ſunt rerum naturalium, componatur, ex materia, quæ eſt terra, vt Gen. 2. *formauit Deus hominem de limo terræ*, in eadem terræ principia reſolui debet, vt Pſ. 145. *exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terrā ſuā*. Vita breuis ex ipſa humani corporis cōſtructione. Gen. Quomodo ſpiritus in terram ſuā dicitur reuerti.

2 Sed quomodo ſpiritus, ſiue anima reuertetur in terrā? nunquid anima, quæ ſimplex immaterialis, ſpiritualis, & immortalis eſt ſubſtātia, in ſeparatione huius à corpore, quaſi materiei concreta, velut ab hoc educta, quæ à ſolo Deo creata eſt, in terram reuertetur? abſit; ſpirituale enim in materiam non reſoluitur. Difficultatem hanc ſoluit Incognit. ſuper Pſalm. hic, qui ait. *Hoc quod dicitur reuertetur in terram ſuam, non refertur ad animam hominis, ſed ad corpus, vt ſit* Incognit.

sensus, cum exit anima à corpore, corpus reuertitur in terram suam, scilicet de qua creatus est. Secundum illam sententiã Domini dicẽtis Gen. 2. *donec reuertaris in terram, de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Cui consonat illud Iob. 7. dicens, *ecce nunc in puluere dormiam.* Quæ verba explicans S. Thom. hic ait: *ecce nunc in puluere dormiam, quia iam in proximo est finis vitæ meæ, vel moriar resoluendus in puluere.*

D. Th.

3 Verum à principijs humanæ conditionis declinantes, parumper, ad vitæ nostræ breuitatis cognitionem, propius accedamus. Perbellè, & expresse hanc nobis veritatem intulit patientissimus Iob. 14. dicens, *homo natus de muliere, breui viuens tempore.* Et eodem capite, *breues dies hominis sunt.* & cap. 16. *ecce breues anni transeunt, & semitã per quam non reuertar ambulo.*

Iob.

4 Vix homini ad vitam nato, ad mortem pandit aditus, & ad hanc properat. Non satis mirari desino, quod Christus in sua natiuitate, vilissimum, & abiectũ, quod in via situ erat, habitaculum sibi delegerit. Vt Luc. 2. dicit de B. V. *peperit filiũ suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in Præsepio; quia nõ erat locus in diuersorio.* Quomodo ille, qui in sublimi cœlorum palatio degit, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, in tam vili humilique loco, suam celebrat natiuitatem; qui in sinu patris generatur; qui à matre Virgine procedit, extra patriam, paternosque lares nascitur? Hoc ideò diuina egit bonitas, & sapientia, vt nobis nostræ vitæ breuitatem annueret suo exemplo. Christus enim dicitur via, vt proprio fatetur ore Io. 14. dicẽs. *Ego sum via, veritas, & vita.* Idest, quasi dicat, ex quo humanis his spolijs sum irretitus, via sum ad mortem. Nullus enim hominum est, qui certum consistendi habeat locum, sed semper incertus vagatur ad mortem; ac veluti fluuius humanæ imbecillitatis, ad oceanum mortis, decurrit; ideò in pastorum tugurio, quod erat in via, nascitur, vt ostenderet, se nedum huius mundi viatorem, quam viam esse, quæ tenderet ad mortem, vti Chrysol. ser. 175. *Et necessario fratres via generatur in via. Ego sum inquit via, vt omnis aditus excluderetur erroris, & viator tandem cœlum peteret, qui terreni itineris in cassum, diu sudores sustulerat, & labores.*

Cur Christus nascitur in pastorũ tugurio propè viam.

Vix natus ad mortem homo properat.

5 Obseruo in creatione mundi ordinem creaturarum. Primò quod tertia die Deus mandauit terræ proferre herbas, & flores, & suam secundum genus edere sementem, vt Gen. p. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum.* Et sexto die hominem condidit, & quare homo, cuius dominio, reliquæ terrestres, & sublunares subduntur creaturę, quibus omnibus principatur, vt Gen. p. *Dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & bestijs terræ,* & Ps. 8. *omnia subiecisti sub pedibus eius,* primatum in creatione non habet, qui primum dignitatis obtinet locum? cur herba sine sensu, rationali præfertur creaturę? Possemus dicere hoc à diuina sapientia prouidè dispositum esse, vt primo herba, & alię creaturę inferiores, producerentur, & crearentur, antè hominis creationem; vt sicut subiectæ sunt homini, sic tanquam eiusdem dispositiones, ad eidem seruiendum præcederent. Verum opportunior, & commodior ad rem nostram, alia insurgit ratio: voluit flores, fœnum, & herbam creationẽ hominis præcedere, vt huic enascenti, & ad vitam predeũti, primò eius aspectui, herba,

Cur Deus voluit herbam virentem, præcedere hominis creationem.

Voluit Deus primò herbam creare, vt homini esset obiectũ suæ caducitis.

herba, nostræ fragilitatis symbolum, pateret, & obijceretur; quæ nostræ eum mortalitatis commoneret. Quare Ambr. lib. 6. exam. c.7. ait, *Illa herba, & flos fœni, figura est carnis humanæ*, & infra. *Sicut herba fœni, quod priusquam euellatur arescit; quæ firmitudo in carne, quæ salubritas potest esse diuturna?*

Ambr.

6 Sed, & adhuc ad mundi vniuersalem creationem, si libet mentis oculos, dirigamus. Hæc creatio à Moyse nobis descripta, sic iacet, Gen. 1. *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*. Cur primò nominat Cœlum, deindè terram? cur Cæli creatio, terræ creationem præcedit, cum è conuerso prius, terra, quam Cœlum esset creanda? Quilibet enim faber, domum aliquam construere volens, non ne à fundamento incipit, deindè ad tectum, quod est vltimum domus cōplemētum, deuenit? & cur Cælum, quod mundi huius, velut tectum est, prius terra ponitur, cum alioqui, velut fundamentum vniuersale deberet, hęc præcedere, & primò poni? Sed hoc ideò fecit, vt humanæ nobis, huius ob oculos caducitatis speciē obijceret. Verum quidem est, quod homo ædificans à fundamento, cui fabrica innititur, suæ sumit constructionis exordium; è contra verò domum destruens, non à fundamento, sed à culmine incipit demolitionē. Sic Deus destruentis, non ædificantis, etiam in creatione mundi, formam induit; quapropter à Cœlo non à terra incipit vniuersalem hanc mundi stucturam, vt nostri finis in ipso vitæ exordio statim memoria, obiectumque occurreret præmeditandum. Homo enim dicitur microcosmos, hoc est mundus paruus, creat igitur primò Cœlum, velut demoliens Deus, non vt ędificans,

Cur Deus, prius Cælū creauit, quā terram.

Quilibet faber à fundamento incipit domum, non à culmine.

Deus in creatione mūdi, vt demoliētis potius quam ædificantis personam gerit

vt suā, in ipsa natiuitate mortalitatē ille meditaretur; Hinc est, quod D. Ambr. lib. 2. de vocat. Gentil. cap. 8. ait. *Vita huius principium, mortis exordium est, nec prius incipit augeri vita, quam minui*. Homo enim dum viuit, vti mortalis ad mortem properat, & ab esse, ad non esse tendit, imò percurrit ad mortem, vt propterea D. Bern. in Psalm. *Qui habit.* ser. 17. intulerit. *Quid agimus, inquit, ex quo primum incipimus viuere, nisi morti appropinquari, & incipere mori?*

Ambr.

Bernar.

7 Vndiq; ne excusationem falsò nobis arripiamus, ad delicta nostra, sub spe longioris vitæ, liberè perpetranda, pænitentiam protrahendo, Prædicatores in nos insurgunt, qui nobis vitæ nostræ breuitatem, eorundem opere, quasi lingua prædicant. Elementa, primò ex quibus componitur homo, hanc veritatem testantur, & proloquuntur.

8 Si terram inspicis, ecce quod hæc finem vitæ nostræ, in mentis nostræ auribus intonat. Dicitur enim Hierem. 17. *Omnia enim, quæ de terra sunt, in terram conuertentur*, cum igitur homo de terra eductus sit, vt diximus Gen. 2. Ergo in terram debet reuerti. Ideò S. Ecclesia fer. 4. Cin. aspergens super caput hominis Cineres, huic, memoriam mortis, & finem suum, sicut, & primam conditionem, & formationem intonat, dicens. *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Quod, primò homini post peccatum, in huius pænam Deus intulit, vt Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo; donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis est, & in puluerem reuerteris*.

Ex elementorum incōstantia, breuitas vitæ nostræ desumitur.

A terra.

S. Ecclesia.

Gen. 3.

9 Si aquā spectas, ecce quod, & hæc finis nostri, cōtra nos prædicator, ipsa tacitus insurgit, 2. reg. 14.

Ex aqua.

Omnes

omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Nam sicut aqua effusa ab auidis aridæ terræ faucibus absorbetur, & statim deperit; sic vita nostra breui temporis momento, euanescit, & in nihilum reducitur. Si ad aerem mentis oculos dirigis; ecce terræ vapores, veluti Prædicatores nostri finis, in nos insurgunt; hi enim in secunda aeris regione euagantes, quasi in maiestatis solio eleuati, ex humidis terræ humoribus progeniti, liberalem eidem pluuiā promittere videntur, sed ecce ventorum turbine retroacti, in diuersas partes distracti, & dispersi, in nihilum ocyus dissipantur, & conuertuntur; Sic vita nostra à veloci edacis temporis vento acta, etiam ad terrenam humanæ fœlicitatis altitudinem eleuata, citò dispergitur ad mortem. Quare Iacob. 4. dicitur. *Quæ est enim vita nostra? vapor ad modicum parens, deinceps exterminabitur.*

Ex aere.

10 Si ignem aspicis, videmus hunc ex obscuris fumi parentibus progenitum, quasi sub Martis auspicio, seu aspectu vix natum, statim veluti sagittarium, sintillarum emittentem iacula, & hac vili terrę habitatione dedignatum, suorum oblitum obscurorum natalium, ad Cœlum, flammarum suarum alis conuolantem, ad sublime Lunæ Cęlum, irreuocabiliter contendentem, & properantem, in nigros tandem carbones, & cineres resolui; splendorem amittere, & virtutem, potentiamque deperire. Sic homo ex obscuro fimi fumo, ex quo eductus est, vix natus, suæ nobilitatis persæpe falsò insignia ostentans, & natalia superbię sintillas emittit, deinde diuitijs, & honoribus præfulgens, sui appetitus flammis, ad humanę gloriæ Cœlum, & terrenę fœlicitatis solium properat, & peruenit, (si tamen peruenit) tandem in nigros funebrium frigidi cadaueris carbones, cineresque symbolum mortis, eius tota conuertitur, & resoluitur gloria. Ideò Greg. 24. moral. cap. 27. ait. *Per omne, quod nitent, in cinerem redeunt, quia pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem conditionis suæ conspiciunt, nihil aliud, quam fauillam se esse cognoscunt.*

Ex igne.

Ignis descriptio,

Gregor.

11 Si ad ventum mentis oculos conuertis; ecce quod, & iste etiam breui admonitionis susurro, in humani cordis aurem obmurmurans; vitalis nostri cursus velocitatem annunciat, vt Iob. 7. *Memento mei Domine, quia ventus est vita mea.* Si Cœlum spectas, licet hoc incorruptibile, corruptionis tamen nostræ signa edit, & mortalitatis nostræ cöceptum prædicat, & prædicit; quia in hoc stella stellæ succedit, sic homo homini, vt Eccl. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit.* Ex mathematicis habetur, vt Io. de Sacro Bosco in sua sphera c. p. 5. Cœlum moueri circulariter. & ait, quod Stellæ, quæ oriuntur in Oriente, semper eleuantur paulatim, & successiuè, quousque in medium Cæli veniant; & tunc semper in eadem propinquitate, & remotione ad inuicem, & ita semper se habentes tendunt in occasum, continuè, & vniformiter. Hoc nostræ mortalitatis signum, & argumentum præsagit qui ab oriente natiuitatis ad occasum mortis declinamus semper, & properamus ad finem.

Ex vento.

Iob.

Ex Cælo.

Ex Mathematicis. Io. de Sacro Bosco.

12 Si in Solem erigis oculos ecce, quod cursu suo, breuem quoque vitæ nostrę cursum designat, dum in vasto Cœli spatio percurrit, breui tempore ab oriente demum in Occasum declinat, vt Ecclesiast. 1. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur.*

Ex Sole.

13 Si Lunam aspicis. Hęc mortalitatis

Greg.

Ex Lunæ mutatione.

talitatis nostræ signa prodit, vt Gregor. hom. 2. in Euang. qui ait: *Luna in sacro eloquio, pro defectu carnis ponitur: quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat.* Ideò Iob. cap. 13. ait: *Et nunquam in eodem statu permanet*, de homine loquendo.

Ex anni temporibus breuitatis vitæ nostræ argumentum deducitur.

14 Si ad anni tempora respicis, scilicet Veris, Æstatis, Autumni, & Hyemis, ecce, quod, & hæc omnia, finem nostrum, quoque circumloquuntur. Vere vides flores, in viridi earum plantarum sinu, colorum varietate à natura depictos, forma elegãtes, odore naribus pergratos, & suaues manè consurgere, vt de rosa olim nos subintulimus.

A Vere.

Qualis in exculto rosa formosissima agello.
Surgit odorato, conspicienda sinu.
Ruris honos, hortique decus, noua gloria veris,
Cuius purpureas, spina tuetur opes,

vespere tamen, languidum caput demittere, Solis ardoribus, exustos, omnemque eorum pulchritudinem deperire: sic vita hominis, manè adolescentiæ, decore, virtute, ingenio, & viribus efflorescens, in serò senectutis, & citius persępe, ab hac floriditate declinans, & deficiens, in feretro caput demittit ad mortem; quare Iob. 13. de homine ait; *Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nũquam in eodem statu permanet.* Cui sententiæ etiam arridere videtur Dauid in illo Psal. *Manè sicut herba transeat, vespere decidat, induret, & arescat.* Et Es. 40. *Omnis caro fænum omnis gloria eius quasi flos fæni exsiccatum est fænum. & cecidit flos.*

Ab Æstate.

15 Estate non ne cernis vberes terræ segetes, erectas efflorescentes, inde à Solis ardoribus exsiccatas, ab auidi agricolæ falce præscindi, & ad terram prosterni? hoc mortis nostrę symbolũ est, quę veluti Atropos, & Parca, per Antyphrasim, quia nemini parcit, falce sua, filum humanæ vitæ præscindit, & naturę humanæ segetem ad mortem prosternit. Vt Is. 38.: *Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordiret, succidit me.*

Ab Autumno.

16 In Autumno non ne vides fructus, alios adhuc acerbos, vi à plantis decerpi, & euelli; alios maturos ex se decidere. Hominem significat, & designat naturæ fructũ, alium in immaturis adolescentiæ annis, violenter à morte arreptum, alium ætate maturum, in senectute ad mortem decidere. Vt Tull. in Cat. ma. ait; *Quasi poma ex arboribus, si cruda sint, vi euelluntur, si matura, & cocta decidunt, sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.*

M. Tull. in Cat. ma.

A Hyeme.

17 Si Hyemem attendis, ecce vltimam ætatem, & naturalem hominis finem designat, & prænunciat: nix canam, senum ætatẽ; multiplices pluuiæ, lacrymantes oculos, & noxios decidentes humores; rigidum frigus, gelidum, & pallidum corpus, & tandem effætum designare cadauer, cui obnubilatum aerem, quasi quædam funeralia mortis præcurrere videntur.

A Fluminibus.

18 Si ad flumina, oculos dirigis, ecce symbolum finis nostri, omnes enim properamus irreuocabiliter ad mortẽ, sicuti aquæ præcipiti earũ cursu, non retrocedẽtes vnquã, ad mare fluũt. Vt dixit Ouid. art. 3.

Ouid.

Eunt anni, more labentis aquæ.
Nec quæ præterijt cursu, reuocabitur vnda,
Nec quæ præterijt hora, redire potest.

Idiot.

Ideò Idiota vir sanctissimus in libro de contemptu Mortis c. 14. ait,

ait: *Nec est aliud vita nostra, quam cursus ad mortem.*

19 Si in aquis, & fluminibus natantes pisces aspicis, ecce quod isti ad ictum lapidis in eos immissi, perterriti ad caueas, seu cauernas suas confugiunt; sic homines veluti pisces, secundum illud Abach. p. *Facies homines, sicut pisces maris,* in huius Mundi aqua gliscentes, delicijs, diuitijs & honoribus, ad mortis ictum, in suis sepulchrorum cauernis tandem includuntur: vt Psalm. 48. *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum.*

E piscium similitudine

20 Si ad diuersorium, & tabernam accedis, vides hospites, & peregrinos, alios aduentantes, alios recedentes; sic homo velut hospes huius Mundi, vt 2. Cor. 5. b. *Omnes enim peregrinamur à Domino*, & ad Hebr. 13. *Non habemus hic Ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus*, ad hunc Mundum, alius natiuitate accedit, alius ab hoc morte recedit, vt ait D. August. ser. 29. de verb. Dom. *In hoc sæculo omnes veluti peregrini transeunt, nec vllus quasi possessor manet, sed omni homini dicitur, refectus transi, age iter, da venturo locum.*

Ex hospitib. ad tabernā.

August.

21 Si ad mercatores animum refers, ad nūdinas in emporio conuenientes in platea, vides numularios mutuatam exigere, & mutuare pecuniam, quæ accepta iure inde reddenda est; hoc mortalitatis nostræ præfert argumentum. Vt Plutarch. in mor. ait. *Quemadmodum mutuata pecunia, æquo animo reddenda est, sic vita munus, quod mutuò accepimus à dijs, citra quærimoniam est reponenda.*

Ex nundinarū, & mercatorum similitudinē.

Plutarch.

22 Si ad mēsam accumbis, animalia persæpe mortua, tibi ad cibum apponuntur, quæ comedis, signum fortassis, quod alia viuentia te mortuum cibum habebunt, vt Ecclesiast. 10. b. *Cum mortuus fuerit homo, hæreditabit bestias, serpentes, & vermes.*

Ex corporali hominū operatione finis noster.

Si dormis, ecce somnus, mortis hieroglyphicum, iuxta illud Catonis.

Cat.

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago.

Homeri in Odyss.

Homer. in Odyss.

Suauissimus morti, proximè similis.

Et Menander.

Menander.

Somnus, mortis præmeditatio est.

Si euigilas, defunctos ad sepulchra deferri cernis, nūncia audis mortuorum. Si lecto decumbis, campanæ sonitus in tuis auribus intonat, proximè mortuorum, quæ citius, ac credis fortassis pro te mortuo etiam pulsabit. Si in Ecclesia es, super sepulchra, in quibus mortuorum corpora delitescūt, & conduntur, graderis, quæ te quoque ad tuæ proximæ mortis futurę memoriam inuitant, & recolendam pręmonent: sic enim monumenta dicuntur, vt ait, August. in Enchirid. cap. 10. *Quia in memoriam reuocant, & admonendo faciunt cogitare, & monumentū, eo quod moneat mentem, nuncupatur.* Etiam habetur, l. quidam ff. de condit. instit. quæ ait. *Sepultura, humanæ conditionis memoria dicitur*; & quod inquam monumentum, sicut, & aliorū locus est modo, sic & citò domus tua erit. Quare ad hoc, Ægyptij animum referentes, mausolea magnifica, exiguas verò domos, construebant, eò quod exiguò in istis, longo, & perpetuò tempore in illis permansuri essent, dicebant.

A sepulchris memoria finis nostri.

August.

L. quidam de condit. instit.

Ægyptij refert Tull. in Tuscul.

23 Mysteriosè quidem, sicut ingenio præstantes Hispani, eorum vernacula lingua, hominē, *ombres*, idest vmbram nuncupati sunt; in illo forsitan Sap. 2. fundati; *Vmbræ enim transitus est tempus nostrum.* quod idem Patientissimus capit. 8. confirmat. *Sicut vmbra, dies nostri*

Hispani cur hominē ombres vocāt.

sunt

sunt super terram, & huius reddit rationē Angelicus Interpres D. Th. hic; *vmbra enim ait citò transit, statim scilicet, dum remouetur obstaculum lucis, & dum corpus mouetur ad obiectionem fit vmbra*. prior vmbra transit, & alia succedit, sic & dies hominis, sunt in continuo transitu, dum alij alijs succedunt.

24 Et optimè quidem hanc vitę nostræ breuitatem descripsit, Secundus ille nomine, Philosophus, vt refert Sanctus noster Antoninus p. p. his tit. 7. cap. 4. §. p.: dum ab Adriano Imperatore interrogatus, quid homo esset, respondit, *homo est mancipium mortis, hospes loci, viator transiens, & aceruus niuis*. Dicitur mancipium mortis, quia licet homo multa incommoda, vt potè paupertatem, famem, bellum possit effugere, non tamen mortis dominiū valet euadere, quia vt ad Hebr. 9. g. dicitur *statutū est hominibus, semel mori*. Secūdo dicitur, hospes loci; nam hic, licet pluribus bonis perfruamur, regna possideamus; hæc tamē omnia oportet relinquere; hinc transire, dare venturo post nos, locum: hic enim mundus mortis breue hospitiū est, quare D. Hier. in Eccles. c. 3. *propterea colonus, & hospes mundi homo datus est, vt breui vita suæ fruatur tempore, & spe prolixioris ætatis abscissa cuncta, quæ possidet, quasi ad alia profecturus aspciat*. Tertio viator transiēs, vt dicebat Ap. ad Heb. 13. c. *non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*: nam sicut nauigantes, siue comedant, siue dormiant, siue bibant, semper nauis præterit, & procedit; sic nos: siue vigilemus, siue ociosi simus, semper vita nostra trāsit, quare D. August. lib. 13. de ciuit. Dei cap. 10. *Vita inquit humana, est velocissimus cursus ad mortē*. Quarto vocatur homo Aceruus niuis: quia sicut iste, ex paruo etiam calore liquefit, & dissoluitur, & in aquam, resoluitur; sic homo, qui est de terra conditus, paruo quodam contrariorum accidentium, calore affectus, in eandem terram rursus resoluitur, & conuertitur, ex qua eductus est: & tam breuis hominis vita est, vt inter natiuitatem, & mortem nullum ferè tempus mediare videatur. Quare D. Ber. in Psalm. qui habit. ser. 17. *Hæc enim inquit vita, qua viuimus, magis mors est, nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur homo, dicitur; quādo morti certissimè appropinquat; quid verò agimus, ex quo incipimus viuere, nisi morti appropinquare, & incipere mori?* August. tom. 9. lib. meditationum c. 21: *nescio inquit, quomodo vitam nostram appellem, mortem an vitam: non mortem, quia est vita, non vitam, quia semper moritur, dum pertransit. Vocabitur ergo vita mortalis, vel mors vitalis, vita denique mixta cum morte, seu mixtum cum vita, & morte.*

25 Habentur hæc verba Ecclesiast. 3. a. *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo.* Inde ad particularia, tempore commensurata descendit, dicens: *tempus nascendi; tempus moriendi; tempus plantandi; tempus euellendi, quod plantatum est. &c.* sed sicut dicit tempus nascendi, & moriendi, cur non intermediat etiam tempus viuendi, infra tempus nascendi, & moriendi? Si ait, Eccles. *quod omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa.* Si homo nascitur, etiam viuit, siue hoc, breui, vel longo tēpore accidat. si viuit, ergo vita debet secundum rationē allatam suo commensurari tempore, maximè verò cum maiori temporis spatio multorum videlicet annorum hominem, vt in pluribus vitam traducere, quam incipere, & termi-

Marginal notes: Anton. — Responsio secundi Philosophi Adriano Imperatori de homine. — Homo mancipium mortis. — Nemo dominiū mortis potest euadere. — Hospes loc. — D. Hieron. — August. — Aceruus niuis. — Bern. — August. — Cur dicitur tempus nascēdi, & moriendi non viuendi.

terminare, seù desinere contingat. Quare igitur, si tempus nascendi, quod est breuissimum assignat, & nominat, sicut & mortis, quare viuendi tempus, vtpotè quid maius omittit; nec huius vllam mētionem facit? cum Iob cap. 14. a. dicat, *homo natus de muliere, breui viuens tempore*. Forsitam erit in instanti? Sed dicamus tam breue, & exiguum vitæ nostræ tēpus esse, vt quasi punctum, seu instans indiuisibile, ac propterea nullum ferè tempus inter natiuitatem, & mortem intercedere videatur: quare, vt nullam, viuendi temporis, mentionem facit, sic natiuitatem, & mortem quasi continuo inter se tempore, vt contigua, mensurari connectit, & copulat. Ideò Greg. Nissen. hom. 6. in Ecclesi. ait *Pulchrè in principio verbis hanc necessariam coniunxit coniugationē, cum generatione copulans mortē: partum enim, mors sequitur necessario, & generatio dissoluitur in interitum: vt propterea quod coniunctim ostensa sit, mors, & generatio.* Quare cum vulgari illo Poeta concludere, & dicere possumus.

Greg. Nissſ.

Cauaglier Marino.

Dalla culla alla tomba vn breue passo.

26 Et hoc est, quod illi vitæ, & mundi huius amatores, ad tartara damnati inferre intendebant, dicētes sap. 5. 6. *sic, & nos nati continuò desiuimus esse*. Expendamus quæso illud aduerbium *continuò*; quod quandam vitæ, cum morte copulationem inferre videtur. Hinc ex viuis Sacræ Scripturæ fontibus, profundi huius mysterij poculum morale licet exhaurire; qualiter Deus iusserit ad orientalem plagam, holocaustorum cineres proijciendas, vt Leuit. p. patet. Et quare hoc, cur potius ad orientalem, quam ad occidentalem plagam? Ad occidentalem partem, quæ finem, & mortem præsignat, & præsagit, illas cineres proijci, congruentius meo iudicio censerem; quare ergo ad orientalem plagam? nisi quia cineres, vt mortis symbolum, & præsagium, cum oriente natiuitatis, & vitæ iuxta illud Malach. 4. a. dicitur: *Vobis timentibus Deum, orietur sol Iustitiæ*; continuò, & immediatè copulari videntur. Vt Ber. in Ps. qui habitat, serm. 17. inquit. *Quid agimus, ex quo primum incipimus viuere, nisi morti appropinquari, & incipere mori*. & ideò Tertull. 4. contra Marcio. cap. 21. dixit *Pannos, quibus infans recēter natus inuoluitur, signare asserit inuolucra, quibus tegitur sepeliēdus*. & S. Ambros. lib. 2. de vocat. Gentil. cap. 8. ait. *Vita huius principium, mortis exordium est; nec prius incipit augeri vita nostra, quam minui; cui si quid adijciatur spatij temporalis, non ad hoc accedit, vt maneat, sed in hoc transit, vt pereat.*

Leuit. Cur cineres ad orientalē plagam proijci iubebat Deus.

Bern.

Tertull.

Ambr.

27 Et verè inter se vita, & mors ita copulari videntur, vt ferè nihil inter has intercedere, vel mediare dignoscatur. Mysteriosè sonat apud Hebræos hoc verbum, *metin*, quod cum puncto, & sine puncto scribitur, hac tamen differentia, quod si huic, addatur punctum significat viuum; si sine puncto scribatur, significat mortuum. Ex quo colligere licet inter vitam, & mortem nihil nisi punctum mediare. Et hoc apertè exposuit nobis Iob cap. 14., dum dixit; *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea*. Notate, quod totam vitam hominis, ad Nunc indiuisibile reducit. Ideò Seneca Epist. 102, *Infinita est volubilitas temporis, punctum est, quod viuimus.*

Vita à morte nisi vno distat pūcto.

Senec.

28 Neque hoc absurdum dictu videatur, cum philosophicè hoc probari possit. Vita nostra mensuratur

ſuratur tempore, ad differentiam Dei, qui æternitate: & Angelus, & ſubſtantiæ ſpirituales, quæ æuiternitate, mēſurantur; ſed de tempore, aiunt Philoſophi, non habemus niſi, *Nunc*; Ergo, *Nunc*, punctum eſt vita noſtra. Et ratio patet, nam præteritum tempus tranſijt, ſic amplius non eſt; quod futurum eſt, nondum aduenit, & incertum eſt; ergo tantum tempus præſens eſt. Quod quidē, ſub hoc verbo, quod dico *eſt* concluditur: & hoc *eſt*, non eſt. Quia hoc verbum *eſt* tribus literis ſcribitur: dum primam literam profero, quæ eſt. E, nondum eſt ſecunda, quæ eſt, S., dum dico ſecundam literam, ſcilicet S., iam præterijt prima, & nondum eſt tertia, ſcilicet, T.; dum aduenit tertia, & dico T., iam abijt prima, & ſecunda, & eodem modo, etiam tertia: ſic hoc punctum, quod eſt, *eſt*; non eſt. Quare Seneca *punctum eſt vita noſtra, & adhuc puncto minus.* Quam quidem ſententiam egregiè affirmare videtur Iob. 7. dicens *parce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei.* Ecce quomodo punctum, & nunc, & *eſt*, in nihilum reducitur. & hoc exprimere videtur, S. Hieronymus in Epiſt. ad Tit. cap. p. qui ait: *In hoc curriculo, & rota mundi, tempora labuntur, & veniunt; & aut futura ſunt, aut fuerunt; vnde quidam Philoſophi, non putant eſſe tempus præſens, ſed aut præteritum, aut futurum: quia omne, quod loquimur agimus, & cogitamus, aut dum fit, præterit, aut ſi nondum factum eſt, expectamus.* Quare tanquam nihilum erit vita noſtra; cum morti immediatè copuletur.

Punctum eſt vita noſtra, & minus puncto.

Senec.

Hieron.

29 Cum magnus illi mundi Imperator, Alexander, vt Laertius refert, in vita Diogenis, potentiam ſuam, coram Diogene ſuperbè oſtentaret; dixit Diogenes, potentiam tuam minimè timeo; quia aut præterita, vel præſens, vel futura eſt: Si præterita, iam amplius non eſt; ſi futura, hæc eſt incerta; ſi præſens, eſt momentanea, & in nihilum tranſiens: nihil igitur eſt, vt timeam tuam potentiam.

Laert.

Diogenis Alexandro Imperatori reſponſio.

30 Quare Hierem. 4. f. dicitur: *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili.* & quomodo hoc poteſt fieri? ſi terram aſpexit, hæc ſaltem ab aere ambiebatur; ſic non erat vacua, nam; vt ait Philoſophus. Vacuum non datur in rerum natura; & quomodo nihil erat? ſi terra eſt, quod aſpexit, ergo aliquid eſt, non nihil, hoc enim non poteſt eſſe obiectū viſus; eo quod non coloratum: quia non entis, nullæ ſunt qualitates. Si deinde terra nihil eſt, ergo quod ex terra procederet, & procrearetur, nihil etiam eſſet: cum vt ait Philoſophus, *ex nihilo, nihil fit.* Sed ad rem noſtram, dicamus, quod hæc terra ſit vita noſtra, & homo, qui per metonymiā, talis vocatur, pars pro toto, quia de terra conditus, & formatus eſt Gen. 2. *formauit Deus hominem de limo terræ, & per conſequens fragilem*, & tanquam vas figuli cōfringes eū. Pſ. 2. Hanc igitur terram, aſpexit, & vidit vacuam, & nihili, quia totum vitæ noſtræ tempus, ad præſens, quod eſt inſtans indiuiſibile, & imperceptibile reducitur; quod nihilo conuenienter, & apte comparari poteſt.

Quomodo homo dicatur terra, & nihil.

Vita nostra, comparatiuè ad ipsam hominis voluntatem, & ad æternitatem breuis est.

1 PRimò comparatiuè ad voluntatē hominis, quæ æternaliter, si possibile foret, in humanis conseruari vellet, & nunquā à vita deficere. Secundo est breuis comparatiuè ad æternitatem. Pro vitæ breuitate, primo modo, attende ad fabulam, quā refert Æsopus, in suis fab. de illo sene, cui cum vita, præ quotidianis laboribus, & continuis calamitatibus pressa, odiosa videretur, mortem sibi præcabatur, quæ vitæ suæ tot ærumnis laboriosæ, finem imponeret. Cui adfuit tandem mors, vt vocantis voci pareret, & eiusdem votis annueret; quæ dixit, ecce adsum, ego sum mors, quam pluries vocasti, quid à me modo queris, petis, & cupis? quid respondit senex, vt eum forsitan à vita tolleret? nequaquā: audite quid respondit, ego quæsiui, & vocaui te, vt mihi adiuumento esses, & grauem hunc fascem, humeris meis imponeres. Ex qua fabula erudimur homines, quantum vis senes, morti reluctari: quare si accidit tādem, quia vt ad Hebr. 9. Apostolus. *statutum est hominibus semel mori*; debitum naturæ mortis persoluere; licet mille annis vixerit, breuis adhuc illi vita videtur, quia semper viuere vellet. Quare de his mundo deditis, & terrenorū, potiusquā cœlestium amatoribus ait Gregor. 8. moral. cap. 22. *Reproborum mens ergo dies præsentis vitæ tanto amore constringitur, vt sic semper hic appetant viuere, quatenus si valeant, viuendi cursum, nunquā desiderent finire.* Consideremus etiā antiquos nostros primos Patres, qui longeua, & si plurium annorum perfruerentur ætate, nullus tamen illorū ad mille annos peruenit. Adam 930. annorum vitæ spatium percurrit. Seth filius eius, nouemcentum duodecim annorum. Enos 905. Iared 962. Mathusalem 965. annorum, & hi sunt qui ad maiorem annorum ætatem præ cæteris, peruenerunt; Nullus tamen ætatē mille annorum attigit. Hęc igitur ætas, licet summa, & maxima consideretur, & sit; dato etiam quod ad mille annorum ætatem peruenissent: hæc, & adhuc modica videtur, & vt nihil computatur. Vt Psal. 89. *& mille anni tanquam, dies hesterna, quæ præterijt.* Quare D. Greg. 13. moral. ait omne, *quod transit breue est, etiam si tardius terminari videatur.* Quare si tandem, necesse est post longissimā senectam mortis puncto, vitam terminare, ehu quam amara mors.

Æsopi fabula quilibet à morte declinet.

Greg.

Plures anni tanquā vnus dies computantur.

D. Greg.

2 Vel dicamus, quod breuis sit; comparatiuè ad æris longitudinē; scilicet ad æternitatem, quod mille anni ante oculos tuos tāquam dies hesterna, quæ præterijt, vt notauit D. Heronymus in Psalm. 89. *dicens Adam ille propagator noster, qui vixit nongentis, & triginta annis; etiam ille Mathusalem, qui vixit nōgentis, & sexaginta quinq; annis, facque vixerit mille, ad cōparationē æternitatis tuæ, quod grande fuerit, breue est*, & Psalm. 89. *& mille anni tanquam dies hesterna, quæ præterijt* sic amplius non est, & Orig. apud D. Thom. in Cat. aur. Matth. 20. ait. *Totum hoc seculum præsens, vnū diem dicere possumus; magnum quidem quantum ad nos; modicum quantum ad Dei vitam*, & Greg. in hom. *Tēporalis vita, æterna vita comparata, mors est dicenda potiusquam vita.*

Vita nostra cōperatiuè ad æternitatem.

D. Hieron.

Orig.

Greg.

3 Quod etiam clarius intulit, Dauid Psalm. 38 dicens *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia*

stantia mea tanquam nihilum ante te. Sed quomodo erit homo nihilum, si substantia hominis sumitur pro eius essentia, & natura, vt ait Euthimius hic. si essentiæ rerum sunt æternæ, quomodo comparatæ apud Deum nihil erunt? præterea, vel comparatur homo ad Deum, vt auctorem naturæ, vel vt auctorem gratiæ, si vt auctorem naturæ, iam patet, quod ipse condidit hominem. Gen. cap. 2. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinē nostram,* ergo opus Dei, & imago eius, non vt nihil reputanda. Si vt auctorem gratiæ; gratia quia perficit non destruit naturam, ideo nec hoc modo dicendum est, quod sit tanquam nihilum. Possemus dicere cum Hug. Card. hic. *Cum est coram Deo in oratione, meditatione, & contemplatione, tunc videt se nihil esse.* Quare Abraam cum coram Domino esset Gen. 18. *loquar dicebat ad Dominum, cum sim pulvis, & cinis.* Hoc est in contemplatione illius supremæ maiestatis, & in comparatione huius, suā agnoscebat, & intuebatur pusilitatem; & tanquam nihil. Vel cum D. Aug. in Glos. interlin. hic. *Substantia mea citò transit, & quandiù est, nihil est.* substantia mea idest *vita mea,* vt habet in trāslatione D. Hieronymus, iuxta Hebræum. Vel cum Lirano hic *tanquam nihilum, quia quod modicum est, quasi nihilum reputatur.* Vel cum D. Hieronymo *suspiciens altiori mente claritatem tuam, pro nihilo iudicaui substantiam meam.* Quæ sententia cū Hugonis illa super adducta coincidit. Vel cū Euthimio *substantiam mea, seu essentia mea, hoc est Ego ipse sum, quasi nihilum, si ad beatitudinem tuam fuero comparatus.* Tu enim idem ipse es, & anni tui non deficient, ego autem immutatus sum, & pro rege exul factus, dies mei sicut vmbra prætterierunt. Sed ad rem nostram clarius D. Thom. hic: *substantia mea, natura mea, & vita mea, tanquam nihilum ante te est, in comparatione tui; licet aliquid videatur in comparatione creaturarum infimarum,* quod, Esa. 40. ait *omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo.* Vbi legit Glos. *in cōparatione eius:* Vel secundo post considerari, non solum ad ipsum Deum, sed ad vitam æternam, quod aptius ad rem nostram accomodatur, & sic dicitur cum eodem D. Thom. *Dum considero illud, quod ante te est, idest bona æterna, quæ dabis sāctis, substantiam meam nihil reputo.* Vel vltimò potest comparari ad res mundi, & comparatiuè ad Deum, sic ait idem Angelicus Doctor, *qui considerant res huius mundi ante te, idest oculo diuino, nihil reputantur ea.* Et ratio his omnibus, addi potest, quia ait Iob 2. *si pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima sua,* si inquam propriam vitam, naturam, & essentiā, in comparatione æternæ gloriæ, & Dei nihil reputat; multò magis omnia nostra, quæ in mundo sunt, nihil reputanda erunt, comparatiuè ad æternam gloriam. Ideo Incognitus meritò ait *substantia nostra, idest vita nostra, æternitati comparata nihil est.*

4 Philosophicè adhuc hoc probari potest, ait D. Thom. p. p. quæst. 12. art. p. ad 4. *A finito ad infinitum nulla est proportio,* cùm igitur illa beatorum, & supernorum ciuium beatitudo æterna, interminabilis, nullo fine claudatur, & temporalis vita hominis sit terminabilis, & finita, sequitur, quod nulla propriè proportio intercedat; ergo *substantia mea* dicere poterat Dauid *tanquam nihilum ante te.* Et ita profectò, vt nihil reputabitur homo com-

Euthim. Gen. 2. Quomodo hominis substantia dicitur tanquā nihilum ad Deum. Hug. Varia expositiones. In comparatione ad Deū, homo se nihil esse agnoscit. August. Homo nihil quia citò transit. Hieron. Lir. Nihil quia modicum. Hieron. Nihil se ipsum considerans. Euthim. Nihil comparatiuè ad æternā beatitudinem.

D. Thom. In comparatione ad Deum nihil est homo. Glos. D. Th. Hominis substantia respectu æterni præmij vt nihil. D. Th. Res mundi oculo diuino vt nihil reputantur. Incognit. D. Th. Confirmatur ex improportione hominis ad Deum.

Hieron. comparatiuè ad Deum, & æternitatem, vti D. Hieron. in Psalm. 38. ait, *Et ipse est, quasi non sit, & in nihili, & inane reputatur.*

Perischema nitedulæ. 5 Et hoc nobili perischemate elucidari potest. Ponamus, si libet cicindelam, siue, vt alij dicunt noctilucam, siue nitedulam, vulgò dicitur la luciola, oppositam è regione luminis solis, cum inscriptione *Ad super excedens, deficit, vel deperditur.* Sol enim, vt ait Marc. M. Tull. Tull. de nat. Deor., astrorum obtinet principatum, ideò dicitur sol, quasi solus, quod vnus sit, & non plures; vt idem Tull. ait, *quodque tantam claritatem solus obtineat, vt cum solus, est exortus, obscuratis omnibus alijs, appareat.* Iuxta illud prouerb. Vbi maior minor cessat. Cicindela autem paruum, & exiguum animal est volatile, genus muscarum; vt Arist. ait Arist., *quod noctu lucet, ignium modo laterum, ac clunium colore.* Hæc igitur cicindela, si solis radijs exponatur, eius lumen non apparet, nec dignoscitur, ac si non esset; quia ad illud maximè super excedens solis lumen, omninò deficit. Sic non incongruè dictum aptari potest, *ad super excedens, deficit.* Summa illius æternæ beatitudinis claritas, indeficiens sol dici potest, Greg. vt Greg. in 7. Psalm. pœnit. *claritas quippe diuina* (ait) *cum illuminat sol clarificat iustitiæ, lux vera illustrat, lux inquam inaccessibilis, quæ non clauditur loco, non finitur tempore, non obumbratur tenebris, non variatur nocte.* Et S. August. lib. August. medit. *sol iustitiæ semper illuminat te.* loquendo de illa æterna beatitudine: vita nostra est veluti cicindela, seù noctiluca nuncupari potest, paruum, & exiguum animal, in quo aliquod virtutũ, intellectus lumen affulget; quod inter vitiorũ tenebras emicat, in obscura huius mundi, & mortis caligine dum versatur, in errorum nocte vagatur, vt D. August. in meditat. *Sumus ait* August. *namque fragiles, & nullius virtutis homunciones; animalia ventris, & carnis mancipia; in quibus aliquid virtutum vestigium, apparet.* Si igitur hæc hominis moralis cicindela, summo illi diuinæ essentiæ, & æternitatis soli collatione opponatur, iam apparet, qualiter disperditur, & deficit, quia vt ait D. Tho. 3. p. quæst. 9. ar. p. ad 2. *si duo* D. Thom. *lumina accipiantur eiusdem ordinis, minus offuscatur per maius, sicut lumen solis, offuscat lumen candelæ.* Multò magis, cum illud diuinæ gloriæ lumen, sit incomparabiliter summum, & sine proportione, respectu intellectus nostri; sequitur, quod hic, & vita nostra deficiat, & deperdatur, & tanquam nihilum, æternitatis soli comparetur.

Homo in æternitate cõsideratus nihil est; quia ex nihilo eductus. 6 Nec deficit clara probatio dictorum. Nam cum homo, vt ait Scotus, sit eductus ex nihilo, semper tendit ad deficere. Cum igitur in æternitate omnia sint, etiam futura, præsentia, sequitur, quod vltimus defectus creaturæ, & vitæ nostræ, ibi in oculis Dei, sit præsens modò, sic vt nihilum ante te.

Ex Philosophia confirmatur. Vel dicere possumus cum Philosophis. Si vnum quodque in ea resoluitur, ex quibus componitur; si ex nihilo, est creatus homo, creatio enim nihil præsuponit, quia ex nihilo est, ergo homo, in nihilum reducetur, vt ita dicam, quia ex nihilo, nihil fit. Ergo tanquam nihilum &c. vt de peccatore intulit Dauid Psalm. 14. *Ad nihilum deductus est, in conspectu eius malignus.*

D. Th. Homo vt nihil quia vt punctus. 7 Punctus ait D. Thom. 3. Metaph. lect. 12. me. non facit maius, additus cuicumque rei, sicut nec remotus, facit minus. Modo faciamus argumentum; supponamus æterni-

æternitatem gloriæ cœlestis, esse lineam interminabilem tamen, & infinitam; vt sap. 10. *Dedit illi claritatem æternam.* Cum homo, illi additus æternitati, sit tanquam punctus, vt diximus; sic non faciet illā maiorem: ergo, vt nihil reputabitur vita nostra, ad æternitatem comparata.

8 Aiunt Philosophi, quod perfectè sphericum, cadens super perfectè planum, tangit in puncto. perfectè sphericum, dici potest homo, qui à Græcis dicitur microcosmos, hoc est mundus paruus; si igitur mundus est sphericus, etiam homo, qui paruus mundus, est dici poterit quodamodo sphericus. vel respectu, æternæ illius summæ bonitatis, cuius est imago, vt Gen. 2. *Faciamus hominem, ad imaginem, & similitudinem nostram.* Homo igitur, vt morale quodam perfectè sphericum, vel vt pila fortunæ, semper ad defectum, seu descēsum circumuoluitur, vt Iob cap. 13. loquitur de homine, *Et nunquam in eodem statu permanet.* æterna illa beatitudo, vt perfectè planum vocari potest, scilicet bonitatis, & stabilitatis, seu firmitatis. vt Boet. lib. 3. de philosoph. de consolat. ait. *Beatitudo inquit, est, status omnium bonorum, aggregatione perfectus.* perfectè planum, in quo omnis secura mens stabilitur, & firma consistit, vt D. Prosper. in vita contemplat. vbi ait. *Futura vita, vbi creditur beatè sempiterna, sempiternè beata, vbi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, fœlix æternitas, æterna fœlicitas.* Si igitur, hoc perfectè sphericum, scilicet homo ratione suæ conditionis, & naturæ, cadit super perfectè planum, in huius comparatione; tangit in puncto indiuisibili: cum igitur punctus, tanquam nihil sit, ergo homo, & vita nostra, tanquam nihil, erit comparata ad æternitatem. Merito ergo *Substantia mea tanquam nihilum ante te.*

Homo velut quodā sphericum, vt nihil ad æternitatem cōparatus.

Boet.

Prosper.

9 Ex mathematicis. Io. de Sacro Bosco in sphera cap. p., ait, quod terra sit tanquam centrum, & punctus respectu firmamti: ēquia si esset terra alicuius quantitatis, respectu firmamenti, non contingeret medietatem Cœli videri. Homo enim terra est, vtpotè de hac eductus, vt Gen. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ*, in quam etiam resoluendus est, vt Gen. 3. *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia terra es, & in terram redibis*: respectu igitur Cœli, dicamus nos, æternæ beatitudinis, terra hæc moralis, se habet, vt centrum, & tanquā punctus. Et sic tanquam nihilum. Ideò Hierem. 4. *Aspexi terram, & ecce vacua, & nihili.* Euthim. super illud Psalm. 38. & substantia mea tanquam nihilum ante te, ait, *Substantia mea, seu essentia mea, boc est ego ipse, sum quasi nihilum, si ad beatitudinem tuam fuero comparatus.*

Ex mathematica. Io. de Sacro Bosco.

Euthim.

10 Imò si adhuc tota vita nostra, vsque ad diem iudicij protraheretur, adhuc breuis esset, si ad futuræ immortalitatis gloriam conferatur. quare Iob 14. ait. *Recede paululum ab eo, vt quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarij dies eius.* Hic agit de morte hominis, & de die Iudicij, quando corporum resurrectio fiet; & vnusquisque propria meritis, vel demeritis præmium, vel pœnam recipiet. loquitur igitur ad Deum, & ait *Recede paululum ab eo*, idest permitte hominē mori. Considerandum est, cum D. Thom. hic, quod sicut sol, est causa diei, ita Deus est auctor vitæ, & sicut per recessum solis finitur dies, & venit nox, sic per recessum Dei, intelligitur terminatio vitæ præsentis, quæ est homini à Deo. Vt etiā Chrysol. ait.

Vita hominis, etiam si ad diem Iudicij protraheretur; adhuc breuis est ad æternitatem cōparata.

D. Th.

Chrif. ait, ser. 19. *Fratres ipse dixit, Ego sum vita, hoc est anima corpori, hoc est anima Christus: non viuit sine anima corpus, non viuit anima sine Christo.* Sic recedente Deo ab homine, huius mors sequitur; ideò ait Iob, *Recede paululum ab eo*, idest vt exponit D. Thom. *Subtrahe virtutem tuam, qua hominem viuificas, vt moriatur*; sed mors hominis non est in perpetuum, sed tunc *Replebitur ad vitam immortalem:* in resurrectione in nouissimo die; in die Iudicij, tunc reddet vnicuiq; iuxta opera eius, cum mortale hoc induerit immortalitatem. Sed notate quæso, modum loquendi: Iob ait, *Recede paululum ab eo*: & quomodo hoc totum tempus, vsque ad futuri Iudicij, & resurrectionis nostræ diem, vocat Iob *paululum*; hoc est paruum, & exiguum tempus? ita porfectò est vita nostra; quæ etiã si ad diem Iudicij protraheretur, adhuc breuis esset, ad immortalitatem comparata. Ideò D. Thom. loco cit. ait. *Status ergo mortis humanæ, quantocumq; tempore resurrectio differatur, breuis est, in comparatione ad statum futuræ immortalitatis; vnde signanter dicitur, paululum.*

D.Thom.

D.Thom.

Quare concludere possumus cũ D. August. de verb. Dom. super Io: ser. 43. in finem, qui ait. *Ab infantia vsque ad decrepitam senectam, spatium breue est. Hesternum diem nemo reuocat, hodiernus crastino vrgetur, vt transeat. Ipso paruo spatio bene viuamus, vt illo eamus, vnde non transeamus, & modo cum loquimur, vtique transimus; verba currunt, & horæ volant; sic ætas nostra, sic actus nostri, sic honores nostri, sic miseria nostra, sic ista fælicitas nostra, totum transit.* Ecce vitam naturalem, & moralem quomodo breuem prænunciat.

August.

Vita breuis. tex.

De moralis vitæ, breuitate.

1 SEcunda vita nostra, quam assignauimus moralem; quæ consistit in hoc, in quo vnusquisque delectatur, vt D. Thom. p. p. quæst. 18. a. 2., siue in mundi gloria, & honoribus, diuitijs, voluptatibus, & mundi vanitatibus; hęc, & adhuc breuis est, & citò transiens, vt Io: 2. *Mundus transit, & concupiscentia eius.* quare ab his caducis, & momentaneis, mentem nostram auertere admonemur à D. Aug. ser. 13. de die Iudicij. *Nolite inquit fratres, mundum diligere, quem ita cernitis, cum uelocitate transire: nolite in eius amore anchoram cordis figere, quem sic ad finẽ conspicitis declinare.* quare merito Es. 38. ait: *Dum adhuc ordirer succidit me.* Sunt enim humanę cupiditates, & mundi voluptates, velut aranearum tela; quæ modico aduersitatis vento, finduntur ad exitium. Quare Greg. hom. 32. in Euang. ait: *Longa nostra desideria, increpat, uita breuis.*

D.Thom.

August.

Esai. 38. Mundi voluptates araneũ tela.

Greg.

2 Aptissimum quidem ad humanæ vitæ moralis fugacitatem adumbrandam, assurgit Hieroglyficum pueri, ex vna parte cuius, erat, vas floribus refertum: ex altera ingens consurgebat fumus, qui paulatim ascendens, euanescebat. præ manibus vitreum ferebat vasculum, in quo cum smegmate disoluto, aqua erat in quam exiguo calamo, leuiter eflans, varij coloris globuli, seù bullæ consurgebant, & eleuabantur; quæ per aera vagantes, breui tẽpore in nihilũ desinebãt. Super puerum, talis erat inscriptio. *Sic abeunt mortalium curæ.* Puer iste, humanam naturam clarè designat: vas floribus refertum, hominem indicat, voluptatibus, & mũdi delicijs

Humanæ fęlicitatis hieroglyficum.

Orig. delicijs incubantem. Vt Orig. ſuper Pſal. 36.: *flores, ſunt mundana proſperitates:* vt etiam ſap. 2.: *coronemus, nos roſis, antequam marceſcant.* Sap. Fumus conſurgens, & euaneſcens, inanem gloriam, ambitionis tumores præfert; qui ex ſuperbiæ igne conflatur: qui in altum eleuatus euaneſcit, à terrenæ aduerſitatis mortis, & fortunæ aduerſæ vento diſtrahitur. Vt Pſalm. 36: *Inimici mox, vt honorificati, fuerint, & exaltati, deficientes, quemadmodum fumus, deficient.* & ibi D. Hieronymus: *Adueniente autem morte, omnis gloria eorum, tamquam fumus, aut nebula tabeſcet; quia citò, omnia tranſeunt.* Hieron. Vt etiam ſap. 5.: *Spes impij, tanquam fumus, qui à vento diſfuſus eſt.* Vas vitreum, humanæ carnis fragilitatem adumbrat: quid enim fragilius vitro? vt dici poſſit cum Pſalm. p. *Et tanquam vas figuli confringes eos.* Aqua cum ſmegmate, bonum malo commixtum, deſignat: vel ſmegma, quod ex ſordibus conficitur, illecebroſæ carnis voluptates ſunt, cum aqua, quæ inſtabilitatem fragilitatemque ſignificat humanæ vitæ. Vt 2. reg. 14.: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur ſuper terram.* Calamus, leuitatem, humanæ mentis argumentum, vt Greg. hom. 6. in Euangel. *Quid per arundinem, niſi carnalis animus deſignatur; qui mox, vt fauore, vel detractione tangitur, in partem quamlibet inclinatur.* Greg. Globuli varij, ſunt inanis gloriæ, & ſuperbiæ conceptus, ab humana mente formati; rotundi, quia non habent finem; ſicut vulgo dicitur: *Forma rella ſua mente, alti Caſtelli in aria:* qui in aera, terrenarum magnitudinum, diabolicæ tentationis, vel popularis applauſus halitu eleuati, ſtatim tanquam ſpuma, in nihilum diſſoluuntur, vt ſap. 5.: *Spes impij tanquam ſpuma gracilis, quæ à vento diſpergitur.* & benè etiam Lir. ſuper Iob. 30. Lir. *Præſentis vita gloria, quaſi in alto, ſed nulla ſtabilitate ſolidatur, veluti eleuatus, ſuper ventum ponitur, qui proſperitate tranſitoria, lætatur.* Concludamus igitur, cum inſcriptione: *ſic abeunt mortalium curæ.* Sic tranſeunt, humanæ fœlicitates, vt citiſſimè, ad non eſſe peruolent. Ideò Iob 30. dicitur: *Abſtuliſti, quaſi ventus, deſiderium meum.* Et ibidem etiam *eleuaſti me* validè, & ſuper *ventum eliſiſti me.* Vbi Gloſ. interlin.: Gloſ. interlin. *Eleuatio temporalis, & fugitiua fœlicitatis, ad hoc ſolum fit, vt ſubito deterius ſternat in infimis.* Et Greg.: *Fugitiua, inquit, fœlicitatis aura ſubleuat, vt deterius in infimis ſternat.* Greg. Dicit: *ſuper ventum eliſiſti me;* quia ſicut ventus non poteſt hominem ſuſtinere, ſic eleuatus per honores, & gloriam mundi, neceſſe eſt, vt ad ima decidat. Tolluntur in altum, vt caſu grauiore ruant. Quare Hug. Cardinal. ſuper Iob. 30. ait: Hug. *Super ventum, quia præſens gloria, ſiue fœlicitas, nulla ſtabilitate, ſolidatur, & ideo velut eleuatus ſuper ventum ponitur, qui proſperitate tranſitoria gratulatur.*

3 Vetus mos, apud noſtrates, ſemper inualuit; vt kalendis Maij, proceram, & altiſſimam plantam, erigerent in publico; quod vulgò dicitur: *piantar il Maggio;* in cuius ſummitate, appēduntur prēmia quædam, ad quę carpenda agiliores currunt iuuenes: & ſæpe, dum manum extendunt ad præmium carpendum, pes labitur ad deſcenſum, & ſic ſe amplius, qui aſcendit, ſuſtinere non valens dilabitur citò ad terram, qui contendebat ad Cęlum. Hoc idem, de amatoribus

De planta procera, quę kalēdis Maij erigitur.

mundi, nos asserere posse, videtur proportionaliter; qui ad mundanæ gloriæ ascensum, manibus, pedibusque fatiscunt; & dum in altum ad cogitationum suarum culmen eleuati, suarum cupiditatum, & affectuum manum, ad terrenæ prosperitatis, & mundanæ fœlicitatis hæc præmia carpenda extendunt; ecce lubricus pes vitæ eorum, ad ima miseriarum, & calamitatis difluit, & inde ad extremum animæ dilabitur interitum, vt Psalmo 36. dixit Dauid: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani; & transiui, & ecce non erat.* Hanc veritatem, suo exemplo confirmat infelix ille Aman, vt Hester 7., qui ita Regis Asueri iussu, honore maximo insignitus, auctoritate sublimatus fuit, vt huius solium, super omnes principes Rex statuerit, quid plura? omnes etiam aulicos, & primates, humi pronos, genua ei flectere, ad adorationem præceperit: ecce in sublimi fortunæ planta, Aman eleuatum. *Ecce, impium superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani.* Verum quia mundanæ hæ fœlicitates, non tenent subsistendi in se firmitatem, ideò subditur: *transiui, & ecce non erat:* nam dum terrenæ gloriæ præmia carpere, his frui arbitrabatur; è sublimi folij planta, fortunæ eius lubricus pes, in præceps ruit, ad ima, extremarum miseriarum dilabitur, imperio eiusdem Regis, infami suspensus patibulo. Hester 7.: *Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod præparauerat Mardocheo.*

De gloria Amá à qua cito decidit.

4 Hoc idem, in diuite illo Epulone clarè etiam patet, vt Luc. 16. habetur; qui in sublimi fortunæ, & diuitiarum planta, erectus, & eleuatus. Vt dicitur; *Homo quidam erat diues*, & in illius, quasi regio maiestatis solio considens, & prosperitatis terrenæ culmine erectus: *induebatur quotidie purpura, & bysso:* sensualium delectationum præmia carpens: *Epulabatur quotidie splendidè;* ecce eleuatum, sicut cedros Libani: verum transiui, breui temporis mora, & ecce non erat, à culmine decidit: ab altitudine, in æternum exitium dilapsus est. Ideò subdit Euang. Luc. 16.: *mortuus est diues, & sepultus est, in Inferno.* Et ideo *transiui, & ecce non erat.* Non erat, primò: quia ipsius nomen de libro viuentium deletum est: ideo dicitur tantum, Luc. 16.: *Homo quidam, erat diues*, & eius reticetur nomen, iuxta Psalm. 68. *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Vel *non erat*; quia mortuus est. Non *erat*, quo ad esse gratiæ, quia damnatus est; sic non est iuuentus amplius locus eius, in Cœlo; à quo suis culpis fuit, & est eliminatus, quod per merita consequi poterat. Paraphrasis Caldea, legit: *Transiuit de mundo, & iam non erat*; scilicet eius fama: quia, nomen impiorum pertransit: sic obliuioni traditus. *Non erat*, corpus; quia in cinerem redactum erat: *non erat* anima: quia impius, damnatus est. *Non erat:* quia non erat in Cœlo, sed in Inferno; quia ibi sunt, tanquam non sint; quia sic, pro nihilo sunt, vt Psalm. 14. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Sic, enim quasi non sint, esse dicuntur; quia semper deficiunt, sine defectu. Quare Psalm. 36. dicitur: *Inimici Domini, mox vt honorificati fuerint, & exaltati deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Vbi Hug. Cardinal.: *Congrua (inquit) est similitudo; fumus enim quanto magis ascendit, tanto magis*

Transitoria fœlicitas in diuite Epulone, & in mortem infœlicem cómutata.

Paraphr. Cald.

Hug.

magis euanescit; sic, & ipsi quanto altius extolluntur in hoc seculo, tanto profundius merguntur in Inferno. Exemplum nobis est Polycrates ille Samiorum tyranus, qui tota sua vita fœlicissimus fuit, cum suæ fortunæ digito, Cœlum completæ prosperitatis contingere crederet; ecce ab Oroete Persa cōpræhēsus, cruci affixus, eius carnes volucribus discerpendæ expositæ fuerunt. Vt Herodotus in Thalia. & Strabo lib. 14.

Historia Polycratis casus.

Herod. Strab.

5 Ex quandam manuscripta historia, memini me legisse; quod cum Rex Portughensis, cum Rege Castilliæ animi gratia, vacaret illi ludo, qui vulgo dicitur *Primera*: adfuit, Sanctus Hildelfonsus, qui videns Regem Portughensem, figuratas chartas reijcere, dicendo *passo passo*. Et punctatas retinere, & ad sponsionem, socium Regem inuitare, *dicendo vadda il resto*; ad Regem conuersus, vt potè huiusmodi ludi ignarus, dixit; quid agis, ò Rex? figuratas, & pulchras chartas, bene depictas deponis, & reijcis, & non depictas sic sustines ad sponsionem? cui, respondit Rex. Scire debes ò Hildelphonse, quod punctatæ chartæ, huic ludo, ad vincendum magis deseruiunt, quā figuratæ: ideò has reijcio, vt inferiores, illas, vt meliores retineo, ad sponsionem. & quid sunt terrenæ huiusmodi dignitates, deliciæ, prosperitates, diuitiæ, & fœlicitates; si fœlicitates, nuncupari possunt, quæ tot amaritudinibus dolorum, & anxietatum, & perturbationum absynthio admixtæ sunt; nisi figuratæ chartæ, & apparentes, non veri boni, quas nobis mundus, & diabolus, & caro, nobiscum colludentes, præ manibus mentis nostræ, traddunt, & porrigunt, & nobiscum ludunt; vt nos deludant, & decipiant; vt bonorum operum pecuniam, quibus regnum celeste, nobis comparamus, à nobis dolosè auferant; & denique, animam nostram, quæ reliquum est; omnibus terrenis thesauris prætiosiorē, surripiant? ideo has chartas, mēte, ore, re, reijcere debemus: dicendo *passo passo*, cum Apost. 1. Cor. 7. qui ait: *præterit enim figura, huius mundi*. aliter, quod reliquum est æternæ vitæ amittemus. Audi D. Hieron. 1. Cor. 7.: *Hoc sæculum, quasi vmbra pertrāsit; nolite ergo de eo multum esse soliciti; ne huius possessione, perdatis æternam.* Punctatæ chartæ virtutum, pœnitentiæ, quibus vitia fugamus; rubelles sensus comprimimus; ad vincendum diabolum, aptiores sunt, vt Aug. lib. p. de agon. Christi cap. 2. tom. 3. ait: *diabolum vincimus, vincendo cupiditates, quas sentimus; ibi ergo vincuntur inuisibiles, nobis inimicæ potestates, cum vincimus, temporalium rerum cupiditates.* Quare, cum breui temporis spatio, omnia transeant; figuratas vanæ gloriæ, & sensualium cupiditautm chartas, debemus dimittere, omnes reijcere. Vt idem Apost. 1. Cor. 7. ait. *Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Ex quibus patet, quas figuratas chartas, reprobare debeamus, scilicet carnis delicias, mundana gaudia, diuitias, honores, & mundi gloriam. Et punctatas meritorum, ad æternam gloriam retinere.

Historia.

Ludus alearum.

Mundi voluptates tāquam figuratæ chartæ ad animæ deperditiones.

Diabolus, qualiter nobiscū ludat.

1. Cor. 7.

Hieron.

Punctatæ chartæ pœnitentię, valent ad vincendū diabolum; non figuratæ voluptatū mūdi. Aug.

6 Sed hic difficultas emergit. Quomodo, ait Apost, 1. Cor. 7. *Qui habent vxores, tanquam non habētes sint?* forsitam, quod quis vxorem suam, quæ cum ipso viro vnum

Quomodo intelligitur, qui habent vxores tanquam non habẽtes sint?

efficit corpus, vt idem Apostolus 1. Cor. 6. affirmat; *Erunt duo in carne vna*, debeat dimittere? & quomodo, à se ipso, quis separari poterit? si ad Ephes. 5. ait: *Vnusquisque vxorem suam diligat, sicut se ipsum*; imò vxori suæ, ita debet adhærere, vt potius patrem, & matrem, à quibus vitam accepimus relinquere suadeat, quam vxorem, vt Matth. 19.: *Dimittet homo patrem, & matrem, & adherebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; itaque iam non sunt duo, sed una caro*; quomodo hic ergo, 1. Cor. 7. contrarium suadere videtur, dicens; *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint*? Sed hoc, ideò dixit, ne sensus voluptatibus, præcipuè carnis, plus quam par est, adhæreamus, vt Theophyl. hic p. Cor. 7. *Ne affixi omne studium circa nuptias conterant, & uxores pari modo, non debeat, quisque curæ multum impendere, & solicitudinis*. Vel cum Glos. interlin. dicamus *Studendo Dei seruirio, non carnis*, sic exponit, *Qui habent uxores &c.* Sed forsitan, melius eneruat, & dissoluit difficultatem, ad rem nostrã, moralis Gregorius Pastoral. 3. admonit. 28: *Vxorem quasi non habẽdo habet, qui transitoria esse, cuncta conspiciens, curam carnis, ex necessitate tolerat; sed æterna gaudia spiritus, ex desiderio expectat*. Has igitur terrenæ vanitatis, & mundi deliciarum, & alias prosperitatis humanæ, figuratas chartas, reijcere debemus; quæ in sola aspectus apparentia, terminantur, vti Theophyl. vt supra Figura huius mundi præterit, ait, *Labitur; quid ergo labenti rei, & fluxæ hærendum? mũdi verò dixit figuram, cum eius bona, solo terminantur aspectu, & apparentia sint, & nullo fundamento subsistant.*

Theophyl.

Glos. incedit.

Greg.

Theophyl.

7 Quod si modum ludendi cum diabolo, scire cupimus, vt eum deludamus, & ab eodem victoriam reportemus: formam huius modi, nobis præscripsit Christus; cum quo, quasi ludens diabolus, suarum tentationum aleis, figuratas pręmanibus, Christo mundanæ gloriæ, traddidit chartas, vt Matth. 4.: *Assumpsit eum*, idest Christum, diabolus, *in montem excelsum valdè*: ecce locum, *& ostendit illi omnia regna mundi*. ecce chartas figuratas, tunc inuitat Christum, ad sponsionem adorationis; ostensa omnia, ei regna promittens; si victor, victus tamen adoratione, euaserit; quare subintulit: Matth. 4. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. Sed Christus, qui cadere non poterat, sponsionem recusat, figuratas huius mundi chartas reijcit, sicut iam dixerat, Io: 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Ideò ait Christus, prætereo, has chartas dimitto, *passo passo*; quia præterit figura huius mũdi; ideò dixit, *Del vadda*. Matth. 4.: *Vade sathana, scriptum est, enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*. punctatas pœnitentiæ, & pœnarum chartas retineo, & approbo, mundanæ gloriæ, verò figuratas, reijcio. Sic nos discere debemus, à mundi vanitatibus, & honoribus, declinare; pœnas pro Christo, ad eius similitudinem appetere. quare Greg. Pastoral. p. p. cap. 3. ait. *Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam opprobrosæ mortis appetit, vt scilicet eius membra discerent, honores mundi fugere, terrores minime timere*. Sic enim huiusmodi punctatas, pęnitẽtiæ chartas sustinendo, victores euademus diaboli; sicut fecit Saluator noster: vt Chris. hom. de lapſ. p. hom.; ait *Christus, regna mundi, & diuitias cõtemnens, vicit, in quo ille, scilicet Adam, victus est*.

Quomodo cum diabolo ludẽdum ad hunc dendum.

Cũ Christo diabolus ludit figuratas illi traddendo chartas.

Io: 18.

Figuratas chartas mũdanæ fœlicitatis reijcit Christus.

Greg.

Chris.

8 Sed quomodo fieri potest, quod

Quomodo diabolus, Christo omnia regna mundi ostēderit?

quod diabolus Saluatori nostro, omnia mundi regna, quasi in vnum coegerit, vt eodem temporis momento conspicienda obiecerit: cū multa annorum spatia, ad mediam tantum orbis terrarum partem perlustrandam, vel peragendam desiderētur? & quis est, adeò, tam lynceis oculis, vt ex vno loco, eodem tempore, omnia mundi regna possit prospicere? Vel vbi inuenitur iste Olimpus, vel locus, adeò eminens, vel alta specula, vnde nostro aspectui, omnia mundi regna pateant? vt dicat Euangelista, ostendit illi omnia regna mundi? Si sola literalis sensus, simplici explicatione contenti essemus, facilè nos à difficultate liberaret, noster Eminentissimus Caietanus hic, Matth. 4., qui ait: *Præsentis temporis est, ostendit: monstrando digito, situs climatum, & regnorum*. Verum si mistici sensus, latices penetremus, dicemus, quod illa regna, non realiter, sed apparenter, simplici aspectu, eodem tempere conspicienda obijecerit diabolus, vt simul omnia quoque vnico temporis momento, ab oculis nostris, inde elabi, euanescere, & deperire dignosceremus. Quare Chris. hom. in. Psalm. 2. ait. *Quando Christus ascendit in montem, vt tentaretur a diabolo, tunc Archidemon, in puncto temporis, omnia regna mundi, & gloriam eorum coegit, & cum omnibus visus est, vt cum omnibus euanesceret*. Et rursus, ait, Ambr. lib. 1. de Cain, & Abel c. 5. & ex illo: Luc. 4.: *Ostendit illi omnia regna orbis terræ, in momento temporis, & bene in momento, quia diuturna esse nequeunt; paululum expecta, & citò transeunt*. Vel dicere possumus in momēto temporis, hoc est in ictu oculi, sic enim velociter omnia transeunt, vt idem D. Ambr. in Luc. 4. *Non enim, tam aspectus celeritas indicatur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimatur*.

Quomodo diabolus Christo omnia regna mundi cobijecerit.

Caiet.

Chris.

Ambr.

Temporalia bona simplici terminātur aspectu. Ambr.

9 Hic, ad rem nostram, Tantali fabula assurgit; qui apud inferos damnatus, perpetua fame, & siti laborat, & vexatur. Immersus aquis sitit; propè fructus, esurit; qui dum poma super ipsius caput appensa, ad esum, carpere manu contendit, ab eo, ipsa aufugiunt; & dum ad extinguendam sitim, labia demittit in aquam, hæc quoque refugit vnda. Vt Homer. lib. Odyss.

Fabula Tantali cui, comparetur mundi voluptatibus deditus.

Homer.

Nam quoties in aquam, deflectit labra, refugit.
Vnda leuis.
Et quoties manibus tentat, decerpere fructus;
Protinus, hos ventus celeres, in nubila portat.

Tantali huius, figuram defert, mundi, & terrenæ gloriæ amator; nam in diuitijs auarus pauperescit; inter epulas, alter esurit; in terrenis prosperitatibus miser est: nam dum ardentem desiderij, & suarum cupiditatum sensualium sitim, mundanę prosperitatis aqua, extinguere se posse existimat; ecce optatarum delectationum, & terrenæ fœlicitatis aufugit, vnda leuis. dum poma carpere intendit, ecce hæc abeunt: & casus, & aduersæ fortunæ ventus, aliò dispergit, & distrahit. ideò Greg. Pastoral. 3. p. admonet. 28.: *In casum cor, quasi manentes figitis, dum fugit ipse, quem amatis*. Quare Dionys. Cart. super p. Cor. 7. ait: *Indesinenter cadit, senescit, variatur figura huius mundi; idest dispositio, pulchritudo, & status terrenorum temporalium rerum; quæ sunt in transmutatione continua; propter quod* ait, Io: 12. *mundus transit, & concupiscentia eius*.

Greg.

Dionys. Carth.

10 Has mundi fœlicitates, somnijs assimilari posse crediderim; sic censuit Philo Hebræus libr. de Ioseph.

Phil. Hebr.

Ioseph, qui ait: *Prophana gaudia, somnijs sunt simillima, veniūt, abeunt, occurrunt, refugiūt, priusquam cōprehendantur auolant.* Quā sententiam confirmare videtur Dauid, Psalm. 72. inquiens: *Velut somnū surgentium, Domine imaginem ipsorum, ad nihilum rediges.* Sed quomodo intelligitur, hoc dictum, *somnum surgentium?* surgentes enim non dormiunt, & somnus est tantum dormientium; nam qui dormit quiescit, qui verò vigilat, vt in pluribus, operatur; & ideo nō somniatur; quomodo ergo Dauid, surgentibus attribuit somnum, cum tantum dormientibus competat? sed dicamus, *somnum surgentium,* quia sicut, qui surgit, si somnum habet, & ab hoc vexatur, continuò hunc exurgens excutit; sic mundanæ prosperitates, sunt velut somnum surgentium; quæ citò aufugiunt, abeunt, à nobis auolant, & nulla omninò soliditate, & permanentia videntur consistere. Quare Iob 20. ait: *Velut somnum auolans, non inuenietur, transiens, sicut visio nocturna.* Quare Chris. hom. 15. in Genes. tom. p.: *Omnia humana in figura tantum sunt, & sicut vmbra, & somnium transeunt. Nihil verum habentia.* Vel possumus explicare secundo modo, *sicut somnium surgentium;* non quod surgens dormiat, propriè intelligendum; sed somnum illius, qui surgit, & ante dormiens somniauit. Dormit sæpe quis, & in somno, maximis se videtur à principibus insignitum honoribus, vel thesaurum inuenisse, & diuitias, quas dum in somnis congregat, & se honoribus maximis insignitum, auctum, & diuitijs affluentem credit; expercctus, se vt prius, miserum, & infœlicem agnoscit. Hinc est quod dicebat Dauid Psalm. 75.: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum, in manibus suis.* Ecce quomodo imaginem ipsorum, ad nihilum redactā agnoscunt, ecce somnum surgentium; qui tantum phantasmatibus, & solis imaginibus redundat. Vt Esai. 29.: *Sicut somniat esuriens, & comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius; & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est; sic erit multitudo omniū gentium, quæ dimicauerunt, contra montem Sion. Tales sunt,* inquit, S. Ambr. lib. de Ioseph Patriarca cap. 6. tom. p.: *Qui in hoc seculo delectantur secundis rebus, sicut qui in somnis manducat, & bibit:* Sicut igitur somnum surgentium, sunt hæc mundi vanitates, & terrenæ prosperitates, quæ in somnis aliquid esse videntur, sed surgentes tantum imagines vanitates, & simplicia pura phantasma deprehendunt. Quare D. Hieron. cit. in cat. au. D. Thom. marc. 13. ait. *Nam qui dormit non corpora vera, sed phantasmata intendit, & vacuus vigilat, de his, quæ viderat; sic nimirum sunt, qui quos mundi amor rapit, deserunt post vitam, quod somniabant pro certo.*

11 Pulchra quidem, & plena mysterio, fuit illa statua, quæ Nabucodonosori, in somnis est obiecta; vt Daniel 2., cuius caput aureum; pectus, & brachia argentea; venter, & femora ærea; tibiæ ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam fictilis, & hæc tota moles lapilli ictu simplici percussa corruit, in puluerem tota redacta. Hęc membra, sic effōrmata, & disposita, quatuor illa potentissima mundi Imperia; scilicet Chaldeorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum designant in statua, hac adumbrantur; vt ostenderet, hæc omnia terrena,

[Marginal notes: Mundi fœlicitates somnijs comparantur. — Psalm. 72. — Quomodo dicitur somnus surgentium. — Chris. — Somniantiū error. — Esa. 29. — Ambr. — D. Hieron. — Mundi prosperitates, velut statua Nabucodonosor, in puluerē reducitur.]

terrena, & quæcumque mundi huius magnitudines, in figura præterire. Vt Theophyl. in p. Cor. 7.: *Mundi dixit figuram, tum quia eius bona, solo terminantur aspectu, & apparentia sint, & nullo fundamento subsistant.* Insomnis hanc vidit; quia huiusmodi bona temporalia, nullum aliud esse habere videntur, nisi illud, quod dormientes in phantasia, sibi repræsentari somniantur; quod esse nihil re est, nisi tantum imago sicut Greg. 18. mor. c. 12. ait. *Sæpe contingit dormienti inopi, vt se per somnum diuitem videat, atque ijsdem rebus animum extollat; sed repentè euigilans, euigilasse se doleat, qui interim diuitiarum imaginem, vel dormiens tenebat.* Et melius D. Aug. Ps. 131.: *Omnes istæ fælicitates inquit, quæ videntur seculi, somnium sunt dormientium.* Hęc iterum statua exigui, & breuioris lapidis ictu percussa, ad terram collapsa, & collisa, in cinerem, in nihilum est redacta: vt ex hoc argumento discamus, regna imperia, & huius mundi gloriam, omnia, vt fluxa, & transitoria citò deperire. Quare Hug. Card. super Psalm. 72. ait: *Qui modo dormiunt, & quiescunt in istis temporalibus, quando in morte euigilabunt, tunc percipient, se non in veritate fuisse diuites, sed sicut per somnium.* Et hæc mundi voluptates sunt, sicut hedera Ionæ 3., quæ vna nocte enata, & orta est; quapropter Ionas gauisus est: sed alia nocte exaruit, & perijt; propterea contristatus est. Sic temporalia quæque; quare dicere meritò possumus: *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Per imaginem,* ait Incognit. super Psal. 72. *malorum, intelligit temporalē gloriam ipsorū, quæ non est vera gloria, sed similitudo gloriæ.* Et hoc clare patet in pedū extremitate fictili statuę, quā diximus, in cinerē resolutā.

Theophyl.

Greg.

August.

Mundi voluptates, & fœlicitates, somnia sunt.

Hug. Card.

Temporalis gloria, velut hedera Iōnę, quę citò vix nata aruit.

Incognit.

12 Exechiel. cap. 4. Vocat Dominus, hunc Prophetam, cui præcipit, vt in latere describat ciuitatem Ierusalem hoc modo. *Fili hominis assume tibi laterē, & pones eū corā te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & edificabis munitiones, & computabis aggerem, & dabis contra ea castra, & pones arietes in gyro. sic tex.* Mirabile quidem mandatum, & difficilior etiam executio. Quomodo poterat tam magnam ciuitatem, quæ Iudeæ metropolis erat, vastissimis circundatam menibus, amplissimis vallatam propugnaculis, superbis, & inumeris ædificijs, constructam, cum inimicorum obsidione, & oppugnatione, ita bene describere? & quam amplam tabulam, vel spatium assignat, ad hæc peragenda? laterem, ait, n. *assume tibi laterem*; Vbi Symachus, transtulit *laterculam*, latere adhuc breuiorem. & quomodo in tam breui, & angusti lateris pagina, ciuitatem tam magnam, hostium obsidione circumsæptam, militum copiosas phalanges, equitum armatas cohortes obsidentium aggeres, & belli pugnæque describere apparatus? non vacat mysterio certè; hæc enim ad terrenæ fęlicitatis fugacitatem adumbrandam, meo iudicio conducit, curiosa iussio. Vocat enim imprimis Prophetam, dicens *fili hominis.* Homo enim ab humo dicitur, vt placuit Varoni. Ecce huius mortalitatem, quam designat, nempe de terra conditi, vt Gen. 2.: *Formauit Deus hominem de limo terræ,* vt ait Gregorius, *quasi dicat agnosce, quid sis.* Secundo laterem pro tabula proponit, & præcipit assumendum, ad hęc delineanda; vt nos doceret omnem terrenam magnitudinem, fragili, & debili fundamento

Ierusalē descriptionem Ezechieli in latere præcipit Deus.

Omnes mūdi magnitudines, lateri, vt fugaces cōparantur.

Symach.

Varo.

Greg.

damento subsistere; quid enim fragilius latere, maximè crudo, qui modica citò dissoluitur aqua, vt D. Hieronymus hic: *Lateri comparatur, qui ad tactum aquæ, illicò dissoluitur*. sic honores, deliciæ, diuitiæ, & quæcumque mundi voluptates, facilè euanescunt. Ideò Glossa bene ad rem nostram dicit, *laterē crudum, non coctum*, sic enim facilius destruitur. Rursus contra hanc ciuitatem, præcipit obsidionem ordinare hostium. hic ait Lir. *Ordinandam denunciabis, demonum impugnationem*: dicitur enim in sequentia omn. Sanct. *Mundus, caro, demonia diuersa mouent prælia*. Vt ostenderet, non solum terrenas prosperitates, & delectationes breues esse, sed etiam, dum hæc possidentur, quod multis plurimorum hostium, possessores insidijs impetuntur, & tentationum maximè diabolicarum, incursione incutiuntur, & vexantur. Nostri fragilitatem, & terrenæ fœlicitatis huius mūdi fugacitatem, nobis expressit, D. August. lib. de nat. & grat; qui ait: *Si diuitijs, & honoribus, & morum nobilitate te iactas, de patria, de pulchritudine corporis, & honoribus, quæ tibi ab hominibus exhibentur, respice te ipsum, quia mortalis terra es, & in terram redibis. Circumspice, qui similibus fulsere splendoribus; vbi sunt, qui ambiebant curarum potestates; vbi insuperabiles Imperatores: Vbi sunt, qui conuentus disponebant, & festa, & equorum splendidi nutritores; vbi sunt vestes, & ornamenta peregrina; vbi seruorum turba; vbi iocus, & lætitia; vbi exercituum Duces; vbi Satrapæ, & Tyranni? non ne omnia puluis, & fauilla? non ne in paucis versibus, eorum vita patet memoria? respice eorum sepulchra, & vide, qui seruus, & qui Dominus, qui diues, qui pauper; discerne si potes, vinctum à Rege; fortem à debili; pulchrum à deformi: vide si est in eo, aliquod signum iactantiæ suæ. Memorare itaque naturæ, ne extollaris*.

Hieron. Glos. Seq. omn. ss. August.

12 Ad huius veritatis probationem, recurramus etiam ad sacras paginas. Leuit. p. habetur, quod Dominus, in holocausto auium, turturum scilicet, & columbarum, iusserat, vt Sacerdos vesiculam gutturis, & plumas proijceret propè altare ad orientalem plagam, in loco, in quo cineres effundi solent. Sed quid vesiculæ, & plumis, cum cineribus? Vesicula inuolucrum crumena quædam, in qua quæ ad sustentationem victus, vitæ delicias, & gustum, & delectationem colligit, reponit auis. Per istam igitur vesiculam, diuitias, & sensuales delicias exponi posse videtur, quas homo auidè appetit, diligenter inquirit, & studiosè coaceruat, non solum ad vitæ temporalis sustentationem, sed maximè ad luxum, & ad delectationem colligit. Plumæ verò, quibus aues per aera volitant, significare videntur honores, dominationes, & mundanam gloriā, quibus ambitiosus, velut alter Icarus, ad Cœlum superbæ prætensionis, euolare contendit. Vt Gen. 11.: *Faciamus nobis Ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad Cœlum*; sic dicebant fabri Babel &c. Hæc igitur vesicula delectationū, & plumæ honorum, & mundanæ gloriæ, inter cineres, quæ mortis symbolum sunt, collocari, & apponi iubet Deus; vt disceremus hæc omnia ad mortem, citò euolare, & euanescere. Quare Theophyl. p. Cor. cap. 10. *Ad breue enim, voluptas est omnis*.

Leuit. p. Præceptum Domini in holocaustis auium, fragilitatis tēporaliū prosperitatum argumentū. Theophyl.

13 Harum fragilitatem sensualium voluptatum, & mentis nostræ ineptiam, manifestare intendens Dauid, inquit, Psalm. 89. *Anni nostri*,

Temporalis moralis vita aranearū telis comparatur.

nostri, sicut aranea meditabuntur. Sed quęnam profecto (dices) collatio est ista hominis ad araneam; temporis, & ætatis nostræ, ad imperfectorum animalium telas, & opificia? sed non abs re ista datur comparatio, si ad hominem terrenis his delicijs, & honoribus incubantem, animum referamus. Quia

Incognit.

ait Incognit. hic: *Sicut aranea, cū multo labore telam texit, vt dolosè capiat muscas, quibus vitam suam deducat; & tamen modico vento, vel flatu tela eius frangitur, & euanescit, sic & homines multo sudore multisque laboribus occupantur, ad aquirendas diuitias, vel honores; quæ modico pulsu fortunæ omnia euanescunt*. Obseruandum tamen est, quod hæc litera potest actiuè, & passiuè exponi. Actiuè, sic erit sen-

Sicut aranea meditabuntur, actiuè, & passiuè exponi potest.

sus: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*; idest anni nostri meditabuntur, quia homines in annis viuentes meditantur innania, sicut facit aranea, quæ scilicet sine fructu, & vtilitate boni operis, transit, iuxta illud Iob. 8. *Sicut tela aranearū fiducia eius*. Vel passiuè meditabuntur, idest reputabuntur anni nostri, sicut aranea, idest sicut inanes, & inutiles. Quare de his dicere possumus, id quod de hypocritis secundum D. Greg. 8. mor. cap. 20.

Greg.

Benè hypocritarū fiducia, aranearū telis similis dicitur; quia omne, quod ad obtinendam gloriam exsudant, ventus dissipat vitæ mortalis. Et quod in annis viuentes meditati sint innania mundi, vanitatibus dediti, attende ad D. Ber. mentem in

Ber. in medit.

meditat. qui ait: *Vbi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora, nobiscum erāt? nihil ex eis remansit, nisi cineres, & vermes*. Ostendite quæso mihi modo Salomonis illius viri summi gloriam, & sapientiam; Cresi, & Crassi diuitias: Heliogabali delitias: magni Alexandri Macedonis potētiā: Cæsaris fastus, & triumphos: Absalonis venustatē: Sansonis fortitudinem: Noè, & Mathusalem vitæ longitudinem? omnia in cinerem redacta, ex hoc euanuere seculo.

14 Refert Fulgosius, quod cum Romæ Constantinus Imperator coram Persarum Rege, almæ huius vrbis gloriam ostentaret; expectans ab hoc laudari, & suis hunc corresponsurum votis; respondit: mira quidem hæc, sed vt cerno, homines Romæ moriuntur, sicut in Perside; ac si dicere vellet: quid valet, quod tam mira hic inueniātur, qualia non in Perside; cum tam hic, quam in Perside huiusmodi diuitiarum, deliciarum, & mundi amatores, siue possessores morti cedant. Si homines moriuntur, ergo & eorum omnium temporalium bonorum possessio, & fruitio quoque deperit.

Historia Fulgos.

Quare Chris.: *Velut somnium sunt cuncta sensibilia generationi, corruptionique obnoxia*. Quare concludamus, quod tam naturalis, quā moralis vita non tam simpliciter, quam comparatiuè breuis sit. Nunc ad artis longitudinem accedamus.

Chris.

Ars longa. tex.

§ II. Habitus pęnitentiæ, meritorum, & bonorum operum, quos nobis in hoc mortalis vitæ studio, comparamus, in patriam perpetuò duraturos deferemus.

1 Diximus breuem esse vitam hanc nostram, tam naturalem, quam moralem, maximè verò, si hanc ad artis moralis beatitudinis æternæ consequendæ, longitudinem referamus; quę quidem ars, est bonorum operum studium, quæ in hac mortali vita, nobis ad

Bona operæ in patria cęlesti permāsura.

æternæ fœlicitatis lauream consequendam, diù comparamus; & in patriam nobiscum perpetuò duratura deferemus.

Obiectio quomodo in vita breui ars longa?

Sed statim hic nobis emergere videtur difficultas: quomodo in vita breui, ars longa inueniri potest? ab humanis enim per mortem ablato artifice, eiusdem quoq; ars deperit; quomodo igitur in mortali homine, breui tempore duraturo, ars longa perdurat? Verum quidem est, quod si medicam facultatem, in hoc vel illo subiecto, vt potè mortali, & corruptibili consideremus, hanc procul dubio breuitatem inuoluere, vti illi subiecto concretam, nec longam absolutè dici posse: Verum si hanc in communi spectemus, secundũ quod, pro obiecto habet corpus humanũ, hoc, vel illo modo sanabile; quod cum fluxum, & infinitis propemodum mutationibus obnoxium sit, & statam certamq; medendi semper rationem, & scientiam eodem modo non habeat; tum etiam ob diuersas morborum conditiones, infirmorum naturas, temperamenta, anni tempora, quæ omnia longo studio dignoscenda eueniunt; & tandem ob infinita propemodum accidentia, quæ infirmo, & morbo circumstant; quæ omnia, cum per diuturnum studium, temporis spatium, & experientiam, comprobanda remaneant, *Ars longa* meritò affirmari potest; & sic licet medicus, non tamen medica perit ars.

Solutio difficultatis physica.

Solutio moralis.

Sed melius moraliter ad rem nostrã dicamus; diuinæ gratiæ, nec non æternæ salutis, nobis comparandæ scientiam, & artem sanctam, quæ per bonorum operum, & pœnitentiæ præcipue studia diffunditur, & dilatur, quã in hac mundi schola, & vniuersitate Sanctæ Ecclesiæ, comparamus, ad æternæ fœlicitatis lauream in cœlesti Aula assequendam esse longam, etiam defuncto corpore, cum in anima ad immortalitatem conquiescat: quia perpetua nobiscum in Cœlis æternitate florebunt opera, quæ hic in charitate, ad Dei gloriam germinarunt ad meritum; ideo D. Hieron. ad Paul. *Discamus in terris, quorum scientia, nobis perseueret in Cœlis*. Hieron.

Diuina quæ audimus, in corde nostro, ad æternitatem sũt exaranda.

2 Hæc bonorum operum, longa ars, & perpetuitas, nobiscum perduratura in Cœlis, in sacris paginis nobis insinuatur, & aperitur, ait D. Io. Apocalip. 14. Audiui vocem de Cœlo, dicentem mihi. *Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur, Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos*; Huius quæso vocis, quæ in auribus cordis, siue etiam corporis D. Ioannis intonuit, mysterium, si libet, parumper indagemus. Ait *scribe*; & quid opus erat Ioãni scribere hanc sententiam, quam illi Spiritus Sanctus de Celo indidit? forsitan, quod tanto ingenio, huius sententiæ memoria non sufficeret, vt præciperet hanc scribendam, qui in Pathmos tam miranda ei reuelata memoriæ traddidit, & inde expresè omnia scriptis nobis edidit, & reliquit mysteria? Sed dicamus, quod Ioanni dictum est scribere, quæ audiebat; quia quæ à Deo nobis reuelata sunt, non segniter, & otiosè audienda, sed in pagina cordis nostri, charitatis calamo, bonorum operũ manu, audita adimplendo, fidei atramento, mortificationum charactere sunt exaranda; quatenus in nobis conseruanda; vt in perpetuum in Cœlis duratura forent. Quare Hug. Card. hic: *Scribe, ait, non solum in corde, sed etiam in libro, vt diutius duret; quod ad consolationem electorum, vsque in finem perseuerare debet*. Vel dicamus secundo: ait, *scribe*, vt confir-

Quomodo intelligatur, quod dictũ est Ioanni scribe, & diuersæ expositiones.

Hug.

met

Secunda expositio.

met, in fide eos, qui se bonorum operum studijs dederunt, ne ab inceptis deficiant, & à sancto proposito ne deterreantur; sed vt magis alliciantur ad cognoscēdum, quod cessabunt laboriosa; & conquiescent ab eorum laboribus in ęterna requie, vt Aret. hic: *Tanquam attrahens eos, qui certant promissione; quod cessabunt, quæ ipsis laboriosa sunt, & assequentur bona, in quibus conquiescent.* Tertio scribe, vt ait Abach. 11. *Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat, qui legerit eum; quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur.* Vel quarto scribe, vt sciant gentes, quod sicut ait Boetius de consol. *Beatitudo est interminabilis vita, tota simul, ac perfecta possessio*; sic sanctorum opera, in perpetuum durabũt; interim libenter, & patienter pœnitentias, & pœnas pro amore Dei sustineant. Vt Chris. ad coloss. cap. p. hom. 3. Qui ait: *Ita credo, quod pro ipso patior; sed etiam lætor patiens, ad spem futuram aspiciens.*

Aret.

Abach.

Tertia expositio.

Boet.

Quarta expositio.

Chris.

3 Sed quid est, quod debet Ioannes scribere? quid dictat Spiritus Sanctus, & vox de Cœlo, scribendum? audi, ait: *Scribe, Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Sed quomodo mortui moriuntur? Viuentes moriuntur, dum totaliter à vita deficiunt, non mortui; hi enim iam vita functi, defuncti vocantur; mortui igitur cum non habeant vitam, sic nec mori possunt, cum mors præsuponat vitam: quomodo ergo ait Io: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur?* Sed dicuntur mortui, quod moriuntur, & beati sunt, & in Domino moriuntur, qui mortui mundo, Deo viuunt; qui pœnitentijs, & mortificationibus dediti, seculo renunciantes, quasi mortui habentur, qui à sensus voluptatibus sunt animo alienati; qui domato corpore, carnis lenocinijs nō aquiescunt; qui offensi, & iniurijs lacessiti, non exasperātur ad vindictam; & in diaboli oppugnationibus, sensum non habent, ad culpę assensum. Hi enim mortui, in animæ à corpore separatione, in Domino moriuntur, cui semper viuunt; & de laboribus in hoc seculo, ad requiem transeunt interminatam; qua in æternum perfruentur, ideo dicitur Apoc. 14.: *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequũtur illos.* sicut Deus, ait Moyses Gen. 2. *Requieuit die septimo ab omni opere, quod patrarat.* vbi August. lib. p. de Gen. contra manic. cap. 22. ait: *Quid aliud significat, quod dicitur Deus requieuisse, ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde; nisi requiem nostram, quam nobis daturus est, ab omnibus operibus nostris, si & nos bona opera fecerimus.*

Apoc. 14.

Quomodo mortui moriuntur?

Quid sit iustum requiescere ab operibus suis.

August.

4 Rursus subdit, ad requiem, quam nobis daturus est, pro susceptis, pro Domino laboribus; quod opera nostra, vitæ æternæ meritoria, vt ait Lir. hic Apoc. 14.: *nos sequuntur in æternam requiem*; ideo ait: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Sed quomodo sequuntur, & consociant animam, opera meritoria? sicut pedissequæ Dominam suam, principissam, vel Reginam in publicũ, vel ante Regem prodeuntem; sic animam velut Reginam, quia *seruire Deo regnare est*, pretioso virtutum amictu, & diuinæ gratiæ vestibus ornatam. Vt Psalm. 44.: *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate*, ante tribunal æterni iudicis prodituram, pedissequæ bonorum operum, & meritorum familia, sequuntur. Et dicit sequuntur, non præcedunt; & hoc contra Hippocritas, qui ante se, sua ponunt opera, vt illis laudentur, sed sequuntur; quia,

Lir.

Psalm. 44.

Opera bona tanquā pedissequæ reginam animæ nostræ sequũtur ad Cœlum.

quia, sicut Hester 2. huic Reginæ, Regis præsentiam adituræ, deputatæ fuerunt, septem pedissequæ, quæ huic diligenter deseruirent; sic bona opera misericordiæ præcipue, quæ septenario duplicato numero conumerantur, tanquam animæ nostræ pedissequæ, nos associabunt, summum diuinæ misericordię tribunal adituros. vt Hug. Card. hic, ait: *Nos sequuntur, vt familia Dominum, vel Dominam ante Regis tribunal, in Iudicij die prodituros.* & D. Ambr. ait: *Opera igitur sanctorum sequuntur illos; quia merces illorum, sequitur illos in perpetuum.*

Hug.

Ambr.

5 Imò inseparabiliter, sicut indesinenter permanebunt, & nobiscum eadem bona opera identificabuntur ad æternitatem, & hæc nomine cibi, quo anima nostra perenniter enutrietur, clarè explicat Dauid dicens Psalm. 127.: *Labores manuum tuarum, quia manducabis.* Sed quid est, animam in cœlesti patria labores, & opera manuum suarum manducare? vbi nec esuritur, nec sititur; & anima corpore viduata, & ab eodem secreta, materiali amplius non eget cibo, qui mediãtè corpore, & naturalibus instrumẽtis assumitur, conteritur, concoquitur, digeritur ad animalis nutritionem, augmentationem, & ad generationem; *Quasi*, vt dicebat D. Aug. serm. 15. de Sanctis: qui est 74. in Append. *Quod animæ, à corporibus egressæ, carnales cibos requirant?* quomodo igitur opera manuum nostrarum mãducabimus? Sed tamen, contra hoc, Saluator noster, Luc. 22. ait: *Ecce ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Quod si dixit supra Matth. 26: *A modo non bibam, de hoc genimine vitis:* subdit postea, *Vsq; in diem illum, cum illud bibam, vobiscum nouum, in regno patris mei.* & iterum Luc. 6. *Beati, qui nunc esuritis, quoniam saturabimini*; idest in Cœlis. Possemus, hanc sententiam explicare, contra Curiales, Psalm. 127: *Labores manuum tuarum manducabis*; qui vt ait Hug. Card. *Hi semper viuunt de alieno.* Secundo contra otiosos, qui nihil volunt suis manibus operari. Tertio contra illos, qui omnia sua comedunt, & nihil dant pauperibus, vt inueniant in futuro. Caiet. super Luc. 22. ait: *Quod spiritualia cœlestis patriæ, sensibilium similitudine, explicantur; intellectum significans, per edere; & delectationem pro bibere. Sacietas quidem cibi sapientiæ, & intellectus; fruitionem annexam significari per manducare, & bibere.* Iuxta quem sensum, & doctrinam, Incognit. hic Psalm. 127: *In futuro ergo*, ait, *mãducamus fructus laborum nostrorũ, dum secundum labores præsentes, mens postea fruitur Deo, & fruendo satiatur.* Vel secundum D. Aug. dicamus: *Labores manuum tuarum manducabis; quia tunc erit nobiscum Verbum Dei, quo pascuntur Angeli.* vel secundum Glos. interlin. *In præsenti de labore manducabis, in futuro de fructu.* Sed ad rem nostram dicam. Comedemus labores, hoc est vt ait D. August. *Fructus nostrorum operum*: quod tamen iudicio meo sic intelligendum censerem; nam sicut cibus conuertitur in substantiam aliti, siue comedentis, vt aiunt Philosophi; sic merita, & bona opera, quæ nobis in hac vita comparamus, quasi cibum in cęlestis gloriæ futura mensa comedemus; quatenus illa merita immortalitatem assequuta, nobiscum idẽtificabuntur, & consubstantiabuntur, in satietatem diuinæ visionis, & vnionis intellectus nostri cum Deo. Quare Incognit. hic ait. *Vocatur illa*

Quomodo anima, mãducabit labores manuum, suarũ diuersæ expositiones.

August.

Prima cõtra Curiales, qui de alieno viuunt semper.

Hug.

Secunda cõtra otiosos, qui nihil volunt operari.

Tiatia contra crapulatores, & in pauperes auaros.

Caiet.

Quid per edere, & bibere in patria intelligatur.

Incognit.

August.

Glos. interlin.

Quarta expositio Auctoris, ad proposi.ũ quomodo comedemus labores manuũ nostrarum.

Incogn.

illa fruitio comestio, quia sicut, quod comeditur nobis incorporatur, & appetitum naturalem satiat; sic visio, & fruitio Dei, nobis Deum summe vnit, & mentem satiat beati. Quare de his spiritualibus cibis dicere possumus, id quod de sacris scripturis intonuit S. Ambr. in Psal. 118. ser. 22., qui ait: *Et tu ede scripturarum cælestium cibos, ede vt permaneant tibi, in vitam æternam: & ede quotidiè, vt non esurias: ede vt replearis: ede vt verborum cælestium eructes saginam. spirituales epulæ, non obesse solent, sed prodesse satiatis.*

Ambr.

6 Ecclesiast. 11. *Mitte panum tuum, super transeuntes aquas; quia post multa tempora, inuenies eum.* Per panem quodcunque beneficiũ, principalius verò, pietatis opus, maximè verò eleemosynam, quæ omnibus alijs operibus precellit, intellige; secundum illud, Psal. 144: *Miserationes eius, super omnia opera eius*; quæ quidem eleemosyna, per panis elargitionem, quem pauperes appetunt, quęrunt, & quo reficiuntur, sicut & nos, communiter declaratur, & congruè exponitur; *mitte* igitur ait tex, *Panem tuũ super transeuntes aquas*: hoc est eleemosynam tuã super egenorũ turbã, quæ aquarum nomine designatur in illud Apoc.: *Aquæ multæ, populi multi*; & dicũtur pauperes, transeuntes, non solum, vt viatores huius mundi, sed præcipuè, quia non habent permanentem locum, sed ab vno ostio, ad aliud circumeundo, panem emendicant ad victum; & modo in hac; modo in illa vagantur domo alimoniam quærentes; secundum illud Psalm. 58: *Famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Et hæc eleemosyna, est tributum, quod Deo pręstare debemus, in manibus pauperum; qui loco Christi sunt, vt eius exactores, vt idem Christus ait Matth. 25: *Quandiù fecistis vni, de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* isti enim, sunt aquæ viuæ transeuntes; super quas, panem eleemosynarum mittere debemus, ad tributum, & vectigal nostrum, Deo soluendum. vt D. Hieron. ad Rom. 13: *Vectigal nostrum est, vt transeuntibus donemus, vel nos transeuntes, sedentibus ad viam, & inde venientibus largiamur.* Sic enim in pauperum ora, panem mittentes, eleemosynam elargentes, nos manducabimus panem viuum, æternæ scilicet dulcedinis; & in stomacho animæ nostræ, pro merito digestio fiet, ad sempiternam, illius summi boni fruitionem. Quare subdit Ecclesiast. 11: *Quia post multa tempora, inuenies eũ.* Vbi D. Hieron. *Quomodo enim, qui super irrigua seminat, fructum sementis expectat; ita qui largitur egentibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit fœnore quodam, multiplicationem illius præstolans; & cum dies iudicij aduenerit, multo amplius, quam dederat recepturus.*

Ecclesiastes.

Declaratur, supradicta Ecclesiastes sententia.

Hieron.

Panem quē pauperibus damus, in Cœlis comedemus.

Hieron.

7 De Nilo flumine, referunt Historici; res in hoc dilapsas, vel vltrò iniectas, ad quendam determinatũ eiusdem fluminis locum, deportari, & in eodem inueniri. Sed cum maiori fœlicitate, de illo æternæ beatitudinis flumine, dicere possumus, quod de Nilo simpliciter nobis relatũ est; de illo inquam diuino flumine de quo dicitur Psalm. 64: *Flumen Dei, repletum est aquis*, hoc est diuinæ gratiæ, vt Io: 7: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: nam pietatis opera, per panem intellecta, quæ in flumen misericordiæ, per manus pauperum, inijcimus, vt diximus Eccles. 11: *Mitte panum tuũ super transeuntes aquas*, prætiosiora, magno fœnore augmẽtata, recipiemus; vt ait Christus

Historia de Nilo flumine in quo quędam deperdita inueniuntur.

Quæ, hìc pauperibus damus, in cælesti patria inueniemus.

Matth.

Matth. 19: *Centuplum accipiet* in æternæ beatitudinis alueum deportata, fœliciter inueniemus: ideo sequitur, *& vitam æternam possidebit*. Flumen, seu aqua eleemosynarum, seu aliorum pietatis operum, in huius mundi alueo præterfluit; & sicut à mari diuinæ misericordiæ, & cœli, omnium bonorum, siue donorum aquæ fluunt, vt Iacobi p: *Omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum*; sic ad illud etiam, meritò redire debent; vt Eccles. p.: *Ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur*. In illo igitur mari consumatæ gratiæ, abūdè, & copiosè inueniemus, quæ spōtè in eleemosynarum elargitione, hic in terris, pauperibus subueniendo, in misericordiæ flumen, quod ad mare cælestis beatitudinis fluit, inijcimus; licet multis, quod egenis dedimus, nos amisisse videatur. Quare Hug. super Apoc. 13. ait: *Et si modo, videtur multis, quod sancti amittunt sua opera, sed in futuro inuenient ea.*

Hug.

8 Apoc. 3. Ego *sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cænabo cum illo*. Deus stat ad ostium cordis nostri; pulsat manu sanctæ inspirationis, ad bonum supernaturale mouendo; quare, si quis audierit vocem, eius monitioni assentiendo; & aperuit ianuam, per liberi arbitrij, & propriæ voluntatis assensum intrabit ad illū, per gratiā gratum facientem, habitando in illo, & cænabit cum illo, quia in tali homine delectatur Deus. Sed aliò ad rem nostram, dirigamus explicationem, ad charitatis, misericordiæ, siue eleemosynæ opera, discursum conuertendo. Pauperes Christi, qui huius locum tenent, stant ad ostium diuitis, vel etiam aliorū, pulsando, petendo eleemosynam, si quis igitur audierit horum vocem, aure misericordiæ, istis subueniendo pauperibus: secundum illud Prou. 21: *Qui obturat aurem suam, ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*; *& aperuerit* ostium, ad eorūdem ingressum eosdem recipiendo, sicut Abrahā pauperes, & Zacheus Christum, vt Iob 31.: *Ostium meum viatori patuit*; intrabit Christus ad eundem misericordem, & cænabit cum illo, in gaudio profectuum eorūdem operum, & iste cum eo, in exultatione præmij, speratæ beatitudinis; vt ait Ambr.: *Cænamus cum illo, cum de spe calestis gloria exultamus*. Sed quare dicit *cænabo cum illo*, nō ait prandebo? Respondetur, dicitur cęna, quia hæc est vltima refectio, quam capiunt homines in fine diei, & in principio noctis: prandium verò, est refectio meridiana. modo dicitur *cænabo*, & non prandebo, quia, sicut post prandium, homo sæpe abit foras, & recedit; licet aliquando redeat; post cęnam tamen ibi manet, vbi recubuit; sic bona opera, vti eleemosynæ, quas, hic facimus, in charitate non ficta, complementum recipient æternæ beatitudinis, quæ dicitur cœna, qua in perpetuū immobiliter, & indeficienter fruentur misericordes, vt Matth. 5.: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Ideo Hug. Card. hic: *Non dicit prandebo, iterum recessurus, sed cænabo, permansurus: vnde in hoc innuit, quod bonum, quod in mundo incipit, per charitatem, & in Cælo perficitur per beatitudinem; semper perseuerat per æternitatē; nec aliud succedit, per temporis mutabilitatem.*

Pulsat Deus, ad ianuam cordis nostri, per gratiam excitatem, intrat per gratiam gratum facientem.

Christus in paupere, pulsat, petendo eleemosynā, vt nobiscum inde cęnet.

Ambr.

Deus dicitur cœnare potius quam prandere cū anima, quia cœna est vltima refectio æternæ beatitudinis symbolum.

Hug.

9 Nobiscum, bona opera, quæ hic agimus, in patriam deferemus, etiam thesauros nostros, quos incorruptibiles reddemus; & à furū insidijs eruemus. Quare Christus

Matth.

Thesauros quos hic erogamus pauperibus, in Cœlis recipiemus.

Matth. 6. ait: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate vobis thesauros in Cælo.* Si quis longinquas partes aditurus, secum pecuniam, vellet deferre; cum hoc, ita commodè non posset; propter æris pondus, vel periculum crassatorum: cambij, & cautionis literas, siue chirographum ab aliquo argentario, vnde discedit, accipit; huic pecuniarũ summã exbursando, quam inde per correspondẽtes negociatores, ibi recipit, vbi peruenit. Sic nos Cœlum, vt peregrini huius mũdi adituri. Vt 2. Cor. cap. 5.: *Omnes enim peregrinamur à Domino.* & ad Hebr. 16.: *Non habemus hic, ciuitatẽ permanẽtẽ, sed futurã inquirimus,* si pecuniã, & thesauros, siue diuitias nostras, illuc transferre cupimus; quia demones sunt, qui insidiantur itineri nostro; nedũ latrones temporales. vt Greg. hom. 11. in Euang.: *Maligni spiritus, quasi quidam latrunculi, iter nostrum obsident.* Quid igitur facere debemus? argentarios, pauperes Christi adeamus, in horum manibus, eleemosynas erogando pecuniam, deponamus hi enim ad Cœlum totum, sine iactura; imò maximo locro animæ nostræ transmittent, & tuto hanc pecuniam deportabunt, vt Chrysol. ser. 7.: *Præmittamus fratres thesauros nostros in Cælum, sint vectores pauperes; qui possunt, sinu suo, quæ nostra sunt, ad superna portare.* Et alibi etiam, idem Chrysolomus ait: *Quidquid pauperi dederis ad Cælum, sine dilatione transmittit.* Sic nobiscum, imputribiles, & indeficientes thesauros, tutò habebimus, in perpetuum duraturos.

D. Greg.

Pauperes Christi argentarij.

Chrysol.

10 Sed obijciet fortassis, Iob p. dicens: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus illuc reuertar.* Item arguet Apost. 1. Timoth. 6.: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Ideo ad aliam vitam, nobiscum facta bona opera, non transibunt? vt etiam D. Hieron. p. Timoth. 6. *Nudi nati sumus, nudi etiã morituri; quidquid hic inuenitur, hic relinquitur: non est nostrum, quod semper, nostrum non est; tanquam, peregrini ergo, sufficienti vsu contenti simus.* Non intulit, in hunc mundum, veniẽs homo, bona temporalia; quia nudus, egressus est de vtro matris suæ: non bona spiritualia; quia originali culpæ obnoxius, nascitur filius iræ; vt Psalm. 50.: *Et in peccatis, concepit me, mater mea,* & ad malum quoque, eius est natura prona. Quomodo ergo, si nihil in hunc mundum, bonorum temporalium, & spiritualium intulit, nihilque auferre secum potest, in morte, ad cælestem patriam consolaturus, eadem, à se laboribus comparata, pietatis, in perpetuum duratura opera deferet? Sed dicamus, quod verum, quidem est, quod nihil bonorum temporalium, homo detulit, vel secum intulit in hunc mundum, ad quem nascens, nudus venit; ideo sicut à Deo pelle, & carnibus, fuit conuestitus, in sui conditione: vt Iob. 10.: *Pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me;* sic nascendo, à Deo, cibo est recreatus; natus, vitæ confirmatus; viuendo conseruatus; educatus, illuminatus; & omnia, bona, quibus perfruitur, sicut à Deo promanant, sic à Deo recepit, dicẽte. Apost. 1. Cor. 4.: *Quid habes, quod non accepisti; & si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* nihil intulit bonorum spiritualium; quia natus filius iræ, & in peccatis, nihil à se, potest promereri boni, nec quidẽ hoc cogitare. vt 2. Cor. 3. 6.: *Non sumus sufficientes, aliquid cogitare, à nobis, quasi ex nobis; sed nostra sufficientia à Deo est.*

Obiectio.

D. Hieron.

Quomodo bona opera in Paradisũ deferemus, si quidquid hic inuenitur etiã relinquitur.

Solutio difficultas.

Omnia bona, sicut à Deo promanant, sic ab eodem, recepimus.

Conc. Trid.

Nec proprijs viribus purè naturalibus, aliquid supernaturaliter promereri. Vt Concil. Triden. sess. 6. cann. 3. habet: *Si quis dixerit, sine praeuenienti Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse; sicut oportet, vt iustificationis gratia conferatur, anathema sit*. Verum dicamus, cũ Apost. ad Philipp. 4.: *Omnia possum, in eo, qui me confortat*, idest, vt idem Apostolus 1. Cor. 15. ait: *Gratia Dei, sum, id, quod sum*: & omne, quod habemus, à Deo recepimus, vt diximus, quod etiam ex D. Iacobo confirmatur qui ait: *Omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum Iacob p.* Quare in hoc, quod à Deo recepimus, diuinæ gratiæ, & auxilij supernaturalis, quasi capitale, pro viribus, possumus bonorũ operum, meritorum nostrorum peculium augere, & sic diuinæ gratiæ, & gloriæ in Cœlis, nobis coacervare thesauros. Iuxta illud Matth. 6. *Thesaurizate vobis, thesauros in Cælo*. Vt Hug. Card. hic ait: *Diuitiæ in Cælo, vbi nihil corrumpitur, sunt quærendæ, & ponendæ*. & sic apud Dominum promereri. Quare Saluator noster meritò reprehendit otiosos, qui nihil de acceptis diuinæ gratiæ talentis, ad meritorum lucrum, bonorum operum sancta negotiatione, contulerunt. Vt Luc. 19. dicitur: *Quare non dedisti pecuniam meã ad mensam*. Ideo D. August. lib. de cura pro mortuis agenda ait: *Hoc meritum, sibi quisque, cum in corpore viueret comparauit, vt ei possent ista prodesse*: ita loquendo de suffragijs mortuorum. Possumus igitur promereri apud Deum, pietatis opera peragendo: spiritualiter inscios instruendo, consilio afflictos iuuando, viduarum, & pupillorum causas agendo, errantem corrigendo: corporaliter verò præcipuè egenis subueniendo, sic spiritualiter ditescere, & multiplicare talenta; & hæc ad Cęlum nobiscum bonorum operum, & diuitiarum nostrarum, inde lucra deferre, ad æternæ gloriæ meritum, & consequtionem; vt Matth. 35. dicitur: *Domine quinq; talenta traddidisti mihi, ecce aliã quinq; super lucratus sum*. Quare D. Th. 12. quæst. 114. a. 10. ait: *Temporalia bona, si cõsiderentur, pro vt sunt vtilia, ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam, secundum hoc, directè, & simpliciter cadunt sub merito; sicut, & augmentum gratiæ; & omnia illa, quibus homo adiuuatur, ad perueniendum in beatitudinem, post primam gratiam*. Imò diuina coadiuuante gratia, nostris operibus, in Dei filiationem coaptari possumus, vti D. Chris. super illud Io. p. *In principio erat Verbum*, ait: *In potestate enim est liberi arbitrij, & gratiæ cooperatione, filios Dei fieri*.

Ex capitali diuinæ gratiæ, possumus meritorum nostrorum peculiũ augere, & in Cœlum deferre.

Hug.

August.

D. Thom.

Qualiter tẽporalia bona cadunt sub merito. Doctrina Angelici Doctoris.

Chris.

11 Hę enim sunt incorruptibiles, bonorum operum æternæ diuitiæ, quas nobis comparare debemus, in hac vita, quibus in futura in Cęlum delatis perẽniter perfrui valeamus. Vt D. Hieron. ait: *Illius diuitias, aquiramus, quas nobis ad cœlestem patriam, deferre possimus*. Hæ quidem, sunt veræ diuitiæ, quæ latronum, vel corruptionis periculo, non subijciuntur. Vt Hug. Cardin. ait Matth. 6. *Incorruptibiles sunt diuitiæ sanctorum, & in Cælo, vbi nihil corrumpitur, sunt quærendæ, & ponendæ*. His igitur anima spiritualibus dotanda bonis, quibus fœlix in æternum viuat in Cœlis. Neque incongruum, hoc nobis videatur, quod terrenos, ad cęlestem patriam possimus deferre thesauros, eleemosynas pauperibus erogando: nam sicut habitus scientificos, hic aquisitos

Temporales diuitiæ, incorruptibiles in Cœlis.

Hieron.

Hug.

aquisitos virtutum, quæ animam nostram decore conuestiunt, & exornant, in patriam deferemus, ab omni tamen errorum, & difficultatum macula expurgatos, & perlucidos: cum gratia non destruat, sed perficiat naturam; sic anima nostra, bonorum operum corporalium, misericordiæ meritum, secum in Cęlum deferet, & cęlestium donorum, & præmiorum monilibus exornata, perpetuò affulgebit, in gloria. Quare Beda, de eleemosyna ad rem nostram ait: *Quisquis desiderat in Cælo habitare cum Christo, eroget, quod valet, vel parum, quod habet in terra, vt recipiat in Cælo, quæ dederit.*

Bed.

12 Nec solum simpliciter, opera meritoria deferent in Cœlum, sed etiam honores, munia, officia, in terris assequuta, quibus Deo seruiuimus, ad nostri decus, & gloriã, conseruabuntur in Cœlis. Dicitur igitur Apocal. 3.: *non debebo nomen eius, de libro vitæ*. In hoc verbo *nomen*, non solum ipsum nomen beatorum, sed etiam titulos honores eorundem comprehendi posse censerem: quare Rup. Abb. hic, ait: *Minus dixisse videtur, quam se se habet dignitas meriti*. Nam sicut ad aliquem magnatem cum scribimus, non solum huius nomen, & cognomen edicimus, sed etiam titulos, honores, seu officia in epistolæ superficie inscribimus; sic cælestium illorum ciuium supernæ Ierusalem adscriptorum, non solum nomen edicitur, vt patet de Lazaro, sicut Epulonis in sacris literis reticetur nomen, sed etiam tituli, honores, & officia exprimuntur, vt de Sãctis Prophetis, Patriarchis, Apostolis, Doctoribus, & Euangelistis dicitur; quorum honorum gloriam, sicut in Cælum contulerunt, sic in terris in eorum laudem sancta mater celebrat Ecclesia. Nec absurdum hoc nobis videatur: quia sicut in cœlesti aula, illi spiritus angelici, per ordinem destribuuntur, & in suis hierachijs, & sanctis mansionibus collocantur, secundum eorũ munia, & officia; vt propterea nouem chori angelici assignentur, nẽpe Angeli, Archangeli, Troni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim, Seraphim; sic de animabus illis sanctis, mihi dicendum videtur, quod suis titulis, & honoribus in Cęlo decorentur, sicut diuersis in terris, in seruitutẽ Dei effulsere muneribus, officia exercuere. Vt Io: 24. dixit Saluator *in domo patris mei mansiones multæ sunt*, idest secundum gradus meritorum, dantur etiam gradus honorũ. Quare si opera in Cęlum pro meritis deportamus, sic nobiscum titulos, & honores deferemus, quibus Deo in terris deseruiuimus. Ideò meritò Deut. 32. dicitur de Moyse: *Mortuus est Moyses, centum viginti annorum, non motis dentibus, nec oculi eius caligauerunt*. Et quid opus erat de Moyse peculiariter hoc à scriptura recenseri, non de alijs, quos tali in morte affulsos fuisse gratia, non inuerisimiliter est credendum? quid dona corporis, vt potè dentes, & oculi, ad honorem Moysis conferunt? Moysis oculi, commendantur in morte, quia dicitur, his vidisse Deum: Gen. 32. g.: *Vidi Dominum, facie ad faciem.* Dentes eius instrumenta fuerunt ad alloquendum Deum, & ad diuinam legem promulgandam: noluit igitur Deus, vt illa membra, & instrumenta Moysis, quæ Deo in vita, & senectute deseruierant, in morte ad eiusdem Moysis gloriam, & honorẽ, silentio præterirẽtur: *Vt sciant*, ait Oleaster hic, *Homines, quid seruire Deo valeat.* Si igitur Moysis corpus, tali priuilegio decoratum fuit, vt nullũ

Tituli honores, & officia Sanctorum, etiam in Cęlis conseruantur.

Rup. Abb.

Moysis, naturalia corporis dona, etiã in morte, ad huius honorẽ, cõmnedantur.

Oleaster.

defectũ pateretur in senectа in oculorũ caligatione, & dentiũ amotione, vt ꝓpterea in sacris paginis, hoc reportaretur, vt memoratu dignũ; multo magis officia, honores, quibus in hac vita Deo seruierunt sancti, piè credendum est, etiam in Cęlis ad eorundem gloriam perpetuò conseruari.

13 Quod si huius veritatẽ propius indagare cupimus, attendite: Matth. 26. c.: Vocat Dominus Petrum, & in amoris sui præmium, & fidei confessionem, hunc ad supremam Ecclesiastici Pontificij cathedram assumit, dicens Matth. 16. c.: *Tibi dabo claues regni Cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in Cælis*: omnifariam huic suam traddens potestatem; & huiusmodi auctoritatem, seu potestatem, quam in terris traddit, in Cęlis quoque ratam, & firmam haberi voluit. Sed nunquid Sancto ab humanis ad Cęlum assumpto Petro, sicut & Paulo, horum honor, potestas, & officia cessabunt? Absit; ecce iisdem honoribus, & priuilegijs affulgentes in Cęlis, quibus in terris fuerunt decorati, sancta celebrat Ecclesia, in Hymnis festiuitatis eorundem Apostolorum D. Petri, & Pauli, dicens:

D. Petri potestas quomodo in Cœlis, rata habeatur.

S. Ecclesia.

> Ianitor Cęli, & doctor orbis pariter;
> Iudices secli; & vera mundi lumina.

Quod, & clarius etiam confirmat D. Hilarius cap. 6. in Matth. dicens: *O beatus Cæli Ianitor, cuius arbitrio, claues æterni aditus tradduntur: cuius terrestre iudicium, præiudicata auctoritas, sit in Cælo; vt quæ in terris, aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant, & in Cælo.*

D. Hilar.

14 De morte Lazari agens Euãg. Luc. 16., ait: *factum est autẽ, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinũ Abrahæ.* Mortuus est egenus Lazarus, & quia viuens, patienter sustinuit pauperiem, gloriosè in morte, meritò cælestibus ditatus est thesauris: esurijt diuitis micas, nunc viuo in cęlesti mensa, angelorum pane, ad vitam exsaturatur æternam, secundũ illud Luc. 6. *Beati qui esuritis, quoniam saturabimini*: & qui in hospitio diuitis, non fuit exceptus, in sinu Abrahæ, modò est receptus. Quare idem Euangelista subdit: *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Sed quare in sinũ Abrahæ, & non in sinũ Isac, vel Iacob, vel alior. sanctorum Patrum: satis erat dixisse Euangelistã, Lazarum ad Limbum Patrum fuisse deportatũ; quid opus erat, pręcipue Abrahæ nominare sinũ? Debemus considerare, quod Deus secundum merita vniuscuiusq;, vnicuique etiam debita proportionaliter officia dispensat, & distribuit: Esuriuit itaque in hoc mundo Lazarus; ne igitur mentiretur scriptura, quæ ait Luc. 6. *Beati qui esuritis, quoniam saturabimini*, debebat in morte spiritualiter refici; vt igitur reficiatur, inueniatur Christi hospitarius: quis erit iste? Abraham, iste est, qui in hoc mundo, de sua substãtia alebat pauperes; intra domesticos parietes colligebat egenos, reficiebat esurientes, & ipsos Angelos hospitio excipiebat; & quia eadem munia, honores, & officia, quę quis Deo seruiendo, hic in terterris exercuit, etiam in Cœlis conseruari æquum erat; ideo & in alio Seculo Abraham hospitarij nomẽ, honorem, & munus retineat; quare in huius sinum, meritò dicitur Lazarum fuisse, ab angelis deportatũ. Quare D. Chris. conc. 2. de Lazaro ait: *Non apud aliũ iustum Lazarũ, sed*

Pauper Lazarus, in Cęlis diues.

Abraham etiam in Cęlis, hospitarij nomẽ retinet.

Chris.

sed in sinu Abrahã, hospitalis enim erat Abraham. Curemus igitur, & nos officia charitatis exercere, in hac vita; vt horum merita nobis remaneant post hanc vitam mortalem, ad præmium æternæ gloriæ, assequendum in Cœlis. Quod faxit Deus.

Ars longa. tex.

§ III. Homo, cum non habeat certam suæ salutis sciẽtiam, seu securitatem, debet semper pro æterna beatitudine consequenda, bonis operibus sedulò incumbere.

Continuus pro æterna gloria consequẽda, labor.

1 SI vita nostra tam naturalis, quam moralis breuis est, vt diximus; profectò insaniam sapit, & redolet, qui caducis hisce rebus inhians, terrena cælestibus, corporalia spiritualibus, peritura æternis anteponit, cum potius mundana hæc omnia contemnere, cælestia appetere, peritura relinquere, æterna sapere, & inquirere deberet, secundum illud Gregor. hom. 12. in Euang. qui ait: *Sunt namque plerique continentes, qui ab exteriori se appetitu custodiunt, & spe ad interiora rapiuntur; carnem macerant, & toto desiderio ad patriam anhelant, æterna præmia expetunt, pro laboribus suis recipere humanas laudes nolunt*. Celeri igitur pede à bonorum operum, in hoc mortalis vitæ cursu, ad æternæ beatitudinis brauiũ properemus. Quare Regius Phropheta, postquam dixit, Psalm. 38.: *In imagine pertransit homo*, subdit, *sed & frustra conturbatur*; quasi dicere velit, si citò transit vita hominis, sicut imago in speculo, ad quid anxiatur, ad terrenorum aquisitionem, quibus diù perfrui non potest? frustra igitur conturbatur. Sunt isti velut ephemereon animal, de quo Arist. lib. 5. animalium ait, quod eodem die, quo nascitur, etiam moritur, & tamen sibi cibum, nihilominus ad victum vix natum, quæritat. Quare Hug. Card. hic Ps. 38. *Sed & frustra cõturbatur* ait *deberet in paruo tempore vitæ suæ*, vel *quiescere, vel laborare pro vita æterna*. Si exiguũ animal pro vnius diei vita laborat, quãto magis pro anima in æternum victura, laborandũ erit?

Greg.

Cælestia tẽporalibus anteponenda.

Hominis vita, velut in imagine quo modo transit.

Arist. Ephemereon animal eodem, die moritur, quo nascitur.

Hug.

2 Ecclesiast. 12. dicitur: *Memento Creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, &c.* idest, vt ait D. Hieronymus hic: *Sic adolescentia tua, viam gradere, vt mortis vltima recorderis*. Sed hic difficultas quare non dicit memento Dei tui, vel Domini tui, sicut se talem indicauit Deus, Leuit. 18. a. *Ego sum Dominus Deus vester*? Ille inquam, qui nos genuit, secundum illud Deut. 32. c.: *Deum, qui te genuit dereliquisti*, & qui omnium absolutus est Dominus? sed ait memento Creatoris tui? quare ergo tãtum Creatoris tui, non nomine Dei tui, cum meminisse admonet? Non vacat mysterio, q. nobis diuinitus tradditum est, & quod nostris oculis, videtur absconditum. Hoc ideo fecit, vt nostram nos pusillitatem considerantes, ad Dei obsequium conuerteremur. Hoc nomen *Creator*, relatiuũ est ad creaturas: creatio est ex nihilo, vt ait D. Thom. p. 65. 3.; vult ergo nos meminisse Dei quidem, sed vt Creatoris, vt in nostræ pusillitatis agnitionem deueniremus. Memento igitur creatoris tui, qui te ex nihilo creauit: considera, quasi diceret, tuam quidem nobilitatem, vt imaginem Dei, sed tuam etiam perpende paruitatem, exilitatem, & tuam ab eo, qui est ens per essentiam, creationem ex nihilo, & vt ita dicam, nihilitatem tuam; ideo Hug. Cardin. hic, ait:

Ne adolescẽs temporalibus bonis, & delicijs perfruendo, Epicuri dogma sequendo, in vitia corruat, admonet hunc sapiẽs his verbis. Memento Creatoris tui.

Ait memento Creatoris tui non Domini, vt nostrã perpendamus nihilitatem.

D. Thom.

Hug. Card.

Quomodo homo dicatur, nihil.

Te ipsum attende, quia in te, & ex te, nihil es; sed ex illo es, & per illũ es, quod es. Si igitur ex te, nihil es, & totum habes, ex Deo Creatore, quod habes, in hunc ergo in gratiarum actione, qui te creauit, & qui te inde etiam misericorditer redemit, gratus operatione sancta insurge. Vel secundò dicamus, si terra es, vt potè de terra eductus, rursus nihil es vt Hier. 4.: *Aspexi terram, & ecce vacua, & nihili.* Homo es terra, vt S. canit. Ecclesia fer. 4. cin. *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*: ergo ferè nihil es; memento igitur Creatoris tui, qui te de terra, tuũ eduxit corpus, & ex nihilo animam creauit: & quia in terram reuersurus, es cogita tuum finem, ne pecces; & vt Creatore tuo fruaris. Ideo in bonorum operum studio labora diligenter pro tua salute, & ęterna beatitudine; germinet terra animæ tuæ herbam virentem sanctarum operationũ. Vel quia nil es, per peccatum; vt August. super Io. 16.: *Peccatum nihil est, & nihil homines fiunt dum peccant*: si nihil es per peccatum. *Memento Creatoris tui*, vt te recreet ad gratiam, per tuam pœnitentiam: ideo continuò labora pro æternæ vitæ consequtione, & pro peccatorum tuorum remissione obtinenda.

S. Eccles. *August.*

Homo, non debet otiosus manere, sed laboribus vacare.

3 Ecce vitam breuem: sit ergo ars longa. Hanc ergo terram vitæ tuæ fragilis, & caducæ, & continuò fugacis, excolere debes, disciplinarum ligone, mortificationum vomere, ex fulcare; bonorum operum semina iacere; lacrymarum, & pęnitentiæ aqua irrigare; sacramentorum pinguedine fęcundare; & de sterili per culpam, continuis pœnitentiæ laboribus, ad gratiæ pristinam fertilitatẽ reuocare: vt meritorum fructus suo tempore, in cælesti horreo ad vitã æternam recõdendos valeat proferre, vt Ps. 48.: *Et terra nostra dabit fructum suum:*

Terram corporis nostri ad bonorũ operum fructus colligẽdos, quomodo excolere debeamus.

4 Et hoc quidem in meo iudicio, declarare voluit Moyses, qui post quam dixit, quod Deus creauit lucem, ait Gen. p.: *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Subdit postea, Gen. ibi: *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum.* Et quis est iste dies vnus? hominem ego intelligendum puto, iuxta illud Psal. 18.: *Dies, diei eructat Verbum*: tum etiã, quia homo illius lucis æternæ per essentiam imago est, de qua Christus Io: 8. ait de se ipso: *Ego sum lux mundi*, secundum quod, dies lucem continet in se. Vel si dies ex mane, & vespere constat, sic homo ex mane iuuentutis, & vespere senectutis, vt potè & ipse constans, dies quoq; vocari potest. Tam igitur breuis est vita nostra, vel vitæ nostræ terminus, vt iuuentus, & senectus, quæ sunt tota vita hominis, quasi vnius diei cõcludatur spatio: ideo dicatur. Si igitur vita nostra breuis est, & vt dies homo est, *fiat* (dixit Deus) *Firmamentum*, quod operationem innuit, & significat, ad quam vix natus homo, die ac nocte, debet pro posse, pro eius salute solicite accurrere. Vt Psalm. 103.: *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam, vsque ad vesperam.* Debet, manè iuuentutis, non solum incipere, sed etiam vsq; ad vesperam senectutis, & mortis continuò, & semper operando procedere. Ergo si vita breuis, & ars longa, debet cõtinuò bonis operibus, pro salute animæ, & æternæ beatitudinis consequtione homo insistere.

Homo dicitur dies vnus, vt operationi vacet.

Factum est ergo vespere & mane dies vnus.

5 Et intentum nostrum confirmare videtur sapiẽs Ecclesiast. 10.: *Manè semina semen tuum; & vespere non cesset manus tua; quia nescis, quid magis oriatur, hoc vel illud.* Vult ergo innuere sapiens, quod cum certã nostrę salutis scientiã, vt diximus, habere nõ possimus,

A mane iuuentutis, vsque ad vesperã senectutis, laborare debemus.

a bonis

à bonis operibus nullatenus, vllo vnquam tempore, desistere debemus, sed semper proficere, &c. *Quia in via Dei ait D. Ber. nō progredi, retrogredi est. Manè igitur pueritiæ*, ait, Hug. Card. hic: *Semina semen tuum, id est bona opera, per te ipsum fac; & vespere senectutis, nō cesset; quasi dicat citò incipe bene facere, perseuera vsque in finem, quia non coronabitur, nisi, qui legitimè certauerit*. Sed quæso notemus verba, *manè*, inquit, *semina*. Deducta est metaphora ab Agricola, qui ante, & postquam seminauerit, semper laborat, vt optatos tempore suo, inde fructus colligat. Disponit primò terram ad sementem; illam inde diligenter occat; resultat, trisulcat; modo ligone fodit; modo glebas comminuit; nunc à vepribus terram purgat; siluestres nunc eredicat herbas; infructuosas radices euellit; nunc domesticas inserit plantas; petras amouet; modo impinguat, seminat, & semper laborat; donec ad maturitatem redactas desideratas fruges, & fructus recipit; sic nos, velut filij cœlestis illius Agricolæ, de quo Io: 25. a. dicebat Christus: *Et Pater meus Agricola est*, vt æternæ fructus gloriæ, in Cęli area colligamus, oportet hic in terris, vitæ nostræ terram, mortificationum sulco exarare; disciplinarum vomere erumpere; ad verbi Dei sementem disponere; peruersi sensus extirpare radices; vt 1. Cor. 9. d.: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*. Sacramentorum frequentia impinguare. Vt D. Th. opusc. 57. de Eucharistia: *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus*. Lacrymarum fluentis irrigare, vt Psalm. 6. 6.: *Lacrymis meis stratum meum rigabo*; glebas duri cordis, contritionis malleo dissoluere, vt Ioel. 4.: *Scindite corda vestra*; peccandi occasionum, & peruersi sensus affectuum siluestres herbas euellere: Psal. 30.: *Declina à malo, & fac bonum*; vitiorum vepres, totis viribus extirpare: bonorum operum, in Sanctæ Ecclesiæ vinea, semina iacere; quia ait Apost. ad Gal. 6.: *Quæ seminauerit homo, hæc & metet:* siluestri peruersæ naturæ nostræ stipiti, domesticos virtutum inserere fructus, vt Iacob. 1. *Suscipite insitum Verbum, quod potest saluare animas vestras*. Malæ inclinationis, inutilia absindere sarmenta, & continuo laborare, donec laborum suorum recipiat mercedē. & æternæ beatitudinis exoptatos colligat fructus, in cœlesti horreo reponendos. Vt Matth. 13. c.: *Triticum autem congregate in horreum meum &c.*

Ber. Hug.

Homo comparatur Agricolæ, qui semper laborat.

D. Th.

6 *Manè inquit semina semen tuum*. Manè dicitur, quando incipit illucessere dies, & sol oritur, vt dicitur communiter: Quando sol est super terram, dies est. Quod moraliter de homine affirmandū, proportionaliter videtur; quando ortus est sol rationis in eodem, & cępit illucescere, dies cognitionis, & lumen intellectionis; intellectus enim quodam lumen est, vt D. Th. p. quæst. 67. a. p. Quando igitur lumen intellectus primò affulget in homine; quando hic ad rationis vsum primò peruenit, tenetur ex debito, & sub præcepto peccati mortalis, semen suum manè tali, suæ ætatis, in Ecclesiæ Sanctæ vinea iacere, hoc est actum suæ voluntatis in Deum referre, in hunc se debet conuertere, hunc Redemptorē, suum, nedum Creatorem agnoscere, vt D. Thom. 1. 2. quæst. 89. a. 6., expresè docet: & fidem per Patrinum, in baptismo præstitam, per motum quēdam amoris in Deum, spontè confirmare. *Manè igitur semina semen tuum*.

Manè iuuētutis labor.

D. Th.

Cum primū ad vsum rationis homo peruenerit, sub peccato mortali tenetur cōuertere se in Deum.

D. Th.

7 *Semina nostra ait* Hug. Card. hic,

Semina, nostra bona opera, & dicta.

hic, *sunt quacumque facimus, aut dicimus*. Et quia semen, aliud est bonum, aliud malum; ideo nostra opera, & dicta, alia virtuosa, alia vitiosa sunt. Sed hic de virtuosis, & bonis operibus intelligere debemus, sapientis sententiam, dum ait: *Mane semina semen tuum*; inter quæ semina virtutum, & meritorũ, cum ieiunium, quod est præcipuũ pietatis, & pœnitentiæ opus, maximè effulgeat, hoc manè pueritiæ, videtur esse iaciendum, & sub actæ contritione cordis nostri terræ, pro merito mandandũ; quare D. Basil. hom. 2. de Ieiun. tom. p. ait: *Pueri veluti plãtæ virides, ieiunijs aqua irrigẽtur*. Huiusmodi ieiuniorũ semina, manè infantię, nedũ pueritiæ iacere debemus, si dictu fas est, vt in S. Nicolao patet; qui cum manum libere infans summo manè infantiæ mouere non posset semen ore iecit; dũ adhuc infantulus, à lactis cibo, certis diebus se abstinere cœpit; vt ex lectionibus eiusdem, in Breuiar. legitur sic: *Infans, quarta & sexta feria, semel dumtaxat lac sugebat: quam ieiunij cõsuetudinem reliqua vita retinuit*. Ita, vt benè ad impleuerit sapientis consilium: Eccl. 10: *Manè semina semen tuum*, quasi dicat, incipe arripere iter tuum pœnitentiæ; quia, vt 3. reg. 19.: *Grandis enim tibi restat via*. Et sicut vas, quem in principio recepit, sic hũc inde seruat, odorẽ. Iuxta illud poeticum.

Bonis operationibus. Manè pueritiæ seminandum. Basil.

S Nicolai Ieiunium in infantia.

Ex Breuiar. ord. præd.

Quo semel, imbuta recens, seruabit odorem. Testa diù. Sic pueri, bonorum virtutum odore in principio sunt imbuendi, vt hunc inde, in senectam vsque valeant conseruare. Quare moralis Senec. in Epist. ait: *Incipe benè viuere, ne tunc velis incipere, cum desinendum est*. Et manè incipe, collum tuæ voluntatis, diuinæ legis iugo subdere, & submittere, & onus christianæ religionis ferre, vt obediens Christi rationale iumentum: vt Thren. 3.: *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua*.

Ouid.

Senec.

8 Exod. 22.: *Decimas, & primitias non tardabis offerre Domino*: sic præcepit Deus. Primitiæ sunt, primi fructus nostrorum laborum, vel semina bonorum operum, quæ in pueritia iacimus, ad æterni præmij fructus, in cælesti area colligendos: sicut & decimæ maturæ ætatis, quæ omnia diligenter offerre Deo temporibus suis tenemur. & hoc est, quod nobis insinuare voluit Moyses, dum Gen. p. ait: *In principio creauit Deus Cælũ, & terram*. Vt ex ordine creationis, insertus esset nobis amor dilectionis: primò creauit Cælum, vt prius ad Cælum Deum amando, præcepta diuina seruando, mẽtis nostrę oculos conuerteremus; & illuc bonorum operum pede, iter dirigeremus nostrum. Et quænam profectò ratio, nos suadere potest, Deum fecisse hominem, vt iumentis oppositũ, quæ semper ad terram, oculos demittunt; & illum statura rectum, facie ad Cælum erecta, nisi vt Cælum aspiceret, & bonorum operum gressu ad illud solicitè tenderet. Vt Ouid. 4. Metaph. ait: Pronaque cum spectent, animantia cætera terram.

Primitię bonorum operum, in pueritia.

Cur Deus rectum fecit hominẽ, facie ad Cœlum erecta.

Ouid.

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri.
Iussit, & erectos ad Cælum tollere vultus.

Hoc igitur modo hominem creauit Deus, vt oculos, & mentem ad cælestia inspicienda, & appetenda erigeret: q̃ clarè confirmat, D. Chris. ser. p. de prouid. qui ait: *Cur enim Deus omnibus brutis dedit oculos humum spectantes, tibi autem in arce capitis imposuit, nisi vt intelligeres, nihil illis cum Cælo commune; tibi vero à Deo, & à natura datã legem, quæ superna potissi-*

Chris.

potissimum contempleris. Cur item tibi erectum caput fecit, illis verò, demissum, deorsumque vergens, an non eadem causa est, vt scires nihil tibi cũ terra commune, neque te præsentibus addictum esse debere.

Cor, prima hominis ætas.

9 Et quod homo suam Deo debeat pueritiam in primis consecrare, & primam rationis suæ dicare ætatem: suffragari mihi videtur, id quod Dauid Psalm. 83. nobis intonuit dicens: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, aßensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum*: & hoc de homine, in prima eius ætate, mihi videtur posse dictum interpretari, qui ad cœlestia animum, & mentem dirigit. Per cor, intelligi potest hominis prima ætas, in qua rationis lumine, homo primò affulget: Sic pueritia sumitur, quia sicut cor est primum, quod inter cætera membra generatur, vt D. Thom. qui ait: *In generatione hominis, primum generatur cor*, sic infantia, & pueritia, cum sit principium in ætatibus hominum, cor dici potest. Et cum infantia, ab vsu rationis præsindat, pueritia erit hominis, idest huius ætatis, cor. *Beatus igitur vir, qui assensiones in corde suo disposuit*; hoc est in pueritia, ad Cęlum, & Deum mente, corde, & operibus sanctis, ascendere contendit. Sicut vidit scalam, quæ ad Cęlum à terra protrahebatur Iacob; sic nos ad scalam Cæli, debemus mentem conuertere, & per bonorum operum gradus, à pueritia incipientes, per ætates diligenter cõtinuò conscendere, & sic proficere, vt assensiones ad Cęlum, sine vlla reuersione ad culpam continuatæ, & cõpletæ, cernãtur: vt de Samuele dicitur p. reg. 2. *Puer Samuel proficiebat, & crescebat, & placebat tam Deo, quam hominibus*. Samuel interpretatur, *postulatus à Deo*; *vel nominatus Deo*, vt intelligamus, illum à Deo nominatum, iuxta illud Luc. c. 10.: *Quia nomina vestra scripta sunt in Cælis*, qui in via Dei proficit, & opere meritorum crescit. Imò Deum vidisse refertur, vt ex celebri eius encomio, Ecclesiast. 4. dicitur: *Cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis*. Quomodo fuerit hæc visio, an diuinam essentiam, an Angelũ, vel Deum in aliqua similitudine, vel per modum trãseuntis, vel oculo corporeo, vel mentis, vel in raptu, siue per extasym, non est præsentis negotij, de hoc agere. Sed dicamus, quod ab effectu, Deum vidisse dicatur; quia sicut videns Deum per essentiam, non potest ab eo auertere suam voluntatem, & peccare, vt D. Thom. p. p. quæst. 94. a. p. c.; sic Samuel, perinde ac Deũ per essentiam vidisset, tam illi firmiter adhæsit, & tenaciter adglutinatus est, vt ne minimo quidem puncto, ab eo auerteretur. Sic qui manè pueritiæ virtutum, & meritorum semina, in S. Ecclesiæ agro miserint, semper in via Dei laborantes exaudiuntur à Deo, & diuinæ visionis fructus percipient.

D. Thom.

Quomodo assentiones per, bonorũ operum gradus velut per scalam Iacob, nobis statuendæ.

Samuelis laudes.

Quomodo Deum vidisse, dicatur Samuel.

D. Thom.

Homo Mane pueritiæ, debet bonorũ operum semina, mittere.

10 Iob 5. *ait homo nascitur ad laborem, sicut auis ad volatum*. Natus igitur manè pueritiæ, debet se bonorum operum labori accingere, vt Horat. in Attic.

Horat.

Qui cupit optatam cursu, contingere metam:
Multa tulit, fecitque puer, sudauit, & alsit.

Nos igitur non debet tædere laboris, manè pueritiæ virtutum semina emittere, vt pacatos inde fructus cęlestis gloriæ consequamur, cui, nullum est præmium, quod cõparari possit. Vt Ouid.

Ouid.

Præmio quid tanto par labor esse potest? Et D. Hier. ad Nepot. *Labor durus nullum tempus videri debet longum, quo gloria æterna aquiritur*;

Hieron.

12 In

Manè adolescentiæ.

11 In adolescentia etiam homo bonis operibus debet insistere, ne dum in pueritia incipere. Matth. 18. Quadam curiositate adducti legitur, quod discipuli Saluatoris nostri ab hoc sciscitati sint dicentes: *Quis putas maior est in regno cælorum?* cui curiositati, & interrogationi satisfacere volens Christus, dicitur quod aduocans Iesus paruulum statuit in medio eorum, & dixit: *Amen dico vobis nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum Cælorum.* Sed quid profectò sibi vult hoc, quod vt regna cælorum ingrediamur, beati paruuli esse debeamus, & vt maiores euadamus ętate, minimi forè simus? ergo homo, qui pueritiæ annos excessit, non poterit saluari? ergo necessarium erit id, quod dicebat Nicodemus adimpleri, vt Io. 3. *Iterato in ventrem matris introire, & renasci?* Cum tamen videamus, & legamus homines, qui ad sanctam venerandamq; canitiem annos suę ætatis protraxere, temporali vita functos, meritis cumulatos, cęlum cōscendisse, vt de S. sene Simeone, Sancto Antonio Eremitarum Duce, Hilarionę, & infinitis alijs, qui in senili decrepitaq; ætate in Domino dormiere, & ad cælum eorū animæ, ad recipienda præmia, conuolarunt. Possemus dicere cum D. Hieron. lib. 3. in Matth. tom. 4. *Christum non præcipere Apostolis, vt ætatem habeant paruulorum, sed vt innocentiam, vt malitia, non sapientia paruuli sint.* Et paulò post etiam subdit, *Sicut iste paruulus non perseuerat in iracundia, non læsus meminit, non vidēs pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat, aliud loquitur, sic & vos nisi talem habueritis innocentiam, nō poteritis regna cælorum intrare.* Sed melius ad rem nostrā, vt regnum cælorum possideamus præcipit nos paruulos esse, sed quomodo? parui sunt, qui in tenera ætate constitutii semper crescunt, & fiunt maiores; nam à pueritia ad adolescentiam, ab adolescentia ad iuuentutem, & virilitatem semper contendunt, & properant peruenire, sic profectò magni in regno cælorum sunt illi, qui in hoc mundo pueri per innocentiam, licet viri, & senes per ætatem, maiores per virtutum progressus adolescunt, & in bonis operibus spiritualiter euirescūt semper. Quare Tertull. in marcion. *Ecce ait Christus diligit paruulos, tales docēs esse debere, qui semper maiores esse velint.* Non solum in pueritia bene incipere, sed etiam in adolescentia ad vlteriores virtutum progressus tendere debemus.

Quomodo debemus esse paruuli, ad regni cælorum ingressum.

Hieron.

Paruuli sumus per innocentiam.

Paruuli, prō bonorum operum progressum. Tertull.

12 Mementote, quod intulit Saluator illi, qui in eius discipulatum cooptari petebat. Luc. 9. g. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* & quid sibi hoc vult? dummodo aratrum terram aptè fodiat, rectos colonus ducat sulcos, quid inde refert, si retrò ipse respiciat, cum & hoc ommittere, non grandis censeatur culpa? Possemus dicere, quod qui mittit manum operis ad aratrum v. g. orationis in vinea Domini, pietatis scilicet opera exercens, & respicit retrò, non attendit ad ea quæ agit, vel agere intendit: facit orationes v. g., & voluntaria mentis euagatione, respicit retrò, non attendens huic; non est aptus regno cælorum; quia sic orans peccat mortaliter etiam in oratione, quam non facit ex debito, sed est voluntaria, & opus supererogationis, vt D. Th. 2. 2. q. 83 a. 13. ad 3. nā prouerbio dicitur, si cor nō orat in vanum lingua laborat; imò maledictionis iaculo ferietur, vt Hierem. 48. d. *Maledictus homo,* qui

Quid sit manum ad aratrum mittere, & retro aspicere.

D. Thom.

qui facit opus suum negligenter. Sed ad rem nostram melius dicamus; quod ille, qui ad aratrum sanctarum operationum, manum mittit, tempore pueritię, terram proprię carnis disciplinarum, vt ita dicam, vomere, vel pœnitentiæ insulcat, & sic huius ætatis tempore, semina mittit, & respicit retrò, post bonum opus inceptum, deficit, & vltra non progreditur, tempore v. g. adolescentiæ, & iners, ignarusq; depræhenditur; vel qui ad pœnitentiam cogitat, & vix incipit pœnitentiam agere, quod ad præterita peccata denuò reuertitur; hic non est aptus regno cælorum; vt Greg. hom. 3. super Ezechiel. ait: *Manum in aratrum mittere, est quasi per quendam compunctionis vomerem, ad proferēdos fructus, terram sui cordis aperire, sed retrò post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis, ad mala reuertitur, quæ reliquit*. contra illud, quod de animalibus illius currus Ezechielis dicitur, quæ ibant, & non reuertebantur, cum ambularent Ezech. p.

Greg.

14 Hinc est, quod nobis in Cant. 1. intonat S.S.: *Oleum effusū nomen tuū, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis*. Legit hic Origenes cum alijs, *Vnguentum exinanitū, est nomen tuum*. Quod de incarnatione Christi apprimè intelligitur, qui vt ad Philipp. 2.: *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*. Sed quid, Deo homine facto, noui accidit? ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis, non vetulæ, non seniò confectę, non videlicet animæ effœta ætate, sed adolescentulæ, idest quæ semper adolescentiam tenent, quæ nunquā Deo senescunt. Nam si aliqui ante Dei incarnationem, ociter, & remissè aliquando virtutum munus obibant; sed humanam post quam nostrā Deus induit carnem, non segniter ad cunda virtus, non remissè, & tepidè, operibus sanctis vacandum, sed ad hæc peragēda omnes nostri conatus adhibendi; quare Orig. hic: *Vbi nomē tuum, ait, est factum vnguentum exinanitum, dilexerunt illud, non vetulæ, ac veterem hominem indutæ animæ, neq; rugas habentes, neque maculas, sed adolescentulæ in augmento scilicet ætatis, & pulchritudinis positæ, quæ semper innouantur, & de die in diē renouantur*.

Orig.

Nō segniter adeūda virtus, sed velut adolescētes, semper crescēdo, in bonorum operū progressu esse debemus.

Orig.

15 Luc. 12. ait Saluator: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur*: & quare ex quatuor elementis tantum ignem in terram, missurus, ad nos Saluator aduenit? & quare non aerem, non aquam, non terram? cur non aerem, in quo obuiandus nobis erit Christus, vt p. Thesalon. 4. d. *Rapiemur cum illis obuiam Christo in aere*? quare non aquam? super quam suos Spiritus sanctus ponit gressus, vt Genes. p. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: cur non terram? quæ humanæ conditionis fundamentū est; vt Gen. 1: *Formauit Deus hominem de limo terræ*? sed tantum ignē, cœteris alijs omnibus prætermissis? ratio est, quia ignis semper sursum tendit, nec vnquam quiescit, sed ex sui natura innata quadam, ad superiora se semper erigit, & ascendit: huius igitur naturā in terris ipsum ignem mittendo, indere voluit hominibus, vt hi, ignis naturam immitantes, semper ad superna contenderent, & nunquam in terra requiē inuenirent, sed ad Deum semper mente eleuarentur, qui ignis formam defert, vt Deut. 4.: *Deus tuus ignis consumens est*. Quare Ambr. lib. 7. in Luc. ait *Et ideò Dominus promittit se venturum in igne, nempè vt vitia consumat, & homines ad cælestia perpetuò erigat, ignem veni mittere in terrā, & quid volo, nisi vt accendatur? & ideò fortasse Dominus*

Quare Dominus venit missurus ad nos ignem, non terram, aquam, vel aerem.

Quia ignis semper sursum tendit, & operatur; sic nos, vt ignis esse debemus, ad cælum tendentes.

Ambr.

minus in igne venturus est, vt vitia vniuersa consumat, suiq; conspectu desideria compleat, singulorum mysteriorumq;, & meritorum lumen accendat. quare in adolescentia, nedum in pueritia, totis viribus ad ascensum virtutum, debet homo contendere.

16 Matth. 24. 31. *Ab arbore fici*, ait Saluator, *Discite parabolam; cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas.* Moraliter hunc locum exponens Orig. tract. 30. in Matth. per æstatem, in qua fructus maturescunt, & colliguntur, animi virtutem, & pietatem putat adumbrari: sed quæ signa æstatis nobis Christus obijcit? *cum iam ramus eius tener fuerit*, idest, etiam si perfecta virtus, instar æstatis, fructus animi decoxerit, & virtutes perfectas ediderit; adhuc tamē ramum tenerum, hoc est animum serua tenerum, vt rursus facilè ad alias virtutes capescendas illum effingas; non enim in pueritia sufficit, boni principij fundamenta iecisse, virtutibus vacando, sed oportet etiam, vt ramum tenerum serues, in adolescentia, ad alios fructus virtutum recipiendos; animum tuum docilem reddas. hoc maximum argumentum est adeptæ virtutis, vlterius ad alia pietatis opera inhiare: quare Orig. vt supr.: *Post hyemes tentationum, & post tristitiam periculorum transactorum, ad æstatem festinet, tenerum ramum proferens, nō illum durum, sed molle cor, ad credendum Deo, & profectus nostri proferant, interim folia, & flores operum; vt postmodum etiā perfectissimos fructus, cum venerit, quod perfectum est in Christum, exhibeamus.*

Orig.

Licet perfectos virtutis fructus quis ediderit, ad hunc tamen animus per maiores progressus, debet adolescere.

Orig.

In virilitate viriliter agendum.

17 In virilitate quoque non debet à bonorum operum progressu desistere, sed bene incepta pueritia, & in adolescentia augmentata, etiā in virili ætate, debet sanctæ actionis, & piarum operationum pro animæ salute instituta, complere, & semper ad vlteriorem progressum tendere virtutum; ideò dicitur: *Manè semina semen tuum*, manè dicamus nos, tempore virilitatis, ad senectutem accedens. vt Eccles. 11.: *Memento Creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ*: intendit etiam tempore virilitatis, quæ, tempus immediatum est ante senectutem; ideò subdit: *antequam veniat dies afflictionis*, scilicet senectutis, vt explicat Hug. Card. hic: *In qua ingrauescit ætas, & vires deficiunt, & aliud nisi ægritudines remanent in homine*, vt Psalm. 89. *Si in potentatibus octuaginta anni, amplius eorum labor, & dolor*. In virilitate igitur bene operando, viriliter agamus. vt Ouid. 2. ait

Dum vires aniq; sinunt, tolerate labores.

Iam veniet tacito, curua senecta pede.

Matth. 21. *Manè autem reuertens in Ciuitatem esuriјt, & videns fici arborem vnam, secus viam, venit ad eam.* Narrat S. Euangelista, quomodo vno mane Christus Bethania, Ierosolymam veniens, sicque esuriens, ad fici plantam accesserit, & fructus non inueniens, nisi folia, huic plantæ maledixerit; quæ continuò aruit. miror quod sobrius homo, ita esurire potuerit, vt duorum milliarium solum, iter capescens, vexaretur fame; maximè, cum adhuc manè esset, & lauto in Bethania conuiuio, in cœna à sanctis sororibus, Marta, & Maria Magdalena fuerit exceptus; & cum, nec tempus fructuum adesset, ita statim ficulneæ illi maledictionem intulerit, ad eiusdem ariditatem, quia continuò ipsa aruit. Difficultatis tamen nodum nobis soluit Orig. tract. 16. in Matth. arbor ista, homo, in qua Deus sem-

Hug. Card.

Ficulneæ Christus maledixit, quia in nobis iustitiæ semper fructus esurit, quos non inuenit.

Orig.

ſemper iuſtitiæ fructus eſurit, ſemper virtutem quærit, & optat à nobis; nec vllum tempus admittitur, quo his bonorum operum fructibus, pro paſcẽdo Christo, ad animæ noſtræ ſalutem, carere debeat; ideo non debemus, quod in pueritia, vel ſaltem in adoleſcentia cæpimus, virtutum fructus deſerere, ſed ſemper, ſicut arbor fructifera, in vinea Dei, opportunos fructus edere; quare Orig. vt ſupra: *Eſurit autem Ieſus ſemper in iuſtis, volens manducare fructũ Spiritus ſancti in eis: & ſunt eius eſca, & vt ita dicam ficus, quas eſuriens, edit, ideſt charitas eius, qui eam fructificauit, qui primus fructus eſt Spiritus ſancti, & pax, & gaudium.*

Orig. Tract. 16. in Matth. cap. 21.

17 Olim iuſſit Deus Eſaiæ in buxo ſuas ſcribere prophetias, Eſa. 30: *Scribe ſuper buxum*, ſed quare hoc? non ne ſatius erat, & aptius in marmore phophetiæ literas exarare, vt potè communiori ſolidiorique materia? quocirca ad huius durationem inſinuandam, prouerbio dicitur: lædens in puluere, læſus verò in marmore ſcribit; eo quod difficillimè à ſui cordis pagina, impreſſas obliteret iniurias, & offenſa deleat. & etiam mauſolea, quaſi æternitati dicata è marmore, vt in pluribus effingantur. vel non erat melius ſtilo in ære ſcribere, quod temporũ iniurias irridet, & vetuſtatis dente, haud corrodi valet? ſed myſterio attendamus, iubet Deus in buxo ſcribere: buxus enim planta, ſiuè arbor eſt, quæ omni tẽpore, etiam brumali viret, & frondeſcit, nec folijs ſuis vnquam deſtituitur, & expoliatur; ſignificat hominem, qui velut arbor inuerſa, vt ait Ariſt., debet per bona opera, quibus fides comprobatur, ſemper ſpiritualiter vireſcere, & ſuæ ſalutis noua ſemper germina producere, ideo Ambr. lib. 3. in Exameron. cap. 13. ait: *In buxo iubetur ſcribere, vt admoneat te, ipſa materia, quæ ſemper viret, nec vnquam folijs exuitur ſuis, vt nunquã ſpei tuæ diſſimulatione nuderis, ſed ſemper tibi per fidem, germinet ſpes ſalutis.*

In buxo ſcribere præcipit prophetias, Deus; arbore, quæ ſemperviret. Symbolum, noſtrę, ad ſalutem continuò virentis ſpei.

Ariſt.

Ambr.

18 Cæleſtis ſponſa ſponſum ſuum inuitans ad ſe ait Cant. 2. *Lectulus noſter floridus*, quid reſpondet ſponſus? Cant. 3. *Ego flos Campi, & lilium conualium*, & quomodo hæc reſponſio ſponſæ dicto coheret, concordat, & eius correſpondet deſiderio? Lectulus iſte, eſt noſtra conſcientia bonorum operum, & virtutum floribus referta, ad quam inuitatur cæleſtis ſponſus, vt in hac per ſoporem inhabitantis diuinæ gratiæ, requieſcat; & quia, vt in thalamo perſeueret odor, neceſſe eſt, nouos, & recentiores flores, frequenter apponendo reparare; ſic non ſufficit in lectulo cõſcientię noſtræ, ſemel, vel ſecundo bonorum operũ flores appoſuiſſe, niſi & recentiores alios, cõtinuò apponamus, vt Chriſti bonus odor in nobis perſeueret; vt Ber. ſer. 47. ſuper Cant. ait *Lectulus reſperſus floribus, conſcientia eſt bonis referta operibus; vides certè, vt ſimilitudo ſeruetur; nequaquã ſufficere ſemel, vel ſecundo operari, quod bonum eſt, niſi inceſſanter addas noua prioribus, alioqui iacet, marceſcit flos boni operis.* Chriſtus dicitur *Flos campi*, omnibus ad exemplum patens, & apertus, vt eum intueamur per fidem, colligamus per merita, imitemur per profectum vt Luc. 2. *Puer autem creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia*, vt in eius odorem in virtutibus, & bonis operibus proficiendo, deuotè accurramus, vt Cant. p. a.: *Curremus in odorem vguentorum tuorum*, quia vt ait Apoſtolus 2. Cor. 2. d. *Chriſti bonus odor ſumus.* Et quia flos campi, erectus manet, ſicut in lecto delatus iacet, nec ibi facilè elanguet,

Conſcientia noſtra, ſemper debet eſſe bonorũ operum floribus referta.

Bern.

Chriſtus flos campi omnibus ad exemplum patens vt imitemur.

& marcescit; sic non iacere, sed erecti esse debemus, recenti semper bonorum operum odore vernantes; ne priorum operum, flos marcescat.

19 Postquam Deus in agro Damasceno, de terra hominem eduxit, hūc posuit in deliciarum Paradiso, vt Gen. 2. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominē, & posuit eū in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Hic notate, quod duo munera adimplenda homini indixit Deus; primum est, vt se laboribus addicaret, secundum vt custos esset Paradisi; quæ omnia laborem, & vigilantiam inferunt, & includunt; operari enim, est finis homini pręfixus à Deo, in ipsius hominis natiuitate, vt Iob. 5. *Homo nascitur ad laborem, sicut auis ad volatū*; posuit igitur Deus hominē in Paradiso, vt se in laboribus exerceret, agricolæ officio fungeretur, terram coleret: & quia ait Poeta.

Primò homini laborē, & vigilantiā præcepit Deus, in Paradiso, collocato.

Non minor est virtus, quam quęrere parta tueri.

Sic laboribus parta, debet custodire, ne pereant, ne diffluant, & à furibus ne dirripiātur: quę omnia nobis argumentum sunt, non solum vt virtutes colamus, bonis operibus insistamus, in horum progressibus contendamus; sed etiam ea aquisita seruemus, & custodiamus, ad finem æternæ gloriæ pro meritis assequendum; quare D. Ambr. lib. de Paradiso cap. 4. ait: *Posuit eum in Paradiso operari, & custodire; non idem est operari, & custodire; in opere enim quidam processus virtutis est; in custodia quædam consumatio operis deprehenditur, & quod quasi consumata custodiat. Hæc duo ab hominibus requiruntur, vt operibus noua quærant, & parta custodiant*: quæ ad hominem, iam ætate confe-ctum commodè applicari possunt.

Non solum aquirere, sed, & acquisita tueri, gloriosum

Ambr. Non solum debemus bene operari, sed etiā bona opera custodire; qd in labore, & custodia Paradisi innuitur.

20 Omnes igitur, tam in pueritia, quam in adolescentia, seu virili ætate, bonorum operum progressibus, in via salutis æternæ properantes debent inniti: hi summè Deo placent, & cum his inhabitat. Et quid est, quod Christus pertransiens Hiericho, videns Publicanum, nomine Zacheum, quem antea non nouerat, ad se euocat; domus suæ hospitium efflagitat, & ad ipsum diuertit? Luc. 19. *Ingressus Iesus perambulabat Hiericho, & ecce vir nomine Zacheus, quærebat videre eum, quis esset.* Cum tamen præ gentium multitudine, & corporis sui breuitate, id assequi non posset, hic magnus animo, qui statura tantillus erat, visa sycomorum arbore, sibi proxima, hanc lœtus conscendit: trāsit Iesus, in Zacheum oculos conuertēs, hunc vocat, inde domus huius præocupat, & petit hospitiū, Luc. 19. *Zachee festinans descende, quia hodie in domo tua, oportet me manere*; ad quod inde declinauit Saluator, & salutis æternę eidem optata priuilegia contulit. Luc. 19. *Hodie huic domui salus à Deo facta est, eo quod sit filius Abraha.* Sed dicam ego, quare Christus, se, non inuitatus, inuitat, apud hominem, quē non nouerat diuertit? nō vacat mysterio factum hoc Saluatoris nostri; notemus verba Euangelistæ Luc. 19. *Cum venisset (inquit) ad locum, suspiciens Iesus, vidit illum*, scilicet Zacheum ascendētem: qui arborem conscendit, manibus, pedibus reptans fatiscit, & totis corporis viribus nititur ad ascensum; hoc est figura illius, qui in via cæli semper ascendere, bonorū operum progressu cōtendit: hi summè Deo placent, ideo hos, vt sibi amicos ad se vocat, & cum his habitare postulat; quare D. Cyrill. apud D. Th. in Cat. aur. hic: *Vidit, ait, quidem hominis animam promptissimè nitētem ad sancta viuendū, & eum ad pietatem conuertit.*

Deo placēt, qui in via Dei proficiunt.

Zacheus ad videndum Saluatorē, Sycomorum ascendit.

Quare Christus ad domum Pharisei hospitio diuertit. D. Cyrill.

De vespere senectæ, in quo adhuc debemus laborare.

21 Ecclesiast. 11. *Manè semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua.* Diximus de mane pueritiæ, adolescentiæ, & virilitatis; nunc de vespere senectutis, verba faciamus. Senex quoque bonorum operũ semina, adhuc iacere debet, pro salute animæ suæ, & adepta custodire, ne pereant quapropter ex Plutarcho in suis Apophteg. habetur, quod Diogeni seniò, & laboribus confecto, quidam suaserit, vt à labore quiesceret, & ad otium se cõuerteret; cui respondit scitè Philosophus: si scirem in equorum cursu, quod propè signum cessare deberemus à cursu, vel remissiùs agendum, libenter consilio tuo aquiescerẽ; verum cum potiùs cõtrarium mihi constet, à labore cępto, minimè cessandum censeo; sic in hoc præsenti mortalis vitæ cursu, si ad æternę fœlicitatis brauium, in pueritia, adolescentia, & virilitate, cucurrimus, vt Apost. 2. Cor. 9. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium*, non debemus in senectute, propè finem, à bonorum operum cursu, & labore desistere, & declinare, secundum Apostoli consilium 2. Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*: vespere igitur, scilicet senectutis, non cesset manus tua.

Plutarch. & Laert. lib. 7. Diogenes ad quiescẽdum in senectute inuitatus, quid responderit.

22 Iusserat Dominus in veteri lege, hostiam cum cauda tota, sibi immolari, vt Leuit. 3. *Offeres de pacificorum hostia, sacrificium Domino adipem, & caudam totam*, sed quid opus erat talem obseruari in sacrificio cęremoniam? cum sæpè cauda nulli ferè vsui deseruire videatur in sacrificio, & sæpè etiam cum nullius ferè momenti sit, & in mensa, quando animal editur, sępè relinquatur? sed attẽdamus ad mysterium; cauda extrema pars est animalis, ideò significat finem, vult ergo talis cęremoniæ præcepto inferre Deus, non sufficere hominem se ipsum, Deo per carnis mortificationem, simpliciter tantum offerre, quod sacrificium appellari potest, vt ad Rom. 12. a. ait: *Obsecro vos fratres, vt exhibeatis membra vestra, hostiam viuentem, sanctam Deo placentem*, in vitę suæ ætate, scilicet tenera pueritiæ, accrescente in adolescentia, consistente in virilitate, sed etiam oportet, quod hæc hostia, sit cum cauda, hoc est etiam in senectute, vt in bonorũ operum studio perseueret homo; & tota opus est cauda, idest consumatione virtutum, in extrema ætate, iuxta illud Matth. cap. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*; hoc est sacrificium, quod Deo placet; Quare Greg. Hom. 25. super Euãg. col. p. ait: *In cauda quippe finis est operis, & ille benè immolat, qui sacrificium boni operis, vsq; ad finem debita producit actionis*; & idem Greg. p. mor. c. 40. ait *Caudam in altari offerre pracipitur, vt videlicet omne bonum, quod incipimus perseueranti fine compleamus*.

Cur Deus in veteri lege cum cauda tota, sibi offerri præcepit sacrificium victimæ.

In extrema ætate opus est, consumatione virtutum.

Greg.

Greg. Cauda in sacrificio, bonorum operum consumatio.

23 Hinc est, quod Dominus pręcepit Moysi, morti propinquo, vt in montem ascenderet, & in eo moreretur, vt Deut 32. legitur *Ascende* (inquit Deus) *in montem istum Abarim, idest transitum in monte Hebo, & morere in monte, sicut fuit de fratre tuo Aaron*, vt ibid. dicitur *Sicut mortuus est frater tuus Aaron in monte Hor.*, sed quare hos summa auctoritate, charitate coniunctos viros, & sanguine germanos, in Dei famulatu, & continuis laboribus consumptos, ætate iam maturos, in terræ planitie, placida non sinit morte in Domino obdormire? cur montis ascensum ad mortem imperat, qui iam vitæ viribus defecerant? Vt ostenderet, quod etiam vsque ad mortem, nedum in senectute laborandum, quapropter etiã post tot exantlatos labores, licet viri-

Præcepit Dominus Moysi ascẽdere in mõtem ad mortem, vt vsq; ad mortem laborãdum esse intelligeremus.

viribus fractis, voluit, & præcepit Deus, etiam in fine vitæ, his eius seruis, vt labores mortis extremos, vltimis eorum virium laboribus, in montis ascensu præuenirent.

De sancto Epimaco decem annis in cella voluntariè inclusus præparabat se ad mortem.

24 De sancto Epimaco legitur, quod decem annis in cella, ex voluntaria pœnitentia sibi assumpta inclusus, continuò, ac rigoroso ieiunio macerabat corpus, nec aerem videre, nec hominum admittere volebat consortia. Cum quadā die necessarios ad vitę solam sustentationem, cibos singulis diebus subministrantes, vidissent appositos ei cibos, non recepisse; existimantes eum mortuum, vel aliquo læthali morbo laborantem, cellæ ostium diruentes ad eū ingressi, ab hoc sciscitati sunt, quid tandē, tanto tempore ibi inclusus egisset; ad mortem inquit, me disposui, quā paulò post superuenientem lætus aspexit. ecce quomodo vsq; ad mortem certandum pro iustitia, & pro animæ salute in fine laborādum totis viribus. Motus.n. naturalis, ait Philosoph. in fine velocior; sic labores nostri sanctorum operum, ad finem vitæ nostræ peruenientes in charitate viuaciores, & feruentiores esse deberent; Quare meritò Iacob, filio suo Ioseph variam tunicam fecit, vt exponit D. Ambr. de Ioseph dicens: *Meritò variam tunicam fecit ei, quo significaret, eum diuersarum virtutum amictu fratribus præferendum*; verum hæc tunica polymita, hoc est diuersarum virtutum, erat talaris, vsque ad talos pertingens; vt ostenderet diuersarum virtutum, amictū, quibus anima conuestitur, debere vsq; ad senectutis talos protrahi, & vsq; ad mortem perdurare. Vt de S. Martino aperta nobis lectio est; qui cum febrium grauitate vexaretur, pernox tamen in orationibus, & vigilijs fatiscentes artus spiritui seruire cogebat; & etiam ex eiusdem lectionibus, in festo S. Martini in breuiario dicitur: *Oculis, ac manibus in Cælum semper intentus, inuictum ab oratione, in extremo morbo, spiritum non relaxabat, in nobili illo strato cinere, & cilicio recubans*; & alibi etiam ex eiusdem lectionibus dicitur: *Non decet, inquit, filij Christianum, nisi in cinere, & cilicio mori; & ego si aliud exemplum vobis relinquo, ipse peccaui*.

Ambr. Variatunica Ioseph, vsq; ad talos; bona opera vsque ad senectam, & mortem protrahenda.

S. Martinus etiā in morte pœnitentiæ insistens.

Bis vita Enoch commendatur; quia in bonis operibus profecit semper, vsq; ad mortem,

25 Gen. 5. commendatur laudabilis Deo, & hominibus vita Enoch in principio, & fine vitæ suę, & ferè eodem tempore, bis commēdatur Gen. 5. dicitur: *Enoch vixit quinquaginta quinque annis, & genuit Mathusalem, & ambulauit Enoch coram Deo*, & post pauca eod. cap. num. 24. ait, de eodem, quando ad cælum raptus est, vt ex tex. *Facti sunt oēs dies Enoch, trecēti sexaginta quinque anni, ambulauitq; coram Deo, & non aparuit, quia tulit eum Deus*. quid erat necesse in tam breui mora repetere de Enoch huius encomia, & bis dicere, quod ambulauit coram Deo? sed difficultatem soluit, & mysterium exponit Caiet. noster: *ad explicandum* inquit, *Quod ab ineunte ætate, profecit in uia Dei, & perseuerauit in ea, semper proficiendo*, sic non sufficiebat semel dicere, quod ambulauit coram Deo, quasi certo quodam tempore tantum; sed necesse fuit, hoc itidem in raptu Enoch, & in fine repetere; vt sciremus, quod ab eadem bonorum operum semita, quam cæperat, nec dum in fine vitę declinauit, sicut in principio ambulauit. Hoc idem similiter refertur de Ioatham Rege pio, & iusto, vt habetur 2. paralip. cap. 27. n. 1., vbi dicitur: *Quod quinquaginta quinq; annorum erat Ioatham, cum regnare cæpisset, & sexdecim annis regnauit in Ierusalem*, & hæc eadem verba, eodem etiam cap. n. 8. cum

Caiet.

Eodem modo laudes Regis Ioatham repetūtur, quia in iustitia cæpta, vsque ad mortem perseuerauit.

de eius

Glos. ord.

de eius morte agitur, repetuntur, ad quid hoc? respondet Glos. ordin. *Scriptura*, inquit, *in principio, & fine annos Ioatham conumerat, quia sicut in iustitia cæpit, ità vsque ad finem perseuerauit, vnde tempora eius laude digna prædicantur:* & vt ait Auct. trad. hebr. in paralip.: *Vt monstraret*, inquit, *eum in inocētia perseuerasse, quam cæpit.* Ad hāc bonorū operum perseuerātiam, vsq; in finē, nos inuitās S. Bon. lib. de perfect. vit. cap. vlt. ait: *Perseuera, proface vsq; ad mortē viriliter, Christi age militiā, vt cū extrema dies vitæ aduenerit, pro stipendijs, & mercede laboris, detur tibi corona gloriæ, & honoris.*

Auct. trad. hebr.

Bonau.

Cur Christus de Cruce, conclamantib. Iudæis, descēdere renuit.

26 Hanc lectionem perseuerantiæ, nobis legit in Caluariæ schola, super cathedram Crucis Christus; dum Iudeis conclamantibus, *si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce; & credimus ei.* Matth. c. 27. Christus noluit descendere; & quare, si omnium salutē quærit, pro horum salute, modò non descendit? Possemus dicere, quod Christus renuit descendere, quia etiamsi descendisset, & miraculum patrasset, adhuc tamen illorum corda, dura in infidelitate, & obstinatione perstitissent: vt communiter Interpretes, quo ad literam. Possemus secundò respondere Christum noluisse descendere; quia in cathedra Crucis patientiam, vt Magister cælestis doctrinæ docebat, & quia in patiētia, debemus perseuerare; ideò vt perseuerantiæ in tribulatione, argumentum daret, descendere de cruce recusauit; & hæc D. Augustini opinio est; Sed aptius ad rē nostrā, dicā: Christus de cruce noluit descendere, vt doceret nos vsque ad extremum vitæ nostræ, forè perseuerantes, sicut in reliqua tota vita incepimus, & progressi sumus: quare Ber. ser. p. de ressurrect. in persona Christi inquit sic: *Imò quia sum Christus, non descendam de Cruce, vt homines doceam in finem debere firmiores, & constantiores, in sublimi perfectionis, quo ascenderūt, permanere; & in cruce, quam in toto vitæ decursu susceperunt, perseuerare.*

Prima ratio; quia & si descendisset, nihilominus obstinati, q erant, in sua infidelitate perstitissent.

Secūd. quia patientiam prædicabat, ideò potentiam differebat.

August.

Ber.

Tertia, vt doceret nos in fine esse perseuerantes

27 Fini insidiatur Demon in bonis operibus, vt pereant, vel vt ab his desistamus in fine vitæ nostræ; quare Gen. 3. de diabolo dicitur: *Tu insidiaberis calcaneo eius*, hoc est fini; calcaneus enim, extrema pars hominis est, finem prænuncians; quare vsque ad finem perseuerandum, vt Mattth. 10.: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et vnde fit, vt tam larga munificentiæ suæ manu, Christus latronem honore affecerit, vt hunc, petentem regnum cælorum, dicens Luc. 3. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, statim Paradiso donauerit, & cæli ciuibus adscripserit? dicens Christus Luc. 23. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* quid est, quod audio, latronem ex improuiso cælestem Aulicum; crucifixum pro delictis regno cælorum potiri; peccatorem ad beatorum fœlicitatem illicò transmeare ad cælum transferri: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Cananea petijt, & repetijt pro opportuna à diabolo obsessæ filiæ, salute: adhibuit: Oratores, Aduocatos Apostolos, & nihil tamen tunc statim obtinuit, donec Christum importuna præcum instantia perpelleret; & Latro simplici oratione, statim obauditur. Matth. 8. petens, sequi Christum, reijcitur: *Sequar te quocūque ieris.* Matrē, petentē signa fieri in Canna Gallileæ, redarguit, dicens Ioan. 2.: *Quid mihi, & tibi est mulier?* Regulum pro filiæ salute quærentem Saluatorem, repræhendit Ioan. c. 4. *Nisi signa, & prodigia videritis non creditis.* Paulum ter supplicātem à carnis stimulis eripi, & à demonis insidijs

Diabolus fini nostro insidiatur.

Latro ob eius perseuerantiam in passione cū Christo Paradisi priuilegio decoratus est.

insidijs liberari repellit; tantum respondet 2. Cor. 9. *Sufficit tibi gratia mea*, & latronem non domesticum, sed extraneum, scelestem, indignũ, exaudit, consolatur, & Paradisi priuilegio condecorat? quibus meritis innixus est iste latro, vt ad Paradisi gaudia, è mortis cruciatibus mereretur extolli? Pro responsione recolite quæso, quid in Passione Christi, eius discipuli egerint, & quid latro; tunc percipietis, quare huic, non alijs etiam iustis, & Christo dilectis, dictum fuerit: *Hodie mecum eris in Paradiso*. In passione Christi constat, quod relicto Christo omnes discipuli fugam arripuerunt, vt Matth. 26. *Relicto eo, omnes fugerunt*, timore mortis maximo perculsi, licet sanctè sequi Christum incæpissent: sed latro in cruce in pœnis associauit Saluatorem, cum quo fidelis, Christum Dominum confessus, commori voluit, & cum eo vitæ terminum suæ imponere; & quia finis coronat opus, ideò ei dicitur, ob eius perseuerantiam in fine: *Hodie mecum eris in Paradiso*, quare Ambr. serm. de Sancto Latrone ait: *Omnes enim discipuli, sicut legimus in passione Saluatoris trepidauerunt; latro comitatur, ideò prior ad Paradisum, quam Apostoli peruenit*. (Ambr.)

quare ex his omnibus concludamus, omni tempore ætatum suarum, homo debet bonis operibus semper, ad animæ suæ salutem proficere.

Ars longa tex.

§ IIII. In huius mundi studio, non debemus otiosi, & desides in mundanis vanitatibus tempus conterere, sed pro æternæ beatitudinis scientia, perpetuis bonorum operum laboribus, insudare.

1 Ars æternæ salutis consequendæ, dicitur longa, quia omnes vires nostras, & totum tempus vitæ nostræ, requirit ad eius aquisitionem, ideò dicitur *Ars longa*, hoc modo, vt arguat desides, & otiosos in vinea Domini, minùs solicitè elaborantes; quare his dicere possumus, quod alijs Christus intulit, vt Matth. 20.: *Quid hic statis, tota die otiosi*, quare in hoc mũdo, in seculi vanitatibus, tempus conterimus, cælestẽ illam patriam, non considerantes? 3. Reg. 19. *Surge commede, grandis enim tibi restat via*, sic Eliæ Angelus; sic homini mundi voluptatibus inhianti, dicere possumus, & in via cæli remissè bonorum operum gressu incedenti. surge igitur à torporis somno, à terrenarum vanitatum, & voluptatum accubitu, ex concupiscentiæ strato; surge, per animi promptitudinem, & vigilantiam, somnum mundialium, & sensualium affectuum excute, & torporis, & desidiæ importunitatem: comede benè operando, vt Io: 4. dicebat Christus: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei*. & bonis operibus insistendo, sic enim, Hilar. super Psal. 127. & Greg. 22. moral. cap. 7. & Orig. super. Matth. hom. 2.: *Comede, hoc est fruere, tu spiritualibus virtutum delicijs, charitate, pace, & iustitia, quasi de omni ligno Paradisi*, sic Greg. 6. mor.

(Æternæ salutis cõquirendę scientia, ars longa, quomodo dicatur.)

(Non debemus tempus conterere in vanitatibus sed toto tẽpore vitæ nostrę bonis operibus insistere.)

(Hilar. Greg. Orig.)

c. p. & super Exechiel. hom. 3. vel tertio commede dispone tibi in hoc mundo opportuna, ad æternæ vitæ sustentationē, grandis enim tibi restat via: ex hoc enim mūdo vbi viatores sumus, lōgo totius vitæ nostræ cursu ad cęlestem patriam properamus. Quare ergo non laboramus?

2 Audi sapientis consilium ab otio ad labores nos euocans, qui Prouerb. 6. ait: *Vade ad formicam ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, & præceptorem, & principem parat æstate cibum sibi.* Hæc est differentia inter cicadam, & formicam, quod cicada tempore æstatis cantu spatiatur, otiatur, & fame inde tabescit, & perit, ideo dicitur, cicada, quia citò cadit. Formica verò licet tantillum, & pusillum, industre tamen animal, sibi congregat, & coaceruat grana æstate in cauernis, quibus hyeme viuat: ait igitur sapiens: *Vade ad formicam ò piger &c.* expendamus quæso sapientis verba, inueniemus enim in his omnibus laborum includi mysterium: dicitur igitur primò. *Vade* nō inquit, *sta*, aut sede, sed vade, ire motum pedum, & progressum significat laborum; vel vade, ait D. Hieron. hic: *Vacantem inquit hortatur quemquā, vt si ad alios erudiendos non sufficit, saltē sui met curā agere nō negligat, & si sapientiā docendi nequit ab homine discere, vel operādi, sapientiam discat à formica.* Vade igitur ad formicam, hanc tibi magistram adhibe, ab huius natura operandi lectionem accipe. Considera vias eius, dicit vias, non statum: viç enim sunt ad ambulādum; ecce adhuc, & operationis argumentum, & labores, quos nos formica docet. Rursus adde illud adiectiuum *eius*, quod inferre vult, sicut illa facit pro corporali vitæ sustentatione, sic nos agere debemus pro æternæ vitę fruitione. Quę cum nō habeat ducem, & pręceptorem, parat æstate cibum sibi, quem comedat hyeme: Sic homo in hac vita veluti in ęstate debet bonorum operum, & laborum grana colligere, hæc sibi coaceruare, quibus tempore hyemis hoc est mortis fruatur, vt in æternum viuat. Quare Aug. ait: *Sicut tempore messis, vel vindemiarum, vnde caro nostra possit sustetari colligitur, ita in diebus quadragesimæ, vnde anima nostra in æternum viuat congregatur*, & etiā clarius ad rem nostram D. Hieronymus in prou. 6.: *Formica dicitur strenuus quisque, & prouidus operarius, qui in præsenti vita, velut in æstate, fructus iustitiæ, quos in æternum recipiat sibi recondit. Si tantillum animal*, ait Hieron. *Principe carens, & rationis expers natura duce, sibi prouidet in posterum; multo magis ad imaginem Dei conditus ad videndum eius gloriam vocatus, doctorum magisterio adiutus, ipsum conditorem habens ducem, debes in præsenti bonorum operum fructus congregare, quibus in æternum viuas in futuro.* Hoc tempus vitæ nostræ, tempus est operationis, tempus alterius seculi est feriarum. quare hic operemur, veniet enim nox mortis, in qua nemo poterit operari, ergo: *Dum tempus habemus*, ait Apost. ad Galat. 6. *Operemur bonum.* quare Chris.: *Qui non operatur, ait, in hoc seculo, nō manducat in futuro; imò dies iste, dies est operationis, dies qui sequitur, est dies feriarum.* Eamus ergo ad formicā, & ab ea sapientiam nostræ salutis prouidè discamus, & sanctorum laborum lectiones, &c. In hac igitur vita, quasi æstatis tempore, bonorum operum, & laborum prætio, diuinæ gratiæ, & meritorum fruges sedulò, & prouidè comparemus, nobis pro hyeme mortis, ad æter-

Exemplum formicę proponitur, ad operādum, pro æterna salute.

Sapientis sentētia particulatim expenditur pro labore nostro.

Hieron.

August.

Formica est, operarius Christi, qui in æstate seculi huius laborat pro hyeme mortis.

Hieron.

Chris.

Hieron. æternam vitam; quare Hieronymus hic ait: *Hac etenim vita, in eo messi comparatur, & æstati, quod nunc inter ardores tentationum, tēpus est colligendi futurorum merita præmiorum; at dies iudicij hyemis similatur rigoribus, quia tunc nimirum nulla relinquitur facultas, pro vita laborandi, sed tantum cogitur quisque de horreo prisca actionis, quod recondidit, proferre.*

Præsens vitæ tempus, nūdinis comparatur.

3 D. Basilius, tempus hoc vitæ nostræ, nundinis confert; in quibus vnusquisque necessaria sibi comparat, ad victum, & vitæ sustentationem, sed tempore opportuno nundinarum elapso, vnusquisque in viam suam, dorso alligatis sarcinis, pergit; nec quidquam emitur, & vēditur, negotia terminantur; quare ait D. Basil. orat. 24. de morte: *Sicut enim dum nundina durant, omnes necessaria in eis, sibi comparare possunt; nemo finitis nundinis mercaturam exercet.* Tempus hoc mortale vitæ nostræ, est dies nundinarum; quare nobis talenta quinq; sensuum, seu æs bonorum corporalium, & temporalium dedit ad negotium æternæ beatitudinis exercendum, vt Matth. 25.: *Vni dedit quinque talenta, alij duo, alij verò vnum; vnicuiq; secundum propriam virtutem.* Finis verò horum talentorum, est, vt his quisque negotiaretur, vt Luc. 19.: *Negotiamini, dū venio*, vt Chris. hom. 3. de pœnit. *Mercatura negotiatioq; Cælum est, & ipsi pigritamus: da panem, & accipe paradisum: parua da, & magna suscipe: da mortalia, & immortalia recipe.* Sic laborum, & bonorum operum negotio, meritorum nobis possimus duplicare talenta, vt ibidem Matth. 25: *Domine quinque talenta tradidisti, ecce alia quinq; super lucratus sum.* Hoc igitur tempore, non debemus otiari, sed moralem hanc, pro lucro æternæ beatitudinis, mercaturam exercere. Tempore enim mortis tunc terminantur nundinæ, tunc nullus potest pro animę suę salute negotiari. Vt Io: 9.: *Veniet nox, in qua nemo potest operari.* Nunc igitur tempus est operationum. Quare ait idē Basil.: *Modo frustrum panis, pauperi datum, ad æternam saturitatē, in Cælis conducit, & vestimentum tritum, modo pauperi datum, ad vestem illam gloria promerendam; at vita finita, nundina clauduntur, & quamuis cum lacrymis sanguineis, tempus ad pœnitendum, vel promerendum à Deo gratiam, & gloriam postules, non obtinebis.*

Basil.

Chris.

Mercaturā, pro animæ salute exercere debemus.

Basil.

4 De virginibus illis prudentibus, & fatuis nob. aperta est lectio; illæ enim tempore nundinarum, quod eis vacabat, prætio laborum, suorum oleum emerunt meritorum, charitatis lampadibus accensis, & bonorum operum, secundum illud Cant. 8.: *Lampades eius lampades ignis atque flammarum*, præferentes, vt sponso suo meritoriè, & sanctè occurrerent, ad virginitatis earum coronas recipiendas. Quare Greg. hom. 12. in Euang.: *Lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus æternam recipere beatitudinem expectant.* Fatuæ verò, quæ malorum, sicut prudentes bonorum, figuram gerunt, vt Aug. lib. 83. quæst. quæst. 83. ait: *Decem numerus virginum, quarum quinque admittuntur, quinque excluduntur, bonorum, & malorum distretio significat:* quia igitur hę fatuæ, tempore nundinarum, & cęlestis mercaturæ, bonorum operum oleum non sibi prouiderunt, quod ad perseuerantiam sufficeret; ideo clamore adueniente, & in sponsi æterni iudicij aduentu, petunt à prudentibus oleum, hoc est à sanctis oleum suarum virtutum, meritorum, & intercessionum, sed non reci-

Virginum prudentum vigilātia ad occurrendū sponso.

Greg.

August.

Virginum fatuarū desidia, & defectus.

recipiũt, imò à nuptijs æternæ beatitudinis excluduntur, vt Hieronymus Matth. 25.: *Vnusquisq; enim pro operibus suis mercedem recipiet; neque poßunt in die iudicij aliorum virtutes, aliorum vitia subleuare.* Sicut tempore Babiloniæ captiuitatis, Hieremias peccatores iuuare non potuit, cui dicitur Hierem. 7.: *Ne oraueris pro populo isto.* Nemo igitur ait Basil.: *Finitis nundinis mercaturam exercet.* Ideo dicitur in Euangelio, quod ingressis quinq; prudentibus virginibus, ad agni nuptias, veniunt fatuæ, vt ingrederentur & ipsæ; sed finitæ sunt nundinæ. Quare Matth. 25.: *Quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* Quare fatuis, non patuit aditus ad nuptias agni, & cœlestis sponsi Matth. 25.: *Nouissimè verò veniunt, & reliquæ virgines dicentes Domine Domine aperi nobis; At ille respondens, ait: Amen dico uobis nescio uos.* Quare Aug. epis. 120., cap. 35. ait: *Misericordiam serò quæsisse, cum iam tempus iudicandi esset.* Quare, qui tempore opportuno, mercaturam non exercet cœlestem, & bonorum operum, & meritorum oleum nõ emit, vt incognitus excluditur; nec ei, inde finitis nũdinis præsentis vitæ, ad misericordiam consequendam aditus aperitur, vt Greg. hom. 12. in Euang. ait: *Ibi iam à Deo non potest mereri, quod petit, qui hic noluit audire, quod iussit; quia qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustra ante regni ianuam, cum precibus venit.* Et ibidem etiam infra, post pauca, ait idem Greg.: *Domine Domine aperi nobis, praces offerunt, sed nesciuntur, quia tunc uelut incognitos Dominus deserit, quos modò suos per uitæ meritũ non agnoscit.*

Hieron. | Basil. | August. | Greg. | Greg.

Finitis nundinis præsentis vitæ, non est mercatura amplius pro merito.

§ Excluduntur meritò à cælestis sponsi nuptijs, & à Paradisi regno, qui labores refugiunt. ait Iob. 5.: *Homo nascitur ad laborẽ, sicut auis ad uolatum.* Quare hoc apertè expressit Moyses, cum primum hominem condidit, cui tamẽ, vt suæ imagini cœteris creaturis terrestribus præstantiori, cuncta sublunaria subegit, & deliciarum appatatu cum honore insigniuit, cum in terrestrẽ paradisum adduxit, hoc tamen pacto, vt se iustis laboribus exerceret. vt Gen. 2.: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum uoluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Verum quia terra cuius filius erat, vt benigna mater, & prouida dispensatrix, quæ à Deo germinandi præceptum receperat, vt Gen. p.: *Germinet terra herbam uirentem, &c.* sic primo homini, sicut ex se genito omnium fructuũ, & deliciarum lac præbebat, & debita desiderabilia alimenta suppeditabat; quare terram colere, & operari superfluum videbatur; ideo fortassis diuina prouidentia, factum est, vt in inobedientiæ culpam Adã contra fas, cibum vetitum sibi ad esum arripiendo, miserè elaberetur, quo facto, è deliciarum paradiso ciectus est, & in peccati pęnã, inde laboribus damnatus Gen. 3. d: *Emisit eum Dominus de paradiso uoluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est*: quare huic post peccatum dictum est, Gen. 2.: *In sudore uultus tui, uesceris pane tuo.* è paradiso igitur eijcitur, quasi diceret Deus: ego creaui te ad labores, te operibus mancipaui, cum in paradisum te tuli; mater tua tibi necessaria ad vsum, & delectationẽ subministrauit, vt laboribus parceres; modò non ita erit; exi de paradiso. Terra mater tua, quam colis, non operibus colis, non amplius tibi delicias, sed tribulos adferet tibi vt Gen. 3.: *Maledicta terra in*

Otiosus à regno cœlorum excluditur.

Adam in paradiso positus est ad laborem. & quare inde eijcitur.

Basil.

opere tuo spinas, & tribulos germinabit tibi. Quare Basil. in constit. monastic. ait: *Deus hominem finxit, vt se in laboribus honestis exerceret, quandoquidem, & primo Adæ in paradiso præcepit, vt laboraret, & paradisum ipsum custodiret, & tum deinde, quando ex illo eiectus exulauit, sententiam tulit, vt pane suo, in sudore vultus sui vesceretur.*

A cœli liminibus, exulat, qui otiũ cogitat.

6 Nec solum à terrestri paradiso, sed etiam à cœlesti repellitur gloria, qui otio indulget, & ab operibus vacare sibi in animum inducit. Et quamnam profectò existimaretis fuisse causam, vt à supremis illis empirei sedibus exclusus Lucifer ad tartara damnaretur? vtiq; mihi dicetis, huius ruinam Luciferi superbiam extitisse, qui Deo, cuius immensitati nemo comparari potest, æquari honore petebat, dicens in corde suo, vt Es. 14.: *Dicebas in corde tuo, in Cælum cõscendã, super astra Dei exaltabo soliũ meũ, similis ero altissimo: Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Hæc omnium communis opinio. ideo depulsa à cordibus nostris superbia, humilitati insistamus, vt à terra ad Cœlum conscendamus, vt dicitur Luc. 14.: *Qui se humiliat exaltabitur*, sicut *qui se exaltat humiliabitur*, vt iste Lucifer &c. Aliam ego verò nanciscor Luciferinæ iacturæ, & ruinæ causam, quæ est; quia otio, & desidiæ vacare in Cœlis intendebat; quod si nestræ speculationis huius fundamentum rimari cupitis; attendamus verbis Esaiæ 14. c aiebat Lucifer: *Super astra Cæli exaltabo solium meum.* Solium, est sedes, sedes dicitur à sedendo: volebat igitur sedere, & otiosus esse in Cęlo: quare Deus, citò inquit, è Cœlo tanta ablegetur temeritas; & ecce vox Domini quasi bellica tuba, cęlestis militiæ exercitum ad arma excitat, & Michaele præ eunte Duce, cum Lucifero, & eius sequacibus manus conserentes. Vt Apoc. 12.: *Factum est prælium magnum in Cælo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum, amplius in Cælo*; Lucifer clade recepta, suæ temeritatis luens pœnas, è Cęlo deiectus est, ad inferos expulpulsus, cum suis apostatis sequacibus. Quare in hunc inuehens Luciferum D. Ber. ait: *O impudens millia millium ministrent ei, & decies cẽtena millia assistunt ei, & tu sedebis? quid fecisti, vt sedeas; quid seminasti, vt iam metas? duos manipulos queris, honoris, & quietis.*

Peccatum Luciferi fuit quia in cęlo volebat manere otiosus.

Pręlium Michaelis cum Luciferi, in cœlis.

Bern.

7 Ex lege ciuili intentum nostrum concludere possumus. l. æde C. cod. habetur, quod colonus deficiens soluere in parte, expellitur. Nos omnes Christi coloni sumus, quibus Ecclesiæ sanctæ locauit vineam, vt in hac spirituali bonorum operum, agriculturæ, vt decet, labores exerceremus. vt Matth. 21.: *Homo erat pater familias, qui plantauit vineam &c. & locauit eã agricolis.* Vbi Hieron. hic ait: *Dederat eis legem, & in hac, eos vinea operari iusserat, vt fructum legis in operibus exhiberent.* Vt de primo homine patet, vt diximus numero 5., qui in paradiso positus est, velut in vinea, vt operaretur, & custodiret paradisum. Quare ait D. Aug. ser. 59. de verb. Dom.: *Plantata est vinea, lege data in cordibus Iudæorum, missi sunt prophetæ quærentes fructum, bonam vitam eorum.* Vel vt ait D. Hieronymus Matth. 21.: *Locata autem est nobis vinea, & locata ea cõditione, vt reddamus Domino, fructum temporibus suis: & sciamus vno quoque tempore, quid oporteat nos, vel loqui, vel facere.*

Ex lege ciuili l. ede C. cod.

Hieron.

In vinea Domini, non laborantes eijciuntur.

August.

Hieron.

Si

Si igitur Deo debitum laborum nostrorum non persoluemus, censum non reddemus, tributum bonorum operum, quid sequitur? Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* *Ac si diceret*, ait D. Basil. Esai. 16.: *Diuina eloquia à vobis auferentur, lex nimirum, & prophetæ; quia vitam vestram minime instituistis, ad eorum præscripta, & consilium, eorumque sensus, & intelligentiæ dabuntur genti, quæ piè suam instituēdo vitam, faciat fructus eius.* Sicut etiam è paradiso eiectus est Adam; quia diuini præcepti fructum non attulit; sic à cælesti beatorum patria exulabimus, si bonorum operum censum non soluemus.

Basil.

8 Deus ipse sēper operatur, ideo dicitur ignis Deut. 4.: *Deus tuus ignis consumens est*; quia sicut ignis otiosus esse non potest, sic Deus semper operatur, ideo dicitur actus purus, non potentia ad operandū, quia semper operatur. Ad intra Pater se ipsum intelligendo, generat filium: Pater, & Filius, voluntatis actu, spirant Spiritum Sanctum, vt vnus spirator, licet duo spirantes. Spiritus Sanctus operatur, quia cordibus nostris, & mentibus illabitur. Ab extra Deus, & tota trinitas operatur per creationem, & cōseruationē creaturarum. Producitur Angelus per creationem maximè ad operationē, quare quoad nomen officij, Angelus dicitur, missus. Et tandem absolutè omnes à diuina prouidentia, ad suos determinatos actus, ordinantur; quare dicitur ad Hebr. p. d.: *Non ne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Homo etiam præcipue, creatur ad operationem, vt Iob 5: *Homo nascitur ad laborem, sicut auis ad uolatum.* Aiunt Philosophi. Ad esse sequitur operari; hoc præcipue de homine verificari censerem. In creatione hominis, dixit Deus Gen. p.: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Et quænam profecto est hæc imago, & qualis? est illius summi æterni indeficientisque splendoris, & luminis rutilatio. Vt Psal. 4.: *Signatum est super nos lumen uultus tui Domine.* Lumen, lux, & splendor sunt semper ad lucendū; cum ergo homo, signatus sit lumine diuini vultus, idest Dei, qui secūdū, quod diximus, & ignis dicitur, qui semper exardescit, vt in rubo Moysi apparuit; Exod. 3., ergo semper operando, Deo conformandus erit. Animalia quæque, vt homini deseruiant. Vt Gen. p.: *Dominamini piscibus maris, volatilibus Cæli, & bestijs terræ.* & vnumquodq, secundum munus sibi à Deo, & ab homine statutum. Elementa maximè sunt propter operationem. Ignis ad tenebrosa illuminandum, cruda excoquendum, humida exsiccandum, metalla liquefaciendum, ligna comburendum, frigida calefaciendum. Aer vt daret reciperetque animalium respirationem, volatilium sustineret onus, ad volandum; nubes reciperet, ad pluuiam impartiendam terræ: & inuentum expirans, vela ad nauigationem intumesceret nauigiorum. Aqua vt animaliū sitim extingueret, immunda lauaret, maculas abstergeret, terram irrigaret ad fertilem huius fructuum partum, & vt esset mater, & nutrix, quæ gigneret pisces, & his debita alimenta præstaret ad victum. Terra vt pareret nobis fructus ad cibum, sicut flores ad odorem, & continuò germinaret, & in suis visceribus, ad nostros vsus, prætiosa quęque metalla produceret: nos nascentes, sicut cœtera animalia reciperet, & mortuos in sinu nos suo quoq; include-

Deus actus purus, continuam operationē designat.

Ad intra, & ab extra cōtinua operatio diuina

Angelus ad operationē creatur, & homo.

Animalia ad seruitutem hominis à Deo destinata.

Elementa creata ad operationē ignis operatio.

Aeris operatio.

Aquæ operatio.

Terrę operatio.

Solis, & Lunæ operatio.

cluderet. Sol vt ab oriente onustus luce, diem præferens, suum per statutum Cœli iter, ad occidentem peragerect: & in terris influxu suo, gigneret viuentia, vt dicitur: *Sol, & homo generant hominē*, & cuncta ad animalium productionem, & vsum oportuna. Luna vt à Sole lumen recipiens, noctu itinerantes, & viuentia illuminaret, simul cum stellis, & benignos quoque terræ mitteret influxus, &c. imò ipsi lapides, vt eorum virtute quoque operarentur, sicut & simplicia secundum illud commune proloquium. *In herbis, uerbis, & lapidibus consistit omnis uirtus*.

Lapides etiā, & simplicia sua operantur virtute.

Repelluntur otiosi.

9 Reprobantur à Deo, debita animaduersione, qui subire pro eo labores detrectant. Recolite quæso parabolam de Rege illo, qui nuptias fecit, vt Matth. 22., ad quas accessit ille, qui nuptialem vestem non habebat, quem videns Rex reprehendit, & ministris suis præcepit, vt cū carceri duris nexibus vinctum mācipareut, vt tex. Matth. 22. dicitur: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? at ille obmutuit, tunc dixit rex ministris, ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores*. Et quomodo inuitatum ad nuptias amicum vocat, deinde carceribus damnat, ferreis nexibus, & compedibus vinctum? & quomodo hoc amicorum, & amicitię argumentū? ad hæc D. Basilius p.: *Amicum uocat (inquit) quod inuitatus ad nuptias sit; reÿcit, eo quod ueste sordida nuptiales polluerit munditias*. Carebat munditiæ veste, idest charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum, & tantum veterem hominē scilicet peccati induerat, quem exuere debemus, vt ad Col. 3. 6.: *Expoliantes vos veterem hominem, induentes nouum*. Ideò à nuptijs expellitur, & pœna animaduertitur.

De illo, qui sordida veste ad nuptias accessit.

Cur amicū vocet deinde reijcit.

D. Basil.

D. Hieronymus aliam etiam tradidit expositionem dicens: *Vestis nuptialis præcepta sunt Domini, & opera, quæ complentur ex lege, & euangelio, nouique hominis efficiunt uestimentum*. Et quia tali caruit veste idest bonorum operum, ideo vt indignus à nuptijs est exclusus. Sed quare præcipit Rex, vt ligatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores proijceretur? nō ne satis erat manibus, & pedibus liberum, à vinculis absolutum sub ministrorum custodia, in carcerem, vt detruderetur præcipere? quam tam duris eundem coarctare nexibus, vinculis constringere? Pro huius difficultatis intelligentia, & solutione recolamus, quod Regius Propheta Psal. 14. requirebat à Domino, dicens: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* cui statim responsum est: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam:* qui ingreditur sine macula, ecce vestem nuptialem, quæ requiritur ad agni nuptias, vt Apoc. 19. *Venerunt agni nuptiæ. Et operatur iustitiam*, ecce opera meritoria, quæ etiam requiruntur. Cum igitur vtroque, & munditia, & bonis operibus caruerit iste, meritò à cœlestibus nuptijs diuinæ gratiæ, & gloriæ est exclusus. Deinde dicitur: *Ligatis manibus, & pedibus*: ista sunt instrumēta naturalia operationum, cum igitur iste non operatus sit meritoriè ad vitam æternam, & quia dicitur Sap. 11.: *Per ea peccat quis, per hæc, & torquetur*, cum manibus, & pedibus non operando, peccauerit, meritò pœnas in se inflexit æternis carceribus damnatus. Ideo dicitur: *Proÿcite in tenebras exteriores*. Quare D. Basil. *Condemnātur* ait: *qui a bonis operibus vacant*.

Hieron.

Quare ligatis manibus, & pedibus carceribus damnat?

D. Basil.

10 Qui enim sanctis operationibus

Operibus bonis insistentes, Deo grati.

bus insistunt, semper hi Deo grati, & huic spiritualis cognitionis vinculo adglutinantur. Inter alias laudes, quas cœlestis sponsus, eius spōsæ tribuit, hanc præcipuam modo obseruo, Cant. 4. d. *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Et quænam honoris encomia sunt ista, sponsæ suæ, tributa? non ne melius erat Solis, & Cœli pulchritudini eā comparare, vt fecerat Cāt. 6. dicens: *pulchra, vt Luna, electa vt Sol:* quare ergo modo clauso horto eam comparat? Ad huius dubij enodationem, dat nobis facilitatem Rup. Abb. hic dicens. *Inde nominatur hortus, quod semper ibi aliquid oriatur, hortus nunquam sine fructu est.* Nam ibi terra modò herbam germinat, modò florem edit, modò fructum, modò rosa aperitur, & sic semper, ibi aliqua terræ ex fructu cernitur operatio. Iste hortus, anima iusti est; vt Greg. Papa. *Vnaquæque inquit anima sancta, hortus conclusus esse intelligitur; quia dū virtutes nutrit, flores gignit, & dum virtutum exhilaratione se reficit, fructus, quos generat, eadem custodit.* Et Richar. etiam. *Hortum eam animam dici*, ait, *in qua excoluntur virtutum plantaria, & spiritualiū studiorum germina: quæ ve foditur, dum in ea vitia radicitus extirpantur, & mores conuertuntur, & foditur diuinæ passionis memoria.* Conclusus est iste hortus ex parte Dei, qui hunc sibi plantauit, per Angelorum custodiam, vt Psalm. 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui;* vbi montium appellatione angelorum custodia designatur, vt ait Dominus, Esai. 62. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes*, circūdant Angeli sancti, & custodiunt hortum Dei. Vel conclusus ex parte ipsius animæ, sanctorum præceptorum obseruantia, ne singularis ferus diaboli irrumpat intus ad depascendum in ea, per culpæ consensum. Conclusus, quia vt ait Greg. Pap. *Dum bona sua intentione vitæ æternæ abscōdit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsæpit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrūpere possit.* Vel conclusus, vt ait Richar. *Quia se custodit extrinsecus sera silentij conclusam, & exteriorum sensuum custodia*, scilicet anima iusti. Hic igitur hortus, vbi modò spei æternæ beatitudinis germinat herba, vt Psalm. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus*; modò flos sanctarum cogitationum, & contemplationum erumpit; modò rosa efflorescit meditationis memoriæ passionis Christi; modò fructus sanctarum operationum maturescit ad æternum præmiū. Et semper *ibi aliquid oritur.* Iste hortus spiritualis, scilicet anima, fit soror, & spōsa Christi, ideo dicitur. *Hortus conclusus soror mea, sponsa mea.* Sed quomodo potest anima soror, & sponsa esse, cū hoc in humanis rarò cōtingat? sed dicamus, quod talis anima, soror Christi est, per diuinæ legis obseruantiam, vt Matth. 12. dicitur. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, hic meus frater, soror, & mater est.* Fit sponsa, quæ charitatis nexu cum Christo, & fidei annulo, desponsatur, & Deo copulatur, vt Ose. 4. *Desponsabo te mihi in fide.*

Rup. Abb. — Horto comparatur spōsa, quia sēper operatur aliquid boni.

Greg.

Rich.

Hortus cōclusus anima, angelorum custodia, & diuinorum præceptorū obseruantia.

Hortus. Conclusus, ne in animā diabolus irrumpat.

Greg.

Rich. — Hortus conclusus exteriorum sensuum custodia.

Anima quomodo potest esse soror, & sponsa simul Christi.

11 Matth. 4. Vidit Saluator noster Petrum & Andream, & ait istis. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum; at illi relictis retibus, & naui sequuti sunt Dominum.* Sed cur in hos simplices homines, & piscatores figit oculos Christus, & ad summam Apostolatus dignitatem euehit? quare non potius vocat sapientes, & Doctores,

Cur Petrū, & Andream piscatores, ad Apostolatus honorem vocat, potius quā sapientes.

qui

qui Apostolorum munera melius possent obire; vel nobiles viros, qui Collegij Apostolici, magis possent decus, & maiestatem ostentare, quam viros humiles ignaros plebeos, in piscatoria solum arte instructos? quomodo ex magisterio piscationis, Doctorum, & Prædicatorum officio fungentur, vt dicatur eis: *Faciam vos fieri piscatores hominum?* pro huius solutione difficultatis, obseruandum est, quod dixit Christus Matth. 11. d. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Placent Deo omnes, qui se laboribus addicunt; cum igitur hos fratres piscatores laborantes perspexerit Christus, sua mittētes retia in mari, hos ad spiritualium piscium capturā, diuina arte instruendos, meritò ad se vocat. Quare ait tex. Matth. 11. *Vidit hos fratres mittentes rete in mari.* Ecce quia continuis operationibus erant occupati, ideo vt Deo grati à Christo vocātur. Quare Chris. vt apud D. Thom. in cat. au. *In medijs autem operationibus existentes, vocat eos.*

Christus vocat ad Apostolatū, Petrum, & Andream mittētes rete in mari.

Chris.

12 Sicut Deus est actus purus, qui actualem operationem in mentis nostri auribus insonat, sic idem Deus non solum, vt auctor, sed vt finis noster beatificus cordi nostri cupit esse impressus, non solum dictis, eius nos protestando fidem, sed etiam factis, semper pro æterna beatitudine operando. Hinc est quod Moyses creationis modum edicens, diuino verbo addit, *factum est.* Vt Gen. p. Creat Deus lucem, & ait. *Fiat lux*, sic diuinum adimpletum est imperium; nam lux vocata ab eo, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, & ad esse producit, statim obediens diuino præcepto in campum, & foras prodijt; quare sequitur Moyses eodem capite, *& facta est lux.* Gen. p. Similiter ex cœcis nihili abyssis vocat firmamētum, ad esse, & ait. *Fiat firmamentum*, & sequitur Moyses, *& factum est ita.* Præcipit aquis, vt in vnum congregentur dispersæ, & ait Gen. p. *Congregentur aquæ in locum vnū;* & ecce subito aquæ diuino obtemperantes præcepto, in vnum locum vniuntur, mare conflantes; ideo subdit Moyses, *& factum est ita.* Iubet & terram germina emittere, dicens Gen. p. *Germinet terra herbam virentem &c.* & statim hæc exit ad opus, quare subdit Moyses: *& factum est ita.* Idem de Cœli luminaribus dicitur Gen. p. *Fiant luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem;* sic fit, & ideo ait Moyses: *Et factum est ita.* Sed dicam ego ad quid tantum Moysem hæc repetere verba: *Et factū est ita?* Scimus enim verba Dei, diuinæ omnipotentiæ brachio innixa, suum semper sortiri effectum, quid igitur opus erat referre hoc: *Et factum est ita*, in singularum rerum productione? sed rationem reddit Tertull. lib. 2. contra Marcion. cap. 4. quod in rerum creatione diuino Verbo, quod est *Fiat*, addit, *& factum est ita;* vt ipse Deus, qui opus resonat (nam dicitur actus purus) non solum verbo, sed & factis cordi nostro remaneret infixus: non solū fide, quæ verbo protestatur, sed & opere, quo adimpletur fides. Quare ait Tertul. *Et dixit Deus fiat lux, & facta est, vt tibi totus Deus cōmendaretur, & dicere, & facere.* Sic igitur sicut semper amare Deum necesse est, & in eum credere, sic etiam pro salute nostra semper bonum operari, nec in hac vita otio vacare debemus, quia salutis nostræ ars longa, cui continuò est studendum &c. sicut ait D. Hieronymus in epis. *Nullus labor durus, nullum tempus videri debet longum, quo gloria æterna aquiritur.*

Tertull.

Hieron.

13 Pro

13 Pro æterna salute omni tempore, pro viribus nobis est laborandum, sicut vt in pluribus videmus, quod senex, qui cũ ex se satis expedite, non valeat ambulare, præ virium tenuitate, à motu tamen progressiuo non cessat, sed & baculo innixus, adhuc pro viribus ambulare contendit. Si quis virtutis iter diù terrere cœpit, nec in ipsa senecta à bonorum operum profectu, sistere debet, sed ad brauium æternæ gloriæ, bonorum operum gressibus, diuinæ gratiæ baculo innixus, vsque ad consumationem, adhuc indesinenter progredi debet. Ideo Christus meritò triginta & octo annorũ, ad Pisinam languenti, iussit suo è strato surgere, & ambulare; vt Io. 5. dicitur. *Surge tolle grabatum tuũ, & ambula*. Et quid profectò sibi velle hoc verbum *ambula* existimatis? si ad huius mysterij, spiritualem sensum animum referamus; ad virtutum gressus, animam à peccati languore curatam, inuitasse dignoscemus, vt ad diuini amoris ascensum totis viribus iter sanctum capesceret, & ad æternæ beatitudinis fruitionem, in bonorum operum semita, indesinenter contenderet. quare Beda hic Io: 5. exponens hoc verbum *ambula* ait. *Ambula hoc est toto corde, tota anima tua, tota virtute Deum dilige, vt ad eius visionem pertingere merearis: quotidianis bonorum operum pessibus, de virtute in virtutem progredere*. Ex quibus patet, qualiter nos in virtutum, & bonorum operum stadio, non debemus ab incæpto cursu declinare, in penitentiæ profectu elanguescere, in meritorum studio otiari, in diuini amoris ardore tepescere; sed semper ad meliora tendentes, vsq; ad consumationem bonorum operum, & virtutum progredi.

Christus lãguenti dixit ambula, ad virtutũ gressus non inuitans.

Bed.

Occasio præceps. tex.

§. V. Quam caduca, & fragilis sit humanæ naturæ conditio respectu corporis, & animæ, tum ab intrinseco, tum ab extrinseco ratione physica, & morali.

1 SAtis in primo Paragrapho, exposui, quæ ad humanæ naturæ fragilem conditionem circumloquendam, & adumbrandam videntur spectare; nunc aliqua tantum pro præsentis thematis fundamento obiter perstringam, ad miseram humanæ vitæ inconstantiam deplorandam, maximè ratione corporis, vt occasionibus ad salutem opportunis, benè operãdo scitè occurrere valeamus. Cum igitur homo ab intrinseco, & ab extrinseco nobis considerandus obijciatur; terminos claros suppono, scilicet ab intrinseco secundum propriam naturam, materialemq; hominis constitutionem, & ab extrinseco, secundum ea quæ ei accidunt, vel ab extra contingere possunt, quibus obnoxius, vel physicè, vel moraliter alteratur, & corrumpitur. Talem præcipitem humanæ naturæ occasionem, & fragilem hominis conditionem, descripsit nobis, D. Hieronymus super illud Isai. 4. *Omnis caro fænum*, qui ait: *si quis fragilitatẽ carnis aspiciat, & quod per horarum momenta crescimus, atque decrescimus, nec in eodem manemus statu; ipsum quoque, quod loquimur, dictamus, & scribimus, de vita nostræ parte, peruolat; non dubitabit carnem dicere fænum, & gloriam eius quasi florem fæni. Qui dudum infans, subito puer, qui puer repentè iuuenis, & vsque ad senectam per spatia mutatur, incerta, & ante se*

De humanæ vitæ imbecillitate respectu corporis.

Hieron.

senem intelligit, quam, se non iuuenem esse miretur.

Arist.

Quomodo homo, sit imbecillitatis exemplum.

2 Aristoteles rogatus, quid esset homo respondit. *Homo est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, inuidiæ, & calamitatis trutina: reliquum verò pituita, & bilis*. Dicitur. *Imbecillitatis exemplum*; licet enim omnibus animalibus, homo nobilitate præstet, non tamen robore; à dracone enim Vrso, & Leone vincitur; imò ab araneo etiam persæpè appetitur, sine armis, sine viribus (imbecille n., & exiguũ est animal) ab eodem perimitur, ecce *imbecillitatis exemplum*. Dicitur secundo: *temporis spolium*. Tempus enim hominem natum infantia spoliat, illicò pueritia, inde iuuentute, post virilitate, post senectute, denique vita ipsa: quare tempus, in hominem victoriæ suæ potest meritò erigere super sepulturam trophæum suum, hac inscriptione: *Temporis spolium*. Tertiò dicitur; *Fortunæ lusus*. Quia sicut nutrix, quæ filium nutrit, & educat, hunc sibi in lusum, & iocum assumit, modò complectitur, modò abijcit, modò attollit, modò deprimit, huc atque illuc ad placitum circumfert: hunc vestit, hunc denudat; sic fortuna, brachijs prosperitatis modò amplexatur hominem, modò aduersa abijcit, & reijcit in miserrimum collocans statum, modò in altum dignitatum eleuat, modò ad terram dedecoris deponit, modò facultatibus conuestit, modò pauperie denudat; non ne meritò fortunæ lusus hic dici potest? quare Valer. lib. 6. cap. vlt. de variet. casuum: ait. *Caduca nimirum, & fragilia puerilibusq; consentanea crepundijs sunt ista, quæ vires, & opes, humanæ vocantur, affluunt subito, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus, consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ, huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso recursu destitutos, in profundo cladium miserabiliter immergunt.* Sed melius etiam, ad rem nostrã Sabellic. de subit. mutat. fort. lib. 7. cap. 8. *Qui fortunam, ait, volucrẽ, cæcam, variamq; finxere, nihil certè hac vna (si quid illa est) inconstantius, nihil magis variabile: nunc blanda, & indulgens, nunc sæua, & infesta, nec vllis infestius irascitur, quam quos indulgentissimè fouit, fitque ex matre subito nouerca, & ex nouerca mater; nec si quæratur causa, alia reddi possit, quã quod ita libeat, quodque incertæ sortis sint res humanæ*, ecce *fortunæ lusus*. Quarto dicitur. *Inconstantiæ imago*. Quia nunquã sui propositi tenax est; iam enim amat, iam odio prosequitur, quod amabat, iam desiderat, iam fugit ab eo, quod desiderabat, nunc reprobat, quod paulò ante probabat, iam sperat, iam desperat, iam audet, iam timet, nunc lætitia dissoluitur, nunc mœrore conficitur: est veluti ventilabrum, quod ad diuersorum ventorum casuum, in varias circumuoluitur partes. Sic *inconstantiæ imago*. Quinto dicitur. *Inuidiæ, & calamitatis trutina*. Nam non tot calamitatibus cœtera animalia præmuntur, sicut homo: non enim inter illa, ita sæuit fames, & pestis, nec bellorum sæuitia; nec tot infirmitatibus quatiuntur, nec paupertate affliguntur; non dedecore, & ignominia afficiuntur, sicut homo; denique non inuidia, ita exagitantur, vt homo, qui non solum suis calamitatibus, sed etiam proximorum prosperitatibus torquetur.

Quomodo homo, sit spolium tẽporis.

Quomodo sit fortunæ lusus.

Valer.

Sabellic.

Quomodo incõstãtiæ imago sit homo.

Quomodo dicatur inuidiæ trutina homo.

3 Vt fragilitatem humanæ conditionis nobis obijceret Patientissimus, carnem nostram telæ comparare voluit, Iob 7. dicens. *Dies mei velocius transierunt, quam à texente*

tela

Greg. Vita carnalis, telæ cōparatur, quę inde succiditur.

tela succiditur. Vbi Greg. 8. moral. cap. 11. ait. *Congrua valde similitudine, tempus carnis, tela comparatur, quia sicut tela filis, sic vita mortalis, diebus singulis proficit; sed quò ad augumentū proficit, eò ad incisionem tendit; quia cum tempora percepta prætereunt, ventura breuiantur, & de vniuerso vitæ spatio, eò fiunt pauciora, quæ veniunt, quò multa sunt, quæ transierunt.* Ad quę etiam confirmanda potest addi id, quod Propheta Psalm. 89. intulit, dicens. *Manè sicut herba transeat, mane floreat, & transeat, vespere induret, & arescat.* Sicut herba manè floret, & succisa disiccatur, sic vita nostra, quantum vis terrenæ fœlicitatis floriditate, & pulchritudine vernet, modico tamen aduersitatis, vel alterius accidentis, vt potè infirmitatis flatu agitata, ad terram colliditur, & ad mortem atteritur, ideò Iob. 14. dicitur. *Qui quasi flos egreditur, & conteritur:* per manè intelligitur principium vitæ, nam sicut illud est principium diei, sic infantia, in qua nascitur homo, dicitur principium vitę. Vespere igitur, vt distinguitur à manè, significabit mortē, à manè igitur, tendit ad vesperam, scilicet à principio vitæ tendit semper ad finem mortis, & nunquam quiescit, vnde nostrum viuere, nihil aliud est, quam tendere ad mortem, tunc enim induratur, & arescit, quia in cineres reducitur. Ideo Gregor. lib. 11. mor. cap. 27. ait. *Quasi enim flos egreditur homo, quia nitet in carne, sed conteritur, quia redigitur in putredinem.*

Sicut herba, quæ floret manè, vespere arescit.

Greg.

4 Hominis formationem conditionem, & vltimò eiusdem resolutionem, nobis describit S. Innocentius de miseria humana. *Formatus est inquit homo de puluere, de cinere, quodcumque est de vilissimo, & spurcissimo spermate conceptus, in fætore luxuriæ, quodque deterius est in labe peccati, natus ad laborē, timorem, dolorem, miserrimus ad mortem: agit praua, quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit se ipsum: agit rupia, quibus polluit famam, polluit personam, polluit conscientiam: agit vana, quibus negligit sana, negligit vtilitatem, negligit necessaria.* Quare Regius psaltes, ad huius humanæ miseriæ animum referens; intonuit Psal. 89. Anni nostri, sicut aranea meditabuntur. D. Hieronymus secundum hæbraicam veritatem, sic incipit. *Consumpsimus annos nostros, quasi sermonem; idest, sicut sermo prolatus, citò transit, & desinit esse, sic & anni vita nostra, sic explicat Incognit. hic.* Vel secundum Glos. hic. *Anni nostri sicut aranea meditabūtur;* ait. *Miseria, & breuitas vitæ nostræ.* Exprimitur hic per similitudinem araneæ, quæ multo labore inanes telas texit, vt dolo capiat muscas, & sicut aranearum tela, citò rumpitur, sic vita hominis. Vt Es. 38. *Dum adhuc ordiret succidit me.* Et sicut tela rupta, adhuc refici, vel resui non potest, sic post mortē non potest facere pœnitentiam.

Innoc. Hominis formatio, & resolutio.

Hieron.

Anni nostri sicut sermo, qui statim transit.

Incognit. Glos.

Humanæ vitę fragilitas, aranearum telę comparata.

5 Multa hic Sanctorum Patrum, & Sacræ Scripturæ testimonia congeri possent ad confirmationem dictorum, quæ breuitatis studio prætereo; tantum cum D. Ber. de considerat. vtilit. hum. cōcludamus sic. *Septem, ait, sunt, de essentia hominis, quæ si homo cōsideraret, in æternum non peccaret; scilicet materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristabilis, dissolatio miserabilis, damnatio detestabilis, & consideratio gloriæ ineffabilis.* Et Lactant. Firmian. lib. 2. diuin. instit. ait. *Omnia tribus temporibus contineri necesse est: præterito, præsenti, & futuro. Præteriti est origo; præsentis substātia; futuri*

Bern.

Quæ ab homine consideranda ne in peccatem labatur.

Lactāt. Firmian.

dissolutio, quæ omnia in singulis hominibus apparent; incipimus enim cum nascimur, & sumus cum viuimus, & deficimus, cum interimus. Vnde tres quoque Parcas esse finxerunt Poetæ; vnam, quæ vitam hominis net, & ordinat; alteram, quæ eandem contexit; tertiam, quæ intercidit vitę filum. Quæ hoc cōtinentur carmine. Clotho colum baiulat, Lachesis trahit, Atrophos occat.

Occasio præceps.

De humanæ naturæ imbecillitate morali ad culpam, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco.

6 EST igitur labilis natura hominis ad peccatum, siue consideretur ab intrinseco ratione propriæ voluntatis, siue appetitus naturalis ad malum, suapte natura propendentis, siue ab extrinseco ratione obiecti peccati, à quo allicitur, & mouetur; vel ab extrinseco respectu diaboli, ad malum, & culpam sugestione sua irritātis animas, vel alicuius proponentis obiectum peccati, & sub ratione boni peccatum persuadentis; vt D. Th. 1. 2. quæst. 80. a. p. vbi ait. *Quod sola voluntas est directa causa peccati, cum sit proprium principium actus eiusdem peccati*; cum omne peccatum sit voluntarium. Quælibet autem res sensibiles, vt obiecta, atq; etiam diabolus proponens obijciens, & persuadens peccatum, non sunt hæc omnia sufficiēs causa peccati, quia voluntas non ex necessitate ab aliquo obiecto mouetur, nisi ab vltimo fine, vt idem Angelicus magister 1. 2. q. 10. a. 2. & p. p. qu. 106. a. 2. Egregiè tamen ad rem nostram ait idem D. Thom. p. p. qu. 63. a. 7. in c. *In peccato est duo considerare, pronitatem ad peccandum, & motiuum ad peccandum.* Quo ad primum præcipuè Gen. 8. dicitur. *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Quare ex hac pronitate concludit D. Tho. super hunc locum, fragilitatē hominis ad peccādum, ideo facilius veniam à Domino promereri. *Tanta* inquit, idē Angelicus Thom. *Est infirmitas corruptionis humanæ, quod multa sibi sunt toleranda.* Quare Dauid, vt prouocaret Deum ad sui misericordiam, hāc illi suam fragilitatem obijciebat, vt Psalm. 50. *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam*; deinde post pauca ait: *Et in peccatis concepit me mater mea.* Quasi diceret si peccaui recordare Domine, qualiter me condideris, nempe ex fragili terræ, & pulueris materia; insuper & in peccatis concepit me mater mea & quia defectus, quos quis ex vtero matris trahit persæpe retinet, & secum vsque ad mortem adducit, sic sicut in peccato conceptus est, licet inde baptismo mundamur, pronitatem tamen illam ad peccatum nobiscum trahimus. Quare Hug. & in peccatis concepit me mater mea exponit. *Etiam in pronitate ex fomite, ideo magis excusabiles, quia fragiles.* Hug. super Gen. 8.

7 Hanc pronitatem fragilitatemque ad peccatum annuere voluit Apostolus ad Rom. 7. *video,* inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ captiuantem me in lege peccati.* Vbi D. Anselmus. *Video aliam legem, id est pruriginem peccati in membris meis, vt in auribus ad audiendum illicita, & in oculis ad concupiscendum &c. repugnantem legi mentis meæ, id est rationi, quæ est lex naturaliter scripta in corde hominum captiuantem*

Quomodo natura hominis, fragilis sit ad peccatum.

D. Thom.

D. Thom.

D. Th.

Dauid, vt ad veniam peccatorū Deū interpellare suam ei fragilitatem obijciebat.

Hug. Card.

Pronitas hominis ad culpam.

D. Anselm.

tem me in legem peccati, hoc est captiuare conantem, & ad consentiendum me cogentem, & mouentem me ad illicita desideria, quæ tanto periculosior est, quanto vicinior. Deniq. idem Apost. ad Galat. 5. ait. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur. Et hoc graue ei intestinum bellum*, ait idē Anselm. quod si huius ad malum pronitatis, siue propensionis rationem inuestigare cupimus, ad sapiētiæ oraculū recurramus. D. Th. de malo q.2.p.ad quartū, qui ait, quod homo quia factus est ex nihilo, ideo ex sui natura tēdit ad nihilum, hoc est inclinat ad peccatum, *peccatum* ait D. Thom. *nihil est*, scilicet, vel causaliter, quia priuat gratia, & gloria, vel ratione inordinationis; quare D. August. super Io: ait. *Peccatum est nihil, & nihil fiunt homines dum peccant.* tendens igitur ad peccatum, tendit ad nihilum, cum ergo vt ait Philosophus ex nihilo nihil fiat, cum sit ex nihilo homo ad nihil suapte natura tendet. Quare idem D. Tho. loc. cit. sic ait. *Neque existimādum est, quod voluntas hominis sit ad malum flexibilis, quia à Deo creata, sed secundum, quod est ex nihilo.*

Anselm. Radix pronitatis hominis ad malū, quia ex nihilo.

D. Thom.

August.

D Thom.

8 Hanc carnis nostræ, siue animæ imbecillitatem ad culpam aperire nobis voluit Saluator, quando in horto agonizans, orationi insistens, cum tres Discipulos suos dormientes inuenisset ait Marc. 14. d. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem, spiritus quidem promptus est caro autem infirma.* Sed forsan Apostoli aliquo laborabant morbo, & detinebantur infirmitate, vt his diceret Saluator caro autem infirma? possumus dicere, quod pro infirmitate carnis intelligenda est animæ infirmitas per culpam, vt D. Tho. egregiè p.2. quæst. 77. a.3. ad secundum, qui ait. *Dicitur tamen ipsa infirmitas animæ infirmitas carnis, in quantum ex conditione carnis passiones animæ insurgunt in nobis, eo quod appetitus sensitiuus est vtens organo corporali.* Et dicitur anima infirma ad similitudinē proportionaliter corporis, nam si hoc infirmatur ex eo quod impeditur in executione propriæ operationis propter inordinationem aliquam partium corporis, & membra, & humores non subduntur virtuti regitiuæ, & motiuæ corporis, sic infirma dicitur anima quando impeditur in propria operatione propter inordinationē partium ipsius, quia non subduntur ordini rationis, quæ est vis regitiua partium animæ. Caro igitur dicitur infirma, quia anima debilis ex sui natura ad diabolicis tentationibus obsistendum existit; & vt sciremus naturæ nostræ fragilitatem, ad culpæ lapsum ruentis, quare hanc orationum, & bonorum operum, & ieiuniorum robore præmunire debemus, ne in culpæ labatur morbū. quare D. Hieronymus super vigilate, & orate &c. ait. *Caro vestra in tantum infirma est, quod nisi Dominus per orationem, virtutem carni dederit in tantationem intrabitis.* Quare Christus præuidēs Petri fragilitatem ad culpam propendētem, sicut diaboli tentationibus concutiendus erat Petrus, huius futurum lapsum præcucurrit oratione Christus, ne in culpam decideret Petrus, vt Luc. 22. d. *Symon ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.*

Naturæ humanæ fragilitatem nobis exponit Christus, in horto orans

D. Thom.

Anima dicitur infirma ad similitudinem corporis proportionaliter.

Anima dicitur debilis ad obsistendum diaboli tentationibus.

Hieron.

D. Petri fragilitas ad lapsū, Christi oratione fulcitur.

Neque per hoc, quod natura humana fragilis est ad lapsum, diaboli tentationibus debet seccumbere, sed resistere fortiter in fide, nequando glorietur, dicens prçualui aduersus eam, inimicus. vnde Ber. de lib. arbitr.

Neque per hoc quid fragilis est debet succūbere diabolo, sed in fide resistere

arbitr. ait. *Posse enim peccare, datum est homini, non pro vt inde peccaret, sed vt gloriosior appareret si non paccaret, cum peccare posset.*

9 Fragilis ex se est caro nostra, quare Dauid Psalm. 77. ait. *Recordatus est, quod caro sunt spiritus vadens, & non rediens.* Dicitur homo caro à carendo, quia diuinæ auxilio, & spiritualibus destituta præsidijs, omnium operationum, donorum, & bonorum virtute, nostra caret caro; quæ velut exanime corpus, censetur cum Deus ipse veluti anima corpori, & animæ vita, qua viuimus mouemur, & sumus, existat. Vt August. super Psal. 70. conc. 2. col. 3. qui ait. *Sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus, quomodo si anima deserat moritur corpus, sic anima moritur, si deserat Deus.* Cui etiam sententiæ consors Chrysologus ser. 19. ait. *Fratres ipse dixit ega sum vita hoc est anima corpori, hoc est anima Christus, sine anima corpus non uiuit, non viuit anima sine Christo.* Vel dicitur caro à cadendo, quia nisi diuino præmuniatur præsidio caro nostra, ob eius fragilitatem naturæ ad peccatum pronæ, hæc animam, culpæ trahit ad interitum, & læthalem lapsum, vt Hug. Card. hic qui ait: *Vel dicitur caro à cadendo, quia prona est ad lapsum, & secum trahit animam ad casum peccati.* Hinc est est, quod subdit Propheta: *Spiritus vadens, & non rediens.* Quod tripliciter intelligi potest. vadens per se in peccatum corruens, sed non rediens, quia ex se non potest à culpa ad gratiam redire, & resurgere, vt Gregor. *Homo in peccati foueam lapsus, non potest proprijs viribus resurgere*; sicut potest se interficere, non tamen interfectum ad vitam reparare. Secundo vadens per mortem temporalem, per separationem animæ à corpore, quod vnicuique carni viuenti commune, sicut naturale est; sed non rediens per nouam animæ ad corpus vnionem ante generalem corporum resurrectionem: vt 2. reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur super terram, quæ non reuertuntur.* Vel vadens per mortalem culpam damnatus in temporali morte in Infernum, sed non rediens, quia sap. 2. dicitur. *Non est agnitus, qui sit reuersus ab Inferis.* Quia in Inferno nulla est redemptio. Ideo Iob. 10. *Dimitte me, & antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.*

Fragilis natura humana vnde dicitur caro à carendo.

August.

Chrysol.

Dicitur etiã caro à cadendo.

Hug.

Dicitur tripliciter spiritus vadẽs, & non radiens.

Greg.

10 Ab extrinseco, quod erat principale intentum fragilis est ad culpæ lapsum humanę naturæ conditio. Ab extrinseco dici potest ab obiecto, voluntatem mouente ad peccatum: vel à tentatore diabolo ad culpam instigante. Ait Bed. super Act. *Quod diabolus animam in effectum malitiæ trahit.* Et D. Isid. in lib. de sum. bon. dicit, *quod diabolus corda hominum occultis cupiditatibus replet, ab hoc enim malum procedit.* Et D. Hieronymus lib. 2. contra Iouin. tom. 3. ait, *quod sicut Deus est perfector boni; ita diabolus est perfector mali.* Multos habet anima hostes, à quibus tentationum armis incutitur, & impugnatur nam, vt dicitur. *In sequentia omnium sanctorum mundus, caro, dæmonia diuersa mouent prælia.* Diximus supra cum D. Thom. p. 2. quæst. 80. a. p. voluntatem ex parte obiecti moueri ad peccatum; sicut cibus excitat desiderium hominis ad comedendum. Secundo ex eodem obiecto, vti proposito voluntati, ad quod suaptè natura inclinat. vltimò à tentatore persuadente volũtati, illud obiectum habere rationem boni, vel realis, vel apparentis. Et hoc explicari potest Gen. 3. in

Quomodo fragilis sit ab extrinseco natura humana ad culpam.

Bed.

Isid.

Hieron.

In sequen. omn. sanct.

D. Thom. Quomodo voiũtas moueatur ex extrinseco ad peccatũ, & à quibus.

3. in primorum parentum nostrorum præuaricatione, de qua dicitur, quod mulier, nempè Eua, vidit fructum à Deo vetitum, qui vt potè pulcher, qui erat, allexit appetitum mulieris ad illius concupiscentiam, & esum contra fas diuinum; quare Gen. 3. dicitur. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum pulchrum oculis, aspectuque delectabile*, propositum à diabolo sub ratione boni, quod si hoc degustassent, ab humanitate ad Deitatem, à mortalitate ad immortalitatem, à terrenorum inscitia, & ignorantia, ad altissimam rerum omnium bonorum, & malorum sapientiam eleuarentur, & cognitionem, sic suasit serpens, dicens Gen. 3. *Nequaquam moriemini, eritis sicut Dij scientes bonum, & malum*. Quid egerunt hæc, obiectum, diabolus, lignum propositũ, vt desiderabile Euæ: ecce lapsus in culpam, quare subdit idem textus. *Tulit de illo, & comedit, deditque viro suo, qui comedit*. Quare D. Dionysius Carthus. in Gen. art. 24. ait. *Postquam verba serpentis audiuit, atque elatione permota, eius dẽ verbis credidit, atque tentatori consensit*. Et paulo post idem ait. *Decor amabilitas, & dulcedo ligni, & fructus sui; mouerunt etiam fœminam, ad transgressionem præcepti*.

Hoc totum in primi parentis præuaricatione explicatur.

Dionys. Cart.

11 Potentiam regis, fragilitas humanæ conditionis deuicit, ab obiecto allecti ad culpam; vt ex 2. reg. cap. 11. apparet de Dauide; qui cum in regio palatio otiosus diuagaretur, videns ex aduerso palatij sui Bersabee vxorem Vriæ se liberè lauantẽ, ex huius pulchritudinis obiecto captus, hanc concupiuit, & internuntijs missis tulit eam, cum qua inde concubuit, ecce ad concupiscentiam, procax voluntas inclinata in cõsensum culpæ irruit; quam, adulterij opere consumauit.

Dauid ex obiecto mulieris allectus, in peccatũ corruit adulterij.

Hoc modo diaboli ars in Saluatorem erupit, qui tamen eum delusit, dum in deserto obiectum proposuit, in panes petens conuerti petras, dicens Matth. cap. 4. *Dic, vt lapides isti panes fiant*. Secundo innanis gloriæ persuadens obiectum; dicẽs Matth. ibi: *Si filius Dei es, mitte te deorsum*, vbi obiter obseruandum cum D. Chris. super Matth. *quod non impulit, non tetigit; sed tantũ dixit mitte te deorsum, vt intelligamus, quod ille, qui obedit diabolo, ipse se deponit; diabolus suggerere potest, cogere non potest*. Quare licet voluntas tribus modis supradictis possit allici nõ tamen compelli potest; tum cum hoc libertati hominis repugnaret; tum quia, vt ait D. Thom. 1. 2. quæst. 80. art. 3. c. licet propria potest virtute diabolus, ex necessitate nisi refrenetur à Deo aliquem inducere ad faciendum actum peccati, quia potest ligare vsum rationis, & mouere appetitum sensitiuum ad faciendum actum peccati, non tamẽ potest inferre necessitatem peccandi; quia totaliter ratione ligata, qua resistitur peccato, nihil eidem homini imputari potest ad culpam. Tertio sub ratione boni, obiectum diuitiarum proposuit Christo dicens: *Si cadens adoraueris me, hæc omnia tibi dabo*. Matt. 4. ex quo diabolus credens purum hominem Christũ esse, colligitur, quem ex fragilitate carnis sibi persuadebat, in peccatum lapsurum. Dum ait: *si cadens*. Sed quia cadere non poterat Christus, ideo vt delusus diabolus à Saluatore victus eijcitur, dicẽte Matth. 4. *Vade sathana Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies*.

Christo diabolus obiecta ad tentandum in deserto proposuit.

Chris. Licet tẽtet, non tamen potest cogere ad peccatum.

D. Thom.

Diabolus licet possit quandoque cogere ad actum peccati, non tamen ad necessitatem peccandi.

12 2. Cor. 12. dicebat Apost. *Datus est mihi stimulus carnis, Angelus sathanæ, qui me colaphizet*. Qualis sit iste stimulus, diuersæ sunt doctorum opiniones. D. Hieronymus

Qualis carnis stimulus fuerit D. Pauli.

ronymus dicit, quod dolor fuit capitis. Aliter dicitur, quod fuit tentatio de S. Thecla, quam baptizauerat, vt Rom. 8. *Non habitat in me hoc est in carne mea bonum.* Hieronymus in epist. ad ocean. ait. *Thecla post tentationē passionis Antiochiæ cum Paulo prohibetur pergere; nemo enim miles cum vxore vadit in bellum.* Tertio dicitur dolor lateris, seu iliaca passio. Quarto tormenta tyrannorum, & inopia rerū 1. Cor. 4. *Esurimus, & sitimus, nudi sumus, & colaphis cedimur.* Quid per angelum satanæ intelligitur? fortassis, quod Pauli corpus in potestate dæmonis traditum esset, vt vexaretur: sicut de Sancto Iob dictum fuit; *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua.* Hoc aliter explicatur à Theophylato in 2. ad Corinth. c. 12. vt modò dicemus; sed supposito, quod in manu satanæ traditum fuisset Pauli corpus, ex hoc deducitur, quod carnis, nō animæ habuit diabolus potestatem, vt D. August. lib. de salutaribus documentis cap. 64. tom. 4. qui ait; *Caro est, quæ recipit diabolum, & carnem diabolus habet in potestate, non animam.* Quare licet fragilis homo, non potest cogi ad consensum culpæ à diabolo: sed ad rem nostram redeamus: iste angelus sathanę sunt omnes, qui Paulo aduersabantur, vt idem Theophyl. vt supra, qui ait. *Quid igitur per satham designatur? omnes fuerunt, qui Paulo aduersabantur, & cæteri, qui pressuras iniecerant, & praua satanæ opera exequebantur.* Quare non solum à diabolo, sed etiā ab alijs tentatoribus humanæ carnis fragilitas ad peccandum incutitur; quare spiritus, siue ratio debet dominari in homine, & rubelles carnis concupiscentias, & sensus reprimere, ne humana conditio, vt fragilis in culpam ruat, vt Gregor. 24. moral. ait. *Omnis caro deficiet, quādo iam nullis suis motibus seruiet, quia præsidens spiritus cuncta eius fluxa restringit, & quodam districtionis suæ gladio, omne quod in illo male viuebat, interfecit.*

Hieron.

Qui sit iste angelus sathanæ à quo vexatus fuit Paulus.

Theophyl.

August.

In carnem datur potestas diabolo non in animam.

Theophyl.

Greg.

Occasio præceps. tex.

§. VI. Non debemus diuinæ gratiæ auxilia nobis occurrentia reijcere, sed cœlitus oblata ad animæ nostræ salutem promptè excipere, quia aliter post hæc occasio calua.

1 Tanti fecere occasionē Græci, & Latini, vt hanc velut quodam diuinum numen venerari minime erubuerint, imò vt Deam sibi hanc assumsperint adorandam. Hanc Phidias inter sculptores facilè princeps sic nobis effinxit: mulierem nudam, velo, quo pudenda tegebantur coopertam, rotulæ insistentem, in fronte expansos habentem capillos, occipite decaluato, pedes alatos tenentem, & in dextera nouaculum præferentem; qua figura nobis ediceret occasionem, vt potè nudam, non posse à nobis retineri, dum aufugit, rotulæ insistentem, quia vt inconstans, & instabilis mutatur, quare dum se præsentem offert accipiendam, & huic nobis occurrenti obuianda. Sic capillos profert in fronte; verum quia pedes alatos habet, & à nobis aufugit, dum terga vertit hanc si postea insequimur non comprehendimus, quia occiput decaluatum tenet; quocirca dicitur post hæc occasio calua: nouacula tenens, vt obstantia quæq; impedimenta abscindat: quare Ausonius his hanc versibus occasionem exornat.

Occasionis simulacrū, siue figura describitur.

Sum Dea, quæ rara paucis occasio nota,

Quid

Quid rotulæ insistis? stare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris sum, Mercuriusque,
Fortunare solet, trado ego: cum volui:
Cur tegis faciem? cognosci nolo; sed heus tu,
Occipiti caluo es? ne tenear, fugiens.
Tu quoque rogitas, dum percunctando moraris,
Elapsam dices, me tibi de manibus.

Alciat. Et Alciat. Embl. 121.

Me semel alipendem, si quis permittat abire,
Ne possim appenso postmodo crine capi.

Superni auxilij occasioni occurrendum. Quare & nos, dum superni auxilij nobis se offert occasio, prōptè huic occurrendum, quia pedes habet alatos, & inconstans à nobis elabitur; ideo dicitur *Occasio præceps*, seu vt alij dicunt, *volucris*, vt Mercurius alatos pedes habens, aufugit velociter. Vt Francisc. Guicciard. in hist. lib. 11. *Nihil, ait, occasione ocius elabitur.* Francisc. Guicciard.

2 Tempus igitur opportunum, quo se nobis offert occasio attendēda. Erat Romana vox, *veni in tempore.* Interpretatio huius saluberrimi dicti erat, vt scilicet in rebus agendis opportunitatem agnoscamus, vt tempore suo cuncta aggrediamur. Vt Terentius ait, *Rerum omnium esse primum, tempus.* Ideo dum fronte capillata se offert occasio, statim arripienda, & tenenda. Et Francisc. Guicciard. histor. lib. 16. ait. *Occasiones dum manibus tenentur, omni studio, ad eas retinendas est enitendum.* De hac temporis opportunitate ad bene agendū, & sāctis illuminationibus volūtate, & opere occurrēdū, loquitur Apost. Rom. 13. *Et hoc sciētes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere, nunc n. propior est nostra salus, quā cum credidimus: per hoc, quod dicit tempus, notatur opportunitas; per hoc, quod dicit hora, notatur breuitas temporis. Sic exponit Hugo Card. hic.* Per primum inuitat peccatores ad spem veniæ, ne de diuina misericordia diffidant; per secundum reuocat nos à pigritia, vt scilicet solertes bonorum operum occasiones opportunas se nobis offerentes acceptemus. Ait sapiens Ecclesiast. 3. omnia tempus habent; quare Paulus ex hoc facit sibi, & nobis conclusionem, quid agere debeamus, ideo ait ad Galat. vltimo, ergo dum tempus habemus, operemur bonū. Quia Io: 9. dicebat Christus. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, veniet nox, quando nemo potest operari.* Videlicet post mortem. Ergo dum dies est, dum sol iustitiæ mentibus nostris sua diuinæ gratiæ illabitur luce, in cordibus nostris illucescit; dum dies est, hoc est opportunum vitæ nostræ tempus bonis operibus insistamus, ne repentina nox mortis adueniat, in qua culparum tenebræ mentis nostræ Cœlum obnubilent, ne diuinæ claritatis sol, & lumen affulgeat ad misericordiam, quo tempore nobis ad salutem minime integrum sit ad pœnitentiam operari. Vt August. ser. 58. de temp. qui ait. *Erit tempus, in quo peccator velit pœnitere, & non poterit, quia quando potuit, noluit, & propter malum velle perdidit bonum posse:* ideo Io: 12. dicitur. *Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.*

Romana vox, veni in tempore. Terent. Francisc.

Ad hanc tēporis opportunitatē nos inuitat Apostolus. Hug Card.

Bene operādi tēpus debemus attēdere, ne decipiamur. August.

3 Oportet igitur sanctarum illuminationum ventis mentis nostræ vela dare, adaptare, remis operationum fatiscere, & niti, vt per mare tumidum huius mundi, vbi tot periculorum scopuli delitescunt, ad æternæ salutis portum tendere, &

peruenire fœliciter valeamus. Ideo aduenientem nobis occasionem citò arripere debemus, ne inde aufugiẽte, & à nobis arrepta doleamus. Olim cęlestis sponsus suę sponsæ amore exardescens ad hanc declinauit, eius pulsando ianuam, vt ad ipsam ingrederetur, vt Cant. 5. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea*; quæ cum excusationis quædam verba adduxisset, quare non posset aperire, dicens Cant. 5.a. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* hæc audiens spõsus à sponsæ cubiculo declinauit: cum ab hac discessisset sponsus, sponsa assurgit, vt aperiat sponso, quem amplius non inuenit, vt tex ait. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat. Quæsiui, & non inueni illum, vocaui, & non respondit mihi*. Iste dilectus, qui amicam suam alloquitur, Deus est, siue spõsus, qui nobiscum per fidem dispõsatur. Vt Os. 2. *Desponsabo te mihi in fide*, vel vt ait Paraphrasis Caldaica, *vox Spiritus Sancti admonebat eos per manus Prophetarum, & excitabat eos de somno cordis eorũ*. Hæc amica est anima iusti, sic communiter à Sanctis Patribus habetur, vel soror dicitur, quia propriam voluntatem, diuinæ conformat, iuxta illud Christi, Matth. 12. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est*; manu sanctarum inspirationum pulsat ad ostium Deus cordis nostri, vt dicitur Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso &c.* & ait: *aperi mihi soror mea*, amica mea, vt Ambr. ser. p. in Psalm. 118. vers. p. *Qui, ait, pulsat ad ianuam, quando tu dormis, si tamen excitatus euigiles, vel vocatus ianuam tui pectoris aperias, introibit*. Cassiodorus quoque vocem istam vocem internarum inspirationum accipit, qua Deus vocet, & inspiret animã, ad aperiendũ sibi cor per pęnitentiam, & fidem; sic Ghislerius hic. Ab huiusmodi apertione se excusat amica ista. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Explicat*, ait Ghisler. hic, expositione tertia, *animam, qua in principio conuersionis suæ antequam conuerteretur, fecit resistentiam diuinis inspirationibus*. Quare dilectus ab ea, ecce quod declinat, & inde quẽ quærit, non inuenit; quæ omnia ad formam dictorum exponenda sunt pro iustorum anima. Verum si à cęlesti sponso, & amica anima, ad animã criminosã, & peccatricem, quæ à bonorum operum vocatione, & illuminatione recedit, comparatione aliquantulum diuagari licet. Dicam, cum, sanctis inspirationibus Deus pulsauit ianuam cordis nostri, vt ad eum conuerteretur, pęnitens, & anima in peccatis obdurata negligit sanctis assentiri illuminationibus, & occasionem pęnitentiæ perdit; ecce hanc Deus derelinquit, & quando inde ipsa aperire ostium cordis sui per pęnitentiam credit Deo, hunc non inuenit amplius propitium, quem prius misericorditer eam vocantem agnouit. Quare Esdræ 3. c. p. dicitur Deus. *Quoniam me dereliquistis, & ego vos derelinquam, petentibus vobis à me misericordiam non miserebor; quando inuocabitis me, ego nõ exaudiam vos*. Et in hoc verificatur ille D. Augustini sententia ser. 58. de temp. quæ est. *Erit tempus, in quo peccator velit pænitere, & non potuit, quia quando potuit, noluit, & propter malum velle, perdidit bonum posse*.

4 Et vnde fit, vt Matth. 25. habetur, quod adueniente mediæ noctis

[Marginal notes: Cœlestis sponsus, ad sponsæ fores pulsans; hęc non aperiẽs, ille declinat. — Paraphrasis Caldea. — Deus ad ianuam cordis nostri pulsat. — Ambr. — Cassiod. — Ghisler. — Ghisler. — Peccator diuinis illuminationibus non aquiescens maximè errat. — August.]

noctis tempore, prudentes virgines, cum lampadibus accensis obuiam sponso aduenienti, occurrentes receptæ sunt ad nuptias sponsi ingressæ, & nouissime veniẽtes aliæ Virgines, quæ fatuæ dicuntur, clausa iam ianua non his apperitur, ad agni nuptias, & ipsæ non admittuntur: & quare si omnes virgines sunt, & apud sponsum non est exceptio personarum? Vt ad Rom. 2. 6. *Non est acceptio personarum apud Deum*, cur ergo non omnibus vna indulgentiæ seruatur regula; non omnes ad virginis sponsi, nuptias, virgines istæ recipiuntur? Sed clausa ianua reijciuntur? vt Matth. 25. *Nouissime verò veniunt, & reliqua virgines, dicentes; Domine Domine aperi nobis, at ille respondens ait, amen dico vobis, nescio vos.* Et quare hoc? quia verè, vt fatuæ licet virgines, non sibi ad salutem, & decus opportuno tempore de oleo pro lampadibus, quibus venienti sponso occurrerent, prouidentes, tempestiuè cōsuluerunt; & quia negligentes non paratæ occasionem non attenderunt aduenientis sponsi, ideo eis ianua non apperitur, nec ad sponsi nuptias admittuntur. Quæ parabola nos edocet, quod adueniente Iudicij die, non nobis tempus suppeditatur, vt ad noua opera pœnitentiæ animum applicemus, sed de prætetitis rationem reddere debemus. vt Luc. 16. 2. *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Quare D. Hieronymus Matth. 25. *Verum quia iam emendi tempus excesserat, & aduenieñte Iudicij die, locus non erat pœnitentiæ noua patrare opera, sed præteritorũ rationem coguntur exsoluere.* Vel fatuos dicere possumus esse illos homines, veluti istæ virgines negligentes, quæ tempore, quo lampades accẽdere debebant, ad comparandum sibi oleum festinant, qui tempore, quo sensuum seu animæ suæ lampades ornasse debuerant, bonorum operum oleo, tunc ad hoc incumbere student, veluti qui pueritiam, & adolescentiam in vanitatum nugis transigentes, in senectute, quando, quæ ad animæ suæ salutem debent edidicisse tunc ediscere primò student, vnde à morte preuenti inscij propriæ salutis pereunt. Quare Orig. tract. 32. in Matth. *Vel dicit, dum irent emere. Est enim inuenire quosdam, qui quando debuerunt neglexerunt aliquid vtile discere, in ipso autẽ exitu vitæ suæ, dum disponunt discere, comprehenduntur à morte.*

Quare fatuę virgines ad nuptias spōsi non admittuntur?

Hieron.

Orig.

5 Medicus in medicina ægrotis exhibenda debet temporis opportunitatem attendere, qua transacta inutilis foret omnis actio, & æger, sicut hanc tempestiuè, vt opus est, bibens conualesceret à morbo, sic non opportuno tempore assumens, nihil ad salutem proficeret. Quare Ouid. p. de remed. ait.

Ouid.

Temporis medicina valet, data tẽpore prosunt,
Et data non apto tempore, vina nocent.

In cuius confirmationem legitur apud Galenum in Cōment. Aphorismorum Hippocratis, quod cum infirmus adolescens quidam decũberet, ad huius curationem vocatus Galenus infirmo animum addidit, quod licet morbus lęthalis esset, attamen quodam pharmaco ab eodem Galeno confecto, vel præscripto, & ab ægro asumpto sanatum iri fore sperabat; hoc bono nũcio exultabat infirmus, qui cum medico cōuenit, vt medicamentum hoc sibi præscribat; conficitur pharmacum, adfertur ádolescenti decumbenti, qui vt ad nares eius nauseosus medicinæ peruenit odor, medicinam sumere recusat, & se hanc nullo modo ebibiturũ protestatur, subdit

Galen.

Exemplum Galeni cum adolescente lætaliter decumbente.

Galenus, vt consulat sibi, vt ab odore auertat nares, & substãtiam percipiat, quæ indubiè ei conferet salutem; negat hanc æger velle assumere, transit dies, augetur morbus, suadet iterum medicus medicinã, sed minime medicus potest ei hanc persuadere: aucto igitur morbo, cum eius esset desperata salus, medicinam sibi afferri iussit percipiendam, vt allata fuit, cum fractis esset omnino viribus, & capere amplius non posset, dixit Galeno: huc vsque dixi me nolle sumere pharmacum, sed modo dico, quod non possum, sic miserrimè interijt. Et quænam maior infirmitas culpa, & grauior peccato inueniri potest? quæ animam interimit. Vt Iacob. p. c. *Peccatum, cum consumatum fuerit, generat mortem.* Et Ezechiel. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*; infirmus peccator accurrit consilio ad spiritualem Ecclesiæ sanctæ medicum, veluti confessorem, qui opportunam morbo spirituali pœnitentiæ pharmacum præscribat sibi ad salutem, sicut Hug. Card. super Ecclesi. 38. ait; *Corporis medici apponunt medicamenta diuersa, cibos, potus, emplastra, vnguenta; similiter faciunt medici spirituales.* Et Orig. hom. p. in Psalm. 37. ait, sicut. *Corpori medicamenta Deus præparauit in his sermonibus, quos per diuinas scripturas seminauit, atque dispersit, vt hi, qui aliqua ægritudine fuerint oppressi, statim, vt vim morbi senserint, atque alicuius vulneris stimulum doloremque perspexerint, requirant aptam, & conuenientem sibi rationabilem disciplinam, quæ eis ex præcepto Dei possit mederi.* Si infirmus hic, spiritualis æger pœnitentiæ opportunam morbo recusat medicinam, vel temporis opportunitatem in conuersione ad Deum non seruat, pœnitentiam agendo, huius mortis æternæ periculum summoperè timendũ, & desperatæ salutis. Quare August. sentent. 71. apud S. Prosperum ait. *Remedia ergo conuersionis ad Deum, nullis sunt cunctationibus differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate; qui enim pœnitenti promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinum non spopondit.* Quare opportunum pœnitentiæ pharmacum est assumẽdum; ne vt infirmus ille Galeni peccator dicat, non possum, nõ possũ, si primo dixit nolo, nolo. Vt Aug. vt supra num. 3. *Propter malum velle perdidit bonum posse.*

Hug.

Orig.

August.

August.

6 In Tit. Liu. lib. 7. Decad. decad. 4. legimus de illo strenuissimo Duce Afro Scipione, quod cum validissimo exercitu, & floridissima veteranorum militum copia, in Asiã descendisset, contra Regem Antiochum; hic tanti ducis potentia timore constratus, ne ex illius inuasione exercitus, regni sui exterminium ipse pateretur, misit ad Scipionem Oratores, per quos pacem petebat; quibus prudenter Scipio respondit hæc vere digna verba: *Id prius factum oportuisset, non nũc cum frænum, & sessorem recepistis*; quasi diceret; nunc, non est tempus petẽdi, nec sperandi pacẽ, qui quasi equi demiti, vos estis fręno potentiæ nostræ sub acti, quod reijcere amplius non potestis, & nunc veluti sessorem habetis me Dominatorẽ, tardè venistis petendo pacem, quã præueniendo ante obtinere poteratis. Et hoc idem 2. reg. 2. comprobari potest ex sacris literis, quod cũ acri bello, & crudeli pugna inter se Ioab, & Abner manus consererent; Abner ad Ioab conuersus, videns magna clade exercitum à Ioab deuictum, ait. 2. reg. 2. f. *Num vsque ad internicionem tuus mucro desæuiet? an ignoras, quod periculosa sit desperatio?* Ad quem Ioab viuit Dominus, *si locutus fuisses manè recessisset*

Historia Scipionis in Antiochum valido exercitu insurgentis.

Tit. Liu.

Temporis opportunitate transacta inanis petitio in Ioab, & Abner probatur.

fisset populus &c. quasi diceret, manè erat occasio opportuna; mihi hęc dicere; ante quam ad pugnam descendissem, tunc enim tuæ facilè aquieuissem petitioni; modo verò, cum fortuna votis nostris victoria arrideat, & temeritatis vestræ imperio nostro colla subdere coacti estis, pacem mecum modò inire cogitatis, qui bellum crudele excitare non extimuistis: vana est spes vestra, vestræ nolo nec petitioni, nec consilio assentiri. Sic peccator, qui toto tempore vitæ suę contra Deum bellum gerere non expauit, & armis iniquitatum suarum contra eum insurrexit, diuinis semper illuminationibus obsistens, totam ferè huius vitæ militiam à pugna in diabolum expertem omnino duxit, tempore mortis, cum Iudicij dies instat, mittit Oratores suarum orationum ad Deum pro pace, vt Deus misericordiam ei impertiatur, vt ei peccata dimittantur, & parcat: mittit Oratores, qui pro eo Deum orēt; sic faciunt, sed Deum non exorant; quare Gregor. hom. 12. in Euang. *Qui tempus cōgruæ pœnitentiæ perdidit, frustra ante Regis ianuam cum precibus venit.* Tarde enim venit, quando pœnitentiæ tempus occasio subministrabat, & diuinæ misericordiæ lumen affulgebat, diuinis illuminationibus nō aquieuit, sed post prauitatem cordis sui abijt, ideo in eius morte non exauditur ad veniam, qui durus corde perstitit in culpa.

Peccator, qui supernis obstitit auxilijs mortis tēpore, Deū orans non auditur.

Greg.

Archias Thebarum tyrannus, quia occasionem amisit legendi literas, in quibus de inimicorum cōspiratione erat admonitus, & neglexit, noctu ad internitionem accincti hostes in eū ad mortem irruerūt, sic mortis iura persoluit, Vt Plutar. in Apoph.

Plut. Archias occasionē salutis suæ spernens vitam amisit.

Carthaginēses, qui Annibali strenuissimo Duci ad dimicandum in Romanos hostes, tempore suo suppetias mittere neglexerunt, ideo Romanis tributa soluere coacti fuerunt, Caio Scipione Duce Romanorum, Iulius Ferret. ex Plut.

Cartaginēses Caio Scipioni tributum persoluere cogūtur.

Iul. Ferret.

7 Hanc occasionem non agnouisse salutis suæ Iudam, hunc ad æternum pertraxit interitum. Peccauit enim in spe suæ salutis, occasione non attenta, non considerata pœnitendi opportunitate. Quadam enim detineor curiositate quærendi, cur Iudas non saluus fuit? grauissimum quidem suæ perditionis peccatum fateor, quo maius inueniri non potest; sed diuinæ misericordiæ potētia nostras excedit culpas, vt D. Thom. in opusc. *Plus, ait, potest Deus peccata dimittere, quam homo committere*; cur ergo peccati sui non est veniam Iudas assequutus? Tres sunt partes pœnitentiæ, contritio, confessio, & satisfactio. Habuit contritionem, dum dicitur Matt. 27. *pænitentia ductus*, loquendo de Iuda, fecit confessionem, dū suam prodit culpam, dicens Matth. 27. *Peccaui, tradens sanguinem iusti huius.* Fecit restitutionem male ablati, dum dicitur Matth. ibidem. *Retulit triginta argenteos*, pro proditione acceptos; quare ergo salutis effectum non est consequutus, si pęnitentiæ partes adimpleuit? possemus dicere, quod ideo damnatus perijt, quia diuinæ misericordiæ moras nō sustinuit; nā ait D. Ambr. *Tanta enim benignitatis est Dominus, vt Iudæ donasset veniam, si Christi expectasset misericordiam.* Possemus secundo dicere, quod eius conscientia tam nefandissimi sacrilegij rea, velut diuinæ iustitiæ carnifex continuis peccati stimulis cruciabatur, quare vt tantos ipse cruciatus euaderet, sibi mortem desperatus diaboli consilio consiluit, vt ait Euseb. Emiss. *Diabolus, qui te ad tradendum magistrum impu-*

D. Thom. Iudam non agnouisse suæ opportunum tempus pęnitētiæ.

Ambr.

Euseb. Emiss.

impulerunt, ipse, vt te occideres consilium dedit. Sed dicam ego, ideo damnatus perijt, quia pœnitentiæ opportunitatem non attendit, nec tunc, cum eum peccati pœnituit, veniam proditionis suæ à Domino postulauit: sed differre cogitauit, & petere distulit. Sed quomodo? ait Theophylact. super Matth. 27. Quod Iudas, licet tali, ac tanto proditurus scelere reus esset, cupiebat tamen peccati sui veniam à Christo petere, & obtinere, vt à misericordi Domino sperabat: existimabat n. Saluatorem nostrum, vt alias fecerat, tunc etiam à Iudæorum manibus elapsurum, vt iam ex eo multa miracula, & similia nouerat: quare videns, quod Christus esset morti damnatus, tunc abiens laqueo se suspendit, quia sciens Christum post eius mortem ad Inferna descensurum, ad animas sanctorum Patrum è Limbo eripiendas, præstolabatur morte sua, Christum præcurrere, & in illis Inferni partibus peccati sui veniam petere. Audi verba Theophylacti. *Idcirco se strangulauit, vt praeueniat Iesum in Inferno, & ibi orãdo salutem assequatur*; sed ecce deceptus est, quia tẽporis opportunitatem non obseruauit, tunc enim diuino affulsus lumine, cum suam agnouit, & fassus est culpam, veniam petere, & non differre oportebat: res enim periculosa est occasionem opportunam non attendere; ideo ait August. de ser. 3. de Innocent. *Veniet dies, quando eis nec pœnitentiam non libebit agere, nec bonis operibus se ab æterna morte poterunt redimere.*

Se strangulauit Iudas, vt Redemptori ad veniam petẽdum accurreret in alio mundo.

Theophyl.

Deceptus est Iudas, quia tẽpus pœnitentiæ non attẽdit.

August.

In pœnitentiæ occasiones refugiẽtes maximè Deus inuehit pœna.

8 Nihil Deus seuerius punit, quam oblatas occasionem pænitendi contempsisse: dicitur Psal. 74. a. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & innocabimus nomen tuũ*, idest te laudabimus, & opera tua mirabilia, quæ sunt, summis extollemus laudibus, subinde huius rei rationem reddit: *Cum accepero tẽpus, ego iustitias iudicabo.* In quibus verbis duo consideranda cum D. August. mihi obijciuntur: in primis circa illud. *Cum accepero tempus.* Procrastinat peccator nuntium vitijs remittere, & multum temporis sibi superesse ad conuersionẽ, sibi in animum inducit. Cum ad vltimum inde vitæ suæ terminum deuenerit, quo ei suadetur, vt animæ suæ saluti consulat, & ad pœnitentiam seriam cogitet, omne tempus sibi sublatum arbitratur, & Deũ sibi omne tempus, quo posset conuerti subripuisse conqueritur, & inclamat. *Cum accepero tempus*: ex sententia peccatoris hoc dictum accipiamus, quasi sic dicat: heu me, qui tantum tempus, quod mihi ad pœnitentiã supererat neglexi; nunc in mortis articulo cõstitutus doleo, quod mihi omne tempus pœnitendi Deus abstulit. Expendo secundo pro eadem re sequẽtia verba à Deo dicta. *Ego iustitias iudicabo*, non ait peccata, dicitur iustitias, idest occasiones, quas obtuli peccatori, vt ad me posset conuerti, de his enim rationem exigam, de his præcipue ad pęnam assumet in Iudicio in peccatores oblatas occasiones contemptas Iudex æternus. Quare Aug. Ps. 74. *Dono, inquit, nunc peccata confitenti, non parcam postea contemnenti. Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Dicitur in Psalmo, misericordiam, & iudicium; modo misericordiam, postea iudicium. In qua misericordia peccata donantur, in quo iudicio peccata puniuntur. Vis non timere peccatorum punitorem? ama donatorem. Accipit tempus Christus, accipit tẽpus filius Dei, filius hominis accepit tempus; filius Dei non accipiet tempus &c.*

August.

Expe-

Experimentum periculosum. tex.

§. VII. De rationalis animæ nostræ excellentia, & nobilitate.

1 IN medica arte experimentum creditur periculosum, ratione humani corporis, quod cęteris materiebus artium, & sublunaribus creaturis nobilitate præstat, vt diximus supra; quare, & nos mofaliter, de hominis siue animæ nostræ excellētia proportionaliter opportune dicemus hic. Circa quæ duo puncta exponēda mihi occurrunt. De hominis nobilitate; secundò, quam periculosum sit animæ salutem per peccatum in discrimen mortis æternæ adducere. Quod vt nobis pateat clarius, prius de animę, siue etiam hominis nobilitate agendum duxi. Nobilissima igitur est anima nostra, quæ primæ, & summæ nobilitatis, nẽpe Dei imago est, & similitudo: dicitur enim Gen. primo. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrā*; qui homo secundum animam tantum intelligitur, in Deo enim non est corpus. Quare D. August. super Genes. lib. 7. cap. 22. tom. 3. sic ait: *Quando fecit Deus hominē ad imaginem suam, quod nisi secundum animam recte intelligitur.* Et idem August. vt supra cap. 19. ait: *Vnde ergo sit ipsa, idest de qua velut materia ducitur, hanc flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum debet occurrere. Sicut enim Deus omnem creaturam, sic anima omnem corpoream creaturam natura dignitate præcellit.*

Homo quoad animam dicitur imago Dei.

August.

August.

Obiectio. Si anima tātum est imago Dei, quomodo dicitur, quod sit homo. Qui ex anima, & corpore cōstat.

2 Sed dicet quis, si imago, & similitudo Dei, seu Trinitatis est anima, quomodo potest dici, quod homo factus sit ad imaginem, & similitudinem Dei? Vt Gen. p. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; ergo tantum anima, non homo erit imago Dei; cum homo sit compositus ex anima rationali, & corpore, & anima sit tantum forma hominis; nec corpus ad imaginem Dei dici potest factum esse, vt D. August. supra numero primo. Dicere possumus ad hanc obiectionem, secundum Philosophum, quod omnis denominatio fit à nobiliori; cum igitur anima sit hominis forma, quæ dat corpori esse, viuere, moueri, & illa, qua intelligimus, sic sumitur anima pro homine per Synecdochem: nisi dicere velimus cum D. Aug., quod prius creauerit Deus animam, deinde corpus, quod erat animandū, vt idem Aug. tom. 3. lib. 7. de Genes. ad lit. cap. 24. qui ait. *Illud ergo videamus vtrum forsitā verum esse possit, quod certe humanæ opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus, cum simul omnia creauit, animam etiam humanam creasse, quæ suo tempore, membris ex limo formati corporis inspiraret.* Sed quomodo prius creata est anima, deinde dicatur formatū esse corpus hominis ex limo terræ? Genesis enim primo capite dicitur. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, & Genes. 2. capite dicitur quomodo formatus sit homo ex corpore prius, deinde, quod in membra, ex terra formata insufflauerit spiritū, scilicet animā, qua factus sit homo viuens. Dicitur ergo Genes. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ; & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*; & nota, quod hoc dicitur, & refertur non solum in secundo capite Genesis, sed etiam de hoc mentionem

Prima responsio, quia denominatio fit à nobiliori, ideo anima pro homine, per Synecdochē

August. Secunda responsio, quod cum omnia Deus creauit prius animam deinde corpus hac animādum.

Sed pulchra adhuc dubitatio Si prius anima creata, quomodo corpus, in quod insufflauit inde animā?

nem facit transacto, non solum sexto die creationis, sed & septimo cessationis ab opere creationis; quomodo ergo verificatur, quod anima prius creata fuerit, vt ait Aug. vt supra, deinde formatum fuerit corpus; si hoc formato, inde animam, siue spiritum in idem corpus insufflauerit Deus? si anima creata prius est, vbi degebat? sed huic difficultati nostræ, prçstãtissimi sui ingenij acumine pro resolutione accurrit, & satisfacit idem D. August. vt supra, qui ait. *Credatur ergo, si nulla scripturarum auctoritas contradicit, hominem, ita factum sexto die, vt corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi, anima vero iã ipsa crearetur sicut primitus conditus est dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est inspirando, formato ex limo corpori insereret.*

August. Resolutio dictorum ex D. Aug. anima prius creata in operibus Dei latens, inde corpori infusa.

3 In concilio igitur sanctissimæ Trinitatis propositum est negotiũ sublime creationis hominis, dicendo Genes. p. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã,* quæ homo est, veluti speculum, in quo ipsa Trinitas singulari sua operatione affulget, & vnaqueque persona ex qualitate operationis, se ipsam in homine manifestat. Et hoc clare exponit Rup. abb. de Trinit. & operibus eius in Genes. lib. 2. cap. p. qui ait. *Quod enim propositum est, nisi sanctæ Trinitatis gloriam, per opera ipsius, quasi per speculum contemplari? & cuiusq; personæ proprietatem agnoscere ex proprij qualitate operis. Hæc planè humana scilicet creatura illud potissimum opus est, quod eadẽ Beata Trinitas magna sibi dignatione diuisis, vt Peter conderet, filius redimeret, Spiritus Sanctus igniret.*

Quomodo in homine Trinitatis personæ affulgeant.

Rup. Abb.

4 Quod si propius adhuc dignitatem animæ nostræ intueri cupimus; hanc in creatione eiusdem inspiciamus è regione cœterarum creaturarum. Hæ enim omnes cõmuni decreto conditæ sunt, & per Verbum *Fiat*, vt patet Gen. p. quãdo creauit lucem *dixit Deus* (ait scriptura:) *Fiat lux*, & ecce lux in campum creationis vocata ab eo, qui vocat ea quæ non sunt, tãquam ea quæ sunt, subito in lucẽ lux processit. Vnde sequitur, *& facta est lux*. Simile dicitur de firmamento: *Fiat firmamentum*. Gen. p. sic factũ est, sic de reliquis dicendum in creatione, vt patet in eodem textu. verum cum de hominis, siue rationalis creaturæ, videlicet animæ nostræ creatione ageretur, non dixit Deus *Fiat*, quasi aliquid per Iudicẽ exequẽdum, vel per aliquos ministros, vt in humanis proportionaliter videtur, sed mutauit vocem, & dixit: *Faciamus*, quia non solum Trinitatis totius erat opus, quod extra nihil erat, educendum ad esse existens; sed & ipsius Trinitatis imago, & similitudo, in qua vnaquæque persona diuina, cuiuscunque operationem suam propriam manifestare debebat, vt diximus; imò non solum mutauit vocem à *Fiat* ad *Faciamus*, sed à verbo, ad opus deuenit, dum dixit *Faciamus*. Ecce in peculiari modo creationis hominis huius dignitas, & excellentia. Quare Rup. Abb. loco citato, supra cap. 2. ait: *Huius ergo creationis dignitatem, non per qualemcumque Iudicem, sed per digitum Dei, cuius est scriptura hæc diligenter expressam, reuerẽter, vt dignum est, audiamus; ait faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Mutauit vocem suã, quippe hactenus de singulis dixit fiat, & factum est, producant terra, producant aquæ, & factum est. Nunc autem tanquam à circuitu terræ, Cæli, & maris lassabundus resederit, & inter respirandum in mentem illi vene-*

Homo, vt Dei imago peculiarem habet creationis suæ modũ mutando vocẽ. Non fiat, sed faciamus dicens Deus

Rup Abb.

vene-

nerit, adhuc vnum deesse, quod deceret, vel oporteret fieri, faciamus, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Ex quibus patet, quomodo anima nostra, singulari honore à Deo decorata sit in creatione; nempe cœteris creaturis sublunaribus, vt ratione superior sit; tum etiam, cum ad eiusdem Dei imaginem fuerit efformata, & similitudinem, vt idem Rup. Abb. vt supra &c. *Huismodi anima, duplici honore præcellit hominis conditio; dum dicitur ad imaginem, & similitudinem nostram; ad imaginem videlicet, vt sit rationalis; ad similitudinem nostram, vt rectus sectando iustitiam Dei.* Quare meritò dicere possumus cum D. Dionys. de diuin. nominib. *Dei genus sumus.*

Duplici honore præcellit homo ratione imaginis, & similitudinis Dei.

Rup. Abb.

D. Dionys.

5 Et vt dignoscamus, quod verè anima nostra Dei sit imago. Nil aliud à Deo, desiderij nostri appetitum adimplere valet, & nisi Deus, mentis nostræ inopiã ditescere potest; quare ad Deum, tanquam ad finem nostrum, hæc dirigenda est animæ nostræ, quæ Dei est, imago. Matth. 22. habetur, quod Saluator noster, Pharisæis eum dolosè tentantibus, an liceret tributum dari Cæsari, responderit: *Quid me tentatis hippocritæ? ostendite mihi numisma census*; at illi *obtulerunt denarium, & ait illis Iesus; cuius est imago hæc, & superscriptio? dicunt ei Cæsaris: tunc ait illis: reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Homo dici potest aliqualiter imago, secundum illud Psalm. 38. c. *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Dicam ego, cuius est hæc imago, anima nostra? Diximus Dei. Gen. p. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudiuem nostram*; & hoc Trinitatis Sanctissimæ testimonio: & sicut imaginem non coequat, & adimplet, nisi originale, & illud cuius illa imago est, sic animæ nostræ desiderium, & appetitum, nemo, & nihil perfectè adimplere potest, nisi ipse Deus, cuius anima nostra est imago. Ideo Psalm. 16. d. *Satiabor* (dicit.) *cum apparuerit gloria tua.* Ad hoc originale necessario tendere debet hæc animæ nostræ imago; & ratio nobis suadetur, nam cum voluntas nostra habeat pro obiecto bonum in communi; licet possit aliquod particulare bonum, quod non habeat rationem boni, obsolutè repudiare, non tamen bonum, quod omnibus numeris est absolutum, & vndequaque perfectum, potest respuere, vt D. Thom. p. 2. quæst. 10. a. 2. cum igitur Deus, qui animæ nostræ originale est, sit vndequaque perfectus, & summum bonum, ab hoc declinare nõ potest, quin hunc appetat; quare hoc diuinæ bonitatis originale tantum, animæ nostræ appetitum potest satiare, imaginem suam adimplere, cum quæcumque alia à Deo semper in bonitate deficere possint, vt D. Bern. ser. Dedicationis, qui ait. *Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest, capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit.* Rursus dicamus, quæ est animæ nostræ numismatis moralis superscriptio? est ratio, vnde dicitur rationalis homo; maximè vt Trinitatis imago, & à ratione, qua dotatus, & insignitus est à Deo, vt Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Idest, vt explicat Hug. Card. hic. *In superiori parte nostri, idest in anima lumen vultus tui, idest, luminosus vultus tuus, idest ratio.* Et sicut per vultũ homo homini assimilatur, & homo cognoscit hominem; ita per rationem similes sumus Deo, & Deũ cognoscimus. Vel potest legi transitiuè, sic vultus Dei dicitur ratio, lumen

Anima nostra Dei vere imago, quę à solo Deo solum completur.

Volũtas hominis Deum vtpotè bonũ summè perfectum non potest repudiare.

D. Thom.

Bern.

Suprascriptio numismatis moralis, animę, ratio.

Hug.

vultus huius est gratia; quia sicut moneta est informis, donec imago regis, ei per cuneum imprimatur, ita ratio nostra deformis est, donec per gratiam Dei illustretur, si igitur anima nostra Dei est imago, & ratio, maximè vero diuinæ gratiæ lumine illustrata est super scriptio eius. Reddamus ergo, quæ sunt Cæsaris, Cęsari, & quæ sũt Dei, Deo. corpus mortale relinquamus terræ, vt tributum naturæ persoluendum, & animam Deo originali nostro adiungamus.

Maximis à Deo decoratus est homo honoribus.

6 Maximis à Deo hæc imago eius, honoribus decoratur, titulis insignitur. Hinc est, quod post creationem cœterarum rerum, vltimo ad hominis creationem deuenit Deus, vt illa omnia præcedere, quę hominis seruituti, & obsequio deputata sunt dignoscerẽtur, vt ex hominis priuilegio patet Gen. p. *Dominamini piscibus maris, volatilibus Cœli, & bestÿs terræ*. Imò hominem tanta dignitate decorauit, vt naturæ angelicæ, quæ Deo proximior est, ferè coęquauerit; vt Ps. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum Domine*. Ecce qualiter à Deo decoratus fulget honore. Sed, & parum adhuc intuli, diuinæ naturæ consors factus homo angelorum dignitatem, quod præcellat dicere aliquo modo auderem, cum Angeli homini ad custodiã, & ad huius tuteiã deputentur: vt Ps. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vÿs tuis*. Sic enim rectè dicere possumus verificari illud Psalm. 8. *Omnia subÿecisti sub pedibus eius*. Quare ad hominis dignitatẽ aspiciens, & ad eundem hominem pro huius salute conuersus S. Leo Pap. serm. in nat. Domini ait: *Agnosce ò christiane dignitatem tuam, & diuinæ factus consors naturæ, noli in veterem vilitatem, degeneri conuersatione redire. Memento, cuius capitis, & cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quod erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen, & regnum. Noli te diaboli iterum seruituti subÿcere, quia pratium tuum sanguis Christi est, qui veritate te iudicabit, qui misericordia te redemit*. Maximis igitur titulorum honoribus anima nostra, pręcipuè decoratur, sicut enim plures tituli dominij, & potestatis, siue potẽtię sępe in vnã personã aggregantur, vt in Principum diplomatibus sæpe legitur, quod sit talis Vrbis Princeps, Dux, Comes, Marchio talis, & talis loci; sic diuersis quoque titulis, & nominibus secundum diuersas eius operationes, insignitur anima rationalis; vt Isid. 11. ethimolog. qui ait de anima. *Dum viuificat corpus, anima est, dum vult animus est, dum scit mens est, dum recolit memoria est, dum rectum iudicat ratio est, dum spirat spiritus est, dum sentit sensus est*. Et hæc in corpore tanquam in proprio regno summa dominatione, & potestate principatur; & vbique, & in qualibet suæ ditionis parte inuenitur semper; quod in hominibus potestatem habentibus non verificari potest: est enim anima, vt ait Philos. in lib. de anim. *Tota in toto, & tota in qualibet parte hominis*. *Non enim viuit corpus*, ait D. Aug. de pęn. dist. p. *nisi anima præsente, ita etiam nec viuit, nec sentit aliqua pars corporis, nisi per animam*. Et quia anima nõ est quanta dimẽsiuè, ideo vbi est, ibi tota est; vnde cum læditur aliqua pars, minimam etiam sentit quis dolorem, quia ibi est anima, quę viuificat illam partẽ.

Super sublunaria.

Quasi coequalis Angelo.

Angelis superior.

S. Leo Pap.

Hominis dignitas, & beneficia eidem à Deo collata.

Diuersis titulis secundum diuersas eius operationes anima insignitur.

Isid.

Philos.

August.

Si super animantia homo, quare hæc timet, ab his læditur?

7 Sed quæret fortassis quis; si homo tanta dominij potestate pollet, vt diximus, super animantia terræ, præcipuè, vt his dominetur; quare timet Leonẽ, Vrsum, à Lupis aufugit,

aufugit, & Tigribus, & Serpentibus, à quibus mortis persæpe patitur pœnas: quare hæc animantia, hominis imperio mācipata, & eiusdem potestati subdita à Deo rebellata in eundem hominem insurgūt ad offensam? quare homini debitum obedientiæ tributum, & honorem vti eorum principi non pręstāt? sed dicamus, quod hoc erat in statu innocentiæ, nec à diuino dissentissent præcepto animantia quæque, si non peccasset homo, verum peccante hoc, facto Dei inimico, in hunc etiam animalia fortia robore, & veneno, ad pœnam culpæ insurrexerunt; quare Chris. hom. 11. ad pop. ait: *Ab initio non ita res se habebant, quando apud Deum probabiles erant homines, quando in Paradiso morabantur; sed postquam Dominum Deum offenderunt, seruus factus est homo obnoxius, non tamen omnino, sed habeo aliquam artem, per quam feras supero. Hac de Serpentibus, & Scorpijs, & Viperis dicere licet, quod propter peccatum nobis terribiles sint.* Quare cum homo innocentiam custodiuit, Dominus erat, & quia peccatum, peccatorem in seruitutem redigit, ideo post peccatum priuilegium dominationis amisit, seruus effectus; quare non amplius eum, vt Dominum animantia cognouerunt. Et D. Ber. in cant. ait: *Homo cum in honore esset non intellexit, in quo honore habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis, conuersatio eius nihil molestia, & indigentia sentiebat, odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria, & honore coronatus, & constitutus super opera manuum plasmatoris; magis autem ob insigne diuinæ similitudinis præcellebat, & erat illi sors, & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cælestis exercitus; sed mutauit istam gloriam in similitudinem vituli comedentis fænum.*

Chris.

Ante peccatum homo Dominus, post culpam seruus. Animalium insidijs obnoxius.

Ber.

8 Quod si nobilitatem hominis, vt homo est, licet indagare, hunc mundi compendium libeat appellari, vnde à Græcis *Microcosmos* dicitur, hoc est paruus mundus, omnium enim entium gradus in hoc reperiuntur, vt ait D. Gregor. habet enim esse cum lapidibus, viuere cum plantis, sentire cum animalibus, *intelligere cum Angelis*. Si elementa cogitas, ignis, aeris, aquæ, & terræ, ecce quod & hæc in homine animaduertuntur, ignis est calor naturalis, aer respiratio, aqua, humiditas, & sanguis, terra, corpus ipsum, quod & in terram resoluitur. Et in eodem etiam primæ qualitates deteguntur; callidum, frigidum, humidum, siccum. Si Cœlum spectas, & astra, quæ hoc exornant; & ista omnia in homine pariter reperiuntur, maximè verò si de homine iusto loquimur, qui Cœlum dici potest, dum ad diuinas laudes se accommodat, vt Psalm. 18. *Cæli enarrat gloriam Dei*, hoc est iusti. Vel quia in iusti anima residet Deus, Cœlum appellari potest, vt Esai. 66, *Cælum mihi sedes mea est*, quæ sedes de iustis intelligitur, vt sap. cap. 7. *Anima iusti sedes est sapientiæ*; in hoc igitur mistico Cęlo est Sol, Luna, & Stellæ; Sol intellectus, Luna fidei, astra virtutum, vt D. Ber. super cant. serm. 27. qui ait. *Est ergo Cælum sancta aliqua anima habens Solem intellectum, Lunam fidem, Astra virtutes.* Vel Cęlum potest dici homo; quia si Cœlum in suprema mundi regione collocatum est, sic homo oculis ad Cęlum eleuatis, à Deo est creatus, vt semper Cœlum aspiceret ad suum, effectu super tenderet, Conditorem, vt Ouid. Metamor. lib. primo.

Os homini sublime dedit Cœlumque videre

Nobilitas hominis, & qualis.

Greg.

Homo Paruus dicitur mundus ex gradibus entium ex elemētis, & ex primis qualitatibus.

Ber.

Ouid.

Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Chris. Quare *cum omnem creaturam sensibilem*, vt ait D. Chris. super Matth. 7. *Armauerit, & munitam creauerit, solum hominem nudum fecit, vt necessitate infirmitatis coactus, semper necesse haberet Dominũ suũ quarere.*

Animę nobilitas, ex cibo nobilissimo, scilicet Eucharistia, & diuino Verbo. 9 Ex cibo propterea, quo nutritur anima, huius nobilitatem, & excellentiam possumus argumentari. Quanto enim cibus est nobilior, tanto nobiliorem reddit, & facit substantiam aliti; cibus animæ est verbum ipsum diuinum, vt Matth. 4. dicebat Christus: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; imo se ipsum, animabus nostris, diuinum Verbũ carne vestitum, in Eucharistiæ Sacramento, ad animæ nostræ nutritionem illabitur, & ad salutem, vt Io. cap. 6. *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi, qui manducat ex hoc pane viuet in æternum*. Quare Ambr. Ambr. super illud Psal. 118. b. *Eloquium tuum viuificauit me*, ait. *Hæc est animæ nostra vitalis substantia, qua alitur & pascitur, & gubernatur, nec quicquam est aliud, quod viuere faciat rationalem animam, quam eloquium Dei.*

Dei domicilium, anima iusti. 10 Tam Deo grata est anima, præcipuè verò iustorum, vt hanc sibi domicilium ad delicias suas eligerit, vt dixerat Prouerb. 8. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*. Hinc est, quod cœlestem sponsam arguere videtur sponsus, ignorãtiæ, dum se ipsum, vt tale domicilium sponsi sui non agnoscit. Petit à sponso cęlestis eius sponsa, sibi indicari, cęnaculum, reclinatorium, siue locũ, vbi meridiano tempore degat, dicens Cant. p. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*. Respondetur, huic. *Si ignoras te pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum*: quæ responsio interrogationi consona hæc dici potest? petit à dilecto suo cibi indicari cœnaculum, vbi cibum sumit, cubiculum, vel locum vbi in meridie cubet; & sponsus in eandem sponsam suum dirigit sermonem, nullam circa quæsita responsionem continentem solum dicens: *si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres*. Sed bene respondetur. *Si ignoras te &c.* quia anima iusti, quæ est sponsa Christi, hæc est cœnaculum, & cubiculum, in quibus Deus pascitur, & quiescit; quare Hug. Card. hic. *Fideles actiui sunt cœnaculum, sponsi meridianum, qui bonis actibus eum pascunt, & ab eo pascuntur per gratiam, quam infundit eis. Cubiculum sponsi meridianum sunt fideles contemplatiui, in quibus Dominus quiescit*; quare reprehendere videtur sponsam, quod se ipsam, vt talem non agnoscat. *Vox, inquit, Hug. Card. hic, sponsi ad sponsam arguentis eam, petierat enim indicari sibi cœnaculum, & cubiculum sponsi, quod ipsa est, vnde videtur ignorare se ipsam, quia in ea cœnat, & cubat sponsus*. Quare eiusdem animæ excellentiam, nobilitatemque perpendens D. Bernardus in meditationibus ad eandem conuersus, vt agnoscat se ipsam, & à mundi, carnisque illecebris se abdicet, eius nobilitatem, & dignitatem ob oculos præponit, dicens: *O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid sibi cum carne, qua haud aliud vilius sterquilinium inuenisti?* Cum igitur anima nostra tanta nobilitate polleat, excellentia præcellat, summa diligentia cauendum est, ne hanc peccato aeternæ mortis periculo exponamus.

Hug.

Anima iusti, hæc est cœnaculum, & cubiculũ in quo quiescit sponsus.

Hug.

Bern.

Expe-

Experimentum periculosum. tex.

§. VIII. Quam periculosum sit animæ salutem in æternæ mortis discrimen per peccatum adducere.

1 Sicut ob corporis nobilitatem, in hoc, Medicum experimentum facere redditur periculosum, sic ob animæ nobilitatem, & excellentiam, sicut diximus hanc in peccati discrimen adducere, maximũ eiusdem animæ periculũ est. Quare meritò insaniam redolet, qui caducis, & terrenis hisce tãtum rebus inhians, animæ curam non gerit summam, solicitè hanc non custodit, ne in culpam labatur, per quam æternæ inde ei mortis periculum impendet. Culpa enim, anima, quæ Cœlum Dei est, & huius imago, & deitatis particeps, æternæ beatitudinis hæres, cuius seruituti Angeli, & cælestis curiæ principes mancipantur, super omnia sublunaria priuilegio decorata, Dei gratia priuatur, & consortio Angelorum, inimica Dei, serua diaboli efficitur, & æternis deputata supplicijs. Cuius miseriam, & infelicitatem deplorans S. Antoninus noster. p. p. tit. p. s. p. ait ad hanc conuersus. *Tibi compatitur, quæ tam nobilis, & admiranda, ad tam miseriam es deducta, vt peccato sis subdita, & de Regina vniuersorum, sis corporis vilis ancilla effecta. Tibi compatitur, quæ eras Cælum diuinum, & facta es dæmonum phanum: tibi compatitur, cui seruiebant, Angeli, nunc imperant dæmones.*

Ob eius excellentiam anima custodiẽda ne in peccatum corruat.

S. Antonin.

Animæ nobilitas, & eiusdem per peccatũ infœlicitas.

2 Egregiè non minus, quam diffusè B. Laurentius Iustinianus libro, de Spirituali interitu animæ, hoc animæ periculum exponit irreparabile, & à nobis attentè perpẽdendum, obijcit, ne tam facilè sensui habenas relaxemus, vt in culpam labatur. Et hoc totum præstat per comparationem animæ ad terrenas opes facultates, & alia huiusmodi bona, quibus omnibus præstat anima: quod si quis in diuitijs, & alijs quibuscumq; terrenis facultatibus iacturam patitur, non adeo grauis est, quin aliquo modo reparari possit; verum animæ amissio irreparabilis est, & huius salutis iacta est alea. Quare idem D. Laurent. ait. *Naturalis ingenij hoc censura exigit, vt tanto vnaquæque res pluris æstimetur, & diligentius custodiatur, quanto magis est proficua, & illius amissio maiorem possidenti iacturam facit. Plurima in hoc mundo, vt cernimus ab hominibus possidentur, aurum videlicet, & argentum, gemmæ, & possessiones, domus suppellectilia, serui, ancillæ, & huiusmodi multa; Verum nihil tanti appretiandum est, quantum rationalis anima, quæ vniuersa, sæculi istius creata dignitate præcellit. Si aurum disperdatur, vel à latronibus diripiatur recuperari potest, sicut, & alia facultates sæculares; at verò anima si simel amittatur, aduersum se sentẽtiam damnationis accipiat, vlterius recuperari non valet, nec prece, nec pretio, nec alicuius suffragio, etiam si omnis societas electorum oret pro eo.*

Animæ iactura perpẽdenda, quæ est irreparabilis amissio.

D. Laur. Iustin.

3 Referunt Historię, quod à Senatore Romano, Nero irrideretur, eò quod aureo hamo vilissimos pisciculos. Esset enim magna stultitia, hamum aureũ pro vili lucro, periculo exponere. Verum detestabilior, & damnosior stultitia est non hamum aureum, sed animã in ęternę mortis discrimen per peccatum adducere. Hamus enim, licet aureus venalis tamen est, & si perdatur, prætio redimi, & recupe-

Nero aureo hamo, qui pisciculos piscabatur, irridetur à Romano Senatore.

rari

rari potest; at animæ perditio, vt potè cum nec venalis, nec materialis sit, prætio haud redimi potest. Solo enim inæstimabili prætio prętiosissimi sanguinis Saluatoris nostri, qui infiniti est valoris, est redemptione reparata: vt p. Petr. p. *Scientes, quod non corruptilibus auro, & argento redempti estis, sed prætioso sanguine, quasi agni immaculati.* Ideo ad animæ nostræ considerationē nos inuitat S. Leo Pap. serm. de Natiu. Dom., vt huius dignitatem perpendamus sicut deitatis participes. *Dei enim genus sumus.* Ait D. Dionys. de diuit. nomin. ne liberi à Deo creati diaboli culpa subijciamur seruituti, & æternę mortis periculo exponamur. Quare Leo Pap. vt sup. ait. *Agnosce Christiane dignitatem suam, & diuinæ factus consors naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Noli te diaboli seruituti subijcere, quia prætium tuum sanguis Christi est, qui veritate te iudicabit, qui misericordia te redemit.* Non igitur hoc vili prætio sensualium voluptatum, & terrenarum delectationum, venalem animam nostram in huius mundi emporio ad auctionem ęternę mortis periculo exponamus.

Leo.

Suam debet homo considerare dignitatē, ne vilescat culpa.

Leo Pap.

4 Graui enim in primis animæ mortis periculo culpa exponitur, à qua proprijs, & quibus cunq; creatis resurgere haud possibile est, viribus. Vt Psalm. 77. dicitur. *Spiritus vadens, & non rediens.* Videlicet proprijs viribus, vt D. August. hic qui ait. *Ideo eos vocando, & miserendo, per suam gratiam reuocauit, quia per se ipsos redire non possent.* Nam sicut homo, se ipsum potest interficere, vt alibi D. August. tamen se resuscitare non potest: Sic proprijs culpis, quibus anima moritur se potest moraliter dū vera vita priuatur, quæ est Christus, interficere, non tamen interfecta ad vitam gratię ex se reuocari. Hinc est quod D. Greg. peccatum foueæ comparat in quam, vt profundissimam labitur peccator, sed ab hac suis non valet viribus prosilire. Peccator ipse est, qui hanc sibi æternæ mortis foueam fodit, vt Psam. 7. dicitur: *Incidit in foueam, quam fecit*; ab hac se ipsum educere non potest, nisi per auxilium diuinæ manus superuenientis gratiæ præuenientis, eum excitantis ad diuinam misericordiam inclamandam, vt Psalm. 127. *De profundis clamaui ad te Domine Domine exaudi orationem meam.* Verum nulla in eo virtus inest, vis ad euadendum existit, quare ad huius liberationem diuina ei opus est gratia efficaci, quæ, vt omnipotentis manus eum extrahat, vt Psal. 137. *Extendisti* (dicebat Dauid) *manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.* Quare Greg. ait. *Homo in peccati foueam lapsus proprijs viribus resurgere nequit.* Quod in illo viatore, qui ab Ierusalem in Ierico descendebat, vt Luc. 10. confirmari potest, qui incidit in latrones, & plagis malè affectus, & expoliatus, semiuiuus iacebat: Signum peccatoris, qui peccati vulneribus confossus in anima, ita in terra miseriarum infœlicissimus diuino destitutus auxilio iacet vulneratus. Vt Psal. 118. *Adhæsit pauimento anima mea*; vt ex se nullo modo ad gratiam assurgere valeat; vt propterea diuinæ gratiæ cęlestis medici, vt curetur auxilium deposcat, vt Aug. contr. Pelag. exponit. *Ideo iacebat, quia vires ei propriæ ad surgendum non sufficiebant, vt ad se sanandum medicum, idest Deum requireret.*

Homo ex se cadens in culpam, ex se nō potest ad gratiam resurgere.

D. August.

Peccatum foueæ comparetur à qua homo non potest ex se prosilire.

Vt à fouea peccati educatur anima diuini auxilij opus est manu.

Greg.

Viator vulneratus iacēs, est peccator ex se non valens ad gratiam resurgere. August.

5 Vel experimentum periculosum, ne semel peccando anima iterum à diabolo tentata, à sensu, & ab obiectis allecta in noua inde, &

maiora

maiora prolabatur scelera; vnde propriam in discrimen adducat salutem, si Deus inde suorum veniam largietur peccatorũ. Christus multa ac propemodum infinita patrauit miracula, quæ vt ait D. Io: si scripta essent totus mundus capere non posset. Animaduerto præcipue, quod multis sanitatem corporis impertiuit, & plurimos à diuersis languoribus, & morbis ex cruciatos liberauit, non tamen inuenio, quod bis aliquem sanauerit; vnde hoc? nunquid quod diuina virtus, quæ diuinæ omnipotentiç brachio innititur, secunda vice, sicut prima non posset morbos depellere infirmis reddere sanitatem? hoc non est dicendum: quia ait Psalm. 34. Propheta *omnia, & quæcumque voluit Deus fecit in Cælo, & in terra in mari, & in omnibus abyssis*. Et Ps. 101. dicitur. *Qui sanat omnes infirmitates tuas*. Cum etiam infinita sit virtus eius fortassis, quod semel quis sanatus in eũdem amplius non laberetur morbum? nec hoc mihi probatur, nam Lazarus si aliũ nesciremus, à Christo resuscitatus denuò morti cessit, vnde denuò etiã poterat ad vitã reuocari: vnde ergo fit quod tot morbos depulerit languentes curauerit, mortuos ad vitam reuocauerit, & propemodum infinitis sanitatem impertitus fuerit; non tamen de aliquo legitur secundò à Christo esse curatum, & à morbo liberatum? Christus quando morbos corporis sanabat, prius animæ saluti vacabat, vtpotè, quia peccatum corporalis morbi origo: quare dixit languido. Vt Io: 8. *Iam sanus factus es, vade noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:* Tum etiã vt Arist. ait p. Metaph. *Ex sanitate animæ, fit sanitas in corpore*. Multos igitur sanauit Christus, quæ sanitas symbolum est sanitatis animæ, ne peccator, qui multis est grauatus criminibus, grauissimis implicatus sceleribus de diuina misericordia, & de sua salute spem amittat, & de venia suorum peccatorum desperet, aut diffidat, quia vt ait D. Th. in Opusc. *Plus potest Deus dimittere, quam homo peccator committere plus parcere, quam peccator peccare*; quia misericordiæ eius non est numerus, dummodo peccator obicem suę obstinationis non ponat: verum non legitur secunda vice aliquem fuisse à Christo curatum, vt expauescat peccator, qui semel à Deo est curatus, & à culpa misericorditer liberatus, & absolutus, ne peccata peccatis adiũgat, ne propter ingratitudinem, ad diuinam misericordiam, & ad peccatorum sibi suorum veniam aditum inde præcludat. Ideo August. lib. de ver. & falsa pęnit. cap. 5. in principio Io. cap. 8. ait. *Ideo tot* (scilicet Christus) *saluauit febricitantes, tot languidos, & clandos, cæcos, & aridos, ne desperet de se peccator: ideo non scribitur aliquis nisi semel sanatus, vt timeat quisque iungi peccato*.

Cur Christus, qui tot infirmitates curauit non legitur aliquẽ bis sanasse.

Arist. Christus prius animæ, quam corporis, morbos curabat.

D. Thom.

Semel tantũ Christus sanauit morbos, ne peccator culpã culpę addat

August.

6 Secundò etiam possumus dicere *Experimentum periculosum*, quia peccatum animam ad mortem trahit. Imò ob culpam in proprij corporis sepulchro delitescit: dicitur Psalm. 48. *Sepulchra eorum domus illorum in perpetuum*. Quasi sepulchris defessos, & intra tumulos consistentes vocat impios: hi enim tam vicini sunt morti, vt iam inter sepulchra degere videantur: suis enim criminibus terram fodiũt, & in sepulchra se ipsos inferunt, & terræ semetipsos mandant. Quare Basil. in hunc locum ait. *Horum sepulchra sunt habitationes in æternum. Mortuus namque ratione peccati, non in domo, sed in sepulchro ob animam mortuum habitat*, Imò anima peccatoris, quæ ob culpam

Peccatum animam ad mortẽ trahit, & in proprij corporis sepulchro delitescit.

Basil.

mortua

mortua est Deo, à quo longissimè distat, qui est vera vita; solum viuens, hic, in corpore, in hoc quasi viuo sepulchro ipsa tumulata iacet, & sepulta. Vt Chrysol. serm. 19. ait. *Fit in corporis sepulchro viuo, funus animæ iam sepultum.* Et quod mors proxima sit peccato, hoc deduci potest, ex illo Luc. p. g. *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Sæpe peccatum vmbræ appellatur nomine, vt doceremur non amplius mortem à peccato distare, quam vmbra à corpore. Adhęret enim semper vmbra corpori, & semper quo vadit hoc, comitatur illa; nec ab eodem vlla vi separari potest; nō aliter mors peccatum sequitur, illi coniungitur, & firmiter adhæret. Insuper quo Sol longius absedit, & ad occasū properat, eo longiores vmbræ fiunt; sic ab anima quanto magis iustitiæ Sol scilicet Christus recedit, tanto magis mortis vmbræ eidem appropinquant. Quare Psal. 84. dicebat Dauid. *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.* Quare Ber. super hunc locum ait: *quantum enim corpori propè est vmbra, cuius est corpus, tantum pro certo vita illa nostra inferno appropinquauit.*

Chrysol.

Mors peccato proxima est. & illud sequitur, vt vmbra corpus.

Quo Sol iustitiæ lōgius ab anima absedit eò culpæ vmbrę longiores fiunt.

Ber.

7 Finem Peccatorū à longe, prophetiæ perspicillis prospiciens Dauid, inquit. *Mors peccatorum pessima Ps.* 33. Nō ne satius erat hoc de vita peccatorum, potiusquam de horum morte affirmare, quod sit pessima? quid enim peius, & deformius peccato inueniri potest? quod immediatè summo bono opponitur: dum enim viuit homo, tunc peccata cōmittit; in morte verò à peccato, quod amplius perpetrare neq; potest, ipse cessat; ergo magis incusanda videtur peccatorum vita, quā mors eorumdem? D. Basil. in hunc locum exponit illud nomen *mors* pro vita. Et ait *vita peccatorum pessima.* Sed quomodo, vita, qua immediatè morti opponitur, mortis sortietur denominationem, & formam? vita, quæ viuentibus dat esse subsistens, quomodo mors erit, quæ hoc esse à viuentibus tollit. Et quomodo mors, quæ meram priuationem dicit, habitus scilicet vitæ, personam geret, sortietur & nomen, cum vterque inter se omninò oppositos producat effectus. Sed dicamus, ideo D. Basilium, nomine mortis vitam appellare peccatoris, quia dum peccato se subijcit, & diabolo seruus efficitur, tam breuem suam vitam reddit, vt potius mors quam vita nuncupari possit; nam vt ait Apost. 1. Cor. 15. *Stimulus mortis peccatum est.* Sed quomodo hoc? inquiet quis; si mors est illa, quæ equitat, vt Io. 6. se vidisse dicit. Mortem equo insidentem: *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi, mors.* Suum ergo debet hæc stimulare equum; quomodo ergo ipsa à peccato stimulabitur, vt dicatur. *Stimulus mortis est peccatum?* Mors apud nostrates pingitur carne, neruis, & arterijs carens, vix ossibus arentibus constans: hæc igitur insidens equo pergere debet, quia ex se vix moueri valet, vt ita dicam, nisi equo deferatur, & cum plurima loca debeat adire, vt mortales, suo prosternens, subdat imperio; quia ait Apost. ad Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori;* ideo cogitur equitare; sed quia eius equus similis est morti, & proportionatur equiti, & est pallidus, & macer, sicut mors, quæ est veluti statua vix ossibus hærens, vt diximus. *Et ecce equus pallidus*, ideo mors tardè ex sevenit, vel vadit ad viuentes occidendum, verum si equus stimulis vrgetur, ecce fortior incedit; cum igitur mortis stimulus sit peccatū, tunc

Peccatorum vita, quomodo mors dicatur.

D. Basil.

Peccatorum vita, quomodo mors dici possit.

Peccato stimulatur mors, quæ ad peccatorem properat, vt à vita hunc tollat.

tunc cũ quis peccat calcaria, & stimulos exhibet, & admonet morti, quæ suum his pungit equũ, qui velocior currit, sic quæ tardè incedit, stimulis peccatorum, suum vrgendo equum, gressus accelerat, sic nostra peccando ad nos prestolatur, & citius ac credimus aduenit mors: quare cum tam acriter culpis stimuletur mortis equus cõtinuis peccatis, meritò propter vicinitatem ad mortem, peccatoris vita, mors potius censenda est, quam vita, quæ tam citò terminatur. Vel dicamus cum D. Hieronymo hic *Stimulus mortis est peccatum*. Quod iste stimulus sint sagittæ, quibus anima iaculatur ad mortem. verba D. Hieronymi. *Sagitta mortis peccatum, per quod animæ iugulantur, quare peccatoris vita meritò, quia pessima, mors vocari potest*. Quare D. Basilius Psalm. 33. huius loci ait: *Mors peccatorum pessima, vel omnem vitam mortem appellat, ex Pauli sententia, qui carnem hanc mortẽ vocat, dicens Rom. 7., quis liberabit me de morte corporis huius? qui autem hoc corpore abutuntur, & omne scelerum ministerium, atque instrumentum id faciunt, malam omnino præparant mortem.*

Hieron.

Basil.

In peccatũ corruẽs meritò mortuus censeri potest.

8 Qui in peccatum corruit meritò mortuus censeri potest, vel saltem morti proximus, nam peccator tantum caro est, spiritu carens, idest anima; & sicut carens anima est mortuus, quia mors est separatio animæ à corpore, sic peccator, vt sola caro spiritu carens mortuus dici potest. Gen. 6. *Dixitque Deus non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*. Egregiè Rup. Abb. lib. 4. in Genes. cap. 13. hic hunc exponens locum, accipit spiritum pro anima, quæ est imago Dei, & à Deo creata, ideo dicit Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine*, hoc est quasi diceret societatem, seu vnionem compositi animæ, & corporis in homine ego dissoluam animam à corpore separabo, breuiori termino peccatoris vitam concludam; sicut primos parentes à Paradiso terrestri abegit, ne vitæ fructum comederent, & in æternum viuerent. Et huius rigoris, & tantæ indignationis causam adducit, quare hoc facere vult; *quia inquit caro est*, quia sensus tantum, & caro in homine, non ratio dominatur, corporeis, tantum adhærens voluptatibus; sic anima quodammodo caro facta est; nam dum anima corpori, & sensui indulget tantum, & inseruit, in corpus quodammodo transire dicendũ. Quare cũ peccator ob culpam, secundum corpus, & animam sit totus caro factus; vel mortuus, vel morti proximus iudicandus. Quare verba Rup. sunt hæc. *Sicut tunc prouidens dixi, sic nunc cõfirmata sententia dico: quia spiritus meus, idest spiritus ad imaginem meam factus, non permanebit in hominibus in æternum, quia cum deberent esse spirituales homines, caro sunt; sola quæ caro sunt sapiunt. Adeo enim in sententia perdurabo, vt non modo non viuat homo in æternum, verum etiam breue viuendi tempus, & pauciores sint anni singulorum.*

Quia homo peccando fit caro, totus, sic Deus aufert spiritũ suum, idest animam ex quo sequitur hominis interitus.

Rup. Abb.

9 Luc. 10. *Homo quidam descẽdebat ab Ierusalem in Ierico, & incidit in latrones, qui etiam dispoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto*. Homo est in hoc mundo viator à Deo creatus, vt ad cœlestem Ierusalem iter carpens, bonorum operum gressibus, ciuitatis illius supernæ, ciuis inde adscriptus, comprehẽsor euaderet; quare Apost. ad Hebr. 11. *Non habemus*, inquit, *hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus*. *Descendebat*, hoc enim proprium est sensus humani, ad malum

Viator, qui incidit in latrones, symbolum peccatoris à diabolo victi.

Theoph. D Thom.

proni, ſuaptè natura tendentis: *deſcendebat*, inquit Theoph. hic iu. cat. Aur. D. Thom., *Semper enim natura humana ad inferiora tendebat.* Et ſicut aſſenſus ad vitam ſublimorem conatum ſignificat, ſic deſcenſus, lapſum de virtute ad vitia. Dum igitur deſcendit homo ab Ieruſalem in Ierico, hoc eſt à cęleſtiū contemplatione, ad ima terrenorum affectuum, & à virtutibus ad vitia declinans; Ieruſalem enim cęleſtem gloriam, & pacis viſionem ſignificat; Eſt enim in alto colle hęc ſita ciuitas, ſicut Ierico ad ora maris, vt Baſil. in Pſalm. 21. qui ait.

Baſil.

Illum miſerum hominem ex Ieruſalem in Iericuntina deiecit, hoc eſt altis locis ad ima: eſt enim Ieruſalē in colle ſita, Ierico autem in ora maris. Dum igitur ad vitia peccator deſcendit, ſeu ſenſuales affectus, vt Auguſt. contra Pelag. ait. *Deſcendit quaſi humiliatus, & miſer factus per peccatum.* In Ierico, qui vt ait D. Auguſt. de quæſt. Euang.

Auguſt. Auguſt.

Interpretatur Luna, ſignificat mortalitatem noſtram, propter hoc, quod naſcitur, creſcit, ſeneſcit, & occidit: incidit in latrones, qui dæmones ſunt, qui nos viatores in huius mundi via, armis ſuarum tentationum adoriuntur, & impetunt, vt Gregor. hom. 11. in Euang. ait: *In præſenti enim vita quaſi in via ſumus, qua ad patriam pergimus maligni autem ſpiritus quaſi quidam latrunculi iter noſtrum obſident.* Et hoc idem etiam ait hic S. Ambr. *Qui ſunt autem iſti latrones niſi Angeli noctis, & tenebrarum.* Quid igitur iſti faciunt in nos, vel in illum fecerunt? ait textus Luc. 10. *Incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerūt eum, & plagis impoſitis abierunt ſeminiuo relicto.* Hæc verba *etiam deſpoliauerunt* denotāt, quod aliquid prius præceſſerit: Illa dictio *etiam* additionem ſignificat, quid ergo prius egerunt? intelligendum eſt, quod prius confoſſum vulneribus, inde deſpoliauerint. Oppoſitum mihi videtur potius fuiſſe ſeruandum, vt prius exueretur veſtibus, deinde pugione, vel armis petendus, eſſet; vt veſtes ſeruarentur illæſæ, nec ſanguine cruentarentur. Sed hæc eſt diaboli proprietas, & aſtus, vt prius hominem percutiat, ideſt ad peccatum pertrahat, deinde expoliet veſte immortalitatis, quæ ei à Deo in baptiſmo donata eſt, vt eum morti obnoxium reddat ob peccatum; quare Aug. de quęſt. Euang. ait exponit. *Vel ſpoliauerunt hominem immortalitate.* Hunc igitur ordinem, obſeruant hæc duo ſemper, vt prius peccatum quis committat, quo mortem ad ſe allicit, quæ ſi fortè moras trahit, illud peccatū velut ſtimulus mortē pungit, vrget, vt ad ipſum accurrat, & properet peccatorem. Quare egregiè Baſil. hom. 21. ait. *Prius plaga, deinde nuditas narratur, nā animæ plaga peccatum, nuditas verò animæ immortalis amictus eſt ereptio. Peccatum namque gratiam per baptiſmi regenerationem nobis donatum abolet. Fornicatio plaga eſt, adulterium alia plaga, alia inuidia, libido alia plaga, auaritia itē alia: quolibet malum plaga eſt à latronibus, hoc eſt à demonibus noſtris ad culpam miniſtris nobis inflicta. Poſt plagas autem expoliatus eſt, vt planè diſcas quemadmodum culpa gratiæ priuationem, & amiſſionem præcedit.* Ecce quomodo peccatum ad ſe mortem trahit.

Greg.

Latrones, demones per peccatū vulnerant animam, & veſte immortalitates exuunt, ſic ad mortem eā adducunt.

Auguſt.

D. Baſil.

10 Hoc tam graue periculum corruendi in peccatum, quod in maximum animæ detrimentū vergit, attētè perpendens Regius Propheta ad Dominum conuerſus, orabat dicens Pſal. 16. *Cuſtodi me Domine, vt pupillam oculi.* Eſt pupilla adeo delicata, & nobile membrum,

A periculo corruendi in peccatū liberari petebat Dauid dicens. Cuſtodi me.

vt

Vt pupillam oculi petit custodiri Dauid, ne in peccatum prolaberetur.

vt facilè minimis etiam aeris atomis, & pilulis lædatur, ideo hoc natura, quæ non deficit in necessarijs, tot supercilijs, & palpebris communiuit, vt à minimis etiam infestationibus tueretur; sic ergo ait Dauid. *Custodi me, vt pupillam oculi.* ac si diceret, tam fragilis est humanæ naturæ conditio, labilis, sicut prona ad culpã, vt nisi diuinæ gratiæ præsidijs tutetur, & summa diligentia custodiatur facilè ab imundis, tentatione lędatur spiritibus, & in peccatum corruat. Quare Franciscus Titelmanus hic, ait: *Serua me Deus, & custodi, ab aduersarijs meis, diabolis, & hominibus malis, quærentes impedire, quæ tu vis fieri bona.* Quare ad eius salutem Dauid diuini auxilij dexteram implorat, vt diuinæ gratiæ munimine firmata demonis insultibus valeat anima eius obsistere, vt idem Titelmanus vt supra subdit. *Tu me dextera tua sic custodi, & serua diligentissimè, assidua tua protectione, quemadmodum in corpore pupilla oculi prouidentia naturæ solicitissimè custoditur, per continuum pelliculæ operculum, quod ipsam pupillam ab omni nocumento iugiter defendit, nè aliunde læsionem valeat recipere, aut quodlibet nocumentum*, & ait: *custodi me vt pupillam oculi*, non vt pedem, aut manum, quia ista membra non facilè incommodis, & horum contrarijs cedunt, sicut pupilla; vt ostenderet humanæ fragilitatem voluntatis, ita diaboli tentationibus proximisq; occasionibus hebetari, vt potiùs humana corporea natura, noxia corporis impedimenta depellat, infestantes humores superet, quam anima hoc est voluntas ad malum procliuis diaboli tentationes euincat. Vel tertio dicere possumus. *Custodi me, vt pupillam oculi*; ita custodiri petit animam suam, à peccato, vt potiùs cœtera membra, & corpus ipsum pereat, quam anima peccando amissionis diuinæ gratiæ iacturam faciat, vel patiatur. Vti Hug. Card. ait hic. *Custodi me, vt pupillam oculi, idest sic me custodi, vt potius manus, & corpus, & omnia quæ habeo ponam, quam lædar in anima.*

Quid sit vt pupillã oculi custodiri. Diuersæ rationes.

Titelman.

Prima ratio

Anima eius.

Titelman.

Secunda ratio.

Tertia ratio

Hug Card.

11 Cum post longum quadraginta dierum completum ieiunium in deserto incipisset esurire Saluator, ad hunc diabolus accessit tentatione, dicens Matth. 4. *Si filius Dei es dic, vt lapides isti panes fiant.* Cui petitioni obijciens Christus respondit. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei.* Quærit hic Angelicus Doctor, cur Christus panem è petris educere renuerit. Quid enim hoc facere miraculum, mali erat, cui poterat virtuti præiudicare? contra præceptum? de hoc nullum erat, & hoc etiam posito, nihil Christo veluti vniuersali legislatori obesse poterat, quia qui facit legem, non est subiectus legi, & eam quoq; quam sanxit potest destruere legem. Nunquid tale patrare miraculum erat contra ieiunium? hoc non, quia ieiunium iam completum erat, & absolutum. Nunquid contra gulam? si in hoc necessitas vrgebat, & fames ad vitæ sustentationem cibum exigebat; quocirca Angeli inde accesserunt, eidem Christo cibos ministrantes. Quare ergo sicut suadebat diabolus, Christus petras obiectas in panem non conuertit, qui aquas in deserto è petra eduxit sitienti populo, & eidem esurienti de Cœlo, desiderabile pluuit manna? si famescenti turbæ eum sequenti pariter in desertis regionibus, quinque panum, & duorum piscium cibo quinq; millia hominum multiplicando annonã miraculosè prouidit, & abundè eam pauit, cur tentatus à demone petras in panem

Cur Christus à diabolo tentatus, petras in panem conuertere recusauer.

non conuertit? non ne ipse in necessitate constitutus, melior erat filijs Israel, & turbis pastis? Si charitas incipit à se ipso, quare saltem eã quam alijs præstitit, sibi ipsi quoque non reseruauit in necessitate? Respondet idem S. Doctor, & ait? *Potuit absque dubio lapides in panem commutare, sed noluit, quia diabolus suggerebat, quia à leuioribus incœpit, vt postmodũ ad grauiora perducat.* Vt nos doceret, quam magnum malum sit animam in peccati periculum adducere, ideo à leuioribus culpis cauẽdum, ne in maiores, & grauiores incidamus, quare à minimis, vti ad maiora præambulis, peccatis est cauendum; qui enim minima negligit paulatim decidit.

D.Thom.

A leuioribus peccatis declinãdum, ne in maiora labamur.

12 Minima enim peccata, & leuia viam sternũt ad maiora, & grauiora. Hinc est quod Dauid Psalm. 118. dicebat. *Viã iniquitatis amoue à me; & de lege tua miserere mei.* Et quare potius non dicit iniquitatem amoue à me, quam viam iniquitatis? hæc enim est quæ immediatè charitati opponitur, diuinæ legi obstat, præceptis obsistit, Deum offendit, animam æternæ pœnæ subijcit reatui; non via iniquitatis: hæc enim via quamuis lata, & ad perditionem spatiosa, & periculosa saluti in se, nisi consensus pede teratur; ad mortalem non deuenitur culpam, æternæ animam nõ obstringit pœnæ. Quinimò in hanc casu incurrens, ab hac statim consensus voluntatis pedem auertens, tantum abest, vt animam culpa coinquinet, vt potius ab eadem cõsensus negatione declinãs maximè vti beatus laudetur. vt Psalm. p. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit;* Possemus dicere viam iniquitatis illam esse peccatoris ad culpã pronitatem, siue illud desiderium,

Quare viam iniquitatis, non iniquitatem à se amoueri orat Dauid?

Prima expositio.

quod ad peccatum pruritat in homine, quod & factis inde adimplere satagit, & hoc cum D. Hieronymo hic, qui sic exponit. *Via iniquitatis, idest desideriũ illud, per quod ad peccatum peruenitur.* Secundo dicere possumus viam iniquitatis, esse peccata sæpius repetita, instar viæ trita, quæ multorum actuum consensus voluntatis calcatur gressibus, in qua latis loris, & laxatis habenis sensus peruersi, absque vllo diuini timoris freno liberè, & voluntariè peccator percurrit, & spatiatur; quæ inquam via, ad æternum ducit interitum, vt Matth. cap. 7. *Lata porta est, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem;* Hæc est via iniquitatis à qua cauere, & declinare debemus, quã à se amoueri petebat Dauid dicens Ps. 118 *Viam iniquitatis amoue à me.* Vbi Incognitus: *Quamdiu exercemus aliquid improbum, via iniquitatis interius manet, & non recedit à nobis;* quare D. Ambrosius ait: *studiosè agamus, vt eam à nobis separemus;* sed quia hereditarium glutinum, mentibus inhæsit humanis; inde fit vt ab vno peccato allectus, in hoc sibi complacens, qui antecedens periculum non animaduertit, in maiora inde crimina prolabatur; ecce iniquitatis viam, multorum actuum gressibus, & consensus pedibus calcatam, & tritam, ad æternæ mortis præcipitium, infelicem ducens animam; à quo vt liberetur peculiare diuinæ misericordiæ auxilium deposcit: sicut vulnus in corpore inueteratum præcipuam medici curam, & perfectiorem medicinam requirit; ideo postquam dixit viam iniquitatis amoue à me, subdit, & de lege tua miserere mei. Quare Ambr. super hunc Psalm. 118. ait; *Et pulchrè dixit viam iniquitatis, non iniquitatem, eo quod non quasi naturalis iniquitas sit in nobis, sed*

Hieron.

Secunda expositio.

Incognit.

Ambr.

Via iniquitatis est multorum peccatorũ gressibus trita.

Ambr.

malorum

malorum post peccata currentium fit attrita vestigijs; meritoque, quia vulnus grande, & diu serpens, perfectioris medicinæ remedia deposcit; obsecrans, vt Domini legitima miseratione curetur.

13 Duo, mihi ad D. Petrum, mentem referens, consideranda modò facta objiciuntur: primum quando in mari existens, ad sequelam Christi vocatus cum fratre, non domum redijt, non ad retia cogitauit, non ad parentes, propinquos animum apulit, non ad maris delicias respexit, non ad piscationis lucra mente recurrit; sed relictis retibus, & naui, & omnibus alijs negotijs sæcularibus posthabitis, Christum sequutus est vocantem. Vt Matth. 4. *At illi continuò relictis retibus, sequuti sunt eum.* Ex altera parte considero eundẽ Petrum in atrio Caiphæ commorantem, & ter Christum negantem, sicut ei prædixerat Christus; vt Marc. 14. *Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus:* & quare, qui ad primam Saluatoris nostri vocem ad eius sequelam statim obaudiens acurrit, & in primo negationis suæ lapsu à muliere interrogatus, ad primam galli vocem inuitatus à culpa non resilijt, à negatione non resipuit, ad pœnitentiam non confugit, lacrymis peccati sui maculas continuò non absterfit? sed à prima ad secundam, & tertiam inconsideratè negationem processit; nec tantum simpliciter negat Christum, sed ad trinam negationem, adiurationem, & periurium quoque addidit, vt testis D. Marc. 14. ait, *Cœpit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis:* Sed ò Petre vbi modò tuæ fidelitatis argumentum, vbi animosæ tuæ protestationis cõspiciuntur effectus; Matth. 26. *Et si oportuerit me mori tecum nõ te negabo?* Vbi inuicti animi modo fortitudo, Luc. 22. c. *Paratus sum tecum in carcerem, & mortem ire?* quomodo petra es solida, Apostolici Collegij, & Ecclesiæ sanctę structuræ, qui vilis fęminæ interrogationis simplici aqua dissolueris? quare, qui ad sequelam vix vocatus venit, ad primam galli vocem dum cecidit non surrexit? sed ter admonitus vix aliquando tandem graue somnum culpæ, quo grauiter præmebatur, discutit? Ait D. Gregor. *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur mox suo pondere ad aliud trahit.* Quia primum peccatum ad aliud peccatum viam sternit, sic post priores primæ negationis gressus, in secundæ, & tertiæ negationis latam viam liberè, sine vlla timoris concussione cucurrit, & à negatione inde simplici, ad periurias audacter processit. Vt Theoph. in Marc. 14. qui ait. *Petrus semel negauit, deinde gallus cantauit negãre verò eo, duobus alijs negationibus, tunc gallus secundò vocem emisit.* Ecce quomodo *Experimentum periculosum*, quomodo primum peccatum consocijs alijs inde culpis ad ęternæ salutis interitum aditum liberum inde pandit.

Duo facta Petri: dum Christũ vocatus continuò sequitur, & dum Christũ negat, tardè ad pęnitentiam cõuertitur.

Greg. Peccatum, quod statim pœnitentia non tollitur, ad maiora viam inde aperit.

Theoph.

14 A tã igitur periculoso experimẽto culpæ animã ad æterna supplicia damnãtis, omni studio cauere debemus, finem infælicissimum, quem sortiri potest anima peccando, attentè considerantes. Ex Laertio in vita Diogenis habemus, quod Diogenes Philosophus in foro Athenienfi, sapientiam in auctionem duxit, vt vulgò dicitur; *post all'incanto*, quod si quis emere vellet sapientiã ad eum accederet, Rex quidam vicinus, hoc audiens, misit ærarij sui Præfectum ad Diogenem, vt sapientiam quocunque prætio non omitteret comparare; huic

Laert. Diogenes sapientiam in auctionẽ ponit.

¶ Ne culpa, periclitetur anima, finẽ peccati, respicere debemus.

huic Diogenes hanc chartam sic scriptam tradidit. *In omnibus respice finem*, quam sententiam tanti fecit ille Rex, vt in Aulæ suæ vestibulo magnis literis aureis conscribere præceperit. Quid indè? nonnulli Regis inimici, qui in hunc conspirauerant, de medio tollere ad Aulam Regiam accedentes, supradictas literas legentes substiterunt, in horum parumper contemplatione immorantes, de fine, qui ex eorum homicidio sortiri posset cogitantes, sic ab incæpto facinore deterriti abstinuerunt, vnanimes pedem reuocantes; sic ista sapientia Regi vitam seruauit. Tantum enim finis, & rerum exitus consideratio valet; Sic peccator, antequam per peccatũ animam in discrimen adducat, benè finem cogitare debet, quod Deum offendit, suam occidit animam, & sempiternis se subijcit inferni supplicijs. Antequam igitur conceptam parias iniquitatem, cogita finem, qualem sit culpa exitum habitura, quod diuinam prouocas indignationem, & quod fortassis, tua considerata malitia amplius tuorum peccatorum veniam, non largietur, Deus; & quod mundi cuncta blandimenta transeunt, & culparum diuinæ iustitię soluenda sola pœna manet, quare meritò Apostolus ad Rom. 9. ait: *Quem fructum habuistis, tunc in his, in quibus nunc erubescitis?*

Diogenis sententiam attendentes quidã, à cõspiratione in regem se abstinuerunt.

15 Hoc maximum animæ periculum attentè perpendebat castissima illa Susanna, vt Dan. 13. quæ cum ab illis senibus iudicibus ad turpem carnis actionem solicitaretur, renuit eorum impiæ petitioni assentiri, eorum nefandissimis desiderijs aquiescere, noluit immundarum harum voluptatum cæno animam comaculare innocentem; quare sibi potius mortem statuens subire, quam animæ suæ iacturam in impudicitijs pati, dixit: *Si hoc egero mors mihi est, si non egero, non effugiam manus vestras: sed melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini*, sed quid ais ò sãcta mulier, *si hoc egero mors mihi est*? imò oppositum, si adulterio assentieris mortem effugies, si hoc non commiseris, morieris. Mortem enim tibi eorum falso testimonio minantur; dicẽtes, vt Dan. ibidem, *Si nolueris, dicemus contra te* (*aiũt senes*) *testimonium, quod fuerit tecum iuuenis, & ob hanc causam emiseris puellas à tè*. Sed hanc temporalem corporis mortem nihil ducebat Susanna; animæ interitum expauebat, hanc in æternæ mortis periculum adducere formidabat, quare diuinas leges propriæ vitæ iure meritò antepos uit. Ab hac hebrea muliere discamus, malum, quod in animæ detrimẽtum reprobare, & bonum ad spiritualis vitæ salutem, quod eligere debemus.

Hoc animæ periculum perpendens Susanna, potius mortẽ sibi elegit, quam Deum offendere.

16 Veri Christiani peritissimi Christi athletæ, qui pro fide viriliter decertantes, victoriam ab hostibus reportarunt; in tentationum diabolicarum studio currẽtes, æternæ mortis periculum, in quod incurritur culpa, formidantes, à certamine sunt deterriti. Ad hoc facit historia, quam incorruptæ veritatis Auctor narrat Io: Boterus lib. p. dict. memorab. vir. illust. de Garzia Nauarræ Prorege, bellicoso, & strenuissimo Duce, qui in bellorum apparatu, acie instructa, cum manus cum hoste conserere debebat, tanto corripiebatur terrore, vt totis cõtermisceret artubus, quod tamen non animi imbecillitati attribuendum erat, ait Auctor, hoc enim longè aberat à magnanimo Garzia; sed potius prudentię adscribẽdum, si quidem comprænhendebat animo, quantum esset aleæ, quod subibat

Boter. Historia de Garzia Nauarræ Prorege, cũ hoste pugnaturus, maximo tremore corripiebatur. periculum cõsiderans.

bibat discrimen, & cui se exponebat periculo, hoc enim apud magnanimos viros magni est faciendum. Sic qui iam christianæ militiæ adscriptus, in hostem humani generis decertans sæpius victoriæ coronam reportauit, & triumphum cecinit. Qui ad nouam luctam cum dæmone in tentationum stadio descendit, culpæ periculum reformidans, quod æternæ mortis symbolum est, maximo timore, & terrore afficitur, vnde merito prou. 28. dicitur. *Beatus homo, qui semper est pauidus*. Sic enim timendo mortem vincimus, periculum formidantes periculum mortis euadimus. Vt Greg. hom. 13. in Euang. *Sic mors ipsa vincitur si prius quam venerit semper timeatur*. Quod de spirituali animæ interitu exponi potest.

Greg.

Iudicium difficile.

§. IX. In rebus dubijs, incertis, & futuris, quarum causas, circunstantias, & accidentia, & finem ignoramus, in re graui in præiudicium alterius determinatè, in deteriorem partem, velle iudicare iudicium difficile, & animæ periculosum.

1 IVdicium Medici censet Hippocrates difficile esse, ob rei difficilem cognitionem: est, itaque iudicium recta ratio cognoscendi aliquid, & secundum Angelicum præceptorem p. 2. qu. 93. 2. ad tertium, & 2. 2. qu. 60. 1. ad primum. *Iudicium secundum primam nominis impositionem significat rectam determinationem iustorum*, licet postea ampliatum sit nomen ad significandum omnem rectam determinationem speculatiuam, vel practicam. Iudicium Medici est, vt cognoscat morbi naturam, vnde inceperit, quem finem sit habiturus, & quæcumque alia, quæ morbum antecedunt, committantur, atque sequuntur, deinde debet agnoscere ægri naturam, & circumstantias, & accidentia quæ omnia plurimum temporis, studij, disciplinæ cum requirant, ideo *Iudicium difficile*. Eodem prorsus modo sicut de morbo physico, & corporali, ita de spirituali, vel morali actuum, operationum, discursus, proportionaliter de proximo ratiocinari nos posse videtur. Quare ille imperitus Medicus, peccator dici potest, qui facilè de morbo defectus proximi, actionum videlicet, siue sermonum apparenter malorum, qui causam morbi spiritualis talium actionum, seu quorumcunque actuum, naturam agentis intentionem principium, & finem rei, substantiam factique veritatē ignorat certè, & determinatè, quod sibi in animum ineptè induxerat iudicare, præsumit. Maximè in re graui, in deteriorem partem, de interitu mortis, scilicet peccati, de malo fine, de facti substantia, & de agentis intentione. *Iudicium difficile*, vt ait D. Chris. lib. p. de cōpunct. cordis. *In discutiendo, & perquirendo aliena commissa labor est, & iudicare de alterius mente, difficultas summa*. Quare hoc iudicium non potest primò dici recta ratio aliquid cognoscendi, quia nō cognoscit, nec cognoscere potest, in quo iudicium fert. Nec secundo potest dici hoc iudicium recta determinatio iustorum, quia sine fundamento iustitiæ est, & contra charitatem, quia benè semper de proximo sentire debemus, vt D. Aug. in reg. *Et si mala videantur, bona tamen suspicentur*; quare iudicium hoc difficile, & per peccatum, animæ periculosum. Nā dicitur Rom. 2. 2.

D. Thom.

Quid iudicium.

Quid iudicium Medici.

Sicut in morbo corporali, sic in spirituali iudicare difficile, & periculosum animabus.

Chris.

Iudiciū temerariū, veri iudicij formam nō induit.

August.

2. a. *Inexcusabilis es ò homo omnis, qui iudicas: In quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas.* Quare temerarij iudicis, qui sic iudicat, quæ non videt, sibi nomen adsiscit.

Iudicij auctoritas est in subditos. Anima autē nostra soli Deo subdita est.

2 *Iudicium difficile*; quia nullus Iudex habet auctoritatem iudicandi, nisi sibi subditum; solum anima nostra nobis est subiecta, quam iudicare possumus, vt 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur:* non autem anima proximi, non cor, non huius intentio, sed soli Deo; nam homo videt ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor. Ergo non potest quis, alterius mentis, intentionis, & cordis arbiter esse ad iudicādum; vt Rom. 14. a. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* quasi dicat, quis talem te constituit iudicem, vt non tibi subditum iudicare præsumas? Meritò cum tibi hoc munus non competat, & tibi hoc tribuas, temerarius Iudex vocari potes, & temerarium consequenter tuum erit iudicium. Nec solum temeritatis notam inurit iudicans, in quo non habet potestatem; sed etiam cum incerta, & ambigua in deteriorem partem determinatè iudicat. Quare Chrisost. homil. 43. super Matth. tom. 2. d. ait. *Si aperta in dedecus aliorum dicenda non sunt, quanto magis silentio tradenda, quæ ambigua. Duo,* ait D. August. lib. 2. de ser. Dom. in monte cap. 28. in fin. *Sunt, in quibus temerarium iudicium cauere debemus, cum incertum est, quo animo quidque factum fuerit: vel cum incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc, vel bonus, vel malus apparet; si ergo quispiam, v. g. conquestus de stomacho ieiunare noluit: & tu id non credens, edacitatis vitio tribueris, timerè iudicabis. Item, si manifestam edacitatem, ebrietatemque cognoueris: & ita reprehenderis, quasi nunquam illa possit corrigi, atque mutari, nihilominus temerè iudicabis.*

Chris. In duobus debemus cauere à iudicio quādo incerti sumus de animo proximi, & de fine actionis. August.

3 Vel secundo dicere possumus Rom. 14. *Tu, quis es, qui iudicas alienum seruum?* quasi dicere velit Apostolus, an tibi Dei auctoritatē, & cognitionem tribuis, & arrogas sapientiam, vt soli Deo nota, tibi occulta secreta rimari, & vindicas arroges, & præsumas? vere superbus, inter omnes, & Luciferi sectator dignosceris. Quod, vt manifestè fiat, attendite. Quodnam, quæso, peto, fuit Luciferi peccatum? omnibus patet fuisse peccatum superbiæ, velle similem esse Deo, vt Esai. 14. c. *In Cælum conscendam, & ero similis altissimo*: tales sunt temerarij Iudices velle tribuere, & sibi arrogare, quod Deo soli competit. Dei proprium est occulta facta aliorum videre, & iudicare, vt 11. quæst. p. nomen præsbiteri. Ierem. 17. *Ego Dominus scrutans corda, & renes, qui do vnicuique iuxta viam suam.* Et p. reg. 16. *Homines vident, quæ foris sunt: Deus autem intuetur cor.* Item 3. reg. 8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Et in Deut. d. 32. *Secretorum cognitor, & Iudex est Deus.* Et 11. quæst. 5. *Vt neque Angelus, neq; dæmon ea possit scire, nisi Deo reuelante, neq; Sancti, neque B. Virgo.* Quare meritò intulit D. Ambr. lib. 2. in caput Luc. 2. *Nuda, & aperta sunt omnia Dei filio, quem conscientiæ secreta non fallunt.* Qui ergo secreta cordium, & futura vult temerè iudicare, attribuit sibi, quod Deo soli competit; ergo vult similis esse Deo; ergo superbus, ecce Lucifer, vel huius sectator. Quare D. Thom. opusc. 19. contra impugnantes relig. ait: *In hoc, quod solius Dei est, vsurpant, scilicet scire futura, & secreta cordium.*

Lucifero cōparari potest, temerè iudicare volens.

11. qu. p. nomē presbit.

11. quæst. 5. Secreta cordium, nemo nouit, nisi Deus.

Ambr.

D. Thom. Temerarij Iudices, qui quod soli Deo conuenit sibi ad scribunt.

4 *Iudicium difficile.* Hoc deduci potest ex lege ciuili per textum

Ex lege ciuil. 135.

l. p.

l. p. §. trium. lum de vẽtr. inspic.

In pregnante muliere ad cognitionem partus, tria lumina.

l. p. §. trium lumin. de ventre inspiciẽdo, vbi deducitur quod Iudex ad verum iudicium exercendum in muliere pregnante, vt iuridica, & valida statuatur actio; tria ad talem cognitionem lumina adhibenda sint, vt si vnum extinguatur, alia suppleant, & hoc tam die, quam noctu fiat. modo ad rem nostram si ad iudicandum id quod oculis nostris patere potest, maximè dum dies illuscescit, vt iuridica sit actio, requiruntur tria lumina; quomodo homo occulta, quæ non videt; incerta, quæ non agnoscit; futura, quę non perspicit, determinatè iudicare poterit in proximi præiudicium, absq; trium luminum cognitionis claritate? hoc iudicium fallax erit, & falsum, & iudex temerarij iudicij, & læthalis culpæ reus erit. Tria igitur admoueantur moralia lumina; & quæ erunt ista? hæc nobis exponit Angelicus Doctor noster 2. 2. quæst. 60. a. 2. c. Vbi

D. Thom.

Tria lumina moraliter requisita ad iudicium licitum ferẽdum de proximo.

quærit an iudicium sit licitum, ad hoc tria requiri ait; *Ecce tria lumina:* primò quod Iudex procedat ex inclinatione iustitiæ, vt scilicet non odio, vel passione, vel interesse aliquo, iniquè moueatur ad iudicandum, sed secundum rectitudinem iustitiæ; secundò, quod habeat auctoritatem, aliter diceretur iudicium vsurpatum; tertiò, quod secundum rectam rationem prudentiæ procedat, puta, quod nõ moueatur, ex leuibus indicijs, coniecturis, ex rebus dubijs, & occultis, & similibus ad iudicandum: quodcumque horum defuerit, ait D. Th. *Iudicium erit vitiosum, & illicitũ;* Et totum hoc exemplificari posset in aliquo vulnerato cadauere, super quod Iudex procedit ad cognitionem, & ad sententiam in reum, & occisorem ferendam &c. in quibus, hæc tria supradicta requiruntur. Modo ad nos redeamus. Licet ne de proximo iudicare? tu qui alium iudicare intendis, sunt ne tibi hæc tria lumina? est ne primum: cum iudicas? procedis ne secundũ rectitudinem iustitię, non ex odio, passione, vel alio interesse? nã mater, quæ deligit filium, in filium dicta, in bonam partem interpretatur, maximè ambigua, quia mater est; è contra inimicus &c. si igitur tu in deteriorem partem interpretaris, quæ non certò habes de proximo; hoc ex odio procedit, ergo inimicus es, & sic deficit tibi p. lumen; secuncundò habes ne auctoritatem supra conscientiam alterius? non profectò, & ecce, quod tibi deficit secundum lumen; tertiò procedis ne ex sufficientibus indicijs, quando de proximo iudicas &c. ex certis coniecturis? scis ne, quo animo, qua intentione facta sint, quæ iudicas? vidisti tu, audisti à probis viris &c.? Vides illũ tẽpore ieiunij comedere v. g. extra horam prandij; iudicas illum crapulatorẽ, & ieiunia soluere? scis ne hora competenti comedisse in prandio? scis ne esse sanũ, vel valetudinarium, aliqua non detineri infirmitate, qua tenetur, non solum frangere ieiunium, sed etiam cibis carnis ad sanitatem sibi necesse, vesci? hoc nescis, & tamen eum crapulatorem prædicas, ergo in iudicio, hoc tertium tibi lumen quoque deest; tuum ergo iudicium est temerarium, & fallax, sic peccas mortaliter.

Quæ sint ista tria lumina moralia, quæ ad iudicandũ requirũtur, ne temerè iudicemus.

5 *Iudicium difficile*; quia ambigua pro certo in deteriorem partẽ iudicantes, & nobis, culpa, & proximis nostris, periculo ablationis famæ, præiudicamus; quare ad certam cognitionem veritatis rei iudicium diferre debemus. Huius argumentum nobis subditur in illa parabola Saluatoris nostri de illo, qui bonum semen seminauerat in agro suo, in quo inimicus super semi-

Ambigua iudicare in nostri, & proximi præiudiciũ vergit.

De tritico, & zizania parabola ad rem nostram exponitur.

seminauerat zizania, vt Matth. 13. *Cum igitur cresceret frumentum tunc apparuerunt, & zizania.* Hoc videntes serui dicunt; vis imus, & colligimus ea? respondit Dominus, non; & quare frumentũ non vult à zizania purgari? ratio est, quia, vt ait D. Hieron. super Matth. cap. 13. *Inter triticum, & lolium quandiù herba est, nondum calamus venit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo, aut nulla, aut perdifficilis distinctio est.* Ideo ait: *non.* Non vult colligi zizania, siue lolium, ne ob multam similitudinem inter hæc, cum discerni vnum ab altero clarè non possit; *ne colligentes zizania*, ait textus, *simul eradicetis, & triticum*; quare subdit *sinite crescere vsque ad messem*; quãdo triticum à lolio clarè poterit secerni, tunc lolium à tritico separari poterit. Semen est Verbum Dei, ait Christus, siue sanctæ cogitationes, quas Deus fidelium cordibus immittit, quasi in spirituali agro seminat, quod per consensum, & bonum propositum germinat, & crescit ad profectum. *Diabolus est inimicus*, ait August. 233. de temp. *Qui superseminauit peccata*, malas cogitationes, ecce zizania, vt etiam Bed. Matth. 13. *Hæc quidem sententia*, ait, *cautos nos esse admonet; ne dum torpemus inertia, diabolus fœditatem vitiorum super semen bonæ voluntatis spargat.* Crescit igitur hoc semen diaboli, per volũtatis consensum primò germinans, inde per delectationem morosam, vnde culpe sæpe apparet zizanium, siue lolium: *Vis imus, & colligimus ea*, dicit mũdus? possumus hæc peccata, certò ex actionibus, & signis; siue indicijs iudicare, & manifestare? respondetur, non licere propter periculum, ne fortè colligentes zizania simul cum illis eradicetis, & triticum. Vbi Orig. homil. 21. in Iosue. *Ita etiam super ijs dici potest; in quibus, vel dubia, vel occulta peccata sunt; ne dum zizania colligere, cogitamus, ambigua, & dubia iudicando; siue manifestando; etiam triticum famæ eradicemus*; quare sinite crescere vsque ad messem, quod nobis veritas elucescat facti, & in die Iudicij, tunc lolium culpæ à tritico bonorũ operum secernetur; quare D. Hieronym. hic. *Præmonet Dominus, ne vbi quod ambiguum est, citò sententiam proferamus, sed Deo Iudici terminum reseruemus.*

Hieron.

Ne ambigua iudicemus.

Quomodo in agro cordis nostri seminat Christus, & superseminat diabolus.

August.

Bed.

Orig.

In ambiguis Deo iudiciũ reseruandũ.

Hieron.

6 In comicis scenis sæpè histriones sexum mentientes, in apparentia spectatores, & auditores decipiunt; nam fœmina quandoque viri habitum induit, & personam gerit, sicut adolescens fœminæ formam assumet, & verè tales aspectui nostro videntur; quod si ex simplici specie, aspectu, visu, & actionibus, seu sermonibus, à quibus proportionaliter persona consociatur, de his iudicium simpliciter ferre vellemus, quales nobis videntur, tales verè eos esse iudicaremus, secũdum conceptum, quem nostris mentibus ex aspectu ingerunt; & tamen deciperemur, accipientes, & iudicantes masculum pro fęmina, sicut è contra diuitem pro paupere, senem pro iuuene, secundum formas, quas assumunt; reliquum igitur est, ad finem comœdiæ, quando vnaquæque persona deposito mentito habitu ad suum esse, & statum proprium redit, & certè dignosci potest, differrè iudicium, ne erremus. *Mundus iste*, ait Seneca, in epist. *comica scena est*; in qua multi secũdum eorumdem sermones, actiones, actus, gestus, diuersarum personarum formam induunt, & gerunt; sed præceps quoque quandoque est humanum iudiciũ, quod ex simplici aspectu, auditu & ex le-

Histriones in scenis diuersas formas induũt, nõ propterea tales sũt verè iudicãdi ex apparentia.

Senec.

Nisi terminata rerum apparentia iudicare debemus, ne erremus.

uibus indicijs iudicium ferre præsumit, antequam apparentiæ terminetur scena, & elucescat rei veritas; quare Christus docet nos, ne secundum apparẽtiam iudicemus, sed secundum facti veritatem. Ideo ait Io: 7. *Nolite secundum faciem iudicare; sed rectum iudicium iudicate*. Quandoque aliquis iratus in huius mundi scena Capitanei formam induere videtur, dum offensus, ira accensus, de repentè, sermone irruit in vindictam, quam ex decore suo assumẽdam sibi persuadet; Audiens hoc quidam statim verè Capitaneum credit, & superbum, vindicem, seu etiam sanguinolentum profert, & prædicat, & tamen hoc solum, quod dixit ex irę furore, non ex resolutæ voluntatis determinatione processit; ecce temerarij iudicij peccatum. Ideò *nolite secundum faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate*, finem comediæ expectate, donec apparentia terminaretur. Est mulier, quę vt viro suo placeat, prætiosis se vestibus induit, corpus ad venustatem coloribus, pigmentis ornans genas, & retortis crinibus componit; hanc quis malæ opinionis videns, sinistrum, malæ, seu adulteræ fœminæ format conceptum, quod malæ famæ mulier sit, & ad malum finem sit ornatus eius, & tamen decipitur. *Nolite secundum faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate. In quo enim alterum iudicas*, ait Apost. ad Rom. 2. *te ipsum condemnas*.

Moralis eruditio in temerè iudicantem.

7 Ne igitur in temerariũ iudiciũ declinemus, ex sapientissimo Salomone lectionẽ depromamus, apud quem cum diuertisset Regina Saba, vt illius sapientiam experiretur in eum enigmatibus tentando; Inter cętera, Salomoni detulit quosdam flores arte elaboratos confectos, & quosdam naturales, qui inter se ità conueniebant similitudine, vt ab eodem penè artificè omnes confecti, & nihil omninò inter se differre viderentur, in his tentauit Salomonem ad iudicandum, qui nãm flores essent naturales, & quinam artificiales; quid egit Salomon? à discretionis iudicio primò abstinuit; sed seorsim illos flores in loco quodam reponi, & apes inde afferri iussit, quæ dimmissæ, & sibi relictę, vt naturæ magistræ, relictis floribus artificialibus, ad naturales euolarunt; tunc Salomon hos flores naturales esse iudicauit, quos apes discreuerunt. Sic Salomonis sapientiam, illa experta est. Ita nos in rebus dubijs, non debemus esse sapiẽtiores Salomone, iudicium in proximi maximè præiudicium ferendo; sed Spiritus Sancti apibus, reseruare, Deo ipsi, qui nouit abscondita cordium, & qui iudicaturus est orbem terrarum in æquitate, nec falli potest. Vt B. Laurent. Iustin. lib. p. de spirituali animæ interitu, qui ait. *Præcauenda prorsus sunt à fidelibus ista iudicia, quæ absque peccato fieri nequeunt, ipsi soli cordium sunt humiliter reseruanda iudicia, qui in æquitate iudicaturus est orbem*.

Regina Saba ad experiendã Salomonis sapientiã hũc conuenit.

Ex apũ indicio Salomon naturales ab artificialibus floribus discernendo, iudicat.

Nobis dubia, vt Deo certa reseruemus iudicanda.

B. Laur. Iustin.

8 Cum continui peccatorũ fœtentium clamores diuinas aures obsurdescerent, scelestissimorum illorum Sodomorum, & Gomorrehorum; & assiduis horum culpis ad pœnas esset lacessitus Deus; non statim eos debitis pęnis animaduertit, quin prius illorum causam excessuum, quasi per processus, ad facti claritatem diuina vintillaret iustitia, vt Gen. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrehorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*. Quod peccatorum clamor ad aures diuinas ascendat, hoc non miror, quia ait

Quomodo ad Sodomorum pęnam, Deus dicitur descendere, vt videat, horum culpas.

Ambr. D. Ambr. *Peccata suas habent voces.* Quod his ad pœnas, & supplicia irroganda diuina prouocetur iustitia; non dubito de hoc, quia Hierem. 50. d. *Illaqueaui te, & capta es Babylon, quoniam Dominum prouocasti.* Verum dicere illum, cui omnia patent, cuius oculis omnia nuda, & aperta sunt; de cœlis velle descendere, qui omnia replet loca, vt videat, quasi aliquid eum latere possit, vtrum re sit, sicut clamor peccatorum, in auribus suis intonuit, hoc mirabile, & inauditum. *Cum in altis habitet,* ait Psal. 112. *Et humilia respiciat in Cœlo, & in terra.* Et Chrysol. serm. 2. ait. *videt iste per totũ mundũ, nuda Dei oculis delicta consistere; non Cœlũ, non terra, non maria, non abyssum, non ipsam noctem Deo velare posse peccata.* Cur igitur dicit descendam, & videbo &c. sed hoc, ad nostri dicitur eruditionem, ait Greg. 19. mor. Quia si Deus, qui omnia intuetur, & in omnibus locis, & vbique est, vt ait D. Thom. 1. qu. 1. per essentiam, præsentiam, & potiam; vt de culpis iudicet, dicit velle prius descendere, vt videat, si verum est, quod audiuit de peccatis, & excessibus illorum; quanto magis creatura vilis; vt est homo, qui in vno tantum loco determinari, & circumscribi potest, qui lippis oculis multoties erroris, deceptus, videt, debet prius quam ad iudiciũ veniat, & sententiam in præiudicium proximi, causas, & rationes pro veritate subtiliter, & diligenter perscrutari? sic dicitur Deus, descendere, verba Gregorij. *Vt nobis exempla proponat, ne mala hominũ ante præsumamus credere, quã probare.* Et Ambr. lib. p. de Abraham cap. 6. ait. *Descendam, inquit, vt videam: Hoc est, etiam tu descendere cura, descende indaginis studio, ne quid sit, quod fallat, aut lateat absentem; vt oculis facinus deprehendas: eminus positi multa nescire possunt.* Et etiam Philo hebr. lib. de confus. ling. in Gen. 18. ait. *Deus dicitur ad visendum descendere, qui omnia, prius quam fiant, prævidet manifestissimè; vt doceamur, ne quis homo de absentibus, & futuris, & incertis putet, se posse coniecturam facere; sed prius maximè prospicere debet. visus enim certus, potius quam fallax auditus, testis adhibendus est.*

Chrysol. — D.Th. — Mala hominũ, non prius debemus iudicare, quam cognoscere. — Greg. — Ambr. — Philo.

9 Eodem modo de peccato Adæ discurrere possumus. Cum huius crimen esset puniturus Deus, non statim culpæ pœnam addixit, sed eum misericordi voce ad confessionem interrogatione prouocauit, vt prius suum delictum fateretur, antequam, eidem pœnitentiam inferret; ait igitur Deus Genes. 3. *Adam vbi es?* An Deus diuinæ omnipotentiæ suæ, ab Adam oculos auerterat, vt ipsum non videret, vbi esset. Vt diceret vbi es? vbi Chris. ait. *Ad confessionem prouocat, dum interrogat, vult eum fateri peccatum, dum ab eo inquirit admissum, quærit misereri, dum cum reo de culpa colloquitur.* Sed si huius culpa diuinæ maiestati innotuerat, ad quid eius peccati cõfessionem ab Adam eruere? hoc ad nostri instructionẽ præmisit, ne ad alicuius pœnæ iudicium deueniamus, prius quam facti notitiam, rei confessione recipiamus; quare Abulens. in Genes. 26. quæst. 647. ait. *Hoc fuit ad instruendum nos, qualiter in causis procedamus, nam si Deus, qui omnia nouit, voluit ad puniendum adhuc habere confessionem, quanto magis hoc facere debent homines, qui decipi possunt?*

Cur Deus, qui omnia videt, dicit Adæ post peccatum, Vbi es? — Chris. — Prius factũ videre, quã sententiam ferre debemus. — Abulens.

10 Imò ita facilè decipi possumus, vt nec auditui, nec visui, imò nec tactui certa præstãda sit, ad bene iudicandum, fides; quare nec sensui

Non omnino sensibus ad iudicandum prestãda est fides.

Fallit nos vox, vt in Samuele à Deo vocatus Heli voce[m] sumēte.

sui omnino credendum, ex his facilè etiam sæpe erramus in iudicio ferendo. Fallit persæpe auditus hominem, vt 1. reg. 3. Quando Dominus vocauit Samuelem, Heli vocem imitans, ille existimans Heli esse vocem, ad hunc accurrit, etiam tertio; tandem consilio Heli, Samuel Domini vocem agnouit. Si igitur Samuel secūdum vocis sonū, & tonū iudicare voluisset, verè Heli vocem esse dixisset, & tamen non huius, sed Domini vox erat. Nec certò secundum visum iudicium proferre debemus; ait enim Marc. Tull. de orat. lib. 11. *Imago animi est vultus, nam hac, sunt vna pars corporis, qua quot animi motus sunt, tot significationes possunt efficere*; sed tamen fallit. Herus Ioseph videns vxorem suam pulchram manu pallium pueri Ioseph gestantem, in lecto nudam, & non procul ab ea adolescentem, hunc impudicæ vexationis reum, quem accusabat, facilè credit, hæc omnia prospiciens; qui tamen deceptus est ex visu, & ex simulatis, se excusare volentis impudicæ fœminæ, verbis. Remus siue baculus secundum partem aquis immersus, videtur fractus, & contortus, quē si sicut videmus, talem esse iudicaremus, falsum esset iudicium; nam rectus ab aquis extractus clarè dignoscitur. Imò nec quæ tangimus, secūdum sensum tactus adhuc certè iudicare debemus; ex hoc enim à sensu etiam decipi quādoq; possumus, vt patet cum per permutationem digitorum pilam aliquam vel simile quid tangimus, quod cū simplex sit, duo videntur: si enim vt sensu tactus apprehendimus, iudicium ferremus, certè duo iudicaremus, esse tacta, & tamen vnum tantum, & simplex dignoscimus tactū, quod etiam patet de Isac, Iacob tangente manus, quas esse Esau adiudicauit, vt Gen. 27. *vox Iacob manus autem Esau*. Et quia tactui credidit deceptus est.

M. Tull.

Gen. 39.

Ex visu erramus, vt in Domina Ioseph, huius palium tenente.

Vt in remo in aqua secundū partem, qui videtur fractus.

Ex ipso tactu quoque decipimur ad iudicandūm.

11 Humanæ fragilitatis propriū est, & sensus, ad malum procliuis, sine certitudine, & rei cognitione mente in præceps ruere, & temerè de proximo in re incerta velle iudicare, onde nec mirum, si errant, & in culpam inde labantur. Ezechiel. p. Vidit iste Propheta currum, qui à quatuor vehebatur animalibus. Capite numero decimo refert id quod prius viderat capite primo, & dicit, quod non erant animalia sed Cherubin. vt textus Ezech. 10. d. *Et intellexi, quod Cherubim essent*, & vnde mentis, & huius opinionis differentia processit, vt primo crederet, & proferret animalia esse, deinde capite decimo, esse Cherubin? quare sentētia diuertit à prima narratione? non ne est idem currus, quem vidit prius iuxta fluuiū Chobar? ita profectò, sic ait Ezech. 10. *Ipsum est animal, quod vidi supter Deum Israel iuxta fluuium Chobar*. Et quomodo modo ait, esse Cherubim, quæ prius animalia esse recensuit, quomodo secundum à primo differt iudicium? quomodo tam citò, & facilè animalia in seraphim transierunt? Gaspar. sanct. in cap. p. Ezechiel. ait. *Spectarat prius propheta, procul tamen, quia spectarat in Cælo, nunc autem, quia propius aspicit non iam amplius animalia nominat, sed Cherubinos*. Ratio igitur difficultatis, & differentiæ iudicij, à diuersitate visionis prouenit, primo enim propheta à longè currum aspexit scilicet in Cœlo, ipse degens in terra. In cap. verò decimo, quia eundem currum propius vidit, ideo magis certè, & tutò iudicat, & decernit; quare si errare nolumus ante iudicium, rem, quam iudicamus, prius magis propè, & certius eiusdem cognitionem indagemus

Non tā citò à sensu decepti, iudicium de rebus ferre debemus.

Variū Ezechielis iudicium circa trahentes currum, primo dicit esse animalia, deinde Seraphim.

Gasp. Sanct.

Res propè ad iudicandū non longe inspicere debemus.

gemus, quia aliter ad iudicium falsum, citò lingua ad mendacium accurrit.

12 Hinc est, quod Eccles. 3. *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum.* Hæc est differentia inter improbos, & probos, quod improbi, & stulti non rimantur, & cogitant, quæ proferunt, & prius dicunt, quam dictorum qualitatem perpendant, iusti autem prius verba ponderant, antequam proferant. Quare Hug. Card. hic: *Verba improborũ, inquit prius sunt ad linguam, quam ad limam, iusti autem viri, & pij prius cogitant, & deliberant, quæ loquuntur.*

Differentia bonorum, & malorum ad iudicandum.

Hug Card.

13 Ps. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate,* & quæ gloria est ista, in qua fidit homo de malitia, & iniquitate gloriari? si non habet aliud, in quo glorietur, nisi in malo, quod operatur, vel operari potest, infœlix profectò est gloria eius; inde immediatè subdit. *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua,* & qui innaturalis, & improportionatus modus dicendi est iste? dicere quod lingua cogitauit? linguæ munus, loqutio est, non cogitatio; cogitatio enim ad intellectum spectat, vt Matth. 15. dicebat Christus *de corde exeunt cogitationes malæ, adulteria &c.* quomodo ergo ait Propheta: *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua?* Hoc dicere voluit de eo, qui peccator erat adeo scelestus, & improbus, vt statim, quæ mali illi menti occurrerent lingua absq; vlla cõsideratione dicendorum proferret; quasi quod nulla mora in eo, inter cogitationem, & loqutionem intercederet. Agelius hic. *Aut fortè intelligere voluit, illum adeò facilè fraudes, dolosq; comminisci, vt in lingua illi nasci videantur, vt inter cogitationem, & linguam nihil intersit.*

Quomodo dicitur, quod lingua cogitet iustitiam.

Iniquus, malũ, quod cogitat, statim profert.

Agel.

14 Hoc est proprium iniquorũ, vt ad malè de proximo iudicandum, & inde euomendum accurrant; hinc est, quod Cain dicebat Gen. 4. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me,* timore adductus in pœnam fratricidij, sed vnde habes, cur timeas scelestè? à quo occidi vereris? quomodo dicis *omnis, qui inuenerit me &c.* ergo multoties vitam amittes? & quis est iste *omnis*? si tantum habes patrem, & matrem, & quomodo isti; qui te vitæ genuerunt, à te vitam adiment, quam dederunt, te ab humanis te tollent? cum non alium possideant filium? & si alius non est, qui te possit occidere, nec est, cur dubites; quare ergo dicis, *Omnis qui inuenerit me, occidet me?* nisi quia ipse vt scelestus erat, quippe, qui fratrem ab humanis sustulerat, timebat, ne in eodem improbitatis genere, in quo ipse erat, eius quoque parentes versarentur; & sic illi etiam sicut ipse intulit fratri eidem mortem inferrent, quare ait, *omnis, qui inueniet me occidet me,* neq; parẽtes à scelere excludebat, quare Auctor Arbor vitę in Gen. n. 444. ait: *Quid ais Cain inter viuentes non habes patrem, & matrem, cur ergo eos non excludis? nam non est credibile, cũ te solum filium possideant, quamuis te inuenerint occisuros &c. Impius de omnibus malè iudicat; & ideo Cain sicut fuerat homicida, omnes sibi similes existimat, patremque & matrem futuros esse etiam interfectores sui putat,*

Impius sicut ipse malus est, sic impiè de proximo iudicat.

Cain à parentibus, vt ipse fratricida erat, timebat occidi.

Auctor, qui dicitur Arbor vitæ.

15 Tantum igitur, quæ nobis patent, quæ verè mala sunt, non dubia, pro certò debemus iudicare, maximè in rę graui, & in deteriorẽ partem, nisi re maturè discussa, & perspecta: Cum Adam suadente vxore, Domini præceptum violasset, ad suum tribunal vtrumq; ad duxit Deus, multa super commisso crimine Deus exquirit, ac tandem,

causa

Cur Deus, primorũ parentum, non serpentis ad pœnam, causam examinat,

causa per diuinã iustitiam examinata, & cognita, debitam in eosdem pœnæ sententiam intulit, cum verò illi totã eorum tragediç causam in serpentem intulissent, inaudito serpente, in hunc sententiam pronunciat, multisque malis addijcit, dicens Gen. cap. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum, terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ; super pectus tuum gradieris.* Quare hunc ad diuinum Tribunal, sicut, & primos parentes sceleris conscios, non vocat, vt & ipse suam causam dicat? quare, & serpentem, vti rerum prius non examinat, antequam in eum sententiam pęnæ pronunciet? Huic difficultati satisfacit Philon. lib. 2. de Allegorijs legis; ideo hoc factum subdit; quia ea, quæ bona, & mala esse possunt, non nisi discussa veritate, & audita parte, debemus sentẽtia damnare, nec contra eos temerè sententiam ferre, qui possunt ad bonum, & ad malum inflectere: & licet ea, quæ apparenter mala videntur, vel mali speciem præseferunt, non ideo statim, nisi discussa causa, facilè mala esse iudicanda; cum igitur Adam, & Eua boni, & mali participes essent (vt nos disceremus hominum status, conditiones, actiones, & facta non temerè in malam partem iudicare); ideo prius horum causas discutit, quam sententia eosdem damnet: dæmonem vero, qui serpentis formam induit, vt potè absolutè malum, qui nihil boni facere potest, ipsum inauditum pœnæ adiudicauit. Verba Philonis: *Quam ob causam, non spectata defensione, execratur serpentem, cum iubeat alibi audiri ambos, intra quos, res controuertitur, non præmaturè alteri credere? Aut, quid est, quod Adamo non credidit, priusquam mulieri, sed inuitat eam ad defensionem, dicens: Quare hoc fecisti? quid igitur vetabat muliere dicente etiam, serpens me decepit, percunctari ipsum deceperit, ne potius quam in dicta inauditaq; causa execrari? dicendum igitur, quod sensus, nec inter bona, nec inter mala censetur, cũ sit medium, quodam sapienti, stultoq; commune, in stulto fiat malus, sicut è contra in sapiente bonus. Meritò igitur per se naturam malam non habens, sed ad bonum, & ad deterius propenderit, non prius damnatur, quam confessus fuerit sequutum se deteriora; at serpentis voluntas suaptè ingenio mala est, itaque iure optimo non pmissã respõdere, execratur Deus.*

Philon.

In dubijs à iudicio abstinendum, in certis iudicandum.

Philon.

Neque solum se ipsum præstare oportet, opportuna facientem, sed & ægrum. tex.

§. X. Ad peccati morbum curandum, & peccatoris iustificationem, non solum requiritur diuinę gratiæ præueniẽtis, cœlestis medici curatio, sed etiam ægri peccatoris, per liberi arbitrij cooperationem correspondens obedientia.

Diuinæ gratię, liberi arbitrij cooperatio.

a PRæsentis Paragrophi sẽsum, ex sacris paginis immediatè depromere nos posse, mihi videtur. Ezech. 3. *Comede volumẽ istud & vade, & loquere filijs Israel, & aperui os meum, & cibauit me volumine illo.* Hic, cœlestis medici prescriptum, scilicet diuinæ gratiæ præuenientis auxilium, & spiritualis ægri, siue liberi arbitrij consensus deducitur, & Prophetæ obedientia. Quare D. Hieron. hic ait, *Ego aperui os meum, quia mihi dictum est, aperi os tuum, & comede,*

Declaratur in volumine Ezechielis, quod comedi à Deo præcipitur.

Hieron.

Et

Et dum assensum volūtatis nostræ diuinæ vocationi præbemus, ecce gratiæ habitualis inde infusio; quare subditur, *& aperui os meum, & cibauit me volumine illo*. Quare idem Hieronymus: *Et aperto ore Dominus largitus est cibos, vt initia voluntatis in nobis sint, & perfectionem beatitudinis à Domino consequamur*. Imò quia etiam ipse consensus nostri liberi arbitrij, seu volūtatis, est incohatus à Deo, ideo pro aperui os meum, Septuaginta transtulerūt, vt ait D. Hieronymus, vt supra; *Aperuit, vt subaudiatur: Deus, quia ipse est, qui aperuit os Prophetæ*. Sed quomodo componūtur ista, persona prima cum tertia? si Propheta est, qui dat consensum, & ipse proprio ore ait, *& aperui*, quomodo trāstuleruut Septuaginta in personam tertiam, dicēdo, *aperuit*? ergo totum erit à Deo, & nihil voluntati Prophetę, & nostræ adscribetur? quod christianis auribus dissonum videtur. Sed dicamus, quod iste assensus est noster, ideo ait *aperui*; sed principium istius assensus est à Deo, non instantis, in quo, sed à quo causalitatis, nō temporis, sed naturæ, ideo secundum Septuaginta interpretationem, dicitur *aperuit*, scilicet Deus. Nec in hac nostri liberi arbitrij ad diuinā gratiā cooperatione, prior est Deus, & postea liberum arbitrium, nec hoc, illo prius, sed vterque simultaneo concursu, eodem tempore sunt, Deus, & voluntas nostra: neque vt causæ partiales, sed vterque, in suo ordine, vt causæ totales concurrunt: sed dicitur consensus nostri liberi arbitrij à Deo inchoari, prioritate causalitatis, secundum, quod causa secunda primæ subordinatur, & à prima mouetur, & adiuuatur, interius, & exterius vt ex doctrina Angelici Doct. D. Th. 1. 2 q. 111. art. 2. clare patet, quare ad rem nostram egregiè D. August. de grat. & lib. arb. cap. 17. ait. *Ipse enim, vt velimus, operatur incipiēs, qui volētibus cooperatur perficiens*. Et exemplum dari potest, cum manus ad solem mouetur, ad motum manus, mouetur & huius vmbra eodem tempore, eodem instanti, nec prior est manus vmbra, nec hęc prior manu, in ordine motus; sed prior est manus ordine naturæ, & causalitatis, quia vmbra manus, à manu procedit, & si non esset manus, nec huius vmbra adesset. Sic proportionaliter de consensu nostro, in cooperatione ad diuinam gratiam, ordine causalitatis, est à Deo inchoatus, &c.

Hieronym. — *Septuag. Hieronym.* — *Principium assensus nostri liberi arbitrij, est à Deo, prioritate causalitatis. Vt causa secunda à prima mota.* — *August.* — *Explicatur similitudine manus, cum eiusdem vmbra, quoad motum.*

2 Cœlestis medicus, diuinę misericordiæ, suo in egræ animæ nostræ curatione, munere fungitur; quia diuinę gratiæ omnibus affluēter dona elargitur; quia vult omnes homines saluos fieri, saltem voluntate antecedenti; quare D. Thom. qu. 19. de Ver. 2. ad primum ait: quod, si quis in syluis nutritus, ductum rationis naturalis sequatur, in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quod ei Deus, vel per internam inspirationem, reuelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem Prædicatorem dirigeret ad eum. Et 2. sent. d. 28. q. p. art. 4. ad quartum ait: quod ad fidem habendam, aliquis se pręparare potest per id, quod in ratione naturali est, inde dicitur, quod si quis in barbaris natus nationibus, faciat, quod in se est, Deus illi reuelabit, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel Prædicatorem mittendo. Quare ex hoc deducere possumus, quod Deus, vt spiritualis diuinus animæ nostræ medicus nostram operatur salutē, quantum in se est, ergo nostra requiritur obedientia, & voluntatis nostræ assensus, diuinæ gratiæ cooperando,

D. Thom. — *Omnibus Deus diuinum dat auxilium ad salutē, vt patet in syluis enutrito.* — *D. Thom.* — *D. Thom.* — *Inter barbaros moraliter bene viuētibus, diuinum auxilium.*

Diuino auxilio, nostra cooperatio, correspondere debet.

perando, à qua declinantes, ipsi nobis mortis ruinam inferimus, vt August. tract. 10. in Io: *Quantum in medico est, sanare venit ægrotum; ipse se interimit, qui præcepta medici seruare non vult. Saluari non vis ab ipso, ex te iudicaberis.*

August.

3 Requiritur igitur, vt spiritualis æger à peccati morbo conualescat, non solum cœlestis medici, & diuinæ præuenientis gratiæ curatio; sed & eiusdem ægri peccatoris, per liberi arbitrij cooperationẽ prompta, & correspondens obediẽtia. Huic veritati obstiterunt Pellagiani, vt notauit D. Thom. Quolib. p. 7. c. quorum error, & hæresis erat talis; quod homo ex se absq; diuinæ gratiæ adiutorio, ad eandẽ gratiam se posset disponere; quam hæresim damnans D. August. lib. 2. contra 2. epist. Pellag. sic ait: *Non benè intelligendo, falluntur* (*scilicet Pellagiani*) *vt existiment cor præparare, hoc est bonum inchoare, sine auxilio gratiæ Dei ad hominem pertinere*; quæ quidem doctrina, validè Sacri Concilij Tridẽtini sess. 6. can. 3., sententia roboratur, & auctoritate firmatur, dicentis. *Si quis dixerit sine prauenienti Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quæ quidem veritas, suis irrefragabilibus nititur, & fulcitur rationibus: nam nulla res potest per se ipsam disponi ad gradum, & statum formæ excedentis suam naturam, nisi ope, & virtute alicuius agentis superioris, vt experientia patet, de aqua, quæ cum sit elementum inferius aere, non potest, ex se ad huius formam aeris reduci, nisi virtute agentis superioris, videlicet Solis, ab illa humorũ crassitie aquã depurantis, & sursum eleuantis, inde in aerem reducit, & resoluit. Sic nostrum liberum arbitrium, cum sit natura inferius diuina gratia, (illud enim est ordinis naturalis, hæc autem est ordinis diuini,) sequitur, quod ex se ad hanc, illud non possit pertingere; imò nec remotè etiam disponi; nam cum forma, & dispositio ad formam, vt aiunt Philosophi, sint eiusdem generis, & proueniant ab eodem agente; si homo non potest ex se assequi diuinã gratiam, nec per consequens ad huius dispositionem supernaturalem poterit peruenire; aliter proprijs viribus posset gratiã assequi, quia haberet in se dispositionem naturalem ad gratiam, & sic etiam ad æternam pertingere beatitudinem, cum hæc sit gratia consumata: sic non esset gratia, gratia, quæ gratis datur, sed esset meritum, & opus humanis viribus attingibile, quod hæreticũ est. Quare August. lib. 4. contra Iulian. Pellag. cap. 8. ait. *Ibi enim vos, vt video ponere iam cæpistis merita, gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, & pulsare, vt ijs meritis debita illa reddatur, ac si gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla præcesserit, & cor tetigerit, vt beatificum bonum peteretur à Deo, & quæreretur Deus, frustraq; sit scriptum: misericordia eius præueniet me.* Hæc est etiam doctrina D. Th. 1. 2. quæst. 109. a. 6. & quæst. 24. de Ver. a. 15. & 3. contra Gent. c. 149. Gratia igitur præueniens requiritur, liberũ arbitrium nostrum mouens ad assensum, & vtriusq; simul inde operatio, ad salutem nostram.

A D. Aug. Pellagianorum hæresis damnatur.

August.

Conc. Trid.

Non potest homo proprijs viribus, se disponere ad gratiam.

August.

D. Thom.

4 Sed fortassis quis mihi obijciet illud prouerb. 16. vbi dicitur. *Hominis est preparare voluntatem*: Respondetur, quod hoc intelligitur, quo ad consensum, supposita tamen prius diuini auxilij præuia motione. Quæ quidem veritas ex

Hominis est preparare volũtatem, quoad consum, diuino præsupposito auxilio.

illius Stellæ, quæ Magos ad Christi adorationem adduxit lumine, clarescet. Stellam hanc, nouiter fabricatam, vt ait D. Fulgentius: *Partus natus nouam Stellam fabricauit*, videntes Magi, vt potè Astrologiæ artem calentes, magnum, & summum Regem natū in terris auspicati sunt, cœlitus illuminati; quare ad huius adorationem pergentes, illa Magos in itinere, velut dux, prępiuia præcedebat Stella, vt Matth. 2. *Et ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Et quare præcedebat, si erat Spir. Sanctus, vel Angelus, vt dici potest, in sq ma Stellę, vt D. Th. 3. q. 36. a. 7. ait, cum illis esse debebat, vt de sancto sene Simeone dicitur, Luc. 2. *Et Spiritus Sanctus erat cum eo*: si Angelus, qui diuinæ voluntatis minister est, subsequi debebat eos, vel hos saltem associare, non præcedere. Sed præcedere dicitur Stella, quæ dux erat, qui eos ad sacrum tugurium, ad Christi agnitionem ducebat, quia *Stella*, ait D. Remig. in Cat. Au. D. Thom. *Gratiam Dei significat*; vt igitur quis ad inueniendum Deum, ad Dei, & Christi veram agnitionē, imò ad quærendum Deum valeat peruenire, Stellam diuinæ gratiæ præuenire prius, & præcedere opus est; quare Ber. in cant. ser. 3. *Non potest quærere Deum anima, nisi præueniatur, vt quærat.*

Fulgent.

Magos Stella pręcedēs; diuina gratia præueniens.

D. Th.

Remig.

Ber.

5 Vtriusq; igitur requiritur opus, ad animæ salutem, & cœlestis medici, præuenientis gratiæ visitatione, curatio, & liberi arbitrij consensu, hominis per eiusdem ad diuinæ gratiæ cooperationem prōpta obedientia. Hinc est, quod Saluator noster cœcitatem à cœco ablegaturus, postquam liniuit oculos illius luto, ex sputo, & terra formato, dixit eidem Io. 9. b. *Vade, laua in Natatoria Syloe.* Primò enim quæso, perpendamus diuinæ actionis mysterium. Cur Christus, vt cœcitatem fugaret, & cœcum liberaret à tenebris cœcitatis, *fecit lutum ex sputo, & liniuit super oculos?* Si vt Io. 9. solo verbo, sicut condidit, sic restaurat vniuersa; si solo verbo ad vitam filiam Principis reuocauit, sicut & Lazarum, dicens: *Lazare veni foras*; si ab ariditate manum liberans, solum verbum addidit. Luc. 6. *Extende manum tuam*; & sic omnia fere opera Christi, solum diuinæ omnipotentiæ suæ verbo, miracula eduntur, quomodo, modò ad cœci salutem, manum, sputum, terram, & verba adhibet? manum faciendo lutum; sputum, dum expuit in terram; terram, dum hanc in lutum componit; verbum, dum subdit, vt ad Syloe aquam se conferat ad lotionem oculorum, cœcus? Sed dicamus, quòd modò sputum præcipuè, & terram adhibet ad cęci illuminationem, vt videlicet à sanitate corporis ad animæ salutem manuducamur; & cum sputum, siue Christi saliua, Spiritus Sancti, & diuinæ gratiæ symbolum sint, vt D. Ambr. epist. 75. lib. 9. ait; & terra hominem significet, qui de terra, in eius conditione eductus est; meritò fecit lutum ex sputo, vt intelligamus ad iustificationē peccatoris, & animæ salutem, necessariam esse compositionem sputi Christi, diuinæ gratiæ videlicet, cum terra, consensus scilicet peccatoris, quæ per Sacerdotis ministerium complentur, quare D. Ambr. vt supra. *Quid sibi vult, quod is, qui vitam refundebat imperio, salutem præcepto dabat, dicens paralytico: surge tolle grabatum tuum, & surrexit paralyticus, & cœpit grabatum ipse portare, in quo solutus membris omnibus portabatur? quid, inquam, sibi vult, quod expuit, & fecit lutum, & super vnxit oculos cæci, quæ ista ratio est?* & cōcludit inde post pauca:

Ad iustificationem peccatoris diuina gratia, & correspōdes liberum arbitrium requiritur.

Ambr.

Sputum cū terra, diuina gratia cū peccatoris consensu, ad illuminationem huius.

Ambr.

simul

simul diuinitatem, & sanctificationem eius aduerte, quasi lux tetigit, & lumen infudit, quasi sacerdos per figuram baptismatis mysteria gratiæ spiritualis impleuit; expuit, vt aduertas, quia interiora Christi lumen sunt.

6 Sed & adhuc completã actionem Christi ad nostri eruditionem intimius ad rem nostram perscrutemur. Postquam liniuit collyrio oculos cœci, hunc ad Syloe natatoriam misit lauandum. Sed cur hoc? non ne poterat, qui oculũ creauit, oculo cœco, visum infundere, propria innixus virtute diuinitatis, absque eo, quod ad Syloe fontem mitteret? non ne lutum posuit, cœci super oculos, saliua confectum, in qua sanandi intrinseca quædam inerat virtus; cum esset corpus Christi organum diuinitatis? ita plane; ait D. Tho. Io. 9. lect. p., cur ergo hunc ad recipiendum corporale lumen, & ad cœcitatem abigẽdam, ad Syloe natatoriam misit? nisi, vt intelligamus, ad animæ salutem, & peccatoris iustificationem, non solum diuinũ auxilum, sed & nostri quoq; cooperationem requiri; nam, vt ait D. Bonau. serm. Dom. 22. post Pent. *In omni opere bono sunt socij Deus, & homo.* In qua quidem iustificationis societate, Deus ponit capitale diuinæ gratiæ, & homo suę cooperationis, & consensus negotiationem, & industriam. Et sicut in temporali duorum societate, si alter deficit, contractus redditur inualidus; sic ad peccatoris iustificationis nogotiationem spiritualem, vtriusque scilicet Dei, & hominis requiritur societas, & simultas, vt diximus consensus liberi arbitrij, ad diuinæ gratiæ cooperationem; quorum altero dificiente, iustificationis contractus nullus efficitur, vt Aug. hom. 15. de ver. Apost. *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.*

D. Thom.

Cæcus ad fontem missus, symbolum nostræ cooperationis, ad gratiam.

Bonau.

Peccatoris iustificatio, velut societas Dei cum eodem peccatore, quorum altero deficiẽte, redditur nullus, iustificationis contractus.

August.

7 Super hac D. Augustini propositione, quæsierunt aliqui sanctorum, cur Deus, vt nos in hunc mundum traheret, nostram non petit voluntatem, nostrum non requirit assensum; sed propria volũtate Deus hoc agit; & cum de salute nostra agitur, vt nos ad Cœlum trahat, nostram requirit voluntatem? cur cum in peccati foueam lapsum, inspicit hominem, vt pius pater, nos continuò ab hac absolutè non extrahit, non educit? non ne potest Deus, omnipotens, qui est virtute sua à peccato educere sicut de aliquo summo periculo eripere, vt de Petro, e carcere, & de Daniele à Leonum Lacu? quomodo ergo nostro opus est consensu? negari non potest, quin Deus omnipotens sit, quia, vt ait Psal. 134. *Omnia, quæcumque voluit, Deus fecit in Cœlo, & in terra*; sed considerandum est non solum esse Omnipotenrem, sed etiam Sapientissimum, quare summa quoq; sapientia mundum, sicut condidit, sic gubernat, & regit, vniuersum, & in omnibus rebus secundum earum natura operatur; vnde dicitur à Theologis; Deum modificari in causa secunda, hoc est operari ad modum causæ secundæ in hac. Quare in plantis, herbis, & irrationalibus animantibus operatur per modum naturę, in homine verò, quia ratione, & libero pollet arbitrio, per modum libertatis etiam operatur, quare Ecclesiast. 17. 1. dicitur. *Creauit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui*; ideo ab homine, liberum suæ voluntatis consensum exposcit, non vim adhibet.

Cur in creatione hominis, Deus nostrum nõ requirit consensum, sicut, in iustificatione.

8 Hinc est, quod Cant. 5. 2. dicitur *Aperi mihi soror mea, sponsa mea, quia caput meum plenum est rore.* Cælestis sponsus sponsæ suæ amore accensus, ad hanc diuertit; hanc vocat, ianuam pulsat, sibi

aperiri petit: cuius petitioni renuens, vel minus diligens sponsa cũ esset, ille aliò declinauit, & ab ea recessit, sed ò cælestis, & diuine sponse, nonne tua tibi, sufficientes omnipotentia suppetit, & subministrat vires, quibus repagula quæque infringas, obsistentia ad ingressum tollas, sicut de te cecinit; Vates Ps. 106. *Qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit*? non ne potes ex te, sponsæ domus penetrare secreta, qui ianuis clausis ad discipulos tuos in cęnaculum ingressus es? non ne melius quam Sanson, portas diuellere potes? si non aperit, quare per fenestras non ingrederis ad eam? si per fenestras ingreditur mors, vt Hierem. 9. *Ascendit mors per fenestram*, multò magis tu ingredi poteris, qui vera vita es. Sed dicamus, quod diuinus sponsus, qui animæ nostrę desponsari cupit, & per gratiam ad nos ingredi, sponsi conditiones attendit, vt non nisi per nostræ voluntatis assensum ad nos ingrediatur, vt dicitur Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso si quis aperuerit mihi intrabo ad eum, & cœnabo cum illo*; quare Genes. 24. cum parentes Rebecæ vellent hanc cum Isaac in matrimonium collocare, illius assensum efflagitarunt: *Exquiramus*, (ait tex.) *voluntatem puellæ: Vis ire cum homine isto?* quare non vim adhibet, non violentiam facit, sed nostrę voluntatis spontaneum assensum ad nostri iustificationem, & salutem exquirit, Deus; quia vt dicitur Sap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*; sic cum homine, qui liber est, per modum libertatis operatur, nostrum requirens voluntatis consensum, quod si vim adhiberet, iam non suauiter diuina sapientia operaretur, cum violentia suauitati obsistat.

Cęlestis spõsus assensum nostrũ quærit, vt ad nos ingrediatur.

Rebecæ genitores, ab hac volũtatem, ad matrimonium, exquirunt cum Isaac.

9 Quadam die diuina Sapientia, quę secunda est in Trinitate persona, quæsiuit de rebus summi mysterij habere sermonem, quod, & per Salomonis os præstitit, vt Prou. 8. 4. dicens: *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum; audite quoniam de rebus magnis locutura sum*. Magna esse certe, quæ dictura est equidem non ambigo, cum diuina sapientia Orator sit. In hoc igitur sermone tria pertractare aggreditur; Quorum primum est de eiusdem æterna generatione; Secundum de esse rerum, secundum suam naturam; tertium est de esse rerum in ordine ad gratiam. Quo ad primum, ait de eiusdem à Patre, æterna generatione, ante quarumcunque rerum creationem, ait igitur Prou. 8: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis:* progreditur ad secundum, & tractat, de principio, & esse rerum, quæ fuerunt ab Eterno Patre, simul cum diuina sapientia, qua velut idea sua, & suę diuinę intellectionis conceptus, omnia producit, & ideo dicitur Prou. 8. *Quando præparabat cælos, aderam; quando certa lege, & gyro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, &c. cum eo eram cuncta componens*. Quo ad tertium transit ad sui incarnationem, & hominis iustificationem, & ait Prou. 8. *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: deliciæ meæ esse cum filijs hominum*; Hoc est humana natura assumpta; mihi pro delicijs quasi dicat, duxi, cum homine conuersari, & cum hoc iocari, & hoc idem facio in toto terrarũ orbe. Sed quid ais ò æterna sapientia, hic admirabundus insurgit Episcopus Barbastrensis; nunquid incarnationis, & nostrę salutis, & redemptionis opus, adeò facilè, & ridiculum negotium est, vt ludum appelles? nunquid opus,

Diuina sapientia de magnis rebus quærit habere sermonem.

De quibus habeat sermonẽ æterna sapiẽtia.

Quomodo peccatoris iustificatio, ludus dici possit.

opus, quod assumis, iocus dicendus? *Ludens coram eo, ludens in orbe terrarum*? Pro solutione ait Episcopus Barbastrensis. *Duplex est ludus: alter indiuidualis, alter societatis*. In primo ludo ludit quis, de manu ad manum, cum suo collusore; alter est, cum quis associatus alteri, cum aliquo ludit: in primo ludo potest quis, vt vult, liberè ludere; in sui enim potestate est, ad sponsionem secundum quod sibi placet, inuitare, & alterum inuitantem acceptare, & respuere ad eius libitum in eo, in quo quis ludit: in secundo ludo, qui est societatis, non potest quis ex se absolutè ludere, ad sponsionem collusorem inuitare, de quantitate maxima agere, nisi ex voluntate, & consensu socij, aliter ludus non valet. Hoc duplici ludo Diuinum Verbum lusit: In rerum creatione, & in principio mundi lusit Æterna Sapientia, de manu ad manum liberè, & absolutè, sine alicuius assensu, & voluntatis consensu: sic lusit igitur in prima rerum conditione, cum creaturis de manu ad manum, & secundum suum placitum operatus est, & inuitauit &c. Cum cælo lusit, cum Solem, Lunam, & Stellas quot voluit produxit: cum aqua lusit, cum eduxit ab hac, tot pisces, quot sibi placuit: Cum aere, & tot etiam creauit in hoc aues, & volatilia vti voluit: Cum terra, & tot in hac plantas emisit, quot sibi placuit, vt Ps. 134.: *Omnia quæcumque voluit, Deus fecit in Cælo, & in terra*. Hoc etiam modo in hominis creatione lusit Diuina Sapientia; liberè enim egit: hunc hominem fecit magnum, illum paruæ staturæ, illum rectum, hunc gibbum, illum nobilem, hunc ignobilem, illum diuitem, hunc pauperem, illum viuacis ingenij, hunc crassæ mineruæ: *Fecit te, sine te*, ait Aug. vt supra sic primo ludo liberè; & absolutè per se lusit. Verum in hominis iustificatione hic ludus est societatis, habet socium ipsum hominem, vt Apost. 1. Cor. 3. 9. ait: *Dei adiutores sumus*. Hic ludus non valet, nisi ipsa hominis voluntas suum præbeat assensum, vt Aug. serm. 15. de verb. Apost. *Non saluabit te sine te*. Et quoties Deus inuitat ad diuinę gratiæ, & æternæ gloriæ spõsione, quod reliquum est eius, vt vulgò dicitur *il resto?* & tamen peccator ludens nõ sustinet, non acceptat sponsiones diuinarum illuminationum; sic hominis desinente cõsensu, inualidus redditur ludus; imò se ipsum Deus spondet animæ, & hæc eum recusat; quoties ad peccati detestationem te inuitauit? quoties tibi æternas in mente pænas, vt ab his pœnitentia aufugeres, obiecit? & tu ad hæc obsurdescis? vt Matth. 13. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti*? quid cogitas? quando morti propinquus eris, pœnitentiam agere? quando Deus in tua duritie te impœnitentem relinquet? ad Galat. 6. dicitur: *Dum tempus habemus operemur bonum*.

Episcop. Barbastrens.

Duplex ludus absolutus, & societatis, quid primus, & quid secundus.

Vtroq; ludo lusit æterna sapientia in mundi creatione, & in peccatoris iustificatione.

Quomodo in creaturis æterna sapientia luserit.

In creatione hominis, diuinæ sapientiæ ludus liber, & quomodo.

August.

In iustificatione hominis ludus societatis Dei cum homine, non valet ludus nisi hominis assensu.

10 Nos debemus (quod nostrũ est) diuinis illuminationibus cooperari ad salutem animarum nostrarum. Fecit consilium Sanctissima Trinitas, & decreuit hominẽ creare, vt refert sanctus legislator Moyses, Gen. p.: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, & statim decretum exequtioni mandauit, quare subditur Gen. p.: *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*; nec vllam mentionem facit de similitudine, ait Orig. promiserat Deus facere hominem ad imaginem, & similitudinem suam, quare non stat promissis? nunquid Deus hominum conditionem sortitur, vt multa promittat, & parum

Trinitatis consiliũ creandi hominẽ ad imaginem, & similitudinem suam.

Orig.

Cur inde in hominis creatione non fecit mẽtionẽ de similitudine, sed tantum de imagine?

rum promissa obseruet? absit, nam ait Ps. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis:* quare ergo non dicitur factum fuisse hominem, sicut Deus decreuerat facere ad imaginem, & similitudinem suam, sed tantum dicit ad imaginem? S. Aug. & Rup. Abb. hic, & D. Thomas p. p. quæst. 93. art. p. sunt huius sententiæ; quod vbi est imago, ibi quoque sit similitudo; sed non è contra, quare cũ dicitur fecisse Deum hominem ad imaginem, est dicere, quod etiam includit eiusdem Dei similitudinem implicitè &c. bona quidem responsio; Verum D. Th. loc. cit. ar. 4. cum Glos. ordin. Ps. 4. Triplicem distinguit imaginem, scilicet creationis, recreationis, & similitudinis: prima inuenitur, ait D. Th. in omnibus hominibus: secunda in iustis tantum: tertia verò solum in beatis; in creatione homo factus est ad imaginem Dei, ratione creationis, quia ab hoc naturam intellectualem recepit, in qua veluti in specie, vt ita dicam, Deo assimilatur: secũdo factus est ad imaginem Dei in recreatione, quia à Deo recepit gratiam sanctificantẽ, quæ est supernaturalis participatio diuinæ naturæ per modum naturæ; sed nõ fuit factus ad imaginem Dei ratione similitudinis, quia non habuit perfectam similitudinem Dei, quam solum habent Beati in gloria, vt Io: 3. dicitur *Cum apparuerit, similes ei erimus*. Verum igitur est secundum doctrinam D. Thomæ, quod ait Origenes, quod Adam factus est ad imaginem, non verò ad similitudinem Dei perfectam, quæ in beatitudine consistit. Sed si Deus hominem beatum optabat, cur hunc beatum non creauit? nunquid non poterat? profectò poterat, cum animam Christi beatam creauerit, quæ in primo instanti suæ creationis, diuina fruebatur essentia; quare ergo ad imaginem, & perfectam similitudinem non fecit hominem hunc, beatum creando? D. Thom. p. p. quæst. 62. a. p. hanc difficultatem in persona angelorum soluit, dicẽs: *Quod vltimam beatitudinem, quæ facultatem naturæ excedit, Angeli non statim in principio suæ creationis habuerunt, quia hæc beatitudo non est aliquid naturæ, sed naturæ finis.* Similitudo igitur perfecta, quæ est beatitudo, & vltimus terminus creaturæ intellectualis, nõ statim datur homini, quia hanc suis meritis, laboribus, & liberi arbitrij cooperatione consequi debet. Quare Orig. lib. 3. Patriarch. ait. *Imaginis conditionem in prima formatione præcepit; similitudinis verò sibi possibilis possessionem, ipse sibi cũ propria industria studijs, ex Dei imitatione conciscit.* Non debuerat homo ad imaginem, & similitudinem perfectam Dei in prima conditione creari; In hoc enim, quando creauit, suam imaginem impressit; similitudinem verò perfectam, ipse sibi homo proprijs viribus, & laboribus aquirere debebat. Hec est perfecta Dei similitudo &c. quare Rup. Abb. hic: *Ad imaginẽ videlicet, vt sit rationalis ad similitudinem nostrã, vt rectus sit sectando iustitiam.*

11 Qui enim diuinæ gratiæ auxilijs cooperatur, hic, vt bonus probatur à Deo. Genes. primo dicitur, *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*; cur non dictum est, cum primo Cœlum conditum est, & terra. *Vidit Deus, quod esset bonum*, vt infra inde subdit, cum præcipit terræ germina emittere, semina producere, & fructus edere? vt Gen. 1. dicens: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*, inde subdit, *& factum est ita, & protulit terra*

herbam

S. August. Rup. Abb. D. Thom.

D. Thom. Glos.

D. Thom.

Triplex imago Dei, qualiter reperiatur in homine.

D Thom. Orig.

Adam ad imaginẽ, nõ ad similitudinem perfectam Dei, creatus.

Cur Deus hominem, si beatũ cupiebat talẽ nõ creauit?

D. Thom.

Orig.

Similitudinem perfectã, suis meritis, & laboribus, sibi homo comparare debuit.

Rup. Abb.

Cur in creatione cœli, & terræ non dixit Deus, quod esset bonum, sed tantum cũ germinare cœpit terra?

herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum &c. & hoc, vt bonum approbat dicens: *& vidit Deus, quod esset bonum.* Non ne statim ac, à diuina manu processerunt Cœlum, & terra bonitatis qualitatem attingunt, & assequuntur, & boni nomen merentur, & perfectionem in se continent, & sibi vendicant? dicitur enim Deut. 32. *Dei perfecta sunt opera.* Et Iacob cap. p. *Omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum;* quomodo ergo non statim bonitatis terra, priuilegio decoratur, & tali insignetur nomine? si bonitatem in se præfert terra, in huius conditione, & passiua creatione, & vt talis, bona inde, vt legitur approbatur à Deo, vt Genes. p. *& protulit terra herbam virentem, & vidit Deus, quod esset bonum:* Et quare non in principio, cum creatur, vt bona declaratur, & approbatur? Pro solutione difficultatis huius considerandum est, quod ait D. Thom. p. p. quæst. 48. a. 6. qui sic habet: *quod bonum simpliciter consistit in actu, non in potentia; vltimus autē actus, est operatio, vel vsus quarumcunq; rerum habitarum:* Nunc ad rem nostram dicamus, quando creauit Deus Cælum, & terram, hæc præcipuè bona erat in potentia simpliciter ad operationem, & ideo quia nihil de diuino præcepto, nihil de huius præcipuè terræ operatione, & obedientia dicitur, hinc bonitatis, quæ in actu, & operatione consistit nomen, reticetur: cum verò Deus præceptum edidit, & iussit terram germinare semen, & fructus producere, & sic obedit, & protulit, vt diximus, tunc continuò bonitatis nomen adepta est. *Et vidit Deus, quod esset bonum;* quando diuinæ iussioni, sua terra cooperatione, & obedientia correspondit. Hoc ad nostri eruditionem dictum trahitur, quod scilicet homo, veluti mystica terra, vt potè de terra eductus, in sui prima formatione, non tunc dicendus bonus absolutè, & Deo charus, cum simpliciter creatus est à Deo; homo enim in naturalibus non meretur, nec demeretur; sed cum Dei præcepta, quæ præcesserint, exequitur, diuinis auxilijs, & illuminationibus cooperatur, correspondet, & obedit, tunc inquam absolutè dicenda est bona, hæc terra moralis, cum operationum sanctarum herbam virentem profert, & meritorũ fructus edit, diuino parens præcepto. Quare Seberl. tom. p. in cant. vers. 11. sect. 3. ait. *Vt ab elemento creatura disceret rationalis, tunc Deo frugaliter eam placere, cum acceptis ab illo auxilijs, faliciter vtitur, & gratiæ donis supernaturalibus cooperatur.*

[Margin: Deut.]
[Margin: D. Thom.]
[Margin: Bonum simpliciter, cōsistit in actu, non in potentia.]
[Margin: In creatione terrę, quę tantum bona erat in potētia, boni nomē nō meretur absolutè, nisi cũ Deo, operatione obedit.]
[Margin: Homo, cũ diuinæ vocationi cooperatione respondet, tũc absolutè bonus censendus.]
[Margin: Seberl.]

11 E mortis somno Lazarum suscitaturus Dominus, pergit ad sepulchrum, in quo quatriduanus Lazarus defunctus iacebat, ad illud cum peruenisset, ait Io. 11. c: *Tollite lapidem:* & quomodo Christus diuinam in mortui resurrectione ostensurus virtutem, humanum requirit auxilium? si maius miraculum erat patraturus, Lazarum resuscitando, quare & minus in lapidis reuolutione è sepulchro non est operatus? non ne ille est, in cuius morte, vt dicitur, monumenta aperta sunt; cui omnes obtemperant creaturę, & quare: *Non sufficit, ait* Chrys. ser. 65. *amouere lapidem, qui mortem sufficit effugare; sepulchri portas reserare non valet, qui portas tartari præualet aperire?* hoc moraliter, & spiritualiter intendebat Christus; *vt Iudæi* (inquit Chrysol. vbi supra) *ex se lapideum cor tollant, euoluant perfidiæ saxum, silicem duræ incredulitatis excludãt, quatenus anima, per infidelitatem mortua, de sepulchro pectoris prosilirent;*

[Margin: Cur Christus Lazarũ resuscitaturus, iussit sepulchri lapidem tolli, cũ hoc Christi videatur munus.]
[Margin: Chrysol.]
[Margin: Chrysol.]
[Margin: Sepulchri lapis, lapideũ cor Iudeorũ adũbrat.]

Diuinæ manus est auferre cor lapideum, & dare cor carneum.

lirent, sed quomodo hoc præstare poterant Iudæi, cum non horum, sed Dei munus sit, lapideũ cor tollere, vt Exechiel. 11. d. dicitur. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum?* quare, siue intelligatur de lapide physico, siue morali, diuinæ potentię hoc videtur opus. Quomodo ergo dicit Christus excitaturus Lazarum: *tollite lapidem*, cum hoc ad ipsum quomodolibet spectet? Sed dicamus, vt Lazarus animæ peccatricis è sepulchro mortis, ad diuinę gratiæ lucem, assurgat, vtriusque, & Dei, & peccatoris munus esse: Dei, vt illuminantis animam ad gratiam, & mouendo ad pęnitentiam, per præuientem gratiam: hominis per suam liberi arbitrij cooperationem, ad salutem. Tollite igitur inquit, quo ad id, quod nostrum est: Tollam dicit Deus, inde per gratiæ habitualis infusionem, quo ad id, quod ad ipsum spectat; vt Aug. homil 15. de verb. Apost. ait. *Qui fecit te sine te, non saluabit te, sine te.* Vtriusque igitur Dei, & hominis, iustificationis est, opus.

Dicit tollite lapidem, nostri ad cooperationem diuinæ gratiæ, ex sua parte tollẽtis culpam. August.

Diuini auxilij, & cooperationis nostræ, argumenta.

13 Multa ex sacris paginis hic congeri possent argumẽta, ad hanc diuini auxilij, & cooperationis nostræ in peccatoris iustificatione, veritatem comprobandam; verum breuitatis studio, aliqua tantum cõpendio perstringam. Et primò ad Noè historiam accurro, vt Gen. 6. Volebat Deus, Noè ab aquis futuri diluuij, vti iustum eripere, ecce diuinum auxilium: verum, vt naufragium cœterorum effugeret, præcipit huic, sibi arcam construere, vt Chris. *Quia non communicasti corum peccato, præcipio tibi, vt extruas arcam, ex lignis quadratis.* Sed quare non potius Deus, huic iusto Noè constructam dedit Arcã, absque tanto labore eius, maximè cum senex esset, & in hac minime

Chris. Vult Deus, è diluuij aquis eripere Noè, sed ad eius salutẽ, vult sibi quoque Arcam construere.

esset laborandi expertus arte? ad hoc D. Thom. respondet Genes. 6. *Vt per hoc daretur aliquis locus meritis, & cooperationi ipsius; quia fabricando hanc Arcam probata est fides eius; & per hoc cooperatus est restitutioni saluationis.* Ecce nostra cooperatio. In deserto, vt Io: 6. cupiebat Christus famescenti turbæ eum sequenti, opportuno subuenire cibo: quare, vt pius Pater eorum miseriæ compatiens, ait Io. 6. *Misereor super turbam:* Rursus accurat pro eorundẽ subsidio, vt eorundem necessitati occurat, miraculo; quare ait ibidẽ: Philippe vnde ememus panes, vt manducent hi? ecce supernum auxilium: Verum vult, & quinpue panes, & duos pisciculos, quos puer quidam, vt multi aiunt S. Sirus de Papia, tenebat, ei apponi, vt miraculum patraret, quinq; millia hominum abundè reficiendo: ecce cooperatio nostra. Ideo D. Chrisostomus hom. 53. in Gen. ait: *Vult etiam nos aliquid conferre, quo sic sua declaret, vt non totum sit superni auxilij; sed oportet etiam nos aliquid nostrum afferre.*

D. Thom.

In Deserto subuenire vult famescẽti turbæ, sed prius quinque panes, & duos pisces sibi pręcipit apponi.

Chris.

Canæ Galileæ nuptijs quoque assistens Saluator, vult aquas in vinum conuertere, vti exoratus fuit à Matre Sanctissima: ecce supernum auxilium: Verum ad hoc, vt sciremus, quod noster subsequi debet voluntatis consensus, & cooperatio, præcipit impleri hydrias aqua: Ecce cooperatio nostra.

In Cana Gallilea, vt aquas in vina vertat hydrias prius aqua impleri præcipit.

Vult quoque Elias, Dei imperio missus, vt 3. reg. 17. in Serephta domi illius Viduę eleemosynarię, miraculo farinam, & oleum vti fecit, multiplicare; ecce supernum auxilium; Verum præcepit eidem, vt prius vasa afferret ad recipiendum oleum, & eidem Prophetæ quoque cibum subministraret: ecce nostri liberi arbitrij cooperatio. Sanctus quoque Patriarcha Isaac, filio suo

Elias vasa, & cibũ prius ad miraculũ petit à Vidua.

Esau,

Isaac Esau promittit benedictionem, huius prius venatione, & cibo.

Esau, suam, ab hac vita discessurus promisit benedictionẽ, vt Genes. 27. quam, vt Primogenito ei dare disposuerat; ecce supernum auxilium: verum huic imposuit, vt ad venationem se transferret, vt ex preda sibi cibum inde conficeret, vti ibidem dicitur Gen. 27. a. *Sume arma tua, pharetram, & arcum; & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmẽtum, sicut velle me nosti, & affer, vt comedam, vt benedicat anima mea, antequam moriar.* Ecce cooperatio nostra.

Nec solum se ipsum &c. tex.

§. XI. Non solum ad animæ salutem requiritur, vt Cõfessor, siue Superior, suo fungatur munere, in absolutione, & pœnitentia præscribenda; sed pœnitens etiam, vt in hac adimplenda, obediat, & exequatur.

Subditus, siue pœnitens debet Superioris, siue Confessoris præscriptis, obedientia, correspondere.

1 EGimus in præcedenti immediatè Paragrapho, de obedientia peccatoris, in huius iustificatione, in ordine ad Deum, per nostræ voluntatis assensum, & liberi arbitrij, diuinis illuminationibus, cooperationem 1 in præsenti agere intendimus, sub eiusdem textus particula, de obedientia, quam ęger peccator præstare debet in ordine ad medicum spiritualem; vel subditus suo Superiori; horũ vnusquisque pro debito, præceptis obtemperans; sub hac igitur particula mentis nostræ aperiamus sensum, & thema ad discursum explicemus: *Nec solum se ipsum præstare oportet, opportuna facientem, sed & ægrum.* Non solum Superior, siue Confessor in animarum cura, vt in sequenti Paragrapho dicemus, debet suo fungi officio, sed etiam subditus siue pœnitens, vt à peccatorũ ęgritudine curetur, eorundem superiorum præceptis, obedientia correspondere. Hanc obedientię formã nobis ob oculos obiecit sui ipsius exẽplo, Saluator Io. 6. dicens: *Descendi de Cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Licet enim, vt ait D. Athanasius in symbolo æqualis esset Patri secundum diuinitatem, minor tamen Patre secundum humanitatem, secundum hanc partem, se Patris voluntati subdit: quæ quidem voluntas qualiter intelligenda sit explicatur per D. Hylar. tertio de Trinitate, qui ait: *Non igitur dicit, quod facit, quod non velit; sed obedientiam suam, sub effectu paternæ voluntatis ostendit.* Formam igitur hanc, quam imitemur, & mente, & operis manu compleamus, nobis in se Saluator noster præscribit, maximè verò, quod facit ad rem nostram, vt Superiorum præceptis, seu Confessoris in pœnitentia, pro satisfactione, & culparum nostrarũ expiatione peragenda, pareamus; vt spiritualis cognationis vinculo eidem copulemur, & fide adglutinemur. Vt Matth. 12. ait: *Quicũque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, hic meus frater soror, & mater est.* Vbi Greg. in hom. ait: *Christi frater, & soror est in credendo.* Sed qualis debet esse hæc fides? Ait D. Iacob. 2. d. *Fides sine operibus mortua est:* Hęc fidei sanctę Regina à sãctorum operum ancillis, associari debet, vt D. Augustinus in meditationibus inquit. *Vt per fidem, & condigna opera fidei, ad vitam te miserante perueniamus æternam.* Quare non sufficit, vt spiritualis æger salutis suæ medicum Redemptorem agnoscat; Sanctæ Ecclesiæ clauium potestatẽ credat,

Hylar. Christus obedientiæ formam, nobis imitandam præscribit, suo exẽplo.

Fide Christo spirituali cognatione coniungimur. Greg.

August.

credat, & fateatur, & his quoque se pœnitens subijciat, peccatorum suorum confessione, & absolutioně recipiat; si inde inobediens, Confessoris pro satisfactione, & sibi imposita, pęnitentia nō adimplet prę scripta. Quare merito Aug. tract. 12. in Io. ait: *Ipse se interimit, qui medici præcepta seruare non vult.*

August.

Dei serui sumus, diuinæ voluntati, dum conformamur, nō nostram quęrimus.

2 Hinc est, quod ad diuinam voluntatem adspiciens, quam sibi cordi infixerat, Regius Propheta, dicebat, Psal. 118. *Tuus sum ego saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui.* Meritò hic interrogat S. Augustinus, quid sibi voluerit Dauid dicens: tuus sum ego, quasi non cuncta Dei sint? *Quid enim non est Dei?* inquit, *an forte, quia in Cœlis dicitur esse Deus, ideo putandū aliquid in terra non esse eius? cum alibi Psalm. 23. dicat. Domini est terra, & plenitudo eius?* idem de Cęlo, & de omnibus, quæ in hoc continentur, est dicendum. Quid igitur speciali iure allegat tuus ego sum, plusquam alios, vt cum saluet? Huic difficultati, idem S. Augustinus satisfacit dicens. *Tuus sum ego, quia iustificationes tuas exquisiui, non voluntates meas, quibus fui meus, sed iustificationes tuas, vt essem iam tuus.* Hunc locum exponit S. Hieronymus sic: Tuus sum ego: *Ego*, ait, *tuus famulus, tu Deus meus, à te posco saluari.* Se famulum Dei prodit, vt diuinæ tantum volūtati, non propriæ, ad malum propēdentis, se obtemperare, manifestet; nam sicut seruus non est sui Dominus, sed Domini sui seruus, sic Domini sui, non suas facit, voluntates, ideo ab eo ad vitæ necessaria de iure potest exigere, sic Dauid se seruum Dei prodit, diuinā faciens voluntatem, ob quam salutis æternæ præmium ab eo deposcit. Quare August. hic ait: *Tuus sum ego, quia iustificationes tuas exquisiui, non voluntates meas, quibus fui meus, sed iustitias tuas, vt essem tuus.* Vel possemus etiam sic, aliquo modo interpretari: Tuus sum ego; q. d. qui demonis seruus, culpa fui, peccator tuas iustificationes exquisiui; vt coram tua diuina misericordia à peccatis meis iustificarer; *iustificationes tuas exquisiui*, quæ mihi per Superiores, & Prælatos enunciatæ, & expositæ fuerunt, horum vocibus aures mentis præbui, monitis salutaribus parui, pœnitentia ad te conuersus sum, sic *tuus sum ego, quia iustificationes tuas exquisiui*, saluum ergo me fac, tua misericordia. *Ille*, ait Incognitus hic, *verè tuus, qui nihil aliud extra te quærit, solum quærit iustificationes tuas, id est mandata tua perficere.*

August.

August.

Hieron.

August.

Auctori expositio.

Incognit.

3 Solon Philosophus percunctatus, qua ratione posset salua esse Ciuitas. Respondit: *si Ciues obtemperarent suis magistratibus; magistratus autem Regibus*; Stob. ser. 41. Sic nos dicamus anima nostra Ciuitas est, vt Psalm. 45. dicitur. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* Vbi D. Hieronymus: *Irrigatio, ait, Spiritus Sācti lætificat animam, Ciuitatem Dei.* Quomodo potest hæc Ciuitas salua consistere, vt de se dicere possit cum Genes. 32. g. *Et salua facta est anima mea?* Vt ciues, hoc est sensus, huius reipublicæ corporis populus, obediat magistratui rationis; & magistratus iste rationis, qui imperat sensibus, Regi summo, diuina obseruando præcepta, obtemperet; & suis Proregibus, scilicet Prælatis, & Superioribus, qui Christi loco sunt, & Dei vices gerunt; cui dum seruiunt, Regis titulo meritò decorantur; secundum illud: *Seruire Deo regnare est.* Sic diuinis igitur obtemperando præceptis, sua, anima confitendo, peccata, quod est præceptum de iure diuino, & pœnitentiam à Con-

Solonis responsio, pro saluanda ciuitate, in obedientia consistens.

Stob.

Hieron.

Anima, Dei ciuitas, quo modo possit pro salute tutari.

Animæ ciuitas, salua erit, si sensus obediēt rationi; ratio diuinæ voluntati.

Confessario impositam, adimplendo, salua erit: vt Iacob. 5. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.*

August.

Et S. August. epi. 121. *Confessio est salus animarum.* Ecce quomodo potest esse salua, animæ nostræ ciuitas, scilicet, obedientia.

4 Quare Proregibus Christi, siue eius Legatis, vt potè Sacerdotibus Prælatis, siue nostris Confessoribus debitum honorem exhibere, obedientiam præstare debemus, eorum præceptis aquiescendo, præscriptis obtemperando, im positas pro satisfactione peccatorum pœnas, seu pęnitentias ad nostrarum salutem animarum, adimplendo. Apostoli enim Prophetæ, Prædicatores, & Doctores, seu etiã Confessores, sunt Christi Legati, vt Apost. 2. Corint. 5. d. *Pro Christo legatione fungimur*: horum verba, præcepta, scripturæ, doctrina, summi Regis epistolæ sunt, Dei verba sunt, vt Matth. 10. c. dibat: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Horum literę verborum, exhortationum, prædicationum, consiliorum, & præceptorum sunt, subsidiariæ, & ad nostram salutem directæ; vt Apost. ad Rom. 15. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus.* Cum igitur ad nostri eruditionẽ sint missæ, vt inordinatos moderemur affectus, peruersos corrigeremus mores, vitiosos dissolueremus habitus, & veterem expolia ntes hominem, peccatorum videlicet, nouum virtutum indueremus, vt 2. Thimoth. 3. dicitur. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendũ, ad arguendum, & ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*; debemus has literas sacrarum eruditionum, summa humilitate venerari, tam Venerabilium Legatorum mandatis promptè obtemperare; ideo egregiè D. August. de salut. doc. c. 9. in principio tom. p. ait. *Ecce de Cælo Rex Regum, & Dominus dominantium, imò Redemptor noster per Prophetas, & Apostolos, dignatus est nobis dirigere literas suas, non vt aliquid seruitium sibi necessarium demandetur, sed quæ ad salutem, & gloriam nobis prodesse possint, innotescant.* Quare, & horum Superiorum auctoritatẽ, venerari, & eorundẽ præscripta nobis imposita, in pęnitẽtijs exequi, diuino præcepto tenemur.

Pręlatis debitũ honorem, & obedientiã, pro animæ nostræ salute, præstare debemus.

Superiores, Christi Legati, horum pręcepta, Dei epistolę.

August.

5 Luc. 24. dicitur: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Et quis erit Dydimus iste, qui resurgentis Redemptoris, hanc veram non fateatur resurrectionem, propria virtute, & non apparentem, vt fuit illa Samuelis per Phytonissam, vt p. reg. 28., sed quod magis ad rem nostram facit, quare dicitur peculiariter: verè resurgens, *apparuit Simoni?* cur si Petri huic Christus nomen dedit, dicens, Matth. 16. c. *Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meã.* Quare nõ hoc nomine Petri, sed Simonis hunc Euãgelista manifestat? Resurrectio Christi, figura, forma, & viuũ est exẽplar resurrectionis nostræ, maximè vero à culparũ sepulchro: Petrus, qui Simõ vocabatur, Prelati, vt Sũmus Põtifex, qui erat, cõfessoris, siue etiã pęnitentis personã gerit meo iudicio: vt Petrus Pontifex, & Confessor est, supremam à Christo à peccatis absoluẽdi, habẽs facultatẽ; ideo Matth. 16. c. dicebat Saluator: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum,*

Cur Luca, Petrũ cui in resurrectione sua Christus apparuerit, nomine Simonis vocat nõ Petri.

Petrus Prælati, & Pontificis formã gerit, vt Simon pœnitentis.

& in Cælis; ecce Petrum summum Pontificem, & eiusdem potestatem, vt Confessoris absoluendi: vt Simon vero pœnitentis personam præsefert: Simō enim interpretatur obediens, talis debet esset pęnitens Deo obediendi, non solum se in confessione Ecclesiæ clauibus subijciēdo, pro absolutione recipienda suorum peccatorum, sed debet etiā esse obediens in præscripta, & pro peccatis, ab eodem Sacerdote imposita pœnitentia, exequenda, & promptè adimplenda, vt veræ resurrectionis Christi à peccatis iste verè resurgēs, particeps esse possit; cui inde tempore mortis Christus dignetur ad eiusdem consolationem, & salutem animæ apparere. Quare D. Bern. hom. de duob. discipul. euntibus in Emaus ait: *Magnum lætitiæ cumulum parturiens obedientibus; quia Dominus apparuit Simoni, & ipsi soli speciali prærogatiua præ omnibus. O si deuotæ mentis memoria reuoluamus, quam dulcis sit eius apparitio obedientiæ filijs, in illo agone terribili, & in illa hora miserabili, vbi cogitur anima à corpore separari: non præsumimus, quæ nescimus adserere, possumus tamen pijs imaginationibus, tale aliquid cogitare, fortè nunc aliquibus apparet Christus, cum vexillo obediētiæ, & ineffabili exultatione exhilarat obediētis animam in illa tribulatione; & his potest sermocinationibus consolari: Ne timeas fili obedientiæ, ne timeas intueri manus, propter obedientiam cruci affixas: considera pedes expositos, fixuris clauorum, & latus lancea perforatum: attende, quod per obedientiam mortuus sum*; & post pauca concludit: *volo, vt plenitudo mea obedientiæ, sit tuæ minus sufficientis obedientiæ, supplementum.*

Ber.

Quam dulcis apparētia Christi, filijs obediētiæ in agone mortis.

6 Subditus siue pęnitens debet esse veluti rota obediētiæ, hæc obedientis animi hieroglyphicum; qui inquam pœnitens, circa Deum, & Superiores vertitur, & circumagitur, qui promptè, quod Prælatus, vel Confessor iusserit, exequi conatur, & vt Dei voluntatem perficiat, factus, vt ita dicam, spiritualis Vertumnus, qui est Dei cuiusdam nomē, in omnigenas se se formas vertentis, vnde, & Vertumni nomen accepit: Sic in eas pænitentiæ, vel obedientiæ partes ad quas vocatur à Superioribus se facilè, & vltrò voluntate, & operè conuertit, vti Plautus in captiu. ait: *Pro rota, vti me licet; Vel ego huc, vel illuc vertor, quo imperabitis*. In modum rotæ circa Deum, Superiores, & Prælatos voluitur, qui ad omnia paratus perficit, quæ ei præcipiutur. Talem se rotam Regius præbuit Propheta, cum Deo diceret, Psalm. 107. *Paratum cor meum Deus, paratum, cor meum*. Sed dicam ego, quid opus erat apud Deum, hæc verba repetere, paratum cor meum? imò etiam semel dicere, adhuc superfluum videbatur, cum Deus nostrum, an paratum, vel imparatum sit, indubiè apertè perspiciat cor; dicitur enim 1. reg. 16. b. *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor*; sed ideo repetit paratum esse cor, vt se obedientiæ rotam diuino exhiberet præcepto, in quamcunq; partem, quæ Deo placet, ad diuinæ voluntatis nutū, promptè versuram; quare Hugo Carensis hic ait: *Paratum cor meū ad aduersa, paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum tibi Domine vacare, paratum proximis ministrare, paratum ad omnia quæcumque præcipis.* Vel etiam clarius ad rem nostram, dicamus, quod bis ait, cor habere paratum, vt intrinsecam, & extrinsecam cordis cogitationum, & operum, suam omnimodam prōptitudinē Deo manifestaret. Quare Hugo

Subditus, siue pęnitēs, velut rota, circa Dei, & superiorum pręcepta circumagitur.

Obediens spiritualis Vertumnus.

Plautus.

Hug. Carēs. Bis paratū dicit esse cor suum Dauid Deo, vt ad quæcunque diuinæ voluntati placita, suā omnimodā declaret prōptitudinem.

Hug. de S. Vict.

Hugo de S. Victore lib. 2. de Claustro Anim. cap. 21. hanc eiusdem verbi repetitionem sic expendit: *Bis, inquit, dicit paratum, id est intus ad cogitandum recta, foris ad faciendum vtilia; interius in mente, & exterius in operatione.* Sic nos opportunè dicamus de ægro peccatore, in ordine ad Confessorem, vti animæ suæ medicum, illum esse paratum intus, quo ad examen conscientiæ, & considerationem peccatorum; foris per actualem Confessionem; intus per contritionem; foris per satisfactionē semper Deo, & Superiori in omnibus, ad parendum.

Anima subditorũ, siue pœnitentis, dicitur liquefieri, ad diuinorum præceptorũ, quaslibet impressiones.

8 Olim diuini, sponsi sui, cœlestis sponsa, amore flagrans, cum huius in se amplius flammas continere non valeret, in hæc verba prorupit Cant. 5. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Hæc perbellè ad rem nostram trahi sententia potest. Hæc sponsa dici potest anima pœnitentis, siue subditi erga Deum; cui per fidem desponsatur, vt Os. 2. *Desponsabo te mihi in fide*, vel erga Superiores, dicamus modo erga Confessorem, qui dilectus est animæ pœnitentis, cuius salutis amore flagrat: penitens igitur veluti sponsa, vt audit vocem dilecti sui, scilicet Superioris, eidem præcepta statuentis, pœnitentias imponentis, vel alia similia præscribentis, obedientiæ igne æstuans liquefit, absque vlla resistentia, & repugnantia, se totam Superioris voluntati subdit, & facillimè ad sponsi nutũ, suę mentis flectit obsequium; ab eius corde duritiem, & peruicaciam abigit, ad iussa peragenda. In cera, siue metallo liquefacto, quælibet facilè potest figura imprimi; quare si aurum v.g. liquefactum rationale esset, & ab hoc peteret artifex, in quam formam cuperet conuerti, si monilis, an murenularum, coronæ, an anuli, vel alterius formę: responderet aurum, ecce sum liquefactum, de me igitur fac quicquid tibi placuerit, meum placitum tuæ subdo voluntati, hæc mihi gratum, sic subditi, vel etiam pęnitentis anima ad Superiorum nutum, ne dum vocem liquefacta, obedientia, se totam eorundem voluntati submittit, eorum se præceptis mente, & operatione subijcit, & in omnem formam, diuinæ voluntati placitam, se promptè exhibet, efformandam; & ad, quaslibet diuinorum præceptorum impressiones, recipiendũ. Quare Gillebertus Abb. ser. 44. in Cant. ait: *Magna in liquefactis ad sequendum mobilitas, & prompta voluntas; intelligitis iam, vt arbitror in liquefactis ad obediendum aptitudinem grandem, humilis animæ affectum tractabilem.* Animam talem liquefactam mihi videtur posse adumbrari, illam Sauli, quæ ac vocem dilecti Christi audiuit, dicētis, Act. 9. *Saule Saule, quid me persequeris*; & ecce subito diuini amoris, & vocis igne, liquefacta ad omnem formam diuinæ voluntati placituram, se exhibet efformandam; dum respondet Act. 9. *Domine, quid me vis facere?* vt etiam Samuel diuinæ eidem voci obaudiens cũ vocanti, inquit: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Quare D. Bern. serm. p. de Conuers. Pauli ait: *Quid me vis facere inquit.* O verbum breue, sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed omni acceptione dignum, quam pauci inueniũtur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abiecerint voluntatem, vt nec ipsum cor proprium habeant, vt non, quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione: *Domine, quid me vis facere? Hæc Bern.*

Gillebert. Abb.

Anima Sauli, in conuersione liquefacta, ad diuinæ voluntatis placitum.

Ber.

8 Formam quam imitemur ad obediendum Deo, nobis præscripsit Aposto-

Apostolus ad Roman. 8. his verbis: *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*. Vbi Chris. ho. 14. ait: *Non simpliciter dixit, quicunq; spiritu Dei viuunt, sed quicunq; spiritu Dei ducuntur*. Hinc est, quod Regius Propheta, vt ostenderet se totum diuinæ voluntati, velut in omnibus, & per omnia mancipatum, se vt iumentum prodebat, dicens Psalm. 72. d. *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Iumentum non disquirit voluntatem Domini sui, quo iste, illud velit ducere, sed sessori obedit, siue per viam planam, siue asperam, siue per mundam, siue luteam, siue tragiuersione pergit; sic anima fidelis, quæ sibi ductorem Deum statuit, viam siue boni, siue mali per quam ducitur à Deo, præcepti freno, obedientiæ pede, procedit. *Quicunque ergo spiritu Dei aguntur hi filij Dei sunt*. *Quia*, ait D. Chris. vt supra: *sic vult spiritum Dei, vitæ nostræ Dominum esse, vt gubernatorem nauigij, & aurigam equorum*. Comparat se (rursum dicam) iumento; quia sicut hoc caret ratione, & à sessore dirigitur per viam, quam incedit, sic vt iumentum se Dauid manifestant vti carens ratione, velle, & nolle habens proprium, quia suum velle, & nolle in Dei voluntatem refundit, à qua regi, & duci exoptat. Et spiritu Dei agitur, & ducitur: hoc referri potest ad Superiores, & Rectores, quorum spiritu scilicet præceptorum, quæ sunt spiritus Dei, vt Matth. 10. c. *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*, fideles subditi, & pœnitentes, velut ab auriga Dei reguntur, & ducuntur, & ideo ad cœlestem patriam, vt filij Dei tutò perducuntur. Quare D. Augustinus super Psal. 31. ait: *Obedientes sunt iumentū, cui Deus insidet, quod & domat portans bene Dominum asellus est, quem Dominus deducit in Ierusalem*; quæ est figura cœlestis gloriæ. Abeunt igitur à vera obedientia, qui segniter, quod iniungitur exequuntur; peccant in modo, quia, aut moras trahunt, aut videntur nolle, dum differunt, aut contracta fronte parent, non promptè, & alacriter, diuertūt, aut variant in pœnitentia; hi à Deo non aguntur, quia propriam potius, quam Dei voluntatem exequi videntur.

Chris. — Iumentum Christi, verus obediēs, quod à Deo vult regi, & duci; & sine ratione, in Dei, suū velle, & nolle, volūtate referens. — Chris. — August.

Et assidentes. tex.

§. XII. Prælati, & Superiores quicunque, animarum curam degentes, debent siue ex charitate, siue ex officio earundem curæ sedulò vacare.

1 QVia ad ægri salutem nō solum requiritur Medici peritia, & sedulitas, sed etiā in ægro debita obedientia, vt Medici ordinationi, & præscriptis aquiescat: Et quia hæc præ viriū imbecillitate non potest ex se exequi, ideo necesse est, vt qui curam habent infirmorum, qui assidentes dicuntur, suo in deseruiendo illis, debito, opportunè fungantur munere. Sic de ægro spirituali proportionaliter diximus, in ordine ad diuina auxilia, quibus, vt commodè assētiri possit, debent Superiores Prælati, & animarum curam gerentes, pro huius salute, ex officio pro posse, & secundum, quod opus est, sedulò incumbere. Hinc est, quod Saluator, vt manifestaret in Prælatis, & Superioribus curam debere esse repositam subditorum, ait Luc. 22. d. *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum. Ego autem oraui pro te* (scilicet Petro) *vt non*

A Christi doctrina subditorū cura, à Prælatis discenda.

non deficiat fides tua. Et quomodo si omniũ Apostolorum detegit periculum, ne diaboli tentationibus succumbant, non pro omnibus suæ orationis remedium ad salutem apponit? non accurrit in auxilium, vt hosti obsistant? nunquid, qui omnium salutem expetit, de Petri tantum salute anxius erat, vt dicat: *Ego autem oraui pro te?* nunquid qui Deus est, apud quem non est exceptio personarum, cui cura est de omnibus, cæteris posthabitis, de Petro tantum curam gerit? cur potius pro Ioanne, qui dilectus eius erat, cur non pro Iacobo, qui cum fratre, Christo, sanguine coniunctus erat? cur non pro alijs omnibus? nũquid alios, quos in sui Collegiũ cooptauerat, & in societatẽ adsciscerat, in tentationum periculis, derelinquit? si pro omnibus iam orauerat, vt Io. 17. b. dicens: *Pater sancte serua eos, in nomine tuo, quos dedisti mihi,* quare modo nõ pro omnibus, sed pro Petro tantum se orasse, pronuntiat? sed dicamus, quod Christus orauit pro Petro, vti illo, qui Ecclesiæ futurus erat caput, sed, & consequenter orauit, pro alijs Apostolis, quorum cura ei inde demandata est: hinc est, quod sequitur, *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Luc. 22. d. quare Caietanus hic egregiè ait. *Non dicit, rogaui pro vobis, cum tamen pro eis rogauerit, dicendo: pater sancte serua eos à malo, sed pro te ratione officij, quoniam rogasse pro te, redundat in rogasse, pro fratribus tuis, quos confirmaturus es. Ego itaque rogaui pro te, non singulariter exclusis alijs, sed præcipue tanquam aliorum futuro capite.* Capiti enim cura debet esse de membris eius.

Cur Christus dicit; orasse pro Petro, non pro alijs.

Caiet.

In Petro, vt in capite alij comprehẽdũtur Apostoli, pro quibus etiã orauit Dominus.

2 Rursus qualiter debeat esse Prælatus, & Superior erga subditos, scilicet bonus, & pius; & qualiter se gerere debeat, ostendit, dũ sequitur, Luc. 22. d. dicẽs. *Et tu aliquãdo conuersus, confirma fratres tuos.* Videlicet, quod hos, vt fratres debet diligere, fraterna charitate cum his agere, licet Superior sit; non tamen, vt Dominus, sed vt fraterno cum his amore coniunctus: quare Caietanus hic, expendens illa verba; *Confirma fratres tuos,* ait. *Vide, quod non subditos, sed fratres vult haberi, reliquos à Petro.* Vide, *quod officium non dominandi, sed confirmandi in bono fidei, spei, & charitatis prænunciat, ac mandat.*

Superior, subditos, vt fratres debet habere.

Caiet.

3 Sed dicet quis, & quænam collatio est hęc Superiorum, & Pręlatorum, cum assidentibus infirmorum, siue horum ministris, & seruis; cum Superiores seruis opponantur? Quandoque mecum mente reuolui, cur in quibusdam Religionibus, præsertim D. Francisci Prælati, & Superiores huius religionis, vocentur titulo Ministrorum, Guardianorum, & Custodum? quia hęc nomina seruorum potius, quam Superiorum formam, & denominationem induunt: Superior enim dicitur, qui supra alios ponitur, minister est veluti subditus, & seruus ad sequelam Domini sui destinatus, vt dicitur Io. 12. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Prælatus dicitur, qui alijs, vt maior auctoritate, & merito præfertur; Custos vero, siue Guardianus, qui ad aliorum custodiam, & curam, & ad seruiendum est deputatus, vnde sicut est nobilius illud, ad quod aliud ordinatur, quã quod ordinatur ad aliud, vt ait D. Thom., sic cum Guardiani, Custodes, & Ministri seruorum nomen resonent, meritò dubitari posset, cur Superiores, & Prælati tali nomine vocentur. Aperit nobis viam ad solutionem difficultatis Apost. 1. Cor. 4. dicens: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.*

Quomodo aliqui Superiores ministri, Guardiani, & Custodis, nomẽ sibi assumãt.

.Hoc

Prælatorum munus, est serui, & ministri subditis deseruiẽdo, onus assumere.

Hoc intulit Paulus Rector animarum, vt nobis Prælatorum, & Superiorum munus declararet, quod est seruiẽdi Deo, in ministerio illis demandato, in omnibus secundum quod opus est subditis, prouidendo, & curam habendo, & etiam inseruiendo. Hinc est, quod Christus magister qui erat, Discipulorũ suorum, lauare voluit pedes. D. Carolus Borromæus, proprijs manibus cõtagiosis, apud S. Gregorium Mediolani, Sacramenta administrare. S. Franciscus de Paula, Nouitiorum suorum, licet Generalis ordinis, vestes abluebat. Et Ludouicus Sanctus, Rex Galliarum proprijs manibus ægrotis, sicut suis sũptibus, quæ opus erant, sæpe, fercula ministrabat, & mortuos sepeliebat; quare Superior, & Prælatus, meritò ratione officij, in subditorum cura minister, Custos, & Guardianus vocari potest.

Exempla. De S. Carolo.

S. Francisco de Paula.

S. Ludouico Rege.

4 Cum Christus Apostolis suis sensum aperuisset, qualiter iturus erat ad mortem, quæ illi proxima erat: statim cœperunt illi quærere inter se, quis eorum loco Christi, magister futurus esset. Quare dicitur Luc. 22. c. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Prætendebat Petrus, & Andreas, vt primi vocati, & seniores, quibus honor præcipuus videbatur exhibendus. Io: vt dilectus. Iacobus etiam, vt sanguine cum Christo coniunctus. Philippus, vt omnium nobilissimus, vt potè regiæ stirpis &c. hos audiens inter se dissidentes Christus ait, Luc. 16. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, benefici vocantur, vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* *Reprimit* Caiet. ait Luc. 22. *Ambitionem, ex differentia inter principatum mundanum, & Ecclesiasticũ, finis regum est dominari, honores distribuere*, ad mundanam gloriam aspirare, & gloriari alijs pręesse, qui ambitionis pascuntur fumo. *Vos autem non sic. Vos Apostoli*, inquit, Caietanus, *vos capita Ecclesiæ, non sic, non tendetis ad dominium, aut ad humanam gloriam. Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor, sicut ministrator.* vbi Caietanus ait: *Contra appetitum humani dominij mandat eum, qui Ducis officio fungitur, fieri sicut ministrum. Ducis siquidem, est imperare, & ministri est seruire. Iesus autem mandat, eum qui Dux est, habere se, sicut eum, qui ministrat, quod est habere, se non vt Dominum, sed vt seruum*: ac si dicat magnitudo mundi est ad exercendam potestatem, magnitudo vestra ad exercendum ministerium. Quare Cyrill. apud D. Thom. in cat. au. Luc. 22. *Vestrum culmen est in humilitate.* Hinc est, quod Christus cum humilitatis summę officium pręstitisset, Discipulorum lauando pedes, dixit: *exemplum dedi vobis, vt quẽadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; Io. c. 13. sed qualiter hæc officia præstitit? vt Dominus, & magister; quare inde concludit ibidem: *Si ego Dominus, & magister laui pedes vestros, & vos alter alterius, debitis lauare pedes*; quasi diceret, cum ad honores, & prælaturam perueneritis, ministri officio fungi debebitis. Quare ait Christus Luc. 22. *In medio vestrum sum, sicut qui ministrat*; vt omnium exemplar.

Ad mortem perecturus Christus, de Superiore Apostoli dissident.

Christus Apostolos de horum ambitione increpat.

Caiet.

Caiet.

Caiet.

Superior, vt minister debet esse.

Cyrill.

D. Thom.

Christus ministri munus subijt, ad Apostolorum eruditionẽ.

5 Ad summum Pontificatus Ecclesiæ solium euecturus Petrum, & in sui locum deputaturus Saluator noster, illum in suæ confessionis fidei præmium, beatitudinis nomine donat; dicens; Matth. 16. c. *Beatus es Simon Bariona*, ò summa Petri dignitas, qui adhuc in terris beatitu-

titudinis insignitur nomine; sed qualis esse debeat, & in quo consistat hæc dignitas, declarat, dum ait *Simon*. Et quare non vocatur nomine Petri, sed Simonis? & quid sibi vult hoc nomen? Simon interpretatur obediens: sed quomodo, qui Summus est declarandus Pontifex, alijs obedire dicetur? obediētia enim, præceptum præsupponit, & quomodo, qui alijs honore, & auctoritate præest, alijs subijcietur, qui Dominus est, seruus dicatur, qui cęteris pręcepta pręscribit aliorum iussa capescet? Quid aliud his verbis innuere voluisse, meo iudicio censendum est Christum, & intendere, nisi quod Summus Pontifex, qui aliorum regula, & exemplar est, debet in dignitatis supremo culmine constitutus, in Ecclesia, Ministri, non Domini munus obire, serui officio fungi, in subditorum cura gerenda, nec vt dominetur, sed sibi subditis, vt opus est prouideat: sciat, & agnoscat sibi collatam esse Ecclesiasticam supremam dignitatem, vt Christi Vicario dixit, Luc. 22. *In medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Quare eorum proprium munus Summi Pontifices attendētes, se seruos denunciant, veri Ecclesiæ Sanctæ Prælati, & Pastores ministri debent officio fungi, vt in horum diplomatibus profitentur, in quibus dicatur Alexāder Septimus, seruus seruorum Dei. Quare Caietanus in Matth. 23. ait. *Magnitudo mundi est ad exercendam potestatem, magnitudo vestra ad exercēdū dominium.* Hinc desumo illud dictum ad rem nostram commune sanctorum, Matth. 24. *Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Si est super familiam, ergo superior est; cum Superior sit ille, qui supra alios ponitur, si Superior, quomodo dicitur seruus, si seruus, quomodo supra familiam? sed dicamus, quod Superior sit supra alios, & infra alios; primo modo dignitate, quia alijs debet præesse auctoritate, sed infra alios inde dicitur, quia ad ministrandum subditis dignitas superioritatis confertur, quare D. Hylar. apud Cat. Aur. D. Thom. in hoc loco ait. *Hunc fidelem seruum, atq; prudentem, præpositum familiæ significat commoda populi sibi cōmissi, atque vtilitatem curantem.* Quare 2. Petri p. c. ait idem Apostolus: Simon Petrus *seruus, & Apostolus Iesu Christi.* Et Cyrill. vt supra: *vestrum culmen, est in humilitate.*

Caiet.

Quomodo potest quis esse seruus, super familiam, quod, superioris est munus.

Hylar.

D. Thom.

Cyrill.

6 Vel secundo dicamus, dicitur: *Fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiā suam*; quasi dicere velit, quod ille, qui est Prælatus, & Superior quodamodo in cura subditorum seruus dicitur, & efficitur, illis in prouidendo pro vt opus fuerit. Quod vt nobis clarius elucescat, adducere possumus, illud cōmune proloquium: *Seruire Deo regnare est*; quasi argumentum etiam deducere possimus, quod qui Rex est, qui regnat, Præsul, & Superior est, veluti seruus, vti diximus quodamodo efficitur; quod vt melius pateat, attendite: mittitur Gabriel ad Virginem, vt huic Diuini Verbi incarnationem annunciet; ad eam igitur cum peruenisset, & Sanctissimum Trinitatis eidem negotium exposuisset, inquio, quod Verbum diuinum Spiritus Sancti cooperante virtute, ne virginitatis timeret detrimentū pati, cōcipiet, & pariet humanis hisce spolijs irretitū filiū Dei, vt diffusè, Luc. 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomē eius Iesum:* & post pauca etiam subdit: *& dabit illi Dominus Deus, sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum; & regni eius non erit finis.* Ad hæc quid respondit

Qui regit alios, velut seruus efficitur.

Christus, qui vt Rex nascitur, cur à Maria Virgine, vt seruus proditur.

Q San-

Sanctissima Virgo? hæc sunt eius verba. Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.* Hic quæso ad tanti mysterij sublimem speculationis cognitionem, parumper immoremur. Angelus prædicit Virgini, filium ab eo nasciturum forè Regem; dum ait: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*. & Sanctissima Virgo, hunc Regem, seruũ constituit, dum ait: *Ecce ancilla Domini &c.* se ancillam fatetur, ergo qui ab ea nasceretur erit seruus; quia filius matris conditionem sequitur: dicitur enim, quod *partus sequitur* vẽtrem, seu matrem, vt l. p. §. in genui. ff. de statu hom. & l. partum C. de rei vend. si Mater erit serua, & ancilla, filius eius quoq; seruus erit: quomodo ergo, qui ab Angelo Regis insignitur, & appellatur titulo, qui nasciturus est, à matre seruus dicitur? Quomodo, qui Rex est, & alios regere dicitur, serui nomẽ sortietur, & onus? Non hoc dictu absurdum videatur, quod Rex nascatur, & seruus dicatur: Rex enim dicam ego, verbale nomen est, à regendo dictum, vt sciat, qui Rex est, quod suum, alios regere, munus est; qui alios regit, & sustinet onus vti seruus est, ergo qui Rex est, serui meritò nomen consequetur, & onus &c.

Ex lege ciuili.

Rex à regẽdo populos dicitur.

7 Et vt veritas dictorum magis elucescat; dicamus. Collaturus Petro claues regni cœlorum Christus, & in suprema hunc Pontificij muneris sede constituturus, mutat ei nomẽ, & quem prius Simonem vocabat, quod huius proprium erat, nomẽ, nunc Petrũ nuncupat, dicens Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cælorum &c.* & quia Christus dicebatur petra, vt 1. Cor. 10, inquit Apostolus: *Petra autem erat Christus*; & Ecclesia sancta, in eiusdem dedicatione protestatur hoc, dicens: *Angularis fundamẽtum lapis Christus missus est*; sic in sui locum Petrum deputaturus, eidem petræ nomen tribuit, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meã.* Iam diximus, quod Simon interpretatur obediens, quia qui præest, potius Ministri, quã Superioris munus obire debet; sed nomine petræ, hoc idem confirmatur in Ecclesiastica dignitate, munus, & onus, dicens: *Tu es Petrus &c.* quibus verbis, duo nobis speculanda proponũtur, dignitas, & munus Petri in Ecclesia Dei. Primò vocat petram fundamentalem, Petrum, dum ait, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: secundo munus eidem imponit eodem tempore laborandi, & Ecclesiæ deseruiendi, & populis ministrandi, quasi dicere vellet. Petre constituo te Ecclesiæ caput, petram fundamentalem, mei successorem, petram primam, vt fundamentum, ecce dignitatem, & gradus nobilitatem; verum, attende, & considera, quod fundamentum est ad sustentationẽ domus, sic tu petra prima per dignitatem, & nobilitatem, quia caput es Ecclesiæ, & alijs præeris, verum, vt fundamentum, subter alijs eris, super quod Ecclesiastici ædificij moles spiritualis consurget fidelium; ideo dicitur: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quare prima dignitate, & honore, sed ad sustentationem aliorum, velut infima, subtus alijs te reputabis; quia ad labores, & tribulationem, hanc Summi Pontificis dignitatem assequeris. Et quid existimatis velle inferre Christum, dum tradit Petro claues à hac n.cruce, vt in pluribus sunt formatæ, quia claues, & regendi dignitas, laborum crux est. Vel qui regunt debent ferre crucem, in subdi-

S. Ecclesia.

Petra dicitur Petrus, vt Ecclesiæ fundamentum dignitate, verum, vt tale, sub alijs, veluti ad seruiendum, & Ecclesiam sustentandum

subditorũ cura, sic honores, & cruces idem videntur esse. Quare Is. 9. dicitur: *Factus est principatus super humerum eius*: humerus enim est, qui sustinet onus, sic honores, sunt ad onera ferenda: quare Oleaster hic ait: *Putantusque hodie insensati filij Adam imperia, regna, & principatus huius seculi, honores esse, nō onera, quos puer noster arguit, qui suum principatum, quasi graue onus super humeros gerunt. Nō ergo Prælate, aut Princeps, cū ad prælaturā vocaris, te ad honorem vocari; putes; sed ad onus, & sub præfectura tibi gemendum puta, sicut sub onere graui.*

Oleast.

Claues traditæ Petro cruce sunt efformatæ laboris symbolum.

8 Vt onera grauia exprimeret Prælatorum, Iob, in subditorum sibi commissa cura gerenda, & quibus laboribus illi subiaceant, ait Iob. 9. b. *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* Et qui erunt isti tanta pollentes fortitudine, & firmissimis viribus, vt orbem sustinere valeant, sub quo curuari dicantur illorum humeri? In hæc verba Greg. 9. mor. cap. 20. ait: *Ipsi etenim orbem portant, qui curas præsentis seculi tolerant. Tantorum quippe pondera vnusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur.* Populorum cura, onus est, & orbis Prælatorum, quem suis virtutum, prudentiæ, & sapientiæ humeris ferre debent. Vnde cum talibus sapientiæ viribus, non præstent, non est mirum, si præ talium virium imbecillitate, & præ oneris huiusmodi grauitate, & pondere inde gemant à proprio munere deficientes, vt Deo rationem de commissis, & ommissis reddituri, vt Iob. 26. a. qui ait: *Gigantes gemunt sub aquis.* Gigantes isti sunt Prælati, qui maiores sunt, non corpore, sed auctoritate, & dignitate cœteris; isti igitur morales gigantes, qui onus regendi sibi commissos populos ferunt, cum sustinere nequeant prudentiæ, & sciētiæ viribus, gemunt sub aquis, hoc est, sub onere curę subditorum, nam dicitur Apoc. *aquæ multæ, populi multi.* Ideo *gigantes gemunt sub aquis.* Ideo Oleaster, vt supra: *sub præfectura tibi gemendum puta, sicut sub onere graui.*

Greg. Gigantes Prælati, dicuntur portare orbem, onus regendi populos.

Gigantes Prælati gemunt, nō sustinere valētes subditorum regimē.

Oleast.

9 Inuitauerat quadam die, Samuel Saulem, vt p. reg. cap. 9. narrat historia; hunc, cum in tricliniū introduxisset, ad mensæ caput statuit, & præcepit coco, afferri cibum, quem eidem pro Saule iusserat seruandum, sic factum est, vt ait textus. *Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saul; dixitq; Samuel, ecce, quod remansit, pone ante te, & comede; quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocaui.* Sed notate, quod ait, *ex industria* armum ei seruatum esse: vbi Glos. legit, *ex prouidentia*: & quænam prouidentia colligi potest in huius peculiaris cibi reseruatione? & quare armum seruat, non ne satius erat pinguem pullum, caponem, perdices, vt delicatiores regibus, Sauli seruare cibos, quam armum? & quare hunc? Armus animalis est humerus, qui onus sustinet, maximè verò dexter, qui Sauli seruatus fuit, vt ait Hug. Card. hic, symbolum est fortitudinis; hinc est, quod pastor cœlestis ouem inuentā super humeros posuit suos, vt ad ouile adduceret, & deferret; Sauli igitur vncturo in Regem, Samuel hanc partem animalis, humerum scilicet dexterum eidem seruari pręcepit; vt designaret fortitudinem, quæ in Superiore requiritur, ad subditorum onus sustinendum, quam quidem fortitudinē supponit Phil. Hebr. lib. de Monarch. qui ait: *Si vis bonus esse Rex, cum fortitudine benignitatem, & mansuetudinem serua.* Quam quidem fortitudinem ad infirmitates, & defectus subditorum

Ad Prælati munus requiritur fortitudo, vt subditorum onera portet.

Hug.

Glos.

Quid significet armus, qui Sauli ad cibum reseruatus fuerat

Hug.

Phil.

Ignat. torum perferendos trahit S. Ignat, Episc.ad Policarpum: *Omnes, inquit, porta quemadmodum te Dominus; omnes tolera per charitatem, sicut, & facis: precibus vaca sine intermissione; omnium infirmitates perfer, sicut athleta perfectus, sicut, & omnium Dominus: ipse inquit, enim infirmitates nostras portauit.*

10 Hinc est, quod humeros subtrahentes ab onere sibi demandato, à Deo acriter animaduertuntur; vt videre est 2. reg. c. 6., de Oza, qui cum arca Dei è domo Aminadab, Obededonis domum adduceretur super plaustrum nouũ posita, calcitrantibus bobus, à quibus trahebatur, cum ad casum inclinaret, hanc manu accurrẽs Oza sustinuit; & tamen ait textus, quod: *Iratus est Dominus indignatione contra Ozã, & percussit eum super temeritate, qui & mortuus est ibi, iuxta arcam Dei.* Et quomodo, dicet quis, mortis pœna plectitur, qui præmio potius dignus, censendus erat? qui seruauit arcam Dei, à Dei arcetur misericordia? Qui arcæ põdus sustinet, ne cadat, cadit percussus ad mortẽ? pœnam euadere non debebat, si omisisset facere, & quomodo faciẽs, quod bonum est, & bono fine pœnam incurrit, & mortis? maximus, quidem primo aspectu, diuinæ iustitiæ videtur rigor, verum si Ozæ culpam radicitus exploremus, ab admiratione diuinæ iustitiæ rigoris cessabimus. Ex num. 7. habetur, vt ait Hug. Cardin. hic, quod iusserat Dominus per Moysem, vt qui in sanctuario seruirent, proprijs humeris onera portarent; cum igitur in tali officio constitutus esset Oza, & proprijs humeris Dei arcam deferre deberet, cum ab huiusmodi onere declinasset, & humeros subtraxisset Dei arcam super plaustrum ponendo, proprium munus bobus deferendo, meritò diuinæ iustitiæ, & mortis sentẽtiã subijt, vt Hug. Card. hic ait. *Ideo mortuus est Oza, quia portabat arcam Domini super plaustrum, quam debebat portare proprijs humeris.* Sed vlterius in humeris percussus est, quia dicitur Sap. 11. *Per quæ, quis peccat, per ea quis, & torquetur.* Cum igitur peccauerit Oza in humeris, omissione delationis debitæ arcæ Dei, sic in humeris percussus interijt, sic Glos. *Super humeros, est percussus, quibus secundũ legem, arcam ferre debuit.*

Prælati laborum onus detrectãtes diuinam timeãt vltionem.

Oza à proprio munere detrẽdi arcam se subtrahẽs mortis pęna plectitur à Deo

Hug. Card.

Glos.

11 Debent esse veluti matres, Prælati in subditos, pia amoris viscera gestantes, verbo, exemplo, & subsidio pascendo, non vt Domini, rigore regentes, sed vt parentes, amore subditos, vt filios corripiendo. Vt Bern. ser. 15. in Cant., qui ait: *Discite subditorum matres vos esse, non dominos; studete magis amari, quam metui; & si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica; matres fouendo; patres corripiendo, vos exhibeatis.* Et quænam censenda est ratio, quod D. Paulus truncato capite, lac pro sanguine effuderit? nisi quia meo iudicio ad instar nutricis, in Ecclesia sancta, sibi creditos fideles, tanquam paruulos, in via Dei crescentes, doctrinæ lacte, enutriebat, vt p. Corinth. c. 3. ait. *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam*; qui in morte redundans, inde abundè effluebat, non cruentatus, quem prius, vt Persecutor Ecclesiæ effuderat christianorum, sed albescentem per baptismum, quem in lac conuerterat: sic enim charitate dealbescere debet, in Pręlatis, vt ad instar nutricis, in filiorum idest subditorum alimentum indecedat; & nihil reperiatur in illo, quod ad subditarum animarum bonum, vtilitatemque non ordinetur. Nutrix partem tantum sanguinis præcordiorũ calore decoquit, ad lac

Ber.

Superiores, non vt Domini, sed vt matres, doctrinæ lac præbere debent subditis.

D. Paulus, qui doctrinę lac dedit, lac pro sanguine etiam in morte, fudit

formandum pro paruulorum nutritione; Prælatus verò, totum sanguinem in subditorum alimentum, conuertere debet, pro vt opus est, iuxta illud Ioan. 10. c. *Et animam meam pono pro ouibus meis.* Quare Ambr. serm. 68. de natali Apost. ait: *De Pauli vertice, cum eum persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse magis lactis vnda, quam sanguinis, & mirum in modum, baptismi gratia sãctum Apostolum in ipsa cæde stetisse splendidum, potiusquã cruentum; quæ quidem res, in sancto Paulo stupenda non est, quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios: Lac vobis dedi potum, non escam.* Et ex eo, quod Christus ter Petro dixit pasce oues meas verbo, exẽplo, & ope, siue subsidio, intelligi potest omnibus modis, quibus potest, pascere suũ tenetur gregem spiritualis Pastor: & dicitur Pastor à pascẽdo; quare reprehenduntur Prælati, qui se ipsos pasci curant, non populum, aut famescentem gregem. Exech. 34. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos;* quare Hug. Cardin. super 1. D. Petri cap. 5. ait: *Cum non pascant, sed pascantur, non à pasco deriuari, sed à pascor pasceris.*

Ambr.

Reprehenduntur Prælati, qui se ipsos tãtum pasci curant

Hug. Card.

12 Pascitur igitur his tribus modis, verbo, exemplo, & ope grex Christi: verbo eruditione, doctrina, consilio, ad animæ spirituale sanctã enutritionem; vt Matth. 4. dicebat Saluator: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei:* quare Pastores cibos spirituales, sibi commissis ouibus animarum esurientibus, negantes, iure nomen Pastoris perdunt, & possunt timere, quod reddituri sint Deo rationem, de animabus illis, in die iudicij, iuxta illud Ezech. 3. e. *Sanguinem autem eius, de manu tua requiram:* Vel à medicamento debitę correctionis declinantes, & hoc infirmis ouibus non exhibentes, vt ab ægritudine defectuum, ad emẽdationis sanitatem reuocentur; vt Ecclesiast. 7. *Pecora tibi sunt, attende illis:* Vbi Card. Hug. *Pecora tibi sunt, idest simplices subditi, qui sicut pecora per omnia seruiunt, & pastore indigent, vt pecora, attende illis, idest prouide illis pastum spiritualem verbi, & exempli, & corporalis, idest temporalis subsidij, cũ indigent.* Quare Christus, qui verus erat Pastor; vt ipse aiebat. Io. 10. *Ego sum Pastor bonus*, formam reliquit, quam pastor, siue quilibet, Prælatus, debet tenere, sibi commissum gregem verbo, & doctrina pascendo. Vt Psalm. 2. ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius:* vbi D. Hieron. ait: *Ego autẽ &c. vox Christi; constitutus sum Rex, pro parte carnis dicitur ab eo Deo Patre, super Sion, idest super Ecclesiam, prædicans præceptum Domini, hoc est doctrinam Euangelij.* Debet pascere exemplo Prælatus, iuxta illud commune proloquium, Poeticum, quia

Pastor gregem suum verbo, exemplo, & ope pascere debet.

Hug.

Christi veri Pastoris exẽplar, à Prælatis imitandũ proponitur.

Hieron.

> Regis ad exemplum, totus componitur orbis;
> Mobile mutatur, semper cum Principe vulgus.

Et Plato. *Quales sunt Principes in republica, tales, & reliqui ciues.* Subsidio, debet pascere gregem suum, Pastor Ecclesiæ, vt prou. 6. dicitur. *Discurre, festina, suscita amicum tuum:* Discurre per domos subditorum, & de persona in personam, singulis necessaria prouidendo, 1. Thesalon. 11. b. *Facti sumus paruuli in medio vestri, tanquam si nutrix foueat filios suos:* quare oleo vnguntur Episcopi, dũ consecrãtur vt ad lucem accensi, & ad palestrã præparati sint, & vt misericordiæ, & leni-

Plat.

Quare in cõsecratione, Episcopi oleo vngũtur.

In Can. lenitatis odore perfundantur: vnde in Canonibus Apostolorũ, can. 39., & refert 12. quæst. 2. c. sic dicitur. *Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat Episcopus, & ea, velut Deo contemplante dispenset; nec ei liceat, ex ijs aliquid omnino contingere, aut parentibus proprijs, quæ Dei sunt, condonare: quod si pauperes sint, tanquam pauperibus subministret, ne eorum occasione, Ecclesiæ depredentur.*

Differentia passiuæ vnctionis, Dauidis, & Saulis in Regem. 13 Et quod nam existimatis mysterium fuisse, illud de Dauidis vnctione in regem, vt p. reg. 16. narrat historia: *Tulit igitur Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum suorum?* è contra vero Saul, solus in extrema parte ciuitatis, vnctus fuisse perhibetur; quia ille Pastoris boni, iste reprobi, & scelesti typum gessit. Sed quare in medio fratrum suorum? qui in medio est, ab extremis participatur, modo Dauid in medio fratrũ vngitur Rex, vt alijs esset exẽplar, & vt vera forma virtutum, imitandus; quare Greg. lib. 6. super p. reg. cap. 3. circa medium ait. *In medio fratrum vngitur, quia virtutis exempla circumquaque spargere iubetur; in medio fratrum vngitur, vt tantæ vnctionis fieri particeps omnes possint: qui enim in medio ponitur, ab omni parte videtur, oleo quippe in medio fratrum vngitur, quia qui in aliorum exemplum positus est, nullã sui partem habere obscuram debet. vt hunc omnes aspiciant, & ab eo lucis exempla sumant.* Greg.

Vigilantia Pastoris. Cur Gallus in fumitatibus templorum, & Leo ad fores ponitur. 14 Inter præcipuas partes, quæ in Prælato desiderantur, vigilantia mihi videtur maximè necessaria: hinc est, quod in templorum maiorum fumitatibus, gallus ponitur; & ante eorundem fores, leo; vterq. vigilantiæ symbolum sunt: quare Alciatus in suis emblematibus, talia contexuit carmina.

Instantis, quod signa canens, dat gallus eoi, Alciat. embl.
Et reuocet famulas, ad noua pẽsa manus:
Turribus in sacris, effingitur: ærea mentem
Ad superos peluis, quod reuocet vigilem.
Est Leo, sed custos oculis, quia dormit apertis,
Templorũ, idcirco ponitur ante fores.

Memini me in aduentu Illustrissimi, & Reuerendissimi Episcopi Dertonæ Domini mei Caroli Septalæ sapientissimi, & vigilantissimi Præsulis, super Episcopalis palatij portam tale apposuisse Elogium. Sacras, angustas, amplo tuo meritò, apparatas, zelo *Carolus, Septala* donis, Pede ædes ingredere, affectu, & ope ad nos egredere, vt virtutibus progrediamur. Euigila in somnis, qui gallicinia, in templi sumitate, spectas. Sponsam iuxta te, habes Ecclesiam, vt è tuo latere, diuini verbi semine, fœcunda, sacra Deo, prodat, proles. Erit tibi domus hæc, pauperi subsidium, afflictis refrigerium, lassis quies, & omnibus operimentum salutis: Hanc igitur ex animo lætus ingredere, vt æternum, tua hic in terris habitatio, in Cœlis nobis, præparet domicilium. Autoris Elogium, in vigilantissimum Episcopum Dertonæ Carolum Septalam.

15 In Gethsemani horto oraturus Saluator, assumpto Petro cum duobus filijs Zebedæi, eidem Christo, secundum carnem consobrinis, scilicet Iacob, & Ioanne, hos ad vigilantiam, & orationem inuitat, dicens Matth. 26. *Sustinete hic, & vigilate mecum*; Ipse vero interim, ab his secretus, lapidis ictu, ad orationem pergit, peracta breui oratione, ad eosdem reuertitur, & quos orantes existimabant, hos dormitantes inuenit, vt textus ait Matth. 26. *Et inuenit eos dormientes. Et*

dicit

Cur Christus in horto in oratione, dormitantibus Apostolis, præcipuè Petrus reprehenditur

dicit, *Petro sic non potuistis vna hora, vigilare mecum? vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*. Si omnibus vigilantiã præcipit cur Petrum peculiariter somnolentiæ arguit? Et si Petrus reprehenditur, cur non singularem aptam Petro, sed pluralem adhibet significationem, dicens Matth. 26. d. dicit Petro, *sic non potuistis vna hora vigilare mecum*? debebat potius dicere, *non potuisti vna hora &c.* quam dicere, *non potuistis*, & quomodo Petrus, plurium personam geret? & quare inter cœteros reprehendit Petrum, qui dormit, non Iacobum, non Ioannem? hic quidem videtur reprehentione dignus, qui, & iunior erat, & poterat melius cœteris vigilare, præcipue verò, cum iam somnum excusserat, & in cœna supra pectus Domini iam conquieuerat; non Petrus, qui & senex erat, & nuper cœnauerat, & propterea æquum videbatur, vt ad concoctionem cibi, quietem somno quæreret;

Gelen.

cũ, vt ait Galenus; *quod caret alternæ requie durabile nõ est*: quomodo ergo præcipuè Petrum reprehendit, cum omnes ad vigilantiam, fuerint à Christo cohortati, & omnes somno deliquerint? cur communis omnibus nõ currit reprehẽsio? Ad hoc respondere possumus, quod Petrus præ cęteris reprehenditur, cum defectus seniorum, magis reprehẽsibiles videantur, quam iuniorum, eo quod ab illis, isti exemplum sumant: vel secundo dicam, quod Petrus præcipuè reprehenditur, quia præ cœteris, se nõ forè scandalum passurum, fuerat gloriatus. Sed melius ad rem nostram dicamus; ideo prius inter cœteros reprehenditur Petrus, quia hic Ecclesiæ caput erat constituendus, & in eo subditorum salus continebatur; & quia caput Ecclesiæ debet esse diligens, & vigilans in subditorum cura, ideo

Defectus seniorum, magis reprehẽsibiles, cum exẽplar esse debeãt aliorum.

Reprehenditur de sõnolẽtia Petrus, quia vt caput Ecclesiæ, debebat esse vigilans.

præcipuè præ cęteris Petrus reprehenditur, tanquam, qui omnium subditorum personam gerebat ideo huic dicitur. *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* quare D. Anselm. super Rom. 12. ait. *Vt solicitus vigilet, super custodiam gregis, sibi commissi à Deo.* Hinc est, quod Saluator noster, dicebat Matth. 8. *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester, venturus sit*; vbi Hug. Card. ait: *Hortatur Dominus omnes ad vigilandum, & maximè Prælatos ad vigilantiam, & diligentiam, quos non tantum vult esse vigilantes, sed etiam vigiles.*

Anselm.

Hug. Card.

Et exteriora. tex.

§. XIII Omnia, & quęcumque bona extrinseca temporalia, & corporalia ad animæ salutem ordinanda.

1 Sicut omnia extrinseca debent esse proportionata ad salutem ægri, sic, omnia extrinseca, pro nunc dicamus, bona temporalia, & corporalia, ad animæ salutem esse ordinanda. De Serpente proditur, tali hunc esse prudentia præditum, vt corpus ictibus exponat, quo caput melius seruet: minarense, vel baculo colubrum; in orbẽ se circumuoluet, vt inter sinus corporis sui, caput abscondat, & seruet: & ratio procedit, quia ex capitis incolumitate; vita eius pendet, quamuis hæc, vel illa corporis pars abscindatur, si caput illæsum seruat, viuet; capite verò læso, moritur; ideo omnia membra, ad capitis salutem exponit ad rem igitur nostram: Vita nostra Deus est Saluator noster; ipse ait Io. 14. *Ego sum via veritas, & vita*; vt etiam Chrysol. ser. 19. ait: *Ego sum vita, quod est anima corpori, hoc est anima Christus*; non

Serpens pro salute capitis, totũ corpus, ictibus exponit.

Chrysol.

Vt in nobis Christũ seruemus, omnia alia perdere ne timeamus.

non viuit corpus, sine anima; non viuit anima sine Christo. Vt igitur Dei, & diuinæ gratiæ dona vitam, & Christum ipsum, qui est Ecclesiæ caput, in nobis, seruemus, & tueamur omnia membra nostra, omnes facultates amittere, ne grauemur; nam vitam nobis nanciscimur, & cõsequemur ęternã, quare Matt. 10. dicitur. *Qui perdiderit animã suã, propter me, inueniet eam.* Ideo Serpentis prudentiam nobis immitandam suadet Saluator noster; Matth. 10. *Estote ergo prudentes, sicut Serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Vt simplicitatem, innocentiam, & puritatem columbæ animæ nostræ videlicet, conseruemus, prudentiam Serpentis immitemur, vt quæcumque nostra, pro Domino bona, temporalia, & corporalia disperdere, & amittere ne timeamus. Quare

Hieron.

D. Hieronymus hic: *Serpentis astutia ponitur in exemplum, qui toto corpore occultat caput; vt illud in quo vita est, protegat; Ita nos, toto periculo corporis, caput nostrum, qui Christus est, custodiamus. Idest fidem integram, & incorruptam seruare studeamus.*

2 Quadam die, accedens Petrus ad Saluatorem nostrum, & eius magistrum, dicit Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Ecce omnia bona temporalia, quæ vltrò ad sequelam Christi dimiserat: quare quodnam beneficium, hic bonorũ temporalium contemptus eidem Petro contulerit, subditur, ex respõsione Saluatoris dicentis; Matth. vt supra. *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis, in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Vbi Orig. *Si quis reliquerit omnia, & secutus fuerit Christum, quæ promissa sunt Petro, & ipse recipiet;* Bona etiam corporalia, ad salutem animæ disponere debemus, vt potè si sanitate corporis perfruimur; debemus ieiunio macerare corpus, orationibus vacare, & opera misericordiæ peragere. Vel exteriora debent esse proportionata peccatori, vt diffusè in medicina spiritali diximus; ad quem locum remittimus Lectorẽ; ne nimia prolixitas, tædium afferat. Et hæc pro primi Aphorismi explicatione.

Orig.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS

LIBER PRIMVS.

Aphorismus secundus.

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt; sin minus, contra; sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet confert, & benè tolerant; sin minus, contra. Inspicere itaq; oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non. tex.

Ordo Medicinæ corporalis.

IN pręcedenti Aphorismo, egit Hippocrates de Medici munere, quo ad infirmi curationem, & etiam de obedientia ægri &c. In præsenti, qui est secundus in ordine, agit primò de eo, quod præstare debet Medicus in morbo à repletione facto; & in hoc procedit per comparationem, ab euacuatione spontanea, ad euacuationem vasorum, quæ fit ope Medici. Secundo ostendit qualiter Medicus, debet se in infirmorum purgationibus, præstare, in dieta, & in victus ratione præscribenda, & in vasorum inanitione; quæ duo in pręsenti Aphorismo insinuantur: primum in his verbis: *In perturbationibus ventris &c.* Secundum in his, quæ pro secunda parte leguntur: *Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus &c.*

Medicina corporalis.

Istæ ventris perturbationes, seu commotiones, ad euacuationem tendentes, non secundum quantitatem, sed solum secundum qualitatem, vt placuit Galeno, attendendæ sunt; quia ait Hippocrates hic: *Si talia purgentur, qualia purgari oportet*: & iterũ dicit: *Si talis euacuatio fiat, qualis fieri debet.* Hæ igitur euacuationes, seu purgationes in duplici differentia sunt; quędam spontaneæ; quædam artificiales, idest ope medici. His igitur consideratis, dicitur, quod in perturbationibus ventris, concitationibus, seu euacuationibus, quæ secundum qualitatem attenduntur, & in vomitibus spontaneis, dicitur: *si talia purgentur.* Hoc est si humor peccans, & molestans infirmum

Galen.

Purgationes nõ secũdum quantitatem, sed secundum qualitatem pręcipuè cõsiderandæ.

Purgationes quędã spontaneæ, quædã ope Medici.

Cum humor peccans deijcitur, hæc purgatio cõfert, & æger facilè suffert.

euacuatur; tunc talis euacuatio, siue purgatio, confert ad eiusdem ægri salutem, & hic etiam leuiter sustinet, & fert, huiusmodi molestiam; quia natura à morbo gaudet alleuiari: si autem non purgatur, & deijcitur materia peccans, & molestans humor, talis euacuatio, nec confert ad infirmi salutem, quia in hoc, morbi causa manet, nec æger leuiter, sed molestè talem suffert euacuationem. Et quod de purgatione, seu euacuatione spontanea facta à natura, dicitur; hoc itidem de euacuatione facta per artẽ, & ope Medici, siue per pharmacũ, quam per alia medicamenta proportionaliter intelligẽdum. Secunda pars huius Aphorismi, versatur circa Medici curationem, de eo videlicet, quod Medicus præstare debet, in ægrorum curatione, seu purgationibus; & ideo ait Hippocrates: *Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus cõueniat, aut non.* Vt sciat quænam dieta competat morbis acutis, quænam longis, quæ partibus morborũ, quę virtuti ægrotantis. Debet inspicere regionem, in qua degunt ægrotantes, an locus sit calidus, vel frigidus; humidus, vel siccus: tempus, an sit Veris, Æstatis, Autumni, vel Hyemis: ætatem, an sit senilis, vel iuuenilis; debilis, an constanti robore: Morbum, & morbi species. Quod si hæc omnia Medici præmeditabuntur, certiori animi fiducia, ad noxiorum humorum purgationem, rectè procedent. Et hæc pro Medicina corporali.

Cum peccãs materia non euacuatur, nec confert, nec ægri leuiter ferunt.

Quod de spontanea euacuatione dicitur, hoc itidẽ, in artificiali procedit.

Secũda pars Aphorismi, circa ea quę in huiusmodi purgationibus à Medico sunt cõsideranda, versatur.

Ordo medicinæ spiritualis.

In præcedenti Aphorismo, moraliter nos quoque proportionaliter egimus, in spirituali medicina pręcipuè de cœlestis, & æterni medici præuenientis gratiæ pijssima curatione, & per consequens etiam, de spiritualis ægri, scilicet pœnitentis, per liberi arbitrij, cooperationem ad Deum, prompta obedientia. Et etiam de spirituali Medico, scilicet, Prælato, seu Superiore in ordine ad Subditos, & inferiores, legis, ordinandorum præceptorum, & pœnitentiæ medicamento vitiorum noxios humores curante, & de eiusdẽ spiritualis ęgri, Subditi videlicet, ad eundem Superiorem correspondẽti obedientia; In præsenti vero Aphorismo de cęlestis etiã spiritualis Medici munere, in ordine ad ęgrum peccatorem respectu animæ, seu conscientiæ purgandæ ab infestantibus vitiorum humoribus, agimus, & præcipuè incipimus ab euacuatione morali spontanea, & voluntaria per pœnitentiã, & opera pœnalia, & inde procedimus ad euacuationẽ similẽ, quæ cœlestis, seu spiritualis Medici ope instituitur; deinde pro secunda parte Aphorismi, nobis agendum erit de modo actiuæ curationis spiritualis medici, ætatis ægrotantis, regionis, temporis, vt explicabitur infra, rationem habentis in huiusmodi spiritualibus morbis curandis, & pœnitentiæ dieta præscribenda: dicitur igitur,

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis.

QVia hæ ventris perturbationes, vt notat hic Io: Marinellus, sunt physicæ purgationes; sic nos moraliter discurramus, quod pœnitentia, & opera pœnalia, perturbationes quoque ventris, & sensus, mentis, & corporis dici possunt, secundum illud Thren. p. *Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus.* Idest, vt explicat Hug. Cardin. hic; *Sensualitas more parturientis plangit.* Vel ventris nomine, potest intelligi anima, scilicet mens, memoria, cor, ipsa conscientia, si exponunt D. Hieronymus

Medicina spiritualis. Io: Marinell.

Venter, pro sensu, & corpore.

Hug.

Venter memoria, cor, ipsa consciẽtia.

Hieron.

nymus super Iob 15. super Isai. 16. & super Habach. 3. D. Gregor. 12. moral. 20. & 15. moral. 5. 6. D. Chris. super Io. hom. 5. Bed. super Prou. 20. ideo dicamus: *In perturbationibus ventris*, hoc est in commotione cordis, iuxta illud Psalm. 54. *Cor meũ conturbatum est in me.* Vel in perturbationibus ventris, in animæ turbatione, in apprehensione alicuius mali; vt Psalm. 6. *Anima mea turbata est valde*. Vel etiam conscientiæ per synderesim, quæ peccatorem ob peccatum excruciat; vt Psalm. 50. *Et peccatum meũ contra me est semper*. Vel eiusdem conscientiæ examinis, secundum illud Esai. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et vomitibus spontinis*. Vomitus spontanei, possunt intelligi voluntariæ eleemosynæ, vt Hug. Cardin. super Ecclesiast. 31. ad lit. *Vomitus stomachum purgat, & minuit choleram*, sic respectu animæ dicam ego, hoc facit eleemosyna, Tob. 12. b. dicitur. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* Secundo potest intelligi nomine vomitus, restitutio malè ablati, iuxta illud Iob 20. *Diuitias, quas deuorauit euomet*, idest, vt explicat D. Th. hic. *Quas rapaciter aquisiuit euomet*; dicamus nos per restitutionẽ. Vel vltimò intelligere possumus, nomine vomitus, peccatorum confessionem, vt Ecclesiast. 32. *Si coactus fueris in edendo multum, surge, è medio, & vome, & refrigerabit te*: in quæ verba Hug. Card. ad rem nostram ait: *Si coactus fueris à propria concupiscentia*, quæ sola cogere potest, iuxta illud Iacobi p. *Vnusquisq; tentatur à propria concupiscẽtia abstractus, & illectus, in edendo multum carnalis voluptatis, surge è medio, per contritionem, & vome per confessionem, & refrigerabit te, ab æstu malæ concupiscentiæ.*

Greg.

Chris.
Bed.

Perturbationes ventris, cõmotio cordis, animæ, & conscientiæ possunt intelligi.

Conscientiæ perturbatio

Hug. Card.

Vomitus spõtanei, voluntariç eleemosynæ, & malè ablati restitutio.

D. Thom.

Vomitus spõtanei peccatorũ confessio.

Hug. Card.

His igitur pro terminorum intelligẽtia adnotatis, dicamus modo pro explanatione morali Aphorismi præsentis. *In perturbationibus ventris*, idest sensus, in corporalibus pœnitentijs, voluntarijs assumendis; vel ventris, in commotione mentis, per spontaneam apprehensionem alicuius imminentis mali. v.g. in consideratione mortis, Iudicij, nec non Inferni; vel memoriæ, in conscientiæ examine, in peccatorum recordatione; vel cordis in passionibus timoris, vel etiam contritionis peccatorum. *In vomitibus spontinis*, in voluntaria eleemosynarum elargitione: vel mali ablati restitutione: & in peccatorum confessione; *si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert*, hoc est, vt ad animæ purificationem, & salutẽ, hæc omnia conferant, secundum qualitatem charitatis videlicet, sũt dimetiẽda, vt ex corde, & pro amore Dei fiant, & ad gloriam, & laudem Dei dirigantur, præuia charitate ordinentur sic confert, ad animæ salutem. Vti Chrysol. serm. 4. *Deus de cordibus, non de manibus facta metitur, & de sensu, non de locis operum colligit qualitatem.* Nõ ad inanẽ gloriam, hypocresim, & humanã laudem sunt dirigenda. Vel secundo confert, *si talia purgẽtur, qualia purgari oportet*, per confessionem sacramẽtalem videlicet; si à pœnitente assumpta voluntaria pœnitentia, & quęcumque virtutis, opera, noxium peccati humorem, animam vexantem, expellunt, conferunt ad animæ salutem, vt Act. 3. 19. *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleãtur peccata vestra. Et leuiter ferunt*: hoc est peccatores, spirituales ægri, animæ salutis beneficium perpendentes, secundum quod à culparum noxijs humori-

Expositio moralis textus.

Opera pœnalia à charitate dimetiẽda, declaratur quomodo.

Chrysol.

Pænitentia voluntaria cõfert, si vitiorum deijcitur humor.

Qui a culpa purgantur, pœnitentiæ libẽter molestias sustinent.

moribus expurgantur, talem spiritualis purgationis, operum pœnalium molestiam, leuiter ferunt; vt ad Rom. 5.a. *Tribulatio patientiam operatur.* Vel leuiter ferunt, quia ob amorem Dei, tristia pati, charitatis opus est, de qua dicitur p.Cor. 13. *Charitas enim patiens est, omnia suffert, omnia sustinet:* In quem locum, ait D.Thom. *Charitas patiens est, idest facit patiēter tolerare mala; cum enim homo diligit aliquem, propter eius amorem, tolerat facilè quæcumq; aduersa. Sin minus è contra.* Si verò huiusmodi purgationes morales, vt diximus, & opera pœnalia, seu pœnitentiæ actus, non sunt tales, quales requiruntur, hoc est ad gloriam, laudem, & amorem Dei, non ordinantur, vel charitatis fundamento non innituntur, ad noxios peccatorum humores, animam vexantes, expellendos, sed potius ad inanem gloriam, ad temporalem finem tendunt; nec ad salutem animæ conducunt, nec conferunt, vt Apost. 1.Cor. 13.a. ait: *Si tradidero corpus meum, ita, vt ardeam, charitatem, autem non habuero, nihil mihi prodest.* Nam de his dicitur, Matth. 6. *Receperunt mercedem suã,* vt Chrysol. ser. 9. *Iustitia, quæ se humanis oculis locat, diuini patris, non potest expectare mercedem.* Nec iidem spirituales ægri, tales pœnitentias leuiter ferunt, quia non est talium patientia, nam vt ait D.Th. 2. 2. qu. 136. art. p. ad secundum. *Pati tristia, ad malum finem, non est propriè patientia, sed duritia.* Vt etiam de Hypocritis ait D.Ber. serm. de benedic. & Gregor. 8. mor. *Vt Simon Cyrenæus Christi crucem tulit engariatus, non volens; Ita Hypocritæ alienum opus pro Christo nolentes portant, opere exequentes foris, quod intus non amant. Sic, & vasorum inanitio.* Hactenus diximus de morali euacuatione, seu

D.Thom.

Quæcumque opera, quæ charitate nō innituntur, nil ad animę salutem.

Chrysol.

D. Th.

Ber.

Greg.

purgatione spontanea, modo dicimus; idem proportionaliter de eadem animæ purgatione facienda ope æterni, vel spiritualis medici in Ecclesia Sancta; quod si diuini flagelli pharmacũ, & purgatio moralis, quæ nobis à cęlesti medico ad animæ nostræ salutem præscribitur, vt Hug. Cardin. in Epist. D. Pauli ad hebr. 12. ait: *Flagellatio diuina est medicina spiritualis, purgans à noxijs, & conseruans in bono,* talis fiat, qualis fieri debet, hoc est si à diuina manu flagella ad nostri salutem prouenientia agnoscũtur, & recipiuntur, vt August. super Psal. 21. ait: *Intelligat homo, medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem;* & cũ Christo in horto passionis calicem, libenter bibunt, tribulationis; vt 2. Corinth. 12. c. dicebat Apost. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi,* & peccati infestantes humores per pœnitentiam deijciuntur; confert ad animæ salutem; vt D. Isidor. de sum. bon. lib. 3. qui ait: *Pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores saluantur, per quam Deus ad misericordiam prouocatur.* Deinde dicitur. *Et benè tolerant,* idest pęnitentes beneficium, animæ, quod percipiunt, perpendentes, vt Greg. 10. mor. *Dolor flagelli temperatur cum culpa cognoscitur,* libenter tribulationum molestias pro amore Dei sustinent, nec tristantur; quod à diuinis flagellis admoniti pro suorum expiatione peccatorum petantur à Deo, sicut S. Leo. Pap. ferm. in fest. omn. Sanct. ait. *Religiosa tristitia, aut alienũ peccatum luget, aut proprium, nec de hoc dolet, quod diuina iustitia agatur. Sin minus è contra.* Quod si à diuina manu flagella prodeuntia, & ad salutem ani-

Flagellatio spiritualis medicina.
Hug.

Flagello à Deo agnoscens, & recipiens, ad animæ salutem confert.
August.

A peccatis dum purgatur quis, pęnas libenter sustinet, pro amore Dei.

Isid.

D.Greg.
Quæ à Deo flagella non agnoscũtur, nihil ad animę salutem, & ægrè feruntur.

animarum immissa non agnoscit, recipit, nec ad Dei gloriam, & laudem dirigit; nec in propriæ animæ commodum, conuertit, neque peccantem à culparum suarum materia ob impatientiam purgat, hoc diuini flagelli pharmacum, nec ad animæ salutem conferre potest; & spirituales hi ægri, ægrè, non libenter talium calamitatum sustinent passiones: iuxta illud Hierem. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Inspicere autem oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos quibus conueniat, aut non. tex.*

Hierem.

Hæc est secunda pars præsentis Aphorismi, quæ se tenet ex parte Medici, qualiter se gerit cęlestis, & æternus, & qualiter se gerere debeat temporalis, & spiritualis Medicus, puta Prædicator, Corrector, Confessor, & quilibet Superior, peccatoris curæ insistens, ad peccati spiritualem febrem tollendam, & animas purgandas, sicut Deus modificatur in causa secunda, sic debet Prælatus in pęnitentijs iniungẽdis; *Inspicere regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, quibus conueniat, aut non.* Vt August. lib. de pęnitentia, qui ait. *Discretio Confessori valde necessaria, & consideret qualitatem criminis, in loco tempore, in perseuerantia, in veritate personæ, cuius fuerit ætatis, cuius sapientiæ, & ordinis, & quali hoc fecerit tẽtatione, & in ipsius multiplici exequtione.* Possumus igitur hanc partẽ secundam Aphorismi moraliter sic explicare. Debet igitur spiritualis medicus, inspicere primo regionem. Hæc regio potest sumi pro loco vitiorum, & ignauæ, & inertis vitæ peccatoris; designata per illam Sodomam, & Gommorrham; de quibus dicitur Genes. 19. *Intuitus est Sodomam, & Gommorrham, & vniuersam terram regionis illius,* quæ submersa fuit; & hęc fugienda, sicut consideranda. Vel regionem, locum videlicet deliciarum, & voluptatum, quæ ad peccatum homines alliciunt; figurata in illa regione Iordanis, quam elegit Lot, vt Gen. 13. *Itaque Lot oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam, Gommorrham, sicut Paradisus Domini.* Vel regionem, scilicet habitum peccati, quæ dicitur regio vmbræ mortis; vt de filio prodigo, dicitur Luc. 15. *Qui abijt in regionem longinquam;* quæ regio significat statum peccati, in hac vita; vt exponunt Ambros. super Luc. 15. Hieron. super Isai. 9. & dicitur longinqua regio, eo quod à patris sui beneplacito, voluntatis deprauatione longè alienatus erat, vt Isai. 9. *Habitantibus in regionibus vmbræ mortis, lux orta est eis.*

August.
Discretio Superiorũ, in pœnitentijs iniungendis

Regionis nomine, q̃ intelligatur. Primo pro vitiorũ loco.

Secundo, regio pro voluptatũ loco.

Tertio regio pro peccatorũ habitu.

Ambr.

Hieron.

Debet etiam inspicere tempus, quo detinetur à febre peccati; vel tempus, quoad literam, si Veris, si Æstatis, Authumni, aut Hyemis, quando facilius, & difficilius pœnitẽtes ieiunia, disciplinas, & mortificationes sustinere possunt. Vel tempus, quod est v. g. Quadragesimæ maioris pęnitentiæ, vt Cant. 2. *Tempus putationis aduenit.* Vel tempus Iubilei, quod est gratiæ, vt Psam. 31. *Pro hac orabit omnis sanctus in tempore opportuno,* scilicet gratiæ, vt explicat D. August. super Psalm. 101. Et D. Gregor. super Ps. 31., & 12. moral. c. 8. Vel tempus scilicet mortis, quando non suppeditatur peccatori lõgioris vitæ spatium, ad diurnam pœnitentiam; & est tempus iudicij, quo debet ferre fructum suorum operum, vt Psal. 1. *Et erit tanquam lignum &c. quod fructum suum dabit in tempore suo.* Hoc est tempore Iudicij, vt Hylar. super

Tẽpus quod inspiciendũ. Si anni.

Si Quadragesimæ.

Si Iubilei tẽpus.

August.

Vel si tempus mortis

Hylar.

August. Greg. Debet inspicere ætates ad pęnitentias obeundas.

super Psalm. 1. August. ibi. Greg. 6. moral. c. 18. Vel tempus, quo detinetur à morbo peccati. Debet etiam inspicere ætatem, si puerilis, quæ ieiunium vix ferre potest, si iuuenilis, si virilis, quæ aptiores sunt ad mortificationes ferendas; si senilis, & decrepita, minus ad pęnitentias rigidas, apta: morbum debet considerare, & qualitatem peccati videlicet, vt sciat, quibus opportunis pęnitentiæ remedijs, ad salutem debeat occurrere. Nam cum contraria contrarijs curentur; sic v. g. auaritiæ morbo occurrendum est, eleemosynæ cucurbitulis; gulæ ægritudini, ieiunij dieta; luxuriæ morbo, disciplinarum; & mortificationum confricationibus; rei alienæ nimiæ repletionis morbo, phlebotomia restitutionis. Hæc igitur omnia inspicere, debet, & considerare spiritualis Medicus Superior, quilibet, vt à vitiorum humoribus ægrā animam per pęnitentiæ ieiuniorū, & aliarum mortificationum dietam exactè, & opportunè valeat purgare. Quare Chrisost. in suo dialog. lib. 2. ait. *Non vniformiter secundum mensuram delictorum, increpationes quoque oportet inferri, sed diligenter aspicere, eorum, qui deliquerunt vires, atque propositum; ne forte volens rupta sarcire, maiorem operetur dirruptionem; & cupiens erigere collapsa, casum inferat grauiorē.* Quare ex his omnibus aliquos Paragrophos, tantum ad discursum opportunos depromamus.

Morbū peccatorū debet considerare.

Chris.

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert. tex.

§. I. Opera pœnalia voluntariè assumpta, vt ad animę salutem conferant, secundum qualitatem, ad charitatis trutinam, examinanda.

Et ægri leuiter ferunt. tex.

§. II. Passiones, quæ ad animæ salutem, conferunt, libenter ex charitate sustinendæ

Et ægri leuiter ferunt. tex.

§. III. Mala; quæ ex apprehentione mentis concitatæ sortiuntur; ad salutem animæ conferentia, æquanimiter tolleranda.

Sin minus contra. tex.

§. IV. Passiones, & opera omnia, quæ à charitate deuiant, nec ad animæ salutem conferunt, nec ex animo sustinentur.

Sin minus contra. tex.

§. V. Opera ad inanem gloriam tendentia, nihil ad animarum conferunt salutem.

Sic vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & benè tolerant. tex.

§. VI. Diuinæ manus flagella, vt ad animæ salutem cōferant, secundum qualitatem,

vt

vt à Deo prouenïunt conside-randa, sic æquo animo ferenda.

Sin minus contra. tex.

§. VII. Diuinæ manus flagella, quæ à Deo immissa, non agnoscuntur, ad animæ salutem nullatenus conferunt, nec libenter sustinentur.

Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, quibus conueniat, aut non. tex.

§. VIII. Prælatus, in spiritualibus Subditorum morbis curandis, regionis, temporis, ætatis, morbi ratione inspecta, pollere debet prudentia.

Quo ad primum. *In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert. tex.*

§. I. Opera pœnalia voluntarie assumpta, vt ad animæ salutem conferant, secundum qualitatem, ad charitatis trutinam examinanda.

1 QVæcunque opera nostra, quæ charitate non conuestiuntur, nuda simpliciter, & à vero bono, & perfectione omnino deficientia censeri, nec virtutis nomen sibi vendicare possunt; ac propterea pœnitentiæ quæque, virtutis perfectionem non sortiũtur, nec præmio dignæ vllo modo dicẽdæ, quæ charitatis munimine, & fundamento non fulciuntur; quare omnia nostra opera, ad Dei gloriã, & honorem sunt dirigenda, non ad inanem gloriam, retorquenda. *Soli enim Deo honor, & gloria.* 1. Tim. 1. d. ideo Apostolus 1. Cor. 13. a. dicit. *Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonãs, & cymbalum tiniens.* Et iterum: *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam &c. charitatem autem non habuero, nihil sum.* Sed quomodo dici potest scientiam possidens, qui ex abstrusis diuinarum scripturarum cellis, recondita cœlestium mysteriorum mella extrahit, nihil esse, cum sciens, & prudens saltem dici possit? Sed respondemus D. Thomæ fundamento, qui ait, quod virtutes sine charitate, verè, & simpliciter dici non possint, sed tantum dicuntur virtutes, secũdum quid; nam à charitate suam desumunt formam, & perfectionem: cum igitur forma, sit illa, quæ dat esse rei, vt inquiunt Philosophi, ergo carens forma nihil erit. Quare quicunque gratiarum dona possidens, si Salomonis sciẽtia imbibatur; si Prophetarum mysterijs clareat; si miraculorum virtute polleat; si angelica etiam facundia, & sapientia præstet, si charitatis dono non præfulget, profectò nihil esse censendus; cum nihil stabile, & firmum inueniatur, à charitate secretum: quare hæc est fundamentum bonorum operum, donorum, & virtutum, quo simpliciter perfectæ dicuntur: ideo Nyssenus de Scop. Christ. cap. 5. 8. ait: *Charitas nunquam excidit: quid hoc rei est? Tametsi alia quis obtineat dona, quæ spiritus præbet, linguas*

Opera, quæ charitate nõ fulciũtur, nihil sunt.

Quomodo sciẽtias possidens sine charitate, nihil erit?

D. Thom.

Charitas est forma virtutũ sine qua illæ nõ subsistunt.

Niss.

guas dico gentium, & prophetiam, & scientiam, & sanitatum munera; nudum verò purè liberatus fuerit, spiritus auxilio, ab affectionibus, quæ intus perturbant; neque salutis perfectum in animo, medicamentum acceperit, in timore casus adhuc consistit, quia charitatem non habet, quæ stabilit, & confirmat, in virtutis statu. Sic passiones voluntariæ, & pœnitentiæ spontaneæ, maximè verò ad Dei gloriã directæ, dona supernaturalia dici possunt; vt ad Philipp. 3. *Vobis datum est, non solum, vt in eum credatis, sed pro eo patiamini*; & actus virtutis sunt; quare vt ad animæ salutem conferant, secundum charitatis mensuram, sunt æstimandæ; hæc enim illa conseruat, ne pereãt, ne deperdantur, aut ne dissipentur, tuetur, vt Nazianz. orat. 2 de pace, qui ait: *Charitas constringit, nec bonum, quod in nobis est dissipari, ac diffluere sinit.*

Nazianz.

Quomodo sanctificare possumus, & debemus ieiunium ab Ecclesia, nobis indictũ. Hieron.

2 Sed quomodo nos sanctificare possumus ieiunium, quod ex se sanctum, & perfectum opus est, cæterarum fundamentum virtutum; quod potius nos sanctificat, quam illud nos sanctificare, dicatur? vt D. Hieronymus ad Demetriadẽ Virginem, ait: *Ieiunium, non solũ perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio, & pudicitia, atque prudentia, sine qua nemo videbit Deum.* An fortassis in ieiunio aliquam nos imprimere valemus qualitatem, vt illud sanctificare dicamur? & quomodo ieiunium, quod qualitas simplex est, à nobis imperfectis, sanctificationis recipiet formam, perfectionem, cum etiam potius subiectum, quam accidens, vt in pluribus, perfici dicatur? quomodo igitur ait. Ioel. 2. sanctificate ieiuniũ? Ad huius difficultatis nodum soluendum, primò animaduertendũ est, quod nomine ieiunij, prætendit D. August. tract. 17. in Io. & lib. 2. quæst. Euang. c. 18., & D. Basil. homil. 2. de ieiunio, quod Saluator intelligere velit, quodcumque mortificationis opus: vt etiam Lir. hic. *Sanctificate ieiunium, per carnis mortificationem.* Vel cum D. Greg. in pastorali possumus dicere: *Ieiunium sanctificare est: adiunctis bonis alijs, dignam Deo carnis abstinentiam ostendere.* Hoc supposito ait Ioel tum cap. p. c. *Sanctificate ieiunium, vocate cœtũ congregate senes, & omnes habitatores terræ, in domum Dei.* Tum cap. 2. d. ait. *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera.* Ad sanctificandum igitur huiusmodi ieiunium, vult Prædicatores ad pœnitentiam, vocantes animas prædicationis tuba canere; deinde cœtum, & populum congregari, sed quomodo dicitur congregari populus; & ieiunium sanctificare? nisi pœnitentiæ opera emittẽdo, populum videlicet, per peccatum dispersum, per pœnitentiam ad Deum auctorem, & Principem pacis reuocando cõgregari? vt Hieronymus in Ioel. 2. qui ait. *Congregate populum, vt qui dispersus peccauerat, cõgregatus peccare desistat*; vt opera nostra quæcunque diuini amoris, & charitatis igne succensa fulgeant in Ecclesia, quæ dicitur, & est Congregatio fidelium, & sic sanctificatur: ideo dicitur sanctificate Ecclesiam, & sanctificate ieiunium. Solus Deus Sanctus est, vt dicitur ab Ecclesia in Gloria in excelsis, *Tu solus Sanctus, Tu solus Dominus &c.* ieiunium igitur, & quodlibet mortificationum opus, vt sanctificemus, in ordine ad Deum; hoc facere debemus media charitate, sancta intentione, & puro corde, oratione sancta concomitante, quare

August. Basil.

Lir.

Greg.

Hieron.

Quomodo paruuli, & sugentes lac vocãtur ad ieiunium?

Ber.

Ber. Ber.serm.4.de Quadr.ait. *Sanctificate ieiunium, ut pura intentio, & deuota oratio, diuina illud offerat maiestati*. Sed cur vocat paruulos, & sugentes vbera ad ieiuniũ? quomodo, qui ieiunium non nouit, qui ieiunare nõ tenetur, qui ieiuniũ sustinere nõ potest ad ieiunium vocãdus? sed hoc dicitur, vt qualitas mortificationum nobis commendetur, vt in charitate, & puritate cordis, qualis in pueris inuenitur simplicitas sancta, ieiunij, & pœnitentiæ assumpta voluntariè opera, exerceamus: *Vt nullus in Ecclesia* (ait D. Hieron. loc. cit.) *non sanctus sit*. Hieron.

3 Deus intuetur cor, & ex qualitate cordis, qualitatem operationum metitur. Hoc declarat Spiritus Sanctus Ecclesiast.17., vbi dicitur. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum; creauit ex ipso, adiutorium simile sibi*. Sed ad quid hos creauit? Iob.3. *ait: Homo nascitur ad laborem; sic Deus creauit hominẽ, & posuit eũ in Paradiso uoluptatis, ut operaretur, & custodiret illum*. vt Gen.2. Verum Deus nõ præcisè ad opera, quæ facit homo, respicit, sed ad cor; quare subditur Eccles. ibi 17. *Posuit* (scilicet Dominus) *oculum super corda eorum*. Salus nostra, in nostræ voluntatis, ad diuinam vocationẽ, cooperatione consistit; ideo non ad ipsa opera præcisè respicit, sed ad cor nostrum, quo operationes qualificantur; ideo dicitur: *Posuit oculum super corda eorum*. Non enim ad oculum hominis, oculum suum conuertit Deus, vt videat si multum plorat peccator, ad misericordiam, videndo pauperem, inflectit misericors; nõ ad aures eiusdem, si Verbum Dei frequenter audit; non ad os si sæpe orat: non ad manus, si opera pietatis exercet; non ad ventrem si ieiunat; non ad renes si castitatem seruat; non ad linguã, si facundia pollet; non ad pedes si ad misericordiæ opera, & ad Ecclesiam currit; non ad corpus, si mortificationibus edomatur; non denique ad ipsa simpliciter opera nostra, sed ad cor nostrum respicit, quod sibi dicari petit, & imolari. Vt Prou.28. *Fili mi prabe mihi cor tuũ*. Hoc enim est, quod omnibus operibus nostris formam tribuit, & perfectionem influit, bona voluntate, vt placeant Deo. Quare Chrysol. serm.4. *Deus de cordibus non de manibus facta metitur, & de sensu, nõ de locis operum colligit qualitatem*. Et Bern. in Cant. *Apud Deum uerba pensantur ex corde*. Hoc placet Deo, hoc placatur, hoc tenetur Deus. Hoc, oculi munus gerit, fide videndo Deum; vt Matth.13. *Beati oculi, qui uident, qua vos uidetis*; hoc est, vt ait Theophylact., *qui eum fide aspiciunt*, quod cordis officium asseritur, vt ad Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam*: Hoc auris munus obijt, vt Luc.8. patet, de diuini Verbi semine, quod in cordis puri terram immittitur, fructum ferens vberrimum, & Is. 40. à. *Loquimini ad cor Hierusalẽ*: Hoc oris vices gerit: vt Psalm. 118. *Clamaui in toto corde, exaudi me Domine*. Hinc est, quod Exod.14. dicebat Deus Moysi. *Quid clamas ad me?* & tamen, nec quidẽ labia mouebat ad vocem Moyses, quomodo igitur clamare dicitur? quia cor oris officio fũgebatur, vt Chris. *Clamabat* (ait) *& vox penitus non audiebatur, cum non ore, sed corde clamaret*: Hoc manus effectum sortitur. Hinc Gen.22. dicitur Abrahæ: *Quia non pepercisti vnigenito tuo, propter me*. Quia tantum corde, & affectu filium obtulerat Deo, in sacrificium, ideo cor suum pro effectu, & opere recipit Deus; hoc est, quod qualificat nostra pietatis ope-

Marginalia: Deus nõ ad opera, sed ad cor operantis, oculos conuertit. — Quomodo dicitur Deũ ponere oculos super corda hominũ. — Chrysol. — Ber. — Cor, cæterorum sensuum, munere fungitur — Theoph. — Chris.

Duo minuta pauperculæ, ex animo oblata, diuitijs potentium preponũtur

ra, & parum pro maximò computat; quare de illa paupercula dicitur, quæ ex corde, duo minuta obtulit in gazophylacium, quod hæc diuitijs potentum prætulit, Saluator, dicens Luc. 21. a. *Plus cæteris misit.* Vbi Cyrill. *Non enim paucitatem oblati, sed copiam affectus, intuitus est Deus.* Hoc, in coniugato, & vxorato, continentiam seruare facit, matrimonij etiam soluẽdo debitum; quare August. lib. 16. de Ciuit. cap. 36. ait: *Continentiam Ioannes in opere, Abraham in solo animo, & habitu habuit.* Cor igitur, & voluntas, est, quæ opera nostra qualificat; quare si opera nostra corde præuio, ad Deum dirigimus, ad animæ nostræ salutem, Deo, vt grata nobis, conferunt; verum si inani gloria præeunte duce, hæc facimus, iam ab hominibus laudem, quam aucupamus recipimus; ideo non est cur amplius, à Deo præmiũ aliud cœlestis gloriæ, expectemus; quare dicitur Matth. 6. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* scilicet hypocritæ.

Cyrill.

August.

Cor, & voluntas, opera nostra qualificat, ad præ niũ, vel ad pęna.

4 Cor, & voluntatem nostram, & finem quò tẽdimus aspicit Deus, magis quam opera pœnalia, & alia quęcũq; bona, quę agimus, vt Iob 28. dicitur, *Vniuersorum finem ipse cõsiderat*; quare si cor, & voluntas nostra, aliò tendit, quò Deus ipse prætendit, cupit, & petit, inania sunt opera nostra, & nullius roboris, & momenti censenda: ideo meritò hæc respuit. Hinc est, quod duobus primò offerentibus Deo sacrificium in veteri lege, Abel videlicet, & Cain, ad illius, non ad istius respexit sacrificium; imo hoc despexit; vt Genes. 4. *Ad Cain autem, & munera eius, non respexit:* & vnde hæc discretio, & differentia prouenit? offerentes, ambo, quo ad naturam erant homines; ambò, quo ad cõditionem erant sanguine coniuncti, & consanguinitate germani; ab eodem primo generis humani stipite, scilicet Adam, & Eua prodeuntes; vterque de primitijs eorum fructuũ obtulit Deo sacrificium; vterque de sua substantia Deum, Dominum agnoscens, tributum præstitit; si ergo Deus nullius est exceptator personæ, quare in Abelis, non in fratris Caini, munera, ad eius gloriam non respexit? Pro intelligentia, & præsentis difficultatis solutione, recolamus, quod Apostolus ait ad Rom. 12. a. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctã, Deo placentem:* sed quomodo viuã dicit hostiã esse imolandam cum in lege veteri præceperit Moyses mactãdam esse victimã; vt Leuit. pluribus in locis? sed huic difficultati occurrit solutione S. Anselm. super Rom. 12., qui ait: *Hostia viuens, est corpus pro Domino afflictum:* sed quomodo in sacrificio exteriori bonorum operum, potest esse hostia viuens, cùm careat anima? vt potè eleemosyna, & alia pietatis opera, quæ sacrificium dicuntur, vt Ecclesiast. 35. dicitur: *Qui facit misericordiam offert sacrificium?* Sed dicamus, quod pietatis opera, quæ à corde nostro in diuinum amorem æstuante, associata sunt, hostia viuens vocari possunt, nam sicut corpus dicitur viuens, quod anima informatur, sic sacrificium, nostrarum actionum piarum, in Deum, quod à puro corde, vel diuino amore, & charitate accenso inflamato in Deũ dirigitur, tanquam ab hoc eodem informato corde, viuens hostia dici potest, nam nil viuit sine corde, vt Prou. 4. dicitur. *Ex ipso vita procedit*; sacrificium igitur Abelis, nedũ erat viuum, quod ex pecoribus, cũ ipse pastor esset, constabat, verum etiam cor suum in Dei amorem ardens super sacrificium hoc, quod informa-

Cur ad Abelis, non ad Caini munera Deus respexit vnde horũ discretio, & differentia.

Anselm.

Abelis sacrificium viuũ, quia super hoc, cor suũ obtulit Deo.

informabat vita, & charitate, posuit, vt donum Deo; è contra Cain sicut sacrificium huius erat mortuum, cum tantum ex terræ frugibus, sicut agricola erat, constabat, sic nec à corde puro ipsius illud associatũ erat: ideo ad munera Abel respexit Deus, non autem ad munera Cain. Quare Rup. Abb. de Trinitate in Genes. lib. 4. cap. 1. ait: *Cain cum Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositũ habens cor, in cupiditate terrena: Huiusmodi portionem Deus non accipit, sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi; prou. 23. at ille cor suum retinuit sibi, & fructus terræ Deo obtulit*. Vel secundo dicere possumus: *Deus, ad Cain, & ad munera eius non respexit*, quia Cain, in Deũ oculos suos non conuerterat, mentis suæ aciem, in diuinam bonitatem non direxerat, vt Creatorem agnoscendo, vt benefactori gratias agendo, vt Domino suo, cordis, quod petit, tributum, soluendo, vt Propheta faciebat, dicens, Psalm. 122. *Ad te leuaui oculos meos*, sed tantum eos ad terrena demittebat; charitatis enim oculo orbatus erat, vt potè charitate priuatus; vti Rup. Abb. de diuini off. cap. 8. ait: *Charitas est oculus cordis, qua quis caret, cæcus est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo eat*. Cum igitur Cain cordis oculo hoc, charitatis lumine Deum non aspiceret, meritò, nec Deus ad Cain, & ad munera eius aspexit.

Rup. Abb. Caini sacrificium, omni ex parte mortuũ; cor enim sibi retinuerat, nõ Deo obtulerat, in sacrificio.

Rup. Abb. Secunda responsio, quia Cain in Deũ non aspexit, sic Deus ad eum, & munera eius nõ respexit.

5 In cuius confirmationem, refert Fortunatus Auctor antiquus, vt apud Suriũ 13. Februarij de S. Hylario Episcopo; quo mortuo, multa in huius merita, & gloriam, Deus miracula, & prodigia ostẽdebat; ad huius Sacellũ duo mercatores accesserunt; qui ceræ massã quandã magnam habebant; & horum vnus alteri dixit; offeramus huic sancto hanc totam massam ceream, & hũc oremus, vt nostri protector existat; cui socius respondit, se nolle suam partem ceræ amittere, & Sancto dimittere; ille tamen inscio socio, totam ceram ex corde vltrò Sancto, ad eius altare, dono obtulit: quid inde actum est? oblata illa ceræ massa per mediã diuisa est, & pars, quæ ab illo mercatore ex voluntate, & bono animo oblata fuit, recepta est à Sancto; altera verò dimidia pars, quæ inuito animo à socio erat, Sancto, dicata, per aliquantulũ loci spatiũ reiecta est, vt hic, suam, quam ex corde non dedicabat Sancto, partem sibi resumeret, quod si Sanctus, ex animo minimè oblatum, munus recusat, & reijcit, quanto magis Deus, qui bonorum nostrorum non indiget, qui corda nostra scrutatur, inuito oblata repellet, quę à nostra voluntate, munera illi dicata non proueniunt? merito igitur, *ad Cain, & munera eius non respexit*. Patet igitur, quod illud, quod ex animo, & corde Deo offerimus, hilari fronte recipiet, vt illi gratum munus; & quod à voluntate recedit, & alienum est, munus oblatũ recusabit Deus &c. Quia, vt dicitur Ecclesiast. 17. *Spiritus quæritur, & respectu illius benedicetur*. Deus ex animo oblata examinat, vt recipiat, & è contra, contra volũtatem, quæ ei dicata sunt reprobat, & recusat, non ad munera respicit: quia, nostrorum bonorum non eget, sed tãtum cor nostrum, & voluntatem, quæ nostra est, sibi dicari cupit, & ex huius qualitate recipit, & despicit munera, secundum, quod ad Dei gloriam, vel temporalem finem ordinata sunt. Quare Dauid Psalm. 17. 27. ait: *Retribuet mihi Dominus, secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum, in conspectu oculorum eius*. Secundum cor nostrum, nostra quoq; à Deo opera examinantur.

Ex Surio. Historia, miraculi S. Hylarij, munus oblatum, secũdum partem non recipientis, & quare.

Sic Cain munus à Deo non est exceptum.

S 2 6 Eccle-

6 Ecclesiast. 35. *Bono animo gloriam redde Deo, & ne minuas primitias manuum tuarum &c. In bono oculo, inuentionem facito manibus tuis, quoniam Deus retribuens est.* Hic, describitur cordis qualitas, in operibus nostris, quale esse debeat, scilicet ad gloriam Dei, non ad humanã laudem; & quatenus nostra, pia in Deum intentione, & bona volũtate possumus parua in se, opera, & exigui meriti, magna apud Deum reddere. Nobilis, & generosi animi est, vnicuique honorem suũ exhibere; quare fidelis Subditus sui regis honori studet; filius patris sui decus, & gloriam ostentat; & seruus bonus, Domini sui honorem, & famam tuetur; sic homo in omnibus, quæ operatur gloriam Dei, qui Rex, pater, & Dominus noster est, quærere debet; vt p. Cor. 31. ait. Ap. *Siue comeditis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Vbi Lir. ait, *opera bona, quæ facis, ordina ad laudem Dei, & non hominum.* Sed vlterius addit: *ne minuas primitias manuum tuarum.* Primitiæ manuum nostrarum, possunt intelligi opera nostra, quæ primò agimus, vel egimus, quæ Deo sunt dicanda; non debemus minuere, hæc simpliciter in se bona, Deo consecrando, sed simul his cor nostrum associando, sine quo diminuta videntur opera. ait Lir. *Primitiæ frugum, vel primogenitorum, principia sunt bonorum operum; vel ipsa voluntas, quæ prior est opere.* Ipsa igitur voluntas, quę prior est, vel etiam cor, quod in generatione animalis primum generatur, vt aiunt Philosophi, dici possunt primitiæ, quæ Deo sunt offerendæ, sicut ipse petit; Prou. 8. *Fili mi præbe mihi cor tuum.* Si igitur opera nostra, absque corde, & voluntate, Deo dicãtur, iam diminuta apparent; imò si exilia, & exigua in se opera sunt, ea augere, & multiplicare nos, mente, & corde possumus: das pauperi frustulum panis, hoc parum est, fac, vt magnum sit: tritum vestimentum, & vetus, mendicanti donas, parum est, & minimi valoris, fac vt prætio, magni habeatur: vna die ieiunas, parum est, fac vt multum sit; sed quomodo? an omnipotẽtis manum habemus, qui de nihilo omnia produxit, qui Cœlos, terram, Stellas, Solem, Lunam, arbores, pisces, ex nihilo eduxit? qui de quinque panibus, & duobus piscibus, quinque millia hominum pascit? quomodo de paruo possum multum facere? ostendam tibi: *In bono oculo inuentionem facito, manibus tuis.* Ad rem nostram explicat Hug. Cardin. hic: *Idest bona, & recta intentione perfice bona, quæ excogitasti; ad laudem Dei.* Sed dicamus, vt voti compotes fiamus, debemus pium, oculis Dei, artificiosum cõstruere, deceptorium, si fas est hoc dicere; ò quantum valet, & nobis prodest apud Deum, & cum Deo operationum nostrarum manibus, intentionis bonus oculus. Vidistis ne vnquam quædam perspicilla, in quadrum punctata, quibus ob oculos positis, vnum denarium oblatum, plurima apparent, & conspiciuntur, quot sunt puncta perspicillorum: multũ enim lucrum esset mercatori, qui cum deberet Regi centum mille scuta, & tantum vnũ haberet, quod obijciens oculis Regis, huiusmodi perspicillis, hoc aspiciens, centum mille apparerent, & vt talia verè, & realiter essent, sic reciperet in solutum? Rursus pulchrum esset artificium, si quis vendens vnum vas terreum, & vile, supra quod apponens aliquod artificiosum chrystallum, appareret aureum, varijs margaritis, & lapidibus prætiosis inæstimabilis valoris distinctum, & ornatum; & vt tale venderet. Hoc est arti-

Describitur cordis qualitas, in operibus nostris.

Seruus Domini sui gloriam quęrit.

Lir.

Quæ sint primitiæ, manuum nostrum.

Lir.

Primitiæ operum nostrorũ, cor.

Parua ex corde Deo oblata, maxima reddere possumus

Hug. Card.

Exemplũ in perspicillis punctatis, quibus vnus numus, nobis plurimi apponent.

artificiũ, quod quærit à nobis Deus: *In bono oculo inuentionem facito, manibus tuis*; operi nostro, quod agimus ponamus perspicillum, & artificiosum chrystallum puræ, & sanctæ intentionis; quæ enim huiusmodi intentionis nostræ perspicilla, diuinis oculis repræsentabunt, eadem diuinus oculus adspiciet in nostris operibus, & talia eadem, recipiet, & soluet nobis prætiũ æternæ beatitudinis, vt verè plura opera essent. Damus frustrum panis pauperi, hoc parum valde est, ponamus ante hoc, perspicilla sancti desiderij, & chrystallum nostræ intentionis, dicendo Deo: Domine do hoc parum pauperi, ego vellem habere substantiam sufficientem, ad omnes vestros pauperes alendum, libenter elargirer, modo; do quod possum, vltra non possum; hoc modo ita crescit illud frustrum panis oculis Dei, & ita multiplicatum aspicit, & recipit ad soluendum ad desiderij nostri magnitudinem, & sic reddet; quare D. August. de ciu. Dei ait; *Si non habes facultatẽ habeto voluntatem*. Sic sequere de minuto, & denario, quod das pauperi, & de simplici ieiunio, cum præ virium imbecillitate amplius non potes; ponis super hoc perspicilla tuæ sanctæ intentionis, & vt plura à Deo recipiuntur &c. sic in Quadragesima ieiunas simpliciter, cupis ieiunare in pane, & aqua, sed quia non vales, Deus tuum acceptat ex desiderio ieiunium panis, & aquæ &c. *In bono* igitur *oculo* (scilicet intentionis tuæ) *inuentionem facito manibus tuis*.

In operibus nostris, cor ponamus, sic multiplicabũtur ad præmium.

August.

Ecclesiast. 17.

7 *Quoniam Dominus retribuens est*, idem Ecclesiast. vt supra. Ex opposito, de pœna, quam pro peccatis infert peccatori, Deus, possumus proportionaliter affirmare de præmio. Deus punit, & præmium tribuit secundum, quod in hominis corde spectat: non solum Deus punit peccata opere consumata, quam quæ simplici intentione committũtur protulit: quis, verbum iniuriosum in proximũ, quo huius famę, & honori præiudicauit; cupiebat hoc verbum esse globulum plumbeum, *vna moschettata*, ad illum interficiendum; Deus hoc peccatum puniet ac si interfecisset, cum animo, homicidiũ ille perpetrauerit; reus est homicidij. vidisti mulierẽ vxoratam hanc concupiuisti, ac si adulterium commisisses, peccasti; vt Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mechatus est in corde suo*; & quia Deus ex corde facta metitur, sic secundum cordis desiderium Deus punit. Eodem modo de præmio dicendum, si opera nostra, licet exigua, & parua, intentione bona, & sancto desiderio copulamus, conuestimus, hæc minima augemus, accressimus, & magna facimus, & vt talia Deus ducit, recipit, & ex desiderio vt facta, rependit. Ideo ait, Aug. vt diximus; *si nõ habes facultatẽ, habeto volũtatẽ. Quoniã Dominus retribuens est*. Prætium n. vitæ æternæ tribuit miserenti cordi, iuxta illud Prou. 14. d. *Qui miseretur pauperis, beatus erit*. Et secũdum maiorem desiderij nostri intentionem, maius præbet cœlestis beatitudinis prætium.

Sicut punit Deus ex mala intentione, vt opus consumatũ; sic præmium tribuit ex corde operanti.

August.

8 In Deum omnes nostræ dirigendæ sunt actiones, & cogitationes, omnium enim harum ipse est copiosus retributor; quare Prou. 16. 2. dicitur: *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tua*. Sed quomodo reuelare possumus Deo opera nostra, cui omnia perspicięti, nuda, & aperta sũt, hebr. 4. d. *Omnia enim nuda, & aperta sunt oculis eius*? Et idem sapiens eodem capite ait. Prou. 16. *Omnes via hominũ patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus*. Sed dicimus nos reue-

Ad Deũ omnes nostræ dirigendæ sunt actiones, & cogitationes.

Quomodo Deo omnia prospicienti reuelamus opera nostra.

reuelare Domino opera nostra, dũ hæc agendo, Deum, vt vltimum finem nostrum, nobis ob oculos mentis præponimus, & eundem nobis ad memoriam reuocamus, quem & adiutorẽ nobis deposcimus, & imploramus; sic deuotè agentes, omnia nostra opera, & cogitationes ipso aspirante, benè, & ad bonum finem dirigũtur, vt D. Hier. in prou. 16. qui ait: *Domino quippe opera nostra reuelamus, quando eum, quẽ nihil latere nouimus in cunctis, quæ agimus, in memoriam reducimus; atque illius in omnibus flagitamus auxilium; & cũ hoc deuoti agimus, fit vt non opera eadem tantumodo, sed etiam interna nostræ cogitationes illo dirigente procedant.* Caietanus legit, loco reuela Domino opera tua. *Verte ad Dominum opera tua.* Secundum Hebræum, qui habet; *Volue ad Dominum opera tua*; & mihi videtur hoc dicto, velle alludere ad illud commune dictum, quod refert etiam D. August. tract. 36. in Io. de Aquila regina volucrũ, quæ vt filios suos legitimos dignoscat, hos radijs Solis exponit, (sola enim Aquila fixis oculis Solem aspicit) quod si hunc, immobili acie oculorum aspiciunt, vt legitimos suos recipit, aliter, veluti degeneres, & illegitimos despicit, excludit, & reijcit; sic nobilitas operum nostrorum declaratur, & filij Dei veri dignoscimur, si in Solem diuinitatis eadem faciendo conuertimus, & mentis nostræ oculos ad eũ dirigimus, à quo retributionem, & mercedem abũdè inde recipiemus. Vt ad Ephes. 6. 4. ait Apost. *Quodcunque facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus; scientes, quod à Domino recipietis retributionem hæreditatis; Domino Christo seruite.*

Hieron.

Caiet.

Caietani versio secũdum Hebræum.

August.

Sicut Aquila ad Solem dirigit oculos, sic nostra opera ad Deum.

9 Apoc. 12. Vidit Ioannes in Cœlo mulierem sole amictam, calceatam Luna, & eius caput Stellis coronatum, dolore partus prægnans excruciabatur; ante huius aspectũ, stabat draco horribilis, paratus ad deuorandum partum, ac in lucem editus esset; quid egit hæc mulier? peperit masculum, & hunc, vt saluum faceret, ad Deum transtulit, vt ait tex. ibidem Apoc. 12. *Peperit masculum; & raptus est filius eius ad Deum, & thronum eius.* Hęc mulier, est anima iusti, quę diuinę gratiæ Sole est amicta; Luna fidei clarens, & Stellis virtutũ ornata, quę est in Cęlis, mẽte, vt Apost. ad Philip. 3. *Nostra conuersatio in Cœlis est.* Prægnans est sanctorum operum desiderio, excruciatur dolore partus, quia opera pœnitẽtiæ assumpta pęnas sensui inferũt, iuxta illud Gen. 3. *In dolore paries.* Parere, & in lucem proferre cupit, bonorum operum cõceptus: draco iste, qui horum partui insidiatur, vt deuoret, diabolus est, de quo ait D. Petrus 1. cap. 5. *Quia aduersarius vester diabolus, tanquam Leo rugens, circuit quærens, quem deuoret*; tentans nos, vt opera, quæ agimus, ad mundanam gloriam, & ad terrenum dirigamus finem. Vt de superbia, ait D. Aug. in regul. *Superbia bonis operibus insidiatur, vt pereant*; nos vero nostrorum operum partum edentes masculum, secundum perfectionẽ illorum, ad Deum, & thronũ eius, hoc est ad Dei laudem, & gloriã debemus deferre, & dirigere; vt p. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Huius figuram habemus in sacris literis Exod. p. de Pharaone, qui iusserat, vt masculi, qui nascebantur ex Hebręis mulieribus in Nilum ad sumersionẽ proijcerentur. *Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite; quicquid fœminei reseruate.* Pharao iste, diaboli figura est; nam diabolus est obstinatus in malo, sic Pharao obstina-

Parientis in Cœlo filius ad thronum Dei raptus, ne ab insidiante dracone raperetur.

Diabolus nostris operibus insidiatur, vt ina nis gloriæ faucibus deuoret.

August.

Pharaonis edictũ, nascentes masculos Hebreorũ, occidi, fœminas reseruari.

stinationis naturā induit, vt Exod. 7. dicitur: *Induratum est cor Pharaonis*; Hic, masculos bonorum nostrorum operum in humanæ laudis flumen proijci conatur; inanis gloriæ verò fœminas reseruari, sicut Hypocritarum filios facit; cupit nostra opera ad lucem prodire, vt hominū oculis tantū pateant, vt ab his laudē recipiamus, vt ad mundi honorē dirigamus, cum soli Deo honor, & gloria debeatur. Vt Greg. 9. moral. cap. 34. qui ait. *Contra bonos maligni spiritus, consilium ineunt, vt hi quos seruire Deo inocuè in tranquillitate conspiciunt, vexati aduersitatibus ad voraginem culpæ rapiantur.* Vide de hac materia, plura, Aphor. 23. §. p.

Greg. Fœminas hoc est inanis gloriæ opera reseruari cupit diabolus. Masculos sanctorum operum interfici.

Et ægri leuiter ferunt. tex.

§. II. Passiones, quæ ad animæ salutem, conferunt, libenter ex charitate sustinendæ

1 QVia ergo opera pœnalia, maximè vero spontè assumpta, & secundum charitatem considerata, quatenus ex amore Dei, à nobis procedunt, & ad Dei gloriam terminantur, & ad animæ nostræ salutem conferunt, vltrò & æquo animo à nobis tolerāda; ideo Apost. ad Rom. 12. a. dicebat: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Ex corporis afflictionibus, & pœnis, seu pœnitentijs pro amore Dei assumptis, spes est salutis; ideo patienter, has tolerare, & sustinere debemus. Ose. 2. 15. *Dabo eis Vallem Achor, ad aperiendam spem.* Et quæ est ista Vallis, quæ velut diuinæ misericordiæ ostiaria, nobis spei nostræ ad salutem portas adaperiat? & quid sibi vult Achor? Achor interpretatur turbatio, significat turbationem, & afflictionem: quod ad rem nostram facit, qui dicimus, *In perturbationibus ventris. tex.* Et hæ modò intelliguntur opera pœnalia, quæ, vt diximus, turbant mentem, & sensum; in hac Valle lapidatus fuit Acham: Hæc igitur Vallis ad aperiendam nobis futurorum bonorū, & cœlestium donorum spem ad salutem nostram nobis promittitur, & confert: sed quomodo ex loco, & Valle lapidationis, deducitur spes salutis, potius perditionis? & quomodo ex amaritudine dolorū spei salutis nectar educitur? ex luctus agro, gaudij metitur fructus? ex vulnere oritur salus? & ex odio enascitur amor; ex fame saturitas; ex pœnis solatium; & ex naufragio portus efficitur salutis? sed hęc mira, in seruo Dei, opera pœnitentiæ, ex charitate peragente conspiciuntur; nam dum passiones pro amore Dei sustinemus, hæ nobis spei animæ nostræ salutis adaperiūt ianuas; vnde fit, vt eas inde, hilari vultu, & libenter sustineamus, & toleremus: nam vt ait Apost. Rom. 5. a. *Tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio vero spem,* Vbi D. Hieronymus ait: *non solum in gloriæ spe, sed etiam in saluberrimis tribulationibus gloriamur; magnitudinem præmij cognoscentes;* & paulo post etiam subdit: *Debemus aliquid pati pro nomine Dei, vt aquiramus de tribulatione finiēda, præmium infinitum*: sic ex Achor afflictionū, & lapidationis loco ianua panditur spei salutis animarum nostrarum; ex Caluariæ loco, qui passionis est, spes redemptionis nostræ educitur; ex tristitiæ, & luctus agro, gaudij æterni metitur fructus, & iuxta illud Psalm. 125. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Ex odio proprij corporis, diui-

Ex pęnis pro amore Dei toleratis, spes est æternæ salutis.

Ex Valle Achor tribulationū, spes salutis æternæ deducitur.

Hieron.

diuinus enascitur amor; vt Ioan. c. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam*. Ex fame, quam pro amore Dei patimur oppipare cœlesti depascemur conuiuio: Luc. 6. *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini*. Ex ærumnarum pelago ad tutã, & fidam æterni solatij stationẽ peruenimus; nam dicitur Act. 14. *Per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei*: ex naufragio mortis temporalis, æternæ vitæ portũ inuenimus; *Qui perdiderit animã suam propter me, inueniet eam*. Matth. 16. Ideo ex passionum beneficio, spem salutis futuræ perpendentes, libenter illas sustinemus. Roman. 12. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*.

Apostoli æternæ gloriæ spe, in passionibus exultabant.

2 Hinc est, quod Christi Apostoli, summo sibi honore ducebant posse pati pro Christo, quod maximum censendum est donum; vt Apostolus ad Philipp. 3. ait: *Vobis donatum est, non solom, vt in eum credatis, sed etiam, vt pro eo patiamini*; ideo passiones omnes vltrò sustinebant, quibus eorum animæ, tanquam prætiosis margaritis, meritis ornatæ coram Deo præfulgebant; sic summo afficiebantur gaudio; vt in Act. 5. dicitur: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati*. Pęnas, & supplicia quæque pro amore Dei æquanimiter, hilari vultu tolerabant; quia his purificatas eorum animas, velut aurum in tribulationum fornace probatas, in Cœlum ad præmium conuolaturas forè, eos secura spes detinebat; Saluatoris nostri verbis innixos, dicentis, Matthæi 5. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentiẽtes propter me, gaudete, & exultate, quia merces vestra, copiosa est in Cœlis*. Ideo ibãt gaudentes; & tanta lætitia perfusi, vt carceres veluti paradisum, in quo, Christo fruebantur, ducebant; catenas pro prætiosis monilibus habebãt; sæuos ministros, veluti obsequiosos aulicos aspiciebant; e carceribus educti, à ministris vincti ad supplicia non rapti, sed tanquam ad nuptias inuitati, lætanter prosiliebant. Vincti quidem corpore, & membris, sed libera mente, & voluntate soluti procedebant: pallido vultu ieiunio, & pœnis macerati, sed corde iubilantes; vinctis manibus, sed æternas rapturi coronas, oculis in terram, pro sacrificij proprij corporis ad Deum venerationem, & humilitate, defixis, verum mentis luminibus in Deum eleuatis; ad mortem vltrò properabant; Ignominias pro titulis ducebant; mortis sententias, pro honoris priuilegio; vulnera pro muneribus; martyrium pro conuiuio, & mortem ipsam pro Sanctis cũ Deo sponsalibus habebant. Vt egregiè de D. Paulo S. Chrisost. homil. 8. de laud. Pauli, ait: *Cum illatis sibi vulneribus alacriter tirtuibat, non minus plagis suis gaudens, quam regijs triumphis; haud aliter delectatus nafragijs, quam cæteri acquisitis; solent gaudere thesauris; liuoribus, quos ei verbera sæpius inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis; tribulationibus, vt delicijs vtebatur, squalore carceris, vt paradisi amœnitatibus gaudebat*. Et de sancta Agata legitur in eiusdem lect. in Breu., quod *lætissimè, & gloriantur ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata*.

Chrisost. D. Pauli in tribulationibus, & pęnis, lætitia.

Beatæ Agatæ in pænis gaudentiũ.

3 Memini me legisse, quod cũ Alexander Magnus ille Macedo, Ciuitatem illam magnam Tyri, exercitus sui obsidione valasset, hac cupiens potiri, Astrologum, qui

secum

Alexander vulneratus, gaudebat, ſpe expugnãdę Ciuitatis.

ſecum comorabatur, conſuluit, nũ ipſa die, hanc poſſet expugnare, & capere Ciuitatem; cui Aſtrologus, reſpondit, ſi hac die Tyrum aggrediemini ad oppugnandum, procul dubio expugnabis; verum grauiter vulneratus eris; quibus auditis Alexander, tubis canere, tympana pulſari, & milites ad pugnam vocari præcipit; & dum exercitus eius inde manus cum hoſte viriliter cõſereret, ecce ab hoc ſagitta emiſſa ocyus Alexandrum petit, quo vulnere intimi familiares domeſtici, & alij amici eius contriſtati, ad eundẽ, condolentes accurrerunt, vt vulneris dolorem aliquo delinerent ſolatio ſaltem verborum; Alexander verò mæſtos amicorum animos ſerena fronte excepit, dicens: hoc mihi futurum vulnus præuidi; quia mihi Aſtrologus prædixit; verum etiam addidit, prædicens, quod capiam, & expugnabo quoque Ciuitatem, hanc ditioni meæ ſubdam; cum igitur vnum mihi prædictum contigerit, alterum quoque mihi futurum, non vereor; ſic victor etiã euaſit. Ita nos in hac mundi militia, & Eccleſiæ ſanctæ militantis, Chriſti milites ſumus, nobis regnũ Cœlorum expugnandum proponitur, vt Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Debemus paſſionum, & operum pœnalium armis inniti, & tribulationum vulnera pati, ſic prædixit cœleſtis Aſtrologus Act. 14. d. *Per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei.* Sic de ſupremo diuino Imperatore Chriſto pręnunciatum fuit, vt ſuam aſſequeretur gloriam. Luc. 24. *Oportebat pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Si flagellis petimur, ſi pœnarũ vulnera corpori noſtro infliguntur, vel nos ipſi nobis pro Dei amore, & culparum noſtrarum expiatione voluntariè infligimus, in-

Paſſionibus, Cœlum expugnamus, pro Chriſto toleratis.

his eſt ſpes cœleſtis victorię, expugnationis cœleſtis patriæ, vt Matth. 5. *Beati, qui perſequtionẽ patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum.* Beati, inquit, D. Aug. *Nõ in re, ſed in ſpe;* vt Chriſ. *In ipſa tribulatione, eſt ſpes gloriæ, ſicut ſpes fructus eſt in ſemine.* Hac igitur ſpe prætioſa nobis debet eſſe pœnarum, & afflictionum tolerantia. Vt Rom. 12. 12. *Spe gaudentes in tribulatione patientes.* Iſta enim ſpes, radix eſt patientiæ, vt Ambr. *Si ſpem auferas non poteſt eſſe patientia, nam patientiæ radix ipſa eſt.* Et D. Auguſt. in Epiſt. 2. ait: *Oſtendit enim, quare in tribulatione patientes; præmittendo, ſpe gaudentes.*

Auguſt. Chriſ.

Ambr.

Auguſt.

4 In huius confirmationem nobis aperta lectio eſt, de illo Angliæ lumine, Thoma Moro, quem fidei columen dicere poſſumus; hic nobiliſſimis ortus natalibus, inſignis quoque virtutibus claruit, & primò eiuſdem regni, magni ſcilicet Cancellarij honore fuit inſignitus, ab Henrico Octauo ſummo in honore habitus, & dilectus fuit, dum hic Rex ſanctam colebat fidem; verum ab hac iſte deficiens, cum Thomas, eiuſdem Regis infidelitatis impietati renueret, amorem in odium cõuertens, hunc in carcerem conijci iuſſit, & tandem mortis huic ſupplicium inferre decreuit: Verũ Thomas, nil aliud cupiens, quam vitam à Deo receptam, in holocauſtum martyrio reddere, terrenis poſthabitis, & mundi honoribus, & vanitatibus ſpretis, æquiſſimo animo ſanguinem ſuum, pro fide Chriſti effundere, & ipſe decreuit, cœleſtis gloriæ ſpe innixus, ſciens martyrio æternæ beatitudinis forè laureatum corona. Quare, vt doctiſſimus, qui erat, mundi omnia blandimenta deſpiciens, hos verſiculos reliquit.

Thomas Morus à Rege damnatus ad mortem, lætus ibat martyrio coronandus.

Thom. mor. Iam portum tenui, spes, & fortuna Valete,

Sat me lusistis, ludite nunc alios.

5 Quid dicam de septem illis Sanctis fratribus, de quibus 2. Machab. c. 7. recensetur historia. Qui vna cum matre apprehensi iussu iniqui regis Antiochi, vt cōtra fas porcinas ederent carnes, constantes in diuinis legibus, impijs Tyranni decretis obsistentes, flagris, & thaureis [illegible] ati, viriliter contra Tyrannos decertantes, fortiter martyrium sustulerunt; imò tantum abest, vt supplicia renuerint, & cruciatibus cesserint, vt postulari ad martyrium, ad pœnas sustinendas, ab impietatis ministris, spontè membra protulerint, c[illegible]ianda: *Vnus* (ait textus) *postulatus linguam cito protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait, è Cœlo ista possideo, sed propter Dei leges, nunc hæc ipsa despicio; quoniam ab ipso, me ea recepturum spero.* Item de eorundem matre, quæ proprios natos ad martyrium rapi spectans, & pœnis cruciatos, toties in eis doloris gladio transuerberata, nouissimè in se extincta remansit. De sexti filij morte, dicitur 2. Mach. 7. *Bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat.* Libenter igitur pœnæ pro amore Dei ferendæ, quæ ad animæ nostræ salutem conferunt. Tam excellens enim, & magnum, qualitate est æternæ illius beatitudinis præmium, vt huic nihil in hoc mūdo longè valeat comparari, nedum coæquari. Vt Poeta.

De septem fratrum, & matris eorum, in passione pro Christo cōstantia.

Præmio quid tanto par labor esse potest? vt etiam D. Hieronymus ad Roman. 5. ait; *Consideratione præmii, nullum possimus cōdignum æstimare laborem. Nam, & scimus homines propter aurum vltrò se ad bestias deputare, quod tamen in æternum non poterunt possidere; quanto magis nos exemplo Apostolorum in tribulatione gaudere debemus? quæ quidem, cū sint temporales, æternā salutem acquirunt; & à doloribus liberant sempiternis. Cum multi propter spem paruæ salutis, & curā corporis, maximos sustinuerunt cruciatus, nec tamen perfectam possunt cōsequi sanitatem, quæ etiam si prouenerit, paulo post morte intercedēte, soluetur. Habemus ergo vnde honestè, & sine periculo gloriemur. magna n. gloria est de imis ad summa crescere, de nihilo ad maxima peruenire; de limo ad Cœlum, & de seruitute vocamur ad regnum, si tamen omni seculi gloria, & iucunditate contempta, in illo solo, quod nobis promittitur gloriemur.*

Hieron.

Et ægri leuiter ferunt. tex.

§. III. Mala; quæ ex apprehensione mentis concitatæ sortiuntur, ad salutem animæ conferentia, æquanimiter toleranda.

1 QVia diximus nomine perturbationis ventris posse intelligi sensum, vel etiā animam, hoc est, mentem, memoriam, cor, & conscientiam, vt Hieronymus super Iob. 15., & super Is. 16.; & D. Gregor. 12. moral. c. 20. D. Chrisostomus super Io. homil. 5. Beda super prou. 20., ideo dicimus nos in perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis &c. quod mala, quæ ex apprehensione sensus, mentis, memoriæ, cordis, & conscientiæ synderesis, sequuntur, quæ cor, corpus, & animam perturbant, & ad huius salutem conferunt, libenter æquo animo pro amore Dei à nobis sunt toleranda.

Hieron. D. Greg. Chris. Bed.

2 Hoc in Cannaneæ Euangelio aperte conspicitur, vt Matth. 15., quæ à Domino vocata canis. In perturbationibus ventris hoc est in commotione mentis ex apprehensione

sione sibi iniuriæ illatę, quia purgationem hæc animæ suę operabatur, leuiter talem sustinebat molestiam: Hæc à Domino iniuriæ baculo, canis nomine percussa, non exasperatur; ab illo reiecta, illum non deserit, non ab eo fugata aufugit; conuitijs lacessita in insultantem non fremebunda insilijt; non iniuriarum vocibus cõtumeliarum latratu, & clamoribus inclamat, nõ proteruis impatientiæ dentibus, ad vindictã insurgit; non conuitiorũ insultat morsibus, sed patienter tolerat, æquo, & pacato animo suffert; imò cõuitia in honorem, iniurias in benemeritum, humilitatis artificio, cõmutat; quare ipsa vocata canis, ait, vt Matt. 15. *Etiam Domine, nam & catelli, comedunt de micis Dominorum suorum*, quasi diceret; Ego canis, certe verũ, fateor, quod tu dicis, quia Verbum veritatis es, qui intima vides, nec mentiri potes, & cordis mei secreta rimaris, Ego canis, etiam Domine, quia Cannanea vocor, & irrationabilis, quia in me sensus potius, quam ratio peccãdo præualuit: canis, quia ætate, & in vitiorum habitu cana, mundi delectationes venata sum, & sine bonorum operũ fructu, & meritis ad lunã vanitatis, affectus, & desiderij voce infructuosè latraui: Ego canis, quæ malæ famę, & luxuriæ inquinamenta non deserens, dictis, factis, voce, malo exemplo, loca honesta conspurcaui; animam meã, parentes, gentes, & proximũ dehonestaui; coinquinaui; verũ si canis, te à me peccatrice fugentem ceruũ, accellerato pęnitentiæ cursu insequi, non desistam, donec te ad prædam, meorum peccatorũ plenæ veniæ assequar: *Nam*, inquit, Matt. 15. *& catelli edunt de micis, quæ cadũt de mensa dominorum suorum*: Ego canis verum fateor, verum tu viuus panis, qui de Cœlo descendisti; ad te igitur venio, vt te inueniã, mihi propitiũ, vt tuo diuinæ gratiæ pane recreari possim, & refici; & vt ad vitam enutriar æternam, vt Io. 6. *Qui mãducat, ex hoc pane viuet in æternũ*: Da mihi igitur huius panis micas, quas nisi recepero, à te nunquã recedam: da mihi te panem, vt tẽporalium delectationum mundi cibos reijciam, & amplius temporalia non famescam. Si canis, canam continuis orationum mearum vocibus: Ego canis, tu pastor, me igitur pascas, te igitur sequar, ne ab infernali lupo, me insultãte, abripiar ad mortẽ, sed ad caulas beatas, ad ouile cęlestis gregis, vt me ducas, & adducas. Ecce quomodo propter animæ suæ, & filiæ salutẽ, iniurias leuiter, & patienter sustinet, nam despecta nõ conqueritur, reiecta nõ recedit, cõtumelijs affecta, non fremens irascitur, non desperat veniam, sed in cõtemptu sui, Dominum despicientẽ sequitur, præcibus fatigat; fidei igne accẽsa, ad veniam prouocat, orationibus interpellat, nec cessat, donec sibi peccatorũ suorũ veniã obtineat, & petitã filiæ salutem impetrauerit exoptatam: quare dixit ei Saluator Matth. vt supra; *o mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Quare si huius patientiã mulieris dignoscere cupimus, audiamus D. Hieron. hic. Hieron. *Mira autẽ huius mulieris fides, patientia, & humilitas prædicatur fides, quæ credebat sanari posse filiam suam; patientia, quæ toties contẽpta in præcibus perseuerabat; humilitas, quæ se nõ canib.; sed catulis cõparat.*

Mira Cannaneæ cum Christo in apprehensa iniuria, tolerantia pro sua, filiæque salute.

Cannanea à Christo vocata, canis, quomodo, se canẽ fatetur; vt Christum ad sui, & filiæ misericordiã flectat.

3 Ex dialogo, qui inter Christum Saluatorem nostrum, & Samaritanã intercessit, dictorum veritatẽ exculpere possumus, vt habetur Io. 4. cum sederet lassus super fõtẽ Iacob Saluator, venit mulier ex Samaria haurire aquã; venit ad fontẽ misericordię, quæ miser diuinæ gratiæ humore arida erat; venit mulier ex Samaria, haurire aquã, nõ naturalẽ, sed viuã,

Dialogus Christi cum Samaritana, ex molestia dedecoris tolerata, animæ salus consecuta.

supernaturalem, animas viuificantem; non de puteo Iacob, sed de fontibus Saluatoris, vt Es. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris*; non vt sitim extingueret corporalem, sed vt inebriaretur torrente vbertatis domus Dei; non vt corporis, sed vt animæ lauaret maculas, culparum tolleret sordes, & à menstruato conscientiæ suæ panno, criminum sordes abstergeret; huic dixit Christus, post multa, Io. 4. *Vade voca virum tuum, & veni huc: Respondit mulier, & dixit, non habeo virum; Dicit ei Iesus, benè dixisti, non habeo virum, quinque enim viros habuisti, & nunc quē habes, non est tuus vir*: Hoc verè dixisti: dicit ei mulier, *Domine video, quia Propheta es tu*. Et quænam mulier adeo mitis inuenitur, proprium ostentans decus, quæ audiens vocari meretrix, non irascatur? illatæ iniuriæ dedecus alternis conuicijs, non abradat? Quid ais Samaritana, quid agis? accusaris, vt meretrix, & taces: tantum tibi illatum iniuriæ dedecus dissimulas? quomodo iracundia non exardescens, iniurias tibi illatas defensione non repellis? imò accusationem confirmat, excusationem non adhibet; obiectum ei, non defendit opprobrium; vt Chrisost. ait: *mulier à Christo reprehensa, non contristata est, neque dimittens fugit, sed admiratur magis, & immoratur, vnde dicitur, dicit ei mulier: Domine video, quod Propheta es tu; quasi diceret, in hoc, quod mihi occulta dicis, ostenderis Propheta esse*. Sed dicam ego, quid hanc mulierem, ad tantam sufferendam molestiam sui adduxit dedecoris? quid tantę sufferentiæ causa fuit, & talem, quam seruauit, huic persuasit patientiam? nisi, quia diuinę gratiæ virtutem, & in aqua viua fructum præsentiēs, animam Saluatori offerebat, purgandam, à culparum inquinamentis sordescentem?

Cur à Christo vocata meretrix, Samaritana, tantum sibi illatum dedecus dissimulat?

Chris.

Ionas spiritualis medicus, Niniuitis mittitur, a Deo, ad horum morbos curandū, scilicet culparum.

4 Cum graui Niniuitæ, peccatorum morbo laborarēt; misit Deus Prophetam Ionam, medicum spiritualem, qui eorum infirmitati diligenti cura, prędicatione sancta assisteret, vt Ionæ p. *Prædica in ea, quia ascendit malitia eius coram me*; vt eiusdem diuini Verbi malagmate eos sanaret. Vt Psalm. 106. *Misit Verbum suum, & sanauit eos*. Cum igitur Ionas tandem Niniuem appulisset, graui illorum morbo, opportunum diuinæ comminationis remedium apposuit, dicens, Ion. p. *Adhuc quadraginta dies, & Niniuem subuertetur*. Assumpto igitur ad eorum mentis duritiem emoliēdam, spirituali hoc diuinæ comminationis malagmate, vel potius ad vitiorum purgationem, in eorum mētis stomacho, diuini Verbi à Iona propinato, ab eis pharmaco ebibito, statim ventris perturbationes, hoc est animæ, & mentis apprehensi mali, & diuinæ iustitiæ comminationis, concitationes: *Crediderunt* (ait textus) *viri Niniuitæ in Domino, & prædicauerunt ieiuniū, & vestiti sunt saccis, à maiore vsq; ad minorem, & peruenit Verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum, & pariter sacco indutus, sedit in cinere, & iussit homines, & iumenta ieiunare*: Ecce ieiunij in primis dietam, quā sibi spontè ad animæ purgationem elegerant: ô magnum pęnitentiæ pharmacū; hæc diuini Verbi prædicatio, ex qua sensus perturbationes, in carnis mortificatione, promanarunt, optatas purgationes morales operata est, & quales istę? ecce tales, quales requiruntur, nempe ex charitate, præ amore Dei, dolore diuini offensæ, & à peccatorum cōtritione manantes; vt animæ salutem consequantur: quare à Rege stricto

Ex diuini Verbi pharmaco Niniuitarū cōturbatio.

strictò pręcipitur mandato, dicente: *Clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum; quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* & quia talis est, qualis requiritur hæc pęnitentiæ purgatio, ecce quomodo ad animæ salutem confert, ecce ex hac cõtritionis per pęnitentiam, euacuatione criticâ, animæ promanans salus, quare subditur. *Et vidit Deus opera eorum, & conuersi sunt de via sua mala*, & ecce salus, ideo sequitur, *& misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat eis, & non fecit.* Vbi D. Hieronymus; *mutata opera, libenter mutat* (scilicet Deus) *sententiam*; & sic ipsa ciuitas, diuinæ commiserationis beneficiũ expectans, & animæ sperans salutem, talem pęnitentiæ libenter sustinuit purgationem, & molestiam: vt ad Roman. 5. *Tribulatio patientiam operatur*, vt idem Hieron. ibi. *Gaudere debemus aliquid pati, pro nomine Dei, vt aquiramus de tribulatione finienda, præmium infinitum.*

Hieron. Quia pœnã ex appreheñso malo, libenter sustinuerunt Niniuitæ, hinc horum salus.

Hieron.

Patientiæ Protophysicus, libenter pęnarũ pharmacum, ad nostri salutẽ ebibendum, nos suo docet exẽplo.

5 Singularis patientiæ patronus, & antesignanus in medium prodeat, ad dictorum veritatem, suo exẽplo comprobandam. Dum maximis tribulationum vndis quateretur S. Iob. in animalium, & armentorũ amissione; in seruorum clade, in filiorum cæde, & omnium inde bonorum temporalium expoliatione, cum hæc omnia sibi accidisset, quibus iure merito poterat ad tristitiã, & pœnam commoueri, ait textus, Iob. p. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit, & dixit: Nudus egressus sum de ventre matris meæ, nudus reuertar illuc.* Et quorsum hæc vestimentorum scissio? inquiet quis, quomodo hoc patientiæ argumentum, sufferentiæ, & tolerantiæ signum? hęc enim vestimentorum scissio, impatientiam potius, quam huius oppositum arguere videtur, vt ex multis Sacræ Scripturæ paginis deduci potest. Iephte enim repentino summo dolore correptus, sacrificandæ filiæ, infra terminos, se continere non potens, scidit vestimenta sua, Iud. 11. f. vt etiam patet de Dauide, vt 2. reg. p. d. audiens mortem Saulis, & Ionathæ, ait textus: *Apprehendens autẽ vestimenta scidit*: sic de Rege Israelis, vt 4. reg. 56. dicitur: *Cum legisset Rex Israel literas scidit vestimenta sua*; quomodo igitur Iob scindens vestimenta sua, in tanta fortunæ aduersitate, & ęrumnarum varietate, patientissimi titulum affectetur, & nomen? Verum si intimius, facti huius mysterium perscrutemur, secreta penetrabimus; (quid quid sit de alijs) de hoc præcipuè dicam, Iob sua, in tanta rerũ varietate, vestimenta scindendo, maximum fortitudinis, in aduersitatibus, & desiderij patiendi, hoc facto argumentum edidisse. Bonorum temporalium expoliatione, vt Dei fortis athleta non deijcitur, filiorum priuatione, vt prudens pater non exanimatur, non terrore deprimitur, tristitia, & pęna nõ atteritur, sed in Deũ, vti Auctorem pęnæ, flagella intorquens sua, refundit; Deo gratias agẽs, dicẽs Iob. p. *Dominus dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Modo ad rem nostram, his omnibus bonis, & filijs expoliatus Iob Sanctus, quasi diceret, quid aliud in me restat, nisi, vt purum pro cęlesti structura, aurum inueniar, in tribulationis fornace, prober, vt proprij corporis sacrificium offeram, me pęnis obijciam, membra exponam tortoribus; scindã igitur vestimenta mea, vt citius, & sa-

Quomodo Sãctus Iob, post tot tribulationes, vestimenta sua scidens, patiens cẽsendus.

Qui doloris furore acti, suas disciderũt vestes

Iob scindit vestimenta sua, vt corpus nudum pro Domino, exponat tortoribus.

& facilius in me carnifices inualescant, insurgant; in hoc corpore meo tormentorum adaperiant carnificinam. Scindo mea vestimenta non ab alijs patiar diuinæ iustitię ministris, & satellitibus violenter denudari, me ipsum vltrò offerens, ad pœnas disponens expolio, denudo corpus, sæuiat igitur in me diabolicus furor, irruant in me Manes, in me tormentorum irrumpat torrens. Ecce quomodo in tot pœnarum mari, ad mortis quoq; se naufragium disponebat. Meæ sententiæ patronum habeo Origenem doctissimum, qui in Iob lib. p. ait: *Conscidit vestimenta sua, sine mora, semetipsum ad ipsas præparans plagas: ecce inquiens corpus nudum, ecce corpus detectum; Vos flagellate inimici, tanquam Dei satellites; Ego autem sufferam; vos verberate, Ego autem sustinebo. Dicens cum Ieremia: Dorsum meum dedi ad flagella.* Ecce quomodo scindendo vestimenta sua, ardorem detegebat patiendi.

Orig.

6 Nec solum sua vestimenta scidisse Sanctum Iobum sacra narratur historia, si in textu sistimus, sed etiam caput suum, totondisse refertur: Iob p. *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit.* Et quid quæso hæc capillorum abrasio, comæ, & capitis tonsio mysterium inuoluere dicemus? hoc ideo fecisse Sanctum Iobum censerem, vt se ad pœnas disponeret, Satanæ, corpus suum adaptaret tormentis, tortoribus campum aperiret, sæuitiæ aduersariorum aditum panderet, & suum tandem pro Domino patiendi declararet ardorem, proderet desiderium, mētem aperiret, patefaceret voluntatem. Capilli enim sunt corporis superfluitates; à me, quasi diceret ò Aduersarij, necessaria ad vitæ sustentationem, nedum superflua, bonorum temporalium, abstulistis; ecce vltrò tonsione capitis abradēdo capillos, corporis superfluitates vobis projcio; mihi non licet necem inferre, quod meum est adimpleui præstiti; superfluitates reijciens corporis; vos, quæ vestra est, sæuitia à me etiam necessaria, salutis corporalis videlicet corpori meo pœnas adijciendo, tormenta subijciendo, auferte morte etiam adimite. Frumentum Christi sum, dicebat S. Ignatius martyr, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus Christi inueniar; sic, quasi diceret S. Iob meum corpus vestræ expono crudelitati, vestræ objicio sæuitiæ; rabiei dentibus, meas contundite, conterite carnes. In me ergo, quasi diceret Iob, Satanæ, sicut S. Vincentius Dacianum alloquebatur, insurge, & toto malignitatis spiritu debacchare. Arbor Dei sum, vt patientię fructus proferam, mei cupio sanguinis irrigari fluentis, qui iam abundè cœlestium donorum sum impinguatus dulcedine. Vitis diuinę gratiæ benè sum maceriata, munimine, vt fructum pacatum feram, etiam ferro, ferri, feram, inutilia terrenorum affectuum sarmenta à me præscindi ad animæ meæ purgationem vltrò patiar, vt Deo potiar. Vestrum igitur quasi diceret ò aduersarij, in me exercete furorem, hunc mitis superabo; in me ad pœnam vestras compellite vires, ego patientia mea viribus vestris obsistam: lacerate corpus inuictam meam non lædetis constantiam, non expugnabitis voluntatē. Quare Orig. vt supra. *Cum comam capitis sui totōdisset, eā aduersarijs proiecit; ecce inquiēs, tollite, & hāc. Arbor sū fructifera, omnia à me superflua projcio, vt illabatus perfectum fructum offeram. Vitis sum benè maceriata, abscindo à me vniuersa supernacua, vt incongruis omnibus,*

Cur Iob, suum abraserit caput, post multas tribulationes, temporalium bonorum.

Caput totōdit Iob, vt etiam corporis superfluitates, à se adimeret, ad pęnas paratus.

Orig.

nibus, dicar, pungatus, ac iustitia, proferam fructum perfectum.

Sin minus contra. tex.

§. IV. Passiones, & opera omnia, quæ à charitate deuiant, nec ad animæ salutem conferunt, nec ex animo sustinentur.

1 DIximus circa morales, sensus purgationes, quæ secũdum qualitatem attenduntur, vt à charitate emanant, & noxium, animæ, peccati expellunt, humorem, sic enim ad animæ salutem conducunt, ac propterea ex animo tolerandæ; nunc ex opposito etiam, aliter concludendum, vt ait textus: *Sin minus contra*; quod de lacrymis liquet, & vsu venit, dum pro temporali damno, & humanis afflictionibus, seu passionibus, non pro peccatorum expiatione, & ex charitate effunduntur; sic enim, vt inanes reputantur, nec ad animæ salutem conferunt, nec libenter sustinentur. Duo facta Saluatoris nostri, modò mihi, ad rem nostram consideranda, obijciuntur: quorum alterum est, cum moritur Lazarus, alterum cum à mortuis, hic excitatur; in primo casu Christus lætatur, vt Io. 11. *Lazarus mortuus est, & gaudeo*; In secundo tristatur, vt Io. ibidem: *Et lacrymatus est Iesus*. Oppositum potius mihi videtur seruandũ fuisse, in morte dolendum, & in resurrectione eiusdem lætandum; & tamen dicit Christus; *Lazarus mortuus est, & gaudeo*. Quare Chrysol. ser. 63. in hoc admiratus, ait; *Hoc est amasse?* quasi diceret, quomodo amoris hoc est argumentum, amici in morte gaudere? ait Apostol. ad Rom. 12. c. *Gaudere cum gaudentibus, flere cũ flentibus*, & quomodo in morte, in qua omnes in fletum erumpunt amici, in Lazari morte lætatur Christus? quomodo amoris hoc argumentum; in amici letho esse lętus; si de amici absentia dolemus, & eius abitu, & quare non in eiusdem obitu? cur igitur lætitiæ signa edere? Lazarus mortuus est, & gaudeo? quomodo ex absynthio mortis, vt Ecclesiast. 41. *ò mors, quã amara est memoria tua*, gaudij educetur nectar? ex ferali cupressu, gaudij laurus enascitur? sed inquiet quis gaudebat Christus, in morte Lazari quia hũc proximè erat ad vitã reuocaturus, vt Chrys. ser. 63. ait: *gaudebat Christus, quia mæror mortis, vertendus mox erat resurrectionis in gaudium*. Sed dicam ego, si hoc est, quare inde resurrectionis Lazari adueniente tempore, gaudij prætensi inde citharam, vertit in lamenta? vt Chrysol. serm. 64. *Ipsum cum resuscitat* (inquit) *lamentatur, qui cum amittit non flet, cum recipit, tunc deplorat*. Et quomodo in miraculo patrando Lazarum resurgendo deplorat Christus, cum dicat Propheta Psalm. 103. *Lætabitur Dominus in omnibus operibus suis?* Quomodo igitur gaudet in morte, cum Lazarum amittit amicum, & cum à morte ad vitam reuocat, lacrymatur? Gaudium, & lacrymæ Christi, tristitiæ, & lætitiæ nostræ, quales esse debeant, sunt argumentum; lætatur Christus in morte Lazari, vt in temporalium bonorum amissione nobis non esse flendum, sed potius lætandum, sciremus, quia, Deo mente coniungimur, dum ab illorum amore, & affectu, rerum temporalium seiungimur, quare B. Laur. Iustin. de orat. c. 7. *Inanes, ait, sunt lacrymæ, quas damnum, vel incommodum, extorquet temporale*. Lacrymatur in resurrectione Lazari, vt ostenderet quales lacrymę nostrę esse debeant, scili-

Inania, sine charitate, opera, ad animæ salutẽ.

Cur Christ⁹, Lazari, gaudet in morte, & in eiusdem resurrectione dolet.

Chrysol.

Chrysol.

Chrysol.

B. Laur. Iust.

scilicet pro nostrorum peccatorum expiatione, vt à vitiorum sepulchro resurgamus: Lazarus enim, licet iustus, quia tamen mortuus, symbolum aliqualiter refert peccatoris, qui in vitiorum latitat sepulchro, ideo in resurrectione, Christus dixit; *Lazare veni foras*; Io. 11. vt D. August. serm. 8. de verb. Domini Tom. 10. ait: *Quid est, foras prodire, nisi quod occultum erat prodere foras; qui confitetur foras prodit.* Lacrymatus est igitur Iesus in resurrectione Lazari, vt in resurrectione à peccatis nostris, ad vitam gratiæ doceret, nobis esse flendũ, pro peccatis nostris, pro culparum nostrarum remissione, pro animæ nostræ expiatione. Quare B. Laurentius Iustinianus de orat. cap. 7. ait: *Flendum tantummodo est, aut pro amisso paradiso, aut pro commisso peccato.* Sic igitur non pro temporalium bonorum amissione, sed pro culparum nostrarum remissione flere debemus, quare D. Hylarius can. 4. in Matth. ait: *Lugentibus æternæ cõsolationis solatia Dominus repromittit, non quidem lugentibus orbitates, aut contumelias, aut damna temporalia, sed flentibus peccata.* Ideo de his Matth. 5. dicitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

August.

B. Laur. Iust.

Lacrymatur Christus in resurrectione Lazari, vt nos doceret lacrymas fundere pro peccatis.

Hylar.

2 Simile factum, miraculo etiã comprobatum inspicio, Luc. 11. dum Viduę illi flẽti in filij sui morte, occurrens Saluator, dixit: *noli flere.* Et quomodo à fletu prohibet, quos ad fletum præmio beatitudinis prouocat? Vt Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabũtur*, vt tale igitur resurrectionis cõsequeretur solatiũ, à lacrymis cessare non debebat, quomodo igitur ait. *Noli flere*? & quomodo maternus amor, lacrymas infra cordis sinus retinere otiosus poterit, quin ad passiones, filij necis non erumpat? quis enim maternum affectum cohibere poterit, ne doleat? & quomodo dolor proprij amissi materni vteri pignoris funeralia retardabit infausta, quin celebret, & ex angustia gementis cordis lacrymas nõ excutiat? suspiria non emittat, gemitibus pœnam non prodat? sed dicamus, ideo Saluatorem nostrum, hanc Viduam à lacrymis desistere, à fletu cessare, doloris obstruere riuulos, ne in fletus effluant, prohibere; quia lacrymæ, quæ ob apprehensa mala alicuius damni temporalis effunduntur, vt à charitate, & amore Dei semotæ, velut inanes, & animæ saluti non expedientes, repelluntur, vt B. Laur. Iustin. vt supra: *Inanes sunt lacrymæ, quas dãnum, vel incommodum extorquet temporale.* Anima nostra, omnibus temporalibus bonis præstat, & quibuscunque etiã nobis sanguine cõiũctis est prætiosior, & à nobis æstimanda; quare si pro amico, & propinquo ploramus, extincto, multo magis pro anima, culpa demortua, cui æternus instat interitus, est deflendum; ideo D. August. in Psalm. 94. ait: *Luges corpus, à quo recessit anima, & non luges animam, à qua recessit Deus.* Vanæ meritò sunt pro bonis temporalibus amissis, & pro mortuis amicis, & propinquis, lacrymæ, quia his, nec damna nobis, possumus passa reficere, nec mortuos amicos, vel propinquos, fletibus ad vitam reuocare; animam verò, culpa demortuam, qua æterna ei instat cruciatio, benè quidem possumus à morte ad vitam, lacrymis pœnitentiæ suscitare. Vt D. Augustinus ser. 41. de Sanctis apertè ait. *Carnem, quam non possumus suscitare, plangimus; animam nostram non plangimus, quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum reuocare.* Quare conpassionis officium, quod alienæ miseriæ exhibe-

Cur Viduæ flenti proflij morte prohibet flere Christus.

Prohibetur fletus, qui pro temporaliũ amissione, diffunditur.

B. Laur. Iust.

Si luget, quis pro mortuo magis pro anima culpa demortua debet flere.

August.

August.

Pœnitentiæ lacrymis anima, non corpus potest ad vitã reuocari.

exhibemus, hoc animæ nostræ, vt magis proficuum, impendamus, vt August. loco, vt supra citato: *Exhibeamus*, inquit, *nos animæ nostræ, quod illi exhibent alienæ carni.*

August.

3 Euirescentia pro damnis, temporalibus inaniũ lacrymarum germina, tollere cupit Saluator, ne in fidelium cordibus, radices emittãt, ac diffundant: hinc est, quod ad vitam filiam Archisynagogi suscitaturus, tibicines, & tumultuantem turbam, eiecit, vt Matth. 9. *Cum vidisset*, dicitur, *tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: recedite.* Et quare hos omnes, non sistere ibi sinit, vt tibicines, patrando Christo miraculum resurrectionis, hoc possint in gentibus resonare ad diuinæ laudis, & glorię, Christi prodigium? vt Psalm. 95. *Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius?* Quare ibi conuenientes mulieres ad miraculum non patitur immorari? si resurgendo, mulieribus primò eius resurrectionis voluit Christus gloriam innotescere? sed dicamus ideo tibicines, & mulieres ibi conueniẽtes repulisse, quia, vt faciles ad luctum, tantum ad temporalem mortem demortuæ filiæ conuenerant, deplorandam; hæ igitur omnes, vt indignæ personæ reijciuntur, ac propterea, vt tales, nec vt miraculi spectatores admittit. quare D. Chrisostomus hom. 32. in Matth. *Considera*, inquit, *flentes, atque plorantes, quasi tam magna videre miracula indignos, omnes eiectos fuisse*; Ne iste mortuos lugendi, animæ veluti noxius mos, apud gentes inualesceret, quia pro tẽporalibus emissæ, lacrymæ, nihil ad animæ salutem conferunt. Ideo has à nobis abijciendas suadet sapiens; Prou. 12. dicens: *Nõ contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Notat hunc dicendi modum Hug. Card. hic; qui obseruat, quæcunque bona, & damna temporalia, & passiones, esse accidentia, quæ sicut eueniunt, ita & abeunt, quare his omnibus, vt fortis, iustus non debet contristari, metu concuti, passionibus vexari, & pro his lacrymas fundere; ideo ait: *Accidens adest, & abest præter subiecti corruptionem, ita præsens prosperitas, & tribulatio, viro iusto, adest, & abest præter contristationẽ, & conturbationem.* Quare Tertullianus lib de pœnit. cap. 7., nos admonere intẽdit, vt temporales diuitias, præ spiritualibus, nihil faciamus, has, vt proprias cordi nostri infixas, continuò rimemur, & anteuertamus illas, tanquam exteras, à nobis alienas, etiã, vt amissas minimè lugeamus, deploremus; ideo ait: Tertull. *Qui damni impatientia concitatur, terrena cælestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat, spiritum enim, quem à Domino sumpsit, secularis rei gratia concutit: libẽtes igitur terrena amittamus, cælestia tueamur: totum liceat, seculum, pereat, dum patientiam lucrifaciam.*

Quare ad resurrectionem puellæ, Christus eijcit tibicines, & turbam tumultuantem.

Lacrymas pro terrenis incõmodis effusas, reprobat Saluator.

Chris.

Prosperitates, & tribulationes viro iusto, sũt accidentia, quæ intrinsece eũ minimè commouent.

Hug. Card.

Tertull.

4 Et quod lacrymæ pro terrenis effusæ, nihil conferant ad salutem nostram, hoc ex Isaac filijs suis Iacob, & Esau benedictionem inferenti, desumi potest. Benedictionem allaturus Isaac, filio suo Esau, dixit Gen. 27. *In pinguedine terræ, & in rore Cæli desuper, erit benedictio tua.* Sed cur præpostero ordine in benedictione, procedit; prius terræ quam Cœli fit mentio? Moyses enim, qui Cœli, & terræ opificium, & creationem edit, à Cœlo incipit, dicens Genes. p. *In principio creauit Deus Cælum, & terram*; & quare modò à terrenis incępit benedictionem? cum è conuerso in benedictione Iacob, recto ordine à Cœlo incipiens, & ad terram terminans processerit, idem Isaac, dicens Gen. 27. d.

Cur Isaac benedicens Esau, à terra benedictionẽ incępit. E contra, in benedictione Iacob.

27. d. *Det tibi Deus, de rore Cali, & de pinguedine terra abundantiam frumenti, vini, & olei?* & quare consimilem fratri benedictionem non indixit, sed præposterum ordinem seruat? Non est mirum, quod ita inceperit Isaac, quia lacrymæ, quas, à Patre pro arripienda benedictione effuderat Esau, nō pro cœlestibus, sed pro terrenis, quibus inhiabat, erant; ideo secundum sensum Esau, qui terrena magis, quam cœlestia sapiebat, talem quoque intulit ei pater benedictionem, à terra, non à Cœlo incipiens. Aqua enim eò ascendit vnde originē duxit, cum igitur Esau lacrymæ pro terrenis fluxæ, à terra duxerint originem, ad Cœlum ascendere meritò non poterāt, ideo à terrenis quoque Isaac voluit in benedictione Esau, hanc præcedere. Hanc nostram sententiam clarè exponit Philippus de Greue, serm. 114. qui ait: *In pinguedine terra pramisit, quia lacryma pro terrenis erant, nec benedictionem, qualem habuit Iacob impetrare potuit. Aqua natura est ascendere, vsq; ad originem sui; vnde pro terrenis non ascendunt, quia de imò oriuntur; qua pro cælestibus ascendunt ad locum, vnde oriuntur.*

Lacrymæ Esau, pro extorquenda à Patre benedictione, pro terrenis effusæ erāt, ideo à terra incępit benedictio eius.

Philipp. de Greue.

Aquæ eò vsque ascendunt vnde originē duxerunt, sic lacrymæ pro terrenis, ad Cœlum non peruadunt, effusæ.

5 Bis Magdalenam fleuisse cōsidero coram Saluatore nostro; primò cum Christus, domi Pharisei recumberet ad mensam, vbi, quæ erat in Ciuitate peccatrix ipsa Magdalena pœnitens conuenit, quæ diluuio suarum lacrymarum, Christi plantas fœcundauit, ad peccatorum suorum veniæ fructum, vt Luc. 7. *Remittuntur tibi peccata tua.* Secundò, quærens exanime Christi corpus in sepulcrho, quod non aspiciens, in fletum, præ doloris angustia erupit, vnde & Angeli huic dixerunt, Io. 20. *Mulier, quid ploras?* quæ dixit eis, *Io. 20. quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum*: ecce causam, quam indicit sui fletus. Et inde retrorsum conuersa, vidit Iesum, quem Hortolanum credebat, qui, & ipse Magdalenæ ait: *Mulier, quid ploras? quem quaris?* Io. vt supra. An fortè censendum est, Christum, qui corda nostra rimatur, causam fletus, ignorare Magdalenæ? si igitur sciebat, cur à fletu desistere eam quęrit? ad hoc Cyrill. Alex. ait: *Quod non plorandi causam quarebat, sed quia reuocare à fletu ipsam volebat.* Sed modo dicā ego, cur Christus Magdalenā in domo Pharisei in lacrymas, & suspiria maxima erūpentē, verbo consolationis non lenit, fletū non temperat, lacrymarum non sedat imbrem, vti Viduæ, pro demortuo filio flenti, dixit Luc. 7. *Noli flere?* Vel potius cur huius Viduæ causam fletus non inquirit, vt vltimò ad sepulchrum conuenienti eidem Magdalenæ, dixit Io. 20. *Mulier, quid ploras?* Vel quare ad sepulchrum plorantē, & inter lacrymas dolore fluctuantem, sicut in domo Pharisei, Magdalenam nō admittit? sed potius fletum prohibet dicens; *Mulier, quid ploras?* Sed respōdeo, ideo Magdalenæ, lacrymas inundantes apud Phariseum commorantem Christum non temperasse, quia hę erant tales, quales requirebantur ad animæ salutē, ex charitate videlicet ex amore Dei, pro peccatorum suorum expiatione, manantes; & quia, vt ait Petrus Abb. Cellens. lib. de panib. c. 12. qui ait; *Flendum est, aut pro peccato commisso, aut pro paradiso amisso*; ideo ad huius finem effusæ, vt iterum fluant, vt diuinæ misericordiæ delectabiles, in suo cursu relinquendas putauit: ad sepulchrum autem, quia lacrymæ Magdalenæ, non erāt tales, quales desiderabātur scilicet pro peccatis suis, sed à charitate

In domo Pharisei, & ad sepulchrū fleuit Magdalena, & cur, ibi, sicuti hic, de causa fletus, non interrogatur à Christo.

Cyrill. Alex.

Diuersa causa fletus Magdalenæ manifestatur.

Petr. Abb. Cellens.

In domo Pharisei lacrymæ erāt pro peccatis, non ad sepulchrum.

ritate deflectentes, cum de Christi resurrectione dubitarent, vt Gregor. hom. 23. *Maria, quæ adhuc de resurrectione Domini dubitabat, conuersa retrorsum est, vt videret Iesum*; ideo flere prohibetur, & D. Bonau. ait; *quærit mulier, quid plorast redarguens eã*: ficut de Angelis, eã interrogantibus, dicitur; *mulier, quid ploras?* vt Chrif. hic apud cat. aur. D. Thom. *Angeli lacrymas prohibent, & futurum quodamodo gaudium nunciabant.* Vel fecundo dicere possumus cum D. Aug. ferm. 132. qui ait: *Lacrymarum causam non tanquam ignarus interrogat, sed importunos fletus dolẽtis obiurgat*, quia hic carnalis præsentiæ Christi priuatio, præcipuè deflebatur; quare, & si planctus omnino nõ erat inutilis, vt minus idoneus tamen interdicitur.

Greg. D. Bonau. Chrif. D. Thom. Aug.

6 Pœnitentiæ, operum pœnalium, & lacrymarum qualitatem, quæ à nobis requitur, indixit Dauid Psal. 110. dicens: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem suam*; quæ fcilicet præcipuè pro peccatis funt effundendæ. Et quomodo diuinæ legis trangreffionis fuæ tantum, lacrymas emififfe accufat, cum pro temporalibus ærumnis, vt ficut pro infirmitate filij, quẽ à Berzabee vxore Vriæ fufceperat fleuiffe prodatur, vt 2. reg. 12. c. *Percussit, quæ Dominus paruulum, quem peperit vxor Vriæ, Dauid, & desperatus est*: non neffuum à regno exilium deplorauit, vt 2. reg. 15. vbi dicitur; *Porrò Dauid ascendebat Cliuum Oliuarum, scandens, & flens, nudus pedibus incedens, & operto capite?* non ne plures ei aduenientes ærumnę, eum prouocabant ad fletum? ftuprum filiæ: Amonis homicidium: Abfalonis rebellio; & Saulis varia etiam ad mortem perfequtio? & cur tantum pro legis transfgreffione, copiofas emififfe lacrymas dicit? Velut filentio pro iacturis temporalibus effufas lacrymas præterit, vt potè illæ, quæ ad animæ falutem, minimè conferunt; vti Abb. Cellenf. vt fupra diximus: *Sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnũ Cælorum: inanes sunt lacrymæ, quas damnum, vel in commodum extorquet temporale.* Ideo eas tãtum commemorat emififfe lacrymas, quæ ad diuinam mifericordiam implorandam, fummam iuftitiam placandam, ad peccatorum veniam impetrandam cõducunt; quare ab iftis, alias, vt inanes in fterili arena fatas, & fufpiria, vt ad ventũ difperfas, cõputat. Ideo Ambr. Pfalm. 118. ait de Dauide. *Habuit quidem multa, quæ fleret, vel incestum filiæ, vel interitum filiorum, sed hic non hoc fleuisse se dicit, sed quia non custodiuit legem Domini: à sancto viro plus culpæ, quã ærumnæ deflentur.* Pro his, à peccatoris corde, præeunte contritione, & ab oculis erumpere debent lacrymæ, ad fructum ferendum, pro peccatorum remiffione, obtinenda. Ideo S. Leo Pap. ferm. in feſto omnium Sanctorum, ait: *Religiosa tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium.*

Quomodo Dauid, tantum pro diuinæ legis trãigreffione ait, fe fleuiffe, cũ pro alijs ærumnis etiã copiosè fleuerit.

Abb. Cellẽf.

Steriles lacrymæ funt omnes, nifi, quæ pro peccatis effunduntur.

Ambr.

S. Leo.

7 Christo Saluatori noftro, crucem baiulanti, ad mortem ab ardẽtiffimo redemptionis noftræ, veluti ftimulo, defiderio properanti, mulieres Ierufalem, totis vifceribus compatientes, in fletum, Iudeorum fæuitia, & Chrifti patientia, & paffione fpectata, irruerunt; quas gementes audiens, & fpectans Saluator reprehendit, dicens Luc. 23. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Et quomodo fi pro Chrifto fanguinem fudentes, laudantur, & honore decorantur, & præmio decorantur, vt de martyri-

Cur Chriftus, mulieribus Ierufalem, pergẽs ad mortem, flere fuper eum, reprehẽdit.

bus dicitur, in communi martyrum, in Breu.; *Viri sancti gloriosum sanguinē fuderunt pro Domino, & ideo coronas triumphales meruerunt*, pro eodem Christo lacrymas emittentes, à Christo reprehenduntur? & quinam opportunior locus flēdi inueniri vnquam poterit, quam in Christi passione? cum Apostolus ad Rom. 8. *dicat: si tamen compatimur, vt & glorificemur*. Quod si pro passione Christi, non est flendum, pro quo erunt lacrymæ emittendæ? Si Apostolus ad Galat. 6. g. dicebat; *Ego stigmata Iesu in corpore meo porto*, quare super eiusdem Christi passione dolentes, & flentes reprehenduntur Ierusalem mulieres? Pro huius difficultatis intelligentia, & solutione obseruandum, quid Deus Prophetæ Ezechieli pręcepit. Ezechiel. cap. 24. *Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum, in plaga, & non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ*. Ecce quomodo Deus Prophetæ huic, ob oculos ærumnas tantum ponit, cum in plaga desiderabile quodcunque oculorum tollat, priuatio boni, includit oppositū, quod est malum pœnæ, & ideo ait tollo à te disiderabile oculorum tuorum in plaga; super quibus afflictionibus, & ærumnis, prohibet fletum, & omnino à lacrymis abstinere, ideo ter dicit, non ei esse plorādum; quia non quod obijcitur oculis tantum est plorandum, sed quod ei est inuisibile, quod culpa, & peccatum est, hoc sanguineis cordis lacrymis parentandum, quare Hug. Cardin. hic ait: *Ecce ego tollo à te desiderabile oculorum, & non planges &c. hoc est contra illos, qui dolent inconsiderabiliter de morte amicorum, vel de amissione temporalium*. Sic ad rem nostram reprehenditur à Christo harum mulierum planctus, qui erat tantum de eo, quod oculis earum apparebat, quia mortē Christi, tam mirabilis magistri, qui tot signa ostendebat in proximorum salutem corporalem, & populorum commodū, cogitabant, quod venustissima eius facie, & desiderabili præsentia priuabantur, non ad causam mortis Christi, mentis oculos eleuabant, quæ est generis humani culpa, quæ eum ad turpissimā crucis pertrahebat necem. Quare D. Bonauent. ait, *Contristabantur carnali quadam affectione, scilicet dilectione faciei desiderata*, & post pauca subdit. *Non negat igitur, quin flendum sit, sed quod consideratio flentis, debet redire super scelus humani generis, pro cuius trangressione, Christus mortuus fuit*. Ideo Is. 53. c. dicitur; *propter scelus populi mei percussi eum*. Meritò igitur, quia non pro proprio peccato, illarum mulierum fletus erat, ideo licet non absurdus, reprehenditur; quia inanes sunt lacrymę, quas tēporale malum tātum, & damnum extorquet. Quare egregie Cornelius à Lapide, super 14. prouerb. ait. *Compunctionis materia, & causa sunt, primò peccata propria; secundo aliena; qui enim zelat honorem Dei, & salutem animarum, mirè compungitur, & cruciatur, quoties videt, & audit aliorum peccata, quibus diuina bonitas, & maiestas, offenditur*. Hinc est, quod noster gloriosus Pater Dominicus, non solum flebat humani generis culpis excruciatus, sed catena etiam ferrea, singulis noctibus, è sancto corpore, flagellis exarato pro proprijs, & aliorum culpis sanguinem excutiebat. Hinc est, quod vana nimis, & indecens compositio mulieris theatricæ, qua homines ad inhonesta, & trupia alliciebat, ab Abbate Pammone spectata, huius lacrymas ab oculis excussit, præ dolore diuinæ offensæ, & causas sui fletus assignans dixit. *Duæ causæ me*

Deus, Ezechieli, super suis ærumnis flere cur prohibet.

Pro peccatis plorandum.

Hug. Card.

Mulieres Ierusalem, flere reprehēdūtur, quia ex naturali quadā passione, non causā Christi mortis perpendentes, flebant.

D. Bonau.

Corn. à Lap.

S. Pater Dominicus pro peccatis, flebat sanguineis etiā lacrymis.

Abbas Pāmon pro culpis pessimæ mulieris flebat, & quid dixit.

Abb. Pammon.

me mouent: prima eſt perditio huius mulieris, ſecunda, quia ego non habeo tantam curam placendi Deo, quãtum hæc, hominibus turpibus.

Ne pro tẽporalibus cõtriſtemur, ad Cœlum, oculi mentis attollendi.

6 Lacrymas noſtras, & pœnas quaſcunq; , vt non egrè toleremus, mentes noſtras ad Cœlum dirigere debemus, pro quibus modo dicto effundendæ ſunt lacrymæ, quæ ad diuinæ miſericordię thronum aſcẽdunt. Vt Pſal. 55. *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.* Vt patet de Suſanna, quæ ad impudicitias à laſciuis ſenibus vexata, ad Cœlum lacrymantes oculos pro auxilio eleuabat, vt Pſal. 120. *Auxilium meum à Domino*; ideo Daniel. 13. dicitur: *Quæ flens ſuſpexit in Cœlum*; vt Cœlũ pro ſua honeſtate in teſtimonium vocaret, contra inhoneſtos ſenes in iudicio: ſuſpexit in Cęlum, vt hoc propitium ſenibus redderet, ad miſericordiam, ne ipſa ſuam vnquam fędari pateretur caſtitatem, & ipſi recipiſcentes, à tentato ſcelere deſiſterẽt; flens ſuſpexit in Cęlum, vt huius adiutorio, lacrymis ſuis, ardentes ſenum libidines extingueret, ne æterno inferni concremarentur igne, & luxuriantes ab eorum anima abſtergeret inordinatę cupiditatis maculas. Proculpis igitur ſuis, & proximi, non pro temporalibus incommodis flẽdum eſt, nobis aduenientibus, à Deo miſſis; vt Carthuſianus ſuper Matth. 5. ſuper illa verba Dauidis Pſal. 114. *Eripuit oculos meos à lacrymis, quæ ſolent euenire ex puſillanimitate, ſeu inordinata triſtitia, aut alia qualibet irrationabili cauſa. Has lacrymas expedit nobis auferri, non autem lacrymas ex recordatione peccati, ſeu deſiderio Dei, & patria emanantes.*

Suſanna ad Cœlum oculos, vt ab immũdo ſcelere ſenes deſiſterent, & ne ipſa contaminaretur attollit.

Carthuſ.

Sin minus contra. tex.

§. V. Opera ad inanem gloriam tendentia, nihil ad animarum conferunt ſalutem.

1 BEne Apoſtulus, ait, quod ſi non ſolum bona temporalia in cibos pauperum diſtribuerit, verum etiam, ſi & ipſam vitam profuderit, charitate deficiente, nihil ad animæ ſalutem ſuæ, conferet; 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Exemplũ adducere nos poſſe mihi videtur Luc. 8. a. de illo Seminatore, qui bonum ſemen, ſecus viam iacit, quod peſſundatur à tranſeuntibus, & à volucribus Cœli diripitur, & carpitur. Qui enim opera moraliter in ſe bona, vt potè miſericordiæ, præſtant à charitate ſemota, non pro amore Dei, ſed quæ ad mundi gloriam potius diuertunt, vt hominum ſibi aucupent laudem, populi applauſum aſſequantur, iſti dici poſſunt, quod ſecus viam, bonorum operum ſemẽ iaciant: via enim aditus eſt, communis omnibus tranſeuntibus, ſic hypocritarum opera, ſecus viam, ſunt ſeminata, vbi tranſeuntes, hoc eſt homines, quia omnes ſumus in hoc mundo viatores, illa poſſint aſpicere, & ea laudare, cum Seminatore, videlicet hypocrita. Quare Matth. 6. b. dicitur, *Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes, exterminant enim facies ſuas, vt videantur hominibus ieiunãtes.* Ex hoc bonorum horum operũ ſemine, quod ſecus viam, ad aſpectũ humanæ laudis, & inanis gloriæ, cadit, quis fructus à Deo colligitur? audite, quod ſequitur: *Amen dico* vobis

Parabola Seminatoris.

Semen ſecus viam iacit, qui gloriam in ſuis operibus mundi, quærit.

vobis(inquit Christus,qui ficta Hypocritarum corda rimatur ;) *Quia receperunt mercedem suam*. Pro mundo seminarunt,nõ ergo à Deo, qui mundo contrarius est, fructum cœlestis colligent præmij ; pro inani gloria laborauerunt opera bona agentes, inanis igitur, non veræ mercedem gloriæ recipient;*Non potest*, ait Christus, Matth. 7. *Arbor bona, malos fructus facere, neq; arbor mala bonos fructus facere* ; sic nec semen malum malitiæ, & hypocresis, à natura sua, & specie, diuersos, simplicitatis, & iustitiæ fructus edere potest ; quomodo ergo à Deo mercedem recipient, quam ad hominibus expectabant ? hanc à mundo sperabant, ad hunc, vt laudes mundi carperent, vt populi sibi conciliarent fauorem, vt potè ieiunij dirigebant, opus, à mundo igitur non à Deo mercedem recipient, imò iam receperunt, non est cur amplius vllum apud Deum sperent præmium, fructum cœlestis gloriæ colligant, mercedem æternæ consequantur fœlicitatis ; *Amen dico vobis receperunt mercedem suam*, idest, vt ait Remig. in Cat. Aur. D. Thom. hic, *quam desiderauerunt*. Imò in ipso abstinentiæ pelago ab inanis gloriæ gubernatore ducti, culpæ naufragium fecerunt, & omnium bonorum operum merces, perdiderunt ; vt Chrysol. sermon. 7. qui ait ; *Hypocrita elaborasti ieiunijs, vt labor tibi ieiunij non prodesset : Hypocrita abstinentiæ fluctus intrasti, continentiæ conscendisti vndas ; enatasti ieiunij pelagus, & in ipso portu ieiunij naufragasti, quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem ; qui de Dei credito, humanum negotiũ perfecisti*. Ecce quomodo ex charitate, opera, quæ non procedunt, nobis ad animæ nostræ salutem non conferunt.

Qui mundi laudes ambiunt, à Deo mercedẽ nõ sperent.

Remig. D. Thom.

Chrysol.

2 Non igitur secus viam bonorum operum semina, vt ab hominibus aspiciantur, sunt iacienda ; quare Matth. 6. Christus ait : *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*. Sed dicet quis, & quomodo quis potest, coram hominibus opus facere, & ab hominibus non videri ? quomodo id, quod in oculis homini ponitur, potest ab horum oculis occultari ? ab horum aspectu subtrahi ? sed quid est, quod præcipit ad hominum oculis occultandum ? audiamus : *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*, iustitiam occultandam ? iustitia, quæ vt virtus generalis omnibus est communicanda operibus, omnibus actibus nostris inserenda, quomodo celanda suadetur ? *Quis potuit*, ait Chrysol. ser. 9. *celare radios solis, iustitiæ potuit occultare fulgorẽ ?* iustitia, quæ est norma nostra, siue formula benè agendi, quomodo ab actionibus, & operibus nostris subtrahenda ? sed nec hic cessat, sed augetur difficultas ; hæc enim sententia, alijs Saluatoris dictis, videtur opponi ; ait enim Matth. 5. b. *Sic luceat lux vestra, coram hominibus, vt videant opera vestra bona*. Hic præcipit debere opera nostra, velut radios solis, omnium oculis elucescere, vt ab omnibus conspiciantur, ibi vero supra, dum ait : *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, Præcipit, non solum in se contraria, vt faciamus opera nostra, coram oculis hominum, ne tamen, vt diximus, ab his videantur, verum etiam, hæc superiori sententiæ opponitur, vt consideranti patet ; quare, & sibi Christus contrarius, esse, & nobis impossibilia præcipere videtur. Hanc tamen difficultatem soluunt, Doctores, Eusebius Emess., & D. Petrus Chrysol. ser.

Quomodo, quod coram hominibus fit, ab horũ aspectu subtrahi potest, ne videatur.

Chrysol.

Quomodo opera nostra, omniũ oculis exponenda, & ab ijsdem subtrahenda.

Solutio difficultatis, quæ ad inanem gloriã, occultanda, quæ verò ad exemplum, opera, omnibus exponenda.

serm. 9. ex quibus verbis colligitur, opera nostra bona, alia esse occultanda, alia manifestanda; occultãda, vbi inanis gloriæ, & humanæ laudis appetitus subrepit; manifestanda verò, quæ ad proximi nostri bonum exẽplum redundant, & alios ad virtutum sequelam, alliciunt: ait igitur Chrysol. serm. 9. *Fratres, hic, præceptio cælestis vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, semouere inanẽ gloriam, sic iustitiam vult celare: iustitia, quæ per se abũdat ad gloriam; spectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit*. Quare sic, Saluatoris sententia ex mente etiam Eusebij Emesseni exponenda videtur. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*. Vis tota difficultatis in indictione hac *Vt, videamini* scilicet consistit. *Vt*, enim dicit finem operantis, intentionem exprimit agentis, qui enim opus agit bonum, hoc fine, vt videatur, & per consequens laudetur ab hominibus, humanam gloriam quærit, non diuinam, vulgi laudes appetit, quod est hypocritarum finis, hoc à Christo nobis prohibetur, à Saluatore interdicitur, quia inania sic, nostra redduntur opera, & à nobis hæc eadem deperduntur, & nullius præmij, assequũtur meritum; nullam merentur à Domino mercedem. Ideo ait Euseb. Emess. *Non ideo perdit*, (scilicet mercedem) *qui facit iustitiam coram hominibus, sed ideo, quia facit, vt, videatur ab hominibus*.

Chrysol.

Euseb. Emes.

3 Non debemus secus viã, idest hoc fine tantum, vt videamur ab hominibus, horum laudes ambientes, semen bonorum operum iacere, quia volucres Cęli, hoc est demones, hoc rapiunt sibi, & hoc depascuntur. Ad rem nostram facere videtur, quod Gen. 40. c. legitur, de illo Pistore, qui simul cum Ioseph in carcere detinebatur, qui tale somnium vidit, quod, & Ioseph retulit interpretandum ait igitur textus: *Ego vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelcius portare me putabam omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo*. Quod somnium in deteriorem partem eiusdẽ Pistoris, Ioseph est interpretatus; dicens Genes. 40. d. *Tria canistra, tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas*: quæ prædictio vaticinio conformis successit. Per magistrum Pistorum, subaudi pœnitentem, qui tria canistra, hoc est tria pęnitentiæ opera portat, idest contritionem, confessionem, & satisfactionem; & rectè in canistro portat omnia ciborum genera, vt sunt ieiunia, orationes, eleemosynæ, sed dicitur, quod hæc canistra portat in capite, melius fuisset manibus deferre, vidisset enim aues aggressores, & etiam eas abegisset; portare enim canistra, cibis plena, est in conspectu hominum, bona opera facere, sine humilitatis velamine, & charitatis, idest glorię Dei, ad quam nostras debemus ordinare operationes, ideo qui sic canistra bonorum operum apertè portat, ad humanam tendentia laudem, & gloriam, habet volucres Cęli, qui demones sunt, qui sibi eas, sine vllo merito operãtiũ, arripiũt, secundũ illud Psalm. 108. *Et diripiant alieni labores eius*. His depascuntur, quia de his nullam spem habent, vt à Deo mercedem recipiant. Vt dicere possimus cum Psal. 76. *Et singularis ferus depastus est eam*. Et Matt. 13. *Et volucres Cæli comederunt illud*, hoc est demones, quare Chrysologus serm. 9. *Iustitia, quæ se huma-*

Pistoris somnium Ioseph in carcere enarratum, & ab hoc expositum.

Pistor pœnitẽtis figura. Tria canistra tres pęnitẽtiæ partes, ciborum omniũ genera opera pęnalia.

Cibi canistrorũ opera omniũ oculis ad inanẽ gloriam exposita.

Chrysol.

humanis oculis locat, diuini patris non expectat mercedem.

4 D. Ambr. lib. 10. in Luc. ad illa verba capitis 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iã ex se fructum, sitis quoniam prope est æstas, ita & vos, cum videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei.* Per sententiam igitur Ambrosij per fructus ficulneæ, intelligitur vera iustitia, per folia vero iustitia adumbrata, & mentita: ait igitur, quod hæc ficulnea, non solum folijs virescebat, sed & fructus ediderat, & sanè videtur excedere hominum fidem, vt quis pietatem, quam foris ostendit, intus non colat. Adducit quoque ad huius probationem dictus D. Ambr. illud, ex Lucæ cap. 13. b. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit, quærens fructum in illa, & non inuenit; dixit autem ad cultorem vineæ: ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum, ex ficulnea hac, & non inuenio, succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi; Domine dimitte illam, & hoc anno, vsque dum fodiã circa illam, & mittam stercora.* Tribus annis ficulnea illa, spem Domini fefellerat, spes tamen percepta de futuro fructu, fecit, vt suasione agricolæ, Dominus sententiam mutaret; sed quæ ratio, & causa mouit agricolam, ad ficulneæ vitam seruãdam? non alia, censeo, quia folia habebat, ex quibus arguit, quod etiam fructus esset editura; quia euangelicus colonus Ecclesiæ, haud credere potest, vt ficulnea illa folijs luxurians, idest anima, quæ exterius tenet pietatem, fructus etiam non ferat pietatis. Inducit etiam idem Ambrosius factum Adam; Gen. 3. qui cum peccasset folijs ficus se se contexit: vbi textus citatus. *Cumque viderent se esse nudos consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata;* pudenda Adam, & Eua folijs ficulneæ contexerunt; hoc adumbrat peccatores, qui eorum turpitudinem ficta exteriori sanctitate, velare satagunt; quare meritò hæc iussit Deus deponi, & tolli perizomata, & vtrumque parentem, pęna affecit. Et quia illam ficulneam cuius fructus, vt dicemus, esuriens, non inuenit Christus, maledicto mulctauit, quia tantum folia, non fructus habebat. Sic habens tãtum folia apparentis pietatis, non fructus eius retinens, meritò maledictionis sententiæ subdetur: hæc omnia breui sententia Ambr. loco citato perstringit, dicens: *Fructum mihi, ficulneæ Agricolæ Euangelici cultura promittit, desperare non debemus; folijs ficulneæ peccatores, se tanquam vestis fraude texerunt, vt conscientiam velarent, ergo folia suspecta, sine fructu; tales vestes paradisi exules habent.*

Quid ficulneæ folia, & fructus.

Ambr.

De ficulnea tribus annis fructum nõ ferente, excidio damnata, ab agricola excusatur, hoc quid signet.

Adam folijs pudẽda coopertes, quid significat.

Ficulnea habens tantũ folia nõ fructus hypocritis figura, ideo à Deo maledicta arefit.

Ambr.

5 Hæc sanctitatis apparentiæ velamina, tollet Deus ab Hypocritis, & horum turpitudinem denudabit. Vt Es. 3. 17. dicitur. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem eorum nudabit:* Qui caluitie deturpantur, adsititiam requirunt cæsariem, suã vt fęditatem, seu turpitudinem tegant, sic hypocritæ interna vitia obducta sanctitate velant: sed sicut, qui mentitam cæsariem à capite calui, in conspectu plurimorum, si tolleret, magnam in eundem excitaret populi irrisionem, & mentiẽtis cæsariem confusionem pareret, sic Deus hypocritarum turpitudinem manifestat, laruam tollit apparentis sanctitatis, vt à verè iustis secernantur, & vt dignoscatur, quod zizania, & quod frumentum; & tunc veluti bonorum operum virtute decaluati, in glorij apparebunt, & sine pręmio, qui sine merito sunt,

Apparentiæ velamina ab hypocritis tollet Deus.

Simile de decaluato à cuius capite adsititia tollitur cæsaries.

merce-

mercedem non amplius à Deo recipient, quā à mundo sunt aucupati. Modò in adstantium conspectu videntur sanctitatis cæsarie ornati, sed postea Deus ad horum cōfusionem, apparentis iustitiæ caluitiem deteget, vt Hieron. lib. 2. in Esai. c. 3. ait: *Videmur aliquid habere munditia, cum autem patuerit, quod occultum est, auferetur vniuersa cæsaries, & fœda caluities omnibus apparebit.*

Hieron.

Elian.

Historia.

6 Refert ad rem nostram apposite Elianus lib. 7. cap. 20., quod homo quidam ętate prouectus, venerat Lacedemonem, qui cum senectutis suæ puderet, canos occulere tinctura tentabat. Cum igitur in conspectum prodijsset Lacedemoniorum, statim ac, circumfusa ciuium panegiri audiente, cuius gratia venisset, exposuit, Rex Archidamus coloribus, & tinctura fucatam cęsariem animaduertens, cōsurgens, ait; quid hic sani dicere potest, qui nedum animum, sed & caput gerit mendacem? quo pacto magno cum acumine significauit explodendum esse hominem, tanquam dementem, & mendacem, & nullius omnino prætij; sic hypocritæ, vt caluitiem vitiosæ eorum vitæ occultent, tinctura apparentiæ bonitatis, coloratam cæsariem sanctitatis mentiuntur, sed Deus, qui fucatas mentes, & ficta corda hypocritarum dignoscit, hos deteget mendaces, & omnino à sanctorum consortio exhibilandos, prodit, cœlestis præmij mercede vacuos, qui humanæ laudis tantum concupiere mercedem; Matth. 6 *Amen dico vobis, quia receperunt mercedē suā.*

Factum Archidami, fictam cæsariem decaluati, manifestantis.

Hypocrita, mendacem sanctitatis cæsariē gerit.

7 Fabula de Coruo enarratur, qui cum quadam die negredinis, & deformitatis suæ, qua ab alijs volucribus reprobatus, & inuisus, reiectus erat, spectator esset; alieno vestitu delitescere studuit, quo in aliorum consortio admitteretur; quare Veris opportuno tempore expectato, quo cęteræ aues, vt nouas plumas conuestiant, veteres deponunt, has sibi Coruus pulchriores sui ad ornatum delegit, & proprijs nigris, quæ suam deformitatem manifestabant, explumatus, illis se conuestiuit, quibus venustè compositus, pulcherrimus videbatur omnium; sic elegātissimus, volatu procedens, ad sui sequelam, tantæ pulchritudinis nouitatē admirantes, allic iebat cœteras aues; quæ iam in suum regem hunc expostulabant: Verum nimio fastu, & insolētia elatus Coruus, sui decoris simulati aliquantulum oblitus, diù amplius hoc tegere non valens, cum vocem coruinam inter volandum emisisset, ab omnibus, Coruus esse dignoscitur, in quō omnes inde irruentes, suas vnaquæque auis demissas agnoscēs, & repetens ab eo plumas, hunc rostro vnguibus lœdentes sibi violenter arripuit; & hunc proprijs, & alienis plumis, nudum, reliquerunt, læsum, & illusum, qui alios deludere studebat. Quæ redicula de Coruo recensetur fabula, hæc ad veritatem fictionis, & simulationis hypocritarum comprobandam opportunè facit: Hypocritæ enim iniquitatum suarum turpitudinem, vt contegāt aliena sanctitatis specie conuestiūtur, vt animas decipiant, de quibus dicere possumus cum Saluatore Matth. 7. b. quod de falsis prophetis ait: *qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos.* Et hos meretricibus fucatis comparat, D Chris. homil. 30. qui ait: *sicut plerumque meretrices, vultus cum turpis, & fœdus est, per naturam, fucis, & coloribus pigmentatus prostituitur, ad decipiendos eos, qui ignorant, quæ fœditas, sub velamine fuci illius*

Fabula Corui, alieno vestitu delitescentis.

Fabula hæc, hypocritarū figura.

Chris.

Hypocritæ, fucatæ meretrices.

contegatur; ita hypocrita. Hic igitur veluti diaboli Coruus, varijs virtutum plumis, pietatem præmittēs, suam mentitur animæ deformitatem; pennas columbæ simplicitatis videlicet, assumit, cum intrinsecus vulpis malitiam, & fraudē in corde retineat; Vel albas cygni, scilicet innocentiæ, cū D. Ioanne, Domini Præcursore, qui in vtero sanctificatus, nulla vnquā, licet leuis culpæ, labe commaculatus fuit; pennas turturis, scilicet castitatis, cum casto Iosepho, qui constans in fide, Dominæ suæ, noluit, licet importunè vexatus, commisceri. Nigras merulæ mortificationis, cum Patre nostro D. Dominico, qui ter in nocte ferreo flagello vsque ad sanguinis cruorem, corpus domabat. Vt 1. Cor. cap. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*; purpureas carduelis, diuini scilicet amoris, cū Magdalena, quo, tanto exarsit, vt diuinam sibi reconciliaret misericordiam, peccatorum veniam, & conscientiæ suę emundationem cōsequeretur; vnde Luc. 7. dicitur; *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Cæruleas pietatis, eleemosynas egenis erogando, cum D. Nicolao, & Carolo, qui ferè totum patrimonium ad inopū miseriam subleuandam, largè effuderunt. subcinericias pęnitentiæ cū D. Paulo, Antonio, & Hieron., qui deserta, & antra colentes, crudis oleribus in cibo victitabāt. Vel plumas cęlestis coloris, in cęlestium contemplatione, & exthesi, cū Paulo, qui ad tertium raptus fuit Cęlū; vel alias, & diuersas humilitatis patiētiæ, & virtutū, alios sanctos appatēter associādo. Quare primò aspectu hūc, Pandoram, virtutum promptuariū, sanctitatis simulachrū cēseres, dum veluti Proteus, diuersas virtutum assumit formas, vt D. August. lib. 10. de Ciuit. Dei, qui ait

Velut Coruus hypocrita, diuersas virtutis sāctorum plumas conuestit, sed nudus in fine conspicietur.

August.

Sicut de Proteo dictum est formas se vertit in omnes, dum demissis oculis humilitatem ostentat, toruo collo incedens, pietatem simulat; dum lacrymas emittit, proximorum miseriam, & suas culpas deflere videtur, sacras ædes frequenter adire, ieiunia colere, orationibus insistere, sacramenta suscipere, hunc regio sanctitatis sceptro dignum in Ecclesia sancta iudicaretis; iuxta illud; *Seruire Deo regnare est*, verum exteræ virtutum non eius, sed sanctorum pennæ sunt, falsa bonitas, mentita iniquitas, innocentiæ fucata colore, sicuti Paul. Manut. in simil lib. ait. *Vt camelopardalis, siue nabis, collo refert equum, pedibus, & cruribus bouem, capite Camelum, maculis Tigrim, aut Pardum; ita quidam inæquales sibi, varias hominum formas exprimunt. si cultum inspicias, sanctum aliquem esse existimes, si orationem audias, Satrapam loqui putes; si vitam expendas, nebulonem inuenies, si scripta bubulcum.* Cum igitur fictam personam diù referre non valeat, vt Senec. lib. p. de clement: *Nemo potest diu personā ferre fictam, ficta in naturam suam recidunt*, Hypocrita necesse est aliquando tandem, vt qualis est, ipse prodatur. Quare D. Greg. struthioni cōparat hypocritam, dicens, lib. 7. cap. p. *Struthio volandi speciem habet, sed vsum volandi, non habet. Ita hypocrisis, cunctis intuentibus imaginē, de re sanctitatis insinuat; sed tenere vitam sanctitatis ignorat.* Quare, vt abominabilis Diaboli cognoscetur, & manifestabitur Coruus; & tempore mortis omnium virtutū, pennis expoliatus, nudus merito, meritò delusus, euadet, & ab omnibus derisus, iuxta illud Thriueri. In apophthegm. 386. dicentis. *Qui statim, quibusdam temporibus meliorem mentiuntur vitæ phantasiam, continuò in proximi conuenticulis*

Qualis Proteus, Hypocrita.

Paul. Man.

Hypocrita Cameloparдalo comparatur.

Thriueri.

culis ea spem amittunt. Sic etiam ab æternæ vitæ præmio quoque iudicabitur à Deo exclusus, vt Matth. 6. b. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*; & Salonius Viennensis Galliarum Episcopus super parabol. Salomon. Prouerb. 32. *Fallax gratia* &c. *dum in hac vita* (*ait*) *quærunt mercedem, in futuro nullā recipient remunerationem*. Et D. August. lib. 2. serm. Dom. in Mont. c. 3. *Simulat iustum, & non exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit, sed tales ab inspectore cordis, mercedem non capiunt, nisi fallaciæ supplicium, ab hominibus inquit perceperunt mercedem suam*. Vbi Glos. interlinealis super illud Matth. 6. b. receperunt mercedem suam, sic habet: *mercedē dicit laudem, quam voluerunt, non adoptionem filiorum*. Et quo ad agnitionem hypocritarum, in die iudicij, D. August. in Matth. c. 7. *Tunc necesse est, vt appareat, vtrum lupus sit in pelle ouina, an ouis in sua*.

Salon. Vien. Episc.

August.

Glos. interl.

August.

8 Cum Bethania Hierosolymā reuerteretur Saluator dicit: Matth. 21. b. *Manè reuertens in ciuitatem, esuryt, & videns fici arborem vnā, secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit nisi folia tantum, & ait illi, nunquam ex te fructus nascatur, in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea*. Sed dicam ego cur misericors Deus, qui pietatis semper beneficia tantum præstitit, docendo indoctos, subueniendo miseris, sanando infirmos, & peccatores tolerando, modo in insensatam arborem iustitiæ actus exercet, pęna inuehit maledicto ferit, perpetua sterilitate damnat, cum folia tantum, non fructus inuenisset; maximè verò cum nulla culpa ficulneæ subsistat, qua fructus non proderit suos; quia tempus tale nundum aduenerat, aut certè transierat, vt ait D. Marcus cap. 11. 6. *Non enim* (inquit) *erat tempus ficorum*? & hanc rationem optimè, si sensum habuisset ficulnea, in sui defensam poterat ad effugiendam maledictionem, adducere. Maledictione arbor damnanda est, cuius culpa, animę est sterilitas. Cum Deus creauit terram, huic imposuit munus, nedum herbas, sed & plantas arborum germinandi, facientes fructum, iuxta genus suum, cū igitur hæ fructus, nō edāt opportunos, meritò in has maledictione ad pęnas irruit. Hæc arbor anima fidelis est. Vt ait Aristot. *Homo est arbor inuersa*, quæ diuinę gratiæ humore fęcundata, iustitiæ fructus deberet germinare, & bonorum operum virtutumque germina producere, iuxta illud Psalm. 1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Sicut è contra tales nō edens fructus, eradicabitur planta. Vt Matth. 6. b. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*. Cum igitur hāc sine fructu ficulneam inuenerit Saluator meritò maledicto damnat, & ariditate, vt Bed. in D. Marcū, capite vndecimo ait; *perpetuo sterilitate damnauit, vt ostenderet plebem Iudeorum propter folia, id est verba iustitiæ, quæ habebat, sine fructu, id est bono opere non posse saluari*. Vel dicamus melius ad rem nostram iusto Dei iudicio maledicto feritur, quia sicut inter foliorum viridantium inuolucra, spes cēsetur fructuum, quibus cum ficulnea careat, meritò esurientis in se maledictionis pœnam prouocat, & inflectit. Symbolum hypocritæ, qui ex apparentia pietatis, bonitatis, & iustitiæ conceptum prodit fructuum sāctorum operum, in mente adstantium, verum cum folia tantum apparentiæ, quibus animas decipit, habeat, non fructus tales pepererit, meritò maledictio-

Cur Christus in ficulneam maledictione irruit, tantum folia nō fructus inueniens.

Arist.

Ficulnea, sine fructu, bonis operibus vacua anima.

Bed.

ledictionis pœna, animaduertitur. Quare August. serm. 74. ait: *Arefaciendo, vbi sola folia inuenit, significauit eorum pœnam, qui loqui bona possunt, facere bona nolunt.* Et quod folia, apparentiæ tantum bonitatis signa sint, ecce quod exprimit hoc D. Hieron. in Matth. qui ait: *Nisi folia tantum promissionum strepitū, iactantiam legis, & ornamenta verborum, absque vllis fructibus veritatis.* Exemplo nobis est insensata arbor dum ariditate feritur, vt nos fructum bonorum operum, nō simpliciter tantum apparentiæ, eos ad inanem gloriam, sed re proferamus. Vt Cæsar. dialog. 4. ait; *Punitur itaque inanimata, vt proferret fidei fructum, impia*, scilicet arbor rationalis.

August.

Hieron.

Cæsar.

9 Ad hoc meo iudicio finale Iudiciū fiet, vt hypocritæ culpa prodatur; & debita afficiatur pœna. Ideo Apost. 1. C. 4. a. ait: *nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat dies Domini, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* In hac vita non possumus cordis secreta rimari, vt facit Deus, sed tantum, quæ nostris oculis apparent iudicamus. Vt ait D. Hier. hic: *Homo videt in facie, Deus autem in corde*; cū igitur hypocritarum simulatio, quæ in horum est corde, nos lateat; quales verè sint iudicare, nec possumus, nec debemus; ideo dies Iudicij statuitur, quo Deus sol iustitiæ cordium illuminabit obscura, abscondita reuelabit, inuolucra cogitationum pandet; omnia coram omnibus nudabuntur peccata: Et meum hunc sensum Isai. 2. confirmat, dicens; *Dies Domini super omne, quod visu pulchrum est*: non ne æterni Iudicis iustitia ad omnia se extendet, qui & bonos, & malos iudicabit, & præcipue, quod malum est, & in sui offensam, spectabit ad pœnam patrantis, sicut, & bonum ad præmiū facientis? & quare ait in particulari, quod iudicabit, quod visu pulchrum est, non quod absolutè pulchrum? hoc dictum petit hypocritas, quorum cura sola erat, spectantium placere oculis; & cum fœdissimis sint imbuti moribus, virtutum luminaria cœlestia nituntur videri; hos igitur æternus in die Iudicij deteget Iudex; qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & cordium secreta pandet; Petr. Dam. epist. ad Blancam cap. 7. ait: *Veniet, & dies Domini, non super omne, quod pulchrum est, quia diuini pondere Iudicij premitur ille, qui intrinsecus quidem vitiorum latenter ingruentium, deformitate confunditur, foris autem, quadam adumbrata virtutis, vel potius honestatis pulchritudine, palliatur.*

Iudicium finale, fiet propter hypocritas.

Hieron.

Petr. Dam.

10 Ecclesiastes cap. 6. ait: *Est & aliud malum, quod vidi sub Sole, & quidem frequens est apud homines: Vir cui dedit diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ sua, ex omnibus, quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud, hoc vanitas, & miseria magna est.* Si quis curiosus huius scrutator facti, vaticinari vellet de viro hoc, qualis, & quis sit, facilè in hanc deueniet sententiam, quod iste sit auarus, cui Deus diuitias larga manu elargitus sit, quibus tamen, vt illas non consumet, sed maiores in dies coaceruet, ab his se abstinet, & tandem eas relinquit hæredibus, vel etiam extraneis; vt dicere possit, cum Tren. 5. *Hæreditas nostra versa est ad extraneos*; quare vanitas auari, spes eius est, nā nudus ex hac vita, omnibus expoliatus bonis, discedit, sicut nudus, venit. Vt dicitur Iob. cap. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus*

Huius sententię, expositio prima in auarū.

nudus illuc reuertar. Hæc est vanitas, & miseria, quia de eius auaritiæ vitio, æternam, extremam inferni ignibus addictus, patietur paupertiem. Bona quidem, & sufficiens secundum quid, explanatio videtur: verum si subtilius sententiam scrutemur, hanc auaro minimè competere reperiemus, nam huic non dedit honorem, nihil enim vilius, quā pecuniam amare, quam nobiscum ferre non possumus. Vt Gregor. *Fallaces diuitiæ sunt, quæ diù nobiscum manere non possunt, quæ mētis nostræ inopiam non expellunt*. nihil n. illo miserabilius, quia his non vtitur diuitijs, sed has custodit, vt seruus, quia non distribuit, vt Dominus, & nihil inde sibi inuenit, pro mercede in cœlestibus aquisitum, vt Psalm. 75. *dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis*. Ecce vocat viros diuitiarum, vt ostenderet, vt ait D. Ambr. *A suis diuitijs eos magis possideri, quam eas possidere, nam possessio, est possessoris non possessor possessionis*. Aliò igitur dirigamus discursum: crediderim ego, hic, hominem designari, qui sapientiæ sibi desiderabiles diuitias aquisiuit, verum his non vtitur, nā dum alijs salutem prædicat, ipse reprobus efficitur, quia dum dulcissimas virtutum dapes alijs apponit, limpidissimos doctrinæ latices ad labra tenet, ipse instar Tantali eiusdem doctrinæ fame, & siti conficitur, & exteri, quibus prædicat abūdè pascuntur; vt Philo Carpathius, Cant. 4. ait; in hæc verba; *mel, & lac sub lingua tua*: *Falsi Christi serui, quales sunt Prædicatores ficti, mel in lingua portant, quod sub lingua non habent: sæpe alijs cœlestia gaudia prædicant, cum ipsi tamen terrestria, & peritura bona desiderijs appetant*; sic doctrinæ suæ fluentis, steriles animarum agros fęcundantes, ipsi in sua fęcunditate doctrinarum, corruptis eorum moribus, steriles beneficio remanent: quare Olympiodorus ibi, Ecclesiast. 6. ait: *Sæpe accidit, vt aliquis magnas sibi diuitias, in dicendi copia, & in scientia scripturarum cōparauerit; aliarumque rerum cognitionem; sed deinde fœditas morum, & verbis suis diffidet, ac doctrinæ, hinc fit, vt qui in libros illius traditionesque incidunt, magnam inde ipsi quidem vtilitatem captant, nihil verò ipse auctor, emolumenti perceperit*. Hæc certè vanitas, & horum magna est miseria.

Greg.

Ambr.

Secunda expositio in fictos Doctores.

Phil. Carp.

Olimpiod.

11 Horum hyerogliphicum ad fictos Doctores, & hypocritas reprehendēdos, afferri potest, Pica, vt Pier. Valer. lib. 23. hyerogliphi. ostendit. Pica enim auis est, quæ ante pectus, niueum præfert, & ostētat candorem, retrò vero eius cauda nigro colore suffunditur, sic Doctores ficti, & hypocritæ, eorum doctrinæ, & apparentis iustitiæ, & virtutis candorem, primò aspectu præseferunt, verum talem moralem virtutum albedinem, & integritatis candorem, corruptorum morum, & vitiosæ vitæ, & malitiosæ mentis, & cordis nigri coloris obscuritate mentiuntur. Sicut etiam Adagio communi dicitur. *Intus Nero, foris Cato. Domi talpa, foris Argo. foris Helena, intus Hecuba*. Quare ab horum consortio, & familiaritate, morum, & sequela vitiorū cautè declinandum; hinc est, quod Pythagoras dicebat. *Ne gustes quid, ex ijs, quibus est nigra cauda*, idest non horum consortium, & familiaritas degustanda, qui bonitatis apparentiam, & candorem ante gerunt, retrò verò factis, & mente vitiorum caudam nigram habent.

Pier. Valer.

Hyerogliphicū Picę, quæ pectus niueum, retro nigredinem habet. Hypocritam repræsentat.

Pythagoræ dictum.

12 Hinc optimè deduci potest, ad hoc propositum, quod Deus iusserat Leuit. 11. c. ne, inter

Quare Deus prohibebat comedi cygnum.

cætera animalia comederemus cygnos;& quare tam pulchræ auis carnes, non sunt degustandæ? huius præcepti assignat causam Hugo Card. hic agens de hypocritis, dicens: *Ne comedetis cygnum, qui exterius in pluma habet albedinem, & interius in carne nigredinem.* Clarum contra hypocritas argumentum, vt diximus nobis hoc mãdato indicitur, quorum consortium, velut abominabilem cibum, & animabus perniciosum, & nocuum euitare debemus, ne eorundem morum pestifera cõtagione pereamus. Illi enim niueum inocentiæ, sanctitatis bonorum operum apparentia, candorem præferre videntur, verũ occultius, & intus, malitiæ, & nequitiæ retinent virus, atra nigri coloris culpæ, haud obscura fœditate adumbratũ. Quare ab his summopere cauendum, Saluatoris nostri consilio, qui ait Matth. 7. *Cauete ab ijs, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoscetis eos.* (Hug.)

13 Ait Poeta ille: *mordida facta pecus totum corrumpit ouile*; sic hypocrisis, velut contagiosa lues, omnia opera in se bona, quibus associatur corrumpit, & perdit, nedum inficit: quare Christus, ait Discipulis suis, vt Luc. 12. a. *Attendite à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis*: in quæ verba Theoph. ait: *Vocat igitur fermẽtum hypocrisim, tanquam alterantem, & corrumpẽtem intentiones hominum, quibus se ingesserit, nihil enim sic alterat mores, vt hypocrisis.* Componit igitur Saluator hanc, fermento, ex huius corruptelæ conditione, nam sicut fermentum, si massæ farinæ inijciatur, hanc totam corrumpit, sic hypocrisis, si massæ virtutum adhæreat, has omnes corrumpet, quare postquam Christus exposuit hanc notissimam fermenti conditionem, quod totam inficit massam, subinfert monitum salutare, Bed. hic, dicens: *Sic nimirum simulatio, cuius semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate, & veritate fraudabit.* (Theoph.) (Bed.)

Sic vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & benè tolerant. tex.

§. VI. Diuinæ manus flagella, vt ad animæ salutem cõferant, secundum qualitatem, vt à Deo proueniunt, consideranda, sic æquo animo ferenda.

Diuina flagella medicina salubris.

1 Diuini flagelli pharmacum, nobis ad animæ salutem à cœlesti medico præscribitur, iam patet per Hug. Card. in Epist. ad Hebr. 12. c. qui ait, *Flagellatio diuina, est medicina spiritualis, purgans à noxijs, & conseruans in bono.* Hæc igitur purgatio animæ, secundum qualitatem consideranda, si hanc à Deo prouenientẽ peccator agnoscit, & benignè in peccatorum suorum pœnitentiam recipit. Vt Aug. super Ps. ait; *Intelligat homo medicũ esse Deũ, & tribulationem medicamẽtum esse ad salutem, non pænã ad damnationem*; Sic ad peccatorum nostrorum expiationem conducit, ideo libẽter recipere, & sustinere debemus, vt sancta illa mulier Iudith, nobis in exemplum, prodit in medium, ad huius veritatis confirmationem; nam cum Betuliæ ciuitas à barbaro potenti Assiriorum exercitu ad expugnationem proximam cingeretur, ecce ad diuinã misericordiam filij Israel penitentiã agẽtes, pro auxilio confugerunt, vt (Hgu.) (August.)

Flagella diuina, ad peccatorũ expiationẽ filij Israel agnouerunt.

Iudich

Iudith 7. dicitur; *Filij Iſrael, vt viderũt multitudinem illorum, proſtrauerunt ſe ſuper terram mittentes cinerem ſuper capita, unanimes orantes, vt Deus Iſrael miſericordiam oſtenderet ſuper populum ſuũ.* Rurſus cum viderent ſtrictas hoſtiũ inſidias, quibus graui aquarum penuria conflictabantur, & ſiti peribant, clamauerunt ad Deum dicentes: *peccauimus cum Patribus noſtris iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus, tu quia pius es, miſerere noſtri*; cũ igitur huiuſmodi anguſtiarum per flagella purgationes animæ, tales eſſent, quales requirebantur, hoc eſt à diuina manu prodeuntes, & ad emundationem à noxijs peccatorum humoribus à Deo præſcriptæ agnoſcerentur ſic piè receptæ, ecce quomodo ad earum beneficium contulerunt, & ad totius populi ſalutem, qui ab Holofernis tyrannide; Iudith auxilio, ereptus eſt, quem libenter ad ſufferendas huiuſmodi calamitatũ preſſuras, & diuini flagelli perturbationes, viriliter fœmina hæc ſancta, hortabatur, dicens. Iudith 8. *Non vlciſcamur nos pro his, quæ patimur, ſed reputantes peccatis noſtris, hæc ipſa ſupplicia, minora eſſe flagella Domini; quaſi ſerui, qui corripimur ad emendationẽ, non ad punitionem veſtram, eueniſſe credamus*: in quæ Verba Gloſ. ait: *Hæc eſt via veritatis, vt flagellis animas noſtras humiliemus, & patientiam habere ſtudeamus.*

Ad Deum pœnitentia confugiunt.

Iudith populo perſuadet, vt flagella, quæ patitur à Deo recognoſcat, & recipiat.

Gloſ.

2 Ad ſalutem animę diuina flagella conferunt, cum à Deo præſcripta agnoſcimus. Dux nobis huius veritatis Saluator noſter eſt; qui cum in horto ad orationem commoraretur Gethſemani, ad eum cohors Iudeorum capiendum, cum acceſſiſſet; Petrus in Domini ſui defenſam inſurgens, ſuum exemit gladium, & militem quendam huic præcindens aurem, percuſſit, vt Io. 18. quod Chriſtus animaduertens, in Petrum inuehens, ait; *Mitte gladium tuum in vaginam, Calicẽ, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum?* Io. 18. b. ſed quid ais Domine? hunc calicem à Patre habere inquis, nõ ne hunc tibi præparauit Caiphas, qui contra te mortis ſententiam intulit, dicens, Ioan. cap. 11. *Expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo ne tota gẽs pereat?* Non ne Iudas, qui te Iudeis prætio triginta denariorum, proditione traddidit? non ne Pilatus, qui tuæ condemnationis perperam ſacrilegamque mortis ſententiam protulit? Io. 19. *Tunc traddidit eis illum, vt crucifigeretur*: non ne Iudei, & miniſtri, qui te cruci affixerunt, diſpoſitus fuit calix iſte tuus? quomodo ergo à Patre hunc habere prodis? ſed dicamus, quod ab his omnibus hic calix paſſionis quidẽ quæſitus erat ad mortem Chriſti, & à Patre; ſed ab illis odio, & inuidia ſtimulatis, à Patre autem ex amore hunc recipiebat ſicut, & agnoſcebat paſſionis calicem; quare dicitur Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*; & ad hebr. 12. a. ait; *Flagellat omnem filium quem recipit.* Cum igitur Chriſtus ſit filius, ergo flagellãdus, & hic erat. Quare hunc à Patre ſibi datum tantum, ex amore agnoſcebat calicem; qua propter nihil impiæ manus Iudeorum in Chriſtum, mali cuiuſque inferre potuiſſent niſi ipſe Pater permiſiſſet, & ipſe Saluator ſic ſibi pati cõplacuiſſet. Quare Auguſt. tract. 112. in Io. cap. 18. ait; *Quod autem à Patre traditum ſibi dicit calicem paſſionis, illud eſt, quod ait Apoſtolus: filio proprio non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit eum; verum auctor calicis huius, eſt etiã ipſe, qui bibit.* Et Chriſtus ipſe talẽ

Chriſtus ex amore à Patre, ex inuidia à Iudeis, calicem ſuæ paſſionis, agnoſcit.

Auguſt.

Christus à Patre passionem agnoscit, sustinet, & suam cõsequitur gloriam.

à Patre suo habere mandatum passionis exposuit dicens Io. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Sic hæc passionis suæ, & crucis flagella à Deo Patre æquanimiter accepta, ad eiusdem gloriæ cõsecutionem, contulerunt, vt Luc. 24. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, & ad nostri salutem, redemptione, profuerunt.

3 Sanctus Iob maximis actus flagellis, & grauissimis quassatus calamitatum aduersitatibus; ita patienter sustulit, vt meritò in patientiæ exemplum iste nobis adducatur, & Anthonomasticè, patiens, dum dicimus, Iob intelligatur. Sed ex quo dignoscitur patiens? ex illius verbis Iob. p. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est*, ideò diuini flagelli patiens ferulã osculatus ait Benedictus Deus. *Sit nomen Domini benedictum.* Sed quomodo inquit. *Dominus dedit, Dominus abstulit?* quomodo, qui bonorum nostrorum non indiget, Deus, hic ab eo bona abstulit? nõ ne Sabei, & Chaldei, vt ipsi nuncij testati sunt, surripuerunt, & abstulerunt? non ne, & ipse Satanas, qui ignem accendit, quo oues combustæ fuere, qui ventum excitans validissimum euertit domum, & filios oppressit, ita vt domus conuiuij, fieret eorum vitæ sepulchrum? ita planè, & quare suæ amissionis bonorum causam in Deũ refundit? dicens Dominus, qui largitor est omnium bonorum *dedit*, & idem Dominus, cuius omnia sunt peccora campi *abstulit?* nouit sanctus Iob hæc omnia aduersa, ei tota diabolica Satanæ virtute adhibita, nisi Dei permissione haud contingere potuisse; quare nos quoque ad Deum in ærumnis, & calamitatibus nostris, mentis oculos dirigere debemus, non ad hostes respicere &c. non ad secundas, sed ad primã causam mentis oculos eleuare.

Iob à Deo suas agnoscit passiones, quas, & libenter sustinuit.

Iob, nõ executoré, sed auctoré suæ passionis, respicit.

4 Non mirum, quod sanctus vir, sancto hoc vsus sit remedio, omnia existimans sibi obuenientia mala, à Deo procedere, qui est causa efficiens, & exemplaris omnium rerũ, vt scitè D. Thom. 1. quæst. 44. a. p. sed miror Gentiles huiusmodi modo loquendi vsos fuisse: Plutarchus in oratione consolatoria, ait: *Obliuiscentium similes sumus, in omnibus enim dicere oportet: nos Deorum res habentes, eas curamus, cum autem vellent eas, rursus auferent, itaque minimè ægrè ferre debet, si quæ nobis ad breue tempus, mutuò dedere, eadem exigant; neque enim trapezitæ, cũ ab ipsis depositum simile repetimus, indignantur, sed grati, & beneuoli reddunt, & aduersus eos, qui non facilè reddunt, meritò quispiam diceret, mandasti ne obliuioni, te propterea hæc accepisse, vt redderes?* Hoc vtique omnibus cõtinget mortalibus, nam vita depositum Dei est, & huius redditionis, nullum est determinatum tempus; sicut nec depositi numularij, sed minimè constat, quando qui dedit repetit: qui igitur, vel ipse moriturus, vel filijs defunctis indignatur, vel conquæritur, quomodo nõ manifestè oblitus est, & se ipsum hominem esse mortalem, & filios mortales genuisse? cum igitur Sanctus Iob, omnia, quæ possidebat, bona temporalia filios, & propriam salutem, denique vitam à Deo recepisse, vtique paratum ad hæc omnia reddenda se disposuerat, hinc est, quod omnia æquanimiter ferens, mala, beneficium recepit duplicis fauoris, quare si dixerat primò Dominus dedit, Dominus abstulit, sic inde dicere poterat, si Dominus abstulit, Dominus in duplo dedit, quare dicere possumus cum Es. 40. de hoc sancto Iob; *suscepit de manu Domini duplicia.*

D. Thom.

Plutarch.

Gentilium mẽs, & sententia.

Vita nostra, vt depositũ Deo reddẽdum.

5 Con-

5 Consideratio diuini flagelli, secundũ, quod à diuina manu procedit, & vltrò suscipitur, ad animarũ salutem plurimum conducit. Peccator per culpam rationis vsum ferè amittit, quia in eo magis sensus, quam ratio præualet. Quare iumento merito comparatur stolido, vt Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Ad cognitionem Dei, & operum eius, nõ deuenimus, nisi per opus intellectus, cum igitur peccator vsum rationis, & intellectum (vt ita dicam) amiserit per culpam, vt iumentum morale ad Dei cognitionem eleuari non potest; quid facit Deus, ad illius salutem nãciscendam? dat intellectum, sed quomodo? diuinæ manus flagellis, quibus peccatores vexat, secundum illud: *Vexatio dat intellectum.* Et Isai. 28. c. ait; *sola vexatio tãtumodo dabit intellectui auditum*; hoc est diuinæ manus flagellum, mentem eleuat, & vexat peccatoris, ad diuinas illuminationes percipiendas, inspirationes audiendas, eum ad melioris vitæ frugem reuocans; sic diuinam manum sentiens ad pœnitentiam cogitat, & ad eius salutem ei à Domino imissa flagella rectè prouenire, percipit, & agnoscit; vt dicere possit cum Ps. 17. *Et disciplina tua, ipsa me docebit.* Docet, & eum instruit, vt peccati grauitatem ponderet, à Deo, vt pijssimo Patre benignè admonitum esse, vt pœnitentia peccatum citò deleat, ne contemnens Patrem clementem, inclementem experiatur eundem, Iudicem, & in æternũ prolabatur interitum. Quare Greg. in pastorali ait: *Mala, quæ nos hic premunt ad Deum ire cõpellunt*: Sic ad perfectum rationis vsum inde deueniens peccator, dicere potest, vt Psalm. 17 *Disciplina tua correxit me in finem.* Hoc est plaga, quà à Deo admonitus sum, ab errore mẽtis meæ ad eundem Deum, qui finis noster vltimus est statuendus, pœnitentia reuocauit.

Peccator per culpã, vt iumẽtum, ex flagellis recipit intellectum.

Greg.

6. Hæc inquam disciplina, & diuinæ manus flagella sunt pharmacum, à diuinæ misericordiæ officina proueniens, quo nostra ab infestis vitiorum humoribus purgatur anima, dum hunc à Deo nobis præscriptum pœnæ calicem agnoscimus, nostri ad salutẽ immissum, & libenti animo pro culparum expiatione ad pęnitentiam ebibimus, vt secundum Hugonem ad hebr. 12. supra retulimus; qui ait: *Flagellatio diuina, est medicina spiritualis, purgans à noxijs, & conseruans in bono.* Et Gregor. etiam 18. mor. cap. 13. ait: *Omnis diuina percussio, aut purgatio nobis est vitæ præsentis, aut initium pœnæ sequentis* Et hoc explicari posse videtur per illud Prou. 22. c. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eã. Stultitia colligata est*, ecce morbus peccati, & quænã maior stultitia reperiri potest, quam sensui, supra rationem relinquere imperium, qua in vilem iumentorum cõditionem inflectit? ista stultitia peccati, morbus est animæ, quo peior inueniri non potest, quia non est deordinatio humorum, sed morum, peruersęque voluntatis à principio vitali, & æternæ salutis, quod est Deus, qui ait Ioan. 14. *Ego sum via veritas, & vita.* Hæc stultitia significat habitum peccatorũ, qui ex multis actibus peccaminosis constat, ex quibus fasciculus colligatur iniquitatis inde maximæ; secundum illud Is. 58. c. *Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.* Hic spiritualis stultitiæ morbus est in corde. Nam dicitur Matth. 15. b. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, & furta, falsa testi-*

Diuinæ manus flagella à nostris nos purgant vitijs.

Hug.

Greg.

Peccatum dicitur stultitia, quæ per virgam diuini flagelli fugatur

testimonia, blasphemia. Morbus igitur læthalis censendus, qui cor petit. Dicitur rursus in corde pueri. Sed dicet, quis quomodo in corde pueri, qui innocentiam redolet, vt dicebat Christus Matth. 18. *Nisi efficiamini, vt paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*, malitia peccati, & vitiorum habitus regnare, dicitur? quomodo puer peccatoris figuram deferet? hanc D. Hieronymus soluit difficultatem, qui ait, peccatorem puerum vocari, non ætate, sed sensu, quia pueri rationis adhuc vsum non perfectè tenentes, sensui tantum indulgendum, & parendum percipiunt, & ideo, ait: *Restat intelligere, quod pueros hoc loco, non ætate, sed sensu paruulos significet, quales Apostolus 1. Cor. 14. vetabat eos, quibus ait, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli.* Et *virga disciplinæ*, subdit sapiens Prouerb. 22. *fugabit eam*, ecce diuini flagelli pharmacum, quo anima peccatoris purgatur. Dum. n. à Deo flagellis ceditur, assumit intellectum, in sui cognitionem venit, à Deo recognoscens pœnam, peccata pœnitentia delens, purgans animam, prudens efficitur, stultitiã fugans; *& virga disciplinæ fugabit eam*, quare Hieronymus eodem loc. prou. ait. *Huiusmodi enim pueros, id est animos stultitiæ, & lasciuiæ, vel inertiæ deditos, necesse est iuuenili disciplina castigari, & ad iustum vitæ tramitem prudentium vigore perduci.* Pater enim qui filij curam gerit, hunc videns aliquos vitiorum tramites calcare, vel peccati labe pollutum, vel scelere coinquinatum, virgæ fræno cohibet, disciplinis animaduertit, & sic à vitiorum tramite declinans puer, bonis virtutum moribus imbuitur, sic suæ salutis beneficium perpendens, patrem diligit, & disciplinam accipiens osculatur, dicens: *Benedictus Deus.* Et hanc benignè tolerat.

Quomodo in corde pueri stultitia, siue peccatum.

Hieron.

Peccatores vt stulti, qui vt à stultitia curētur, verberibus afficiuntur.

Hieron.

Virga disciplinę peccati stultitiam tollit.

7 Hanc moralem purgationem, & vitiorum euacuationem per diuini flagelli pharmacum, exponere voluit sapiens, Prou. 20. d. dicens. *Liuor vulneris absterget mala plagæ in secretioribus ventris.* Liuor est dolor diuinæ percussionis, vti Gregor. hic, qui ait: *per liuorem disciplina corporeæ percussionis accipitur, per plagas vero dolor interioris compunctionis, quod vtrumque peccatũ fugat.* Ecce quomodo hoc diuinũ flagelli pharmacum peccatoris animam à culpa expurgat; & huic nostræ sententiæ arridere videtur hebrea litera, quæ sic habet: *Liuor vulneris euacuatio in malo, & percussiones in ventre.* Ecce euacuatio siue mortalis purgatio culpæ. Sed notate quæso modum loquendi, qui non vacat mysterio; ait textus, quod iste liuor vulneris absterget mala plagæ, hoc verbum significat detergere, siue purgare, vt Liu. p. ab Vrb. *Inspectum vulnus, absterso cruore, omnia salubria esse.* Cum igitur in omni purgatione, aliqua æger afficiatur molestia, sic ad perfectam animæ sanitatem non peruenitur, nisi per aliquam pœnitentiæ pœnam. Sicut de Sancto Iob dicitur, quod *testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Iob. 2. Ecce pœna fœtoris loci, vbi iacebat, cui additur pœna corporalis morbi, & saniei; postremò dolor abrasionis, testæ instrumento; testa hæc est tegulæ fragmentum, tegula dicitur à tegendo; quia supra tecta ponitur domorum, quæ à pluuia, frigore, ventis, & ab iniurijs Cœli, & ab alijs incommodis nos defendit, tegula igitur siue testa, cum sit instrumentum durum, & asperum, quo sanies radebatur significat, quod dum dolorem, & pœnam diuini flagelli patimur à sanie peccatorũ purgamur, & hæc

Greg.

Quomodo flagelli pharmacum animã purgat.

Lit. hebr.

Liu. p. ab Vrb.

Testa pęnarum saniem abradit peccatorum.

& hæc ad nostri salutem confert, vt regula moralis, pœna, quæ nos à diuinæ iustitiæ vltione vindicat, sic liuor vulneris, idest diuini flagelli percussio, dum hanc à diuina manu procedentem credimus, ad nostri salutem immissam, libenter recipimus, velut spirituale pharmacum, abstergit, purgat à culparum noxijs humoribus ægras animas; nam ex flagellis diuinam manum agnoscimus, qua in nostrorum peccatorum recordationem deuenimus, de quibus dolentes, amaram pœnitentiæ potionem ad vitā æternam vltrò assumimus; quare Gregor. 3. parte curæ pastoralis admonit. 13. ait: *Liuor vulneris absterget &c. quia dum exterius percutimur, ad peccatorum nostrorum memoriam tacitè afflictione reuocamur, & ante oculos nostros cuncta à nobis malè gesta reducimus, & hoc, quod foris patimur, magis intus, quod fecimus dolemus, unde fit, ut inter aperta uulnera corporis, amplius abluat nos pœna uiscerum secreta.*

Greg.

Et benè tolerat. tex.

8 Flagella igitur diuinæ manus, vt à Deo prodeūtia credimus, agnoscimus, & recipimus, ad nostri salutem æquanimiter toleranda, sic nobis prosunt, nec damnum vllum inferunt; vt patet apud Naucleram lib. de vita ge. 16. habetur. Quod cum superbus ille Hunnorum Rex Attila nomine, qui flagellum Dei vocari gloriabatur, cum in Troiam Galliæ peruenisset, & hanc expugnare statuisset, huic, extra ciuitatis portas S. Lupus, qui inocentia agnus erat, eiusdem ciuitatis Episcopus, obuiam occurrit, quem intrepide est alloquutus, dicēs: & quis es tu, qui sic terram conturbas? cui ille scelestus, ait: Ego sum Attila flagellum Dei, hoc audiēs Sanctus Episcopus dixit prosperus, & fœlix sit aduentus tuus, ò flagellum Dei, & ad suos conuersus ait: citò huic ciuitatis portę pandantur, nullus sit, qui huic intercludat aditum, ad nos venienti obsistat: sic apertis portis, cū exercitus huius ciuitatem ingrederetur, omnes milites cęcitate percussi sunt; sic hostili furore depressio, & inuasione oblita, per mediam ciuitatem transeuntes, nihil mali intulere ciuibus, & à periculis, & damno, quod timebant mirabiliter euasere. sic nos si diuinis flagellis, cordis, & voluntatis nostræ, hæc benignè à Deo immissa, nobis ad animę nostræ salutē agnoscemus, & humiliter, prompteq; illa excipiendo, & patienter ferendo, portas adaperiemus, Deo gratias agentes, nullam mali damniue iacturam patiemur, & Deus ipse misericors, vel à flagellis desistet, vel horum vim minuet, vel virtutem, & fortitudinem ad hęc viriliter sustinenda præbebit, & patientiæ præmiū largietur. Vt Apost. 1. Cor. 10. d. qui ait: *Fidelis Deus, qui non patietur uos tentari, supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere.* Vbi Glos. ait: *Qui dat tentanti diabolo licentiam, ipse dat tentatis misericordiam*, secundum illud Is. 40. g. *Qui dat lasso uirtutem, & his, qui non sunt fortitudinem*, idest secundum hebraicam translationē; *qui dat lasso uirtutem, & his qui nō habent fortitudinem, robur multiplicat*, vel secundum D. Hieronym. hic. *Et qui uidentur in hoc seculo esse quasi nihili, uirtutem roburque multiplicat.* Et ideo tentationum ictus patientiæ clipeo sunt retundēdi; si enim patienter aduersitatum ventos, & diuini flagelli turbines, viriliter, & humiliter sustinebimus, non illorum impetu, ad damna frangemur.

Nauclet.

Attila, Troiam expugnaturus venit. Huic occurrit S. Lupus.

Exercitus Attilæ excęcatus Troiā ingreditur, & sine damno Vrbis egreditur.

Diuina flagella benignè recipiētes, nullum patiemur detrimentū.

Glos.

Hieron.

9 Guilell. Paris. lib. de morib. c. 3. fabulam narrat de quercu, &

De quercu, & arundine fabula.

arundine. Quercus (ait iste) vehementia venti confracta fuit, arũdo verò illæsa permansit: admirata igitur quercus cõfractionem suam, & euasionem arundinis, hanc interrogauit, qualiter hoc factum esset; & respondisse fertur arundo, quia tu præsumens de fortitudine tua, voluisti resistere vento, qui fortior erat te, sicut manifestè ostendit cõfractio, ego autem cessi humilians me, sic euasi; hæc ille; sic nos inanem cordis fortitudinem, & peruersam mẽtis duritiem deponamus, diuini flagelli vento, non reluctantes, & obsistere diuinæ manus impulsibus, haud contendentes in nos irruentibus, sed his diuinæ iustitiæ flatibus, animas nostras humiliemus, hæc piè, & patienter aduersa tolerando, ne vana mentis duritie, obstinationem ostentantes, ad æternum victi frangamur interitum.

Guillel. Paris.

Aduersa patienter tolerãda, ne duritie obstinationis pereamus.

10 Mysticam quæso vtramque, quercum, scilicet, & arũdinem, si libet in sacris paginis, parumper indagemus; Et ecce duo Reges Pharao videlicet, & Nabucodonosor, mihi obuiam statim veniunt ad probationem, vterque Rex diuinæ Iustitiæ ventis quassatus fuit, sed vnus mentis duritie diuinæ obsistere volens potentiæ, videlicet Pharao, de quo dicitur Exod. 7. b. *Induratum est cor Pharaonis, & non audiuit eos*; ecce, vt diabolica quercus diuinæ iustitię turbine retro acta ad æternam mortem confracta est; alter vero, scilicet Nabucodonosor, eisdem diuinæ manus validissimis ventis agitatus, & fortiter quassatus, vt arundo, suæ superbiæ ramos flexit, ad ima humilitatis, diuinę potentiæ cessit flagellis, & diuini eiusdem rigoris flatibus vehementer in se ruentibus, ad pęnitentiam se pronum demisit, deiecit; sic æternæ mortis supplicium euasit in recordatione propriæ iniquitatis ingemiscens, & pęnam pro culpis patienter inde sustinẽs. Ideo August. lib. de prædest. & grat. cap. 105. ait: *quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad causam ambo captiuum populum Dei possidentes, quantum ad pœnam ambo flagellis à Deo clementer admoniti: Quid ergo fines eorum fecit esset diuersos? nisi quod vnus*, ait: *manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter, libero contra misericordiosissimam veritatem, libero pugnauit arbitrio.*

Cur Pharao damnatus, & Nabucodonosor saluus.

August.

11 Diuinę manus flagella nobis immissa, vt donum à Deo agnoscere, & vltrò acceptare, & vt ad nostram salutem conferentia, patienter tolerare debemus. Hinc est, quod Regius Propheta, ait, Psalm. 61. *Veruntamen Deo, esto subiecta anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea*; loquitur animæ suæ, vt Deo Creatori suo, se subijciat in omnibus, & diuinæ obtemperet voluntati; quoniam ab ipso eius patientia prouenit, & virtutem recipit. Sed quis ambigit, quod à Deo virtus omnis non procedat? an aliqua virtus, bonum, siue donum inuenitur, quod à diuina fortassis bonitate non profluat? siquidem, cum dicat D. Iacobus cap. 1. *Omne donũ perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*; quid igitur necesse erat, vt declararet Dauid, quod patientia sua à Deo procederet? Verum si intimius verborum mysterium scrutamur, comperiemus, peculiari quodam priuilegio, & ratione patientiam nostrã à Deo procedere; quod vt nobis clarum euadat, colligendum est, quod Apost. 1. Cor. cap. 10. intulit, dicẽs; *Petra autem erat Christus*: sed inquiet quis, quomodo Christo nomen petræ adscribitur, tribuitur

Christus ob patientiam vocatur petra.

petra

petra enim res est insensata, muta, sine motu, & vita, qualiter igitur Christus petra? Et quomodo muta, qui mutis loquelam verbo, vt Diuinum Verbũ tribuit? quomodo sine motu, qui primus est motor, & nobis motum præstat? quomodo insensata, qui diuinus est intellectus, qui nos sensu, & mente dotauit? quomodo sine vita, qui vera vita est, vt ipse dixit Io. cap. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*; Et nos ipsi ab ipso, & per ipsum vitã, sensum, motum, & intellectum recepimus, vt D. Dionys. *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus?* Verum Christum petram ego affirmarem, ob eius in patientia, firmitatem, & constantiam, quam nobis hæreditate, exemplo reliquit: petra igitur fuit Christus dicam, muta, quia contra falsos testes ad eorum mendacia reprobanda, falsa dicta retundenda, argumenta deludenda, nullum argumentum obiecit, nullum, Diuinum Verbum, in sui defensam, verbum protulit, sed totum pertulit patienter. Vt Psalm. 37. *Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones; ita vt vehementer*, ait, Marc. 15. *miraretur Pilatus.* Muta, sine motu, dum contra sibi illatas blasphemias, & iniurias, hunc Samaritanum, vini potatorem, demoniacum, & filium fabri vocando, ad vindictam læsus nõ insilijt, vt p. Petr. 2. d. *Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.* Sine sensu petra fuit, dum flagellis excarnificatus, doloris, & impatiẽtię signa non edidit, non contra iniquos ministros, obmurmurans, contra sacrilegos Iudices, inuehens, sed vt ait Is. 53. *Et quasi agnus coram tondente se obmutescit, & non aperuit os suum.* Ecce Christus Petra. *Petra autem erat Christus.* Ab ipso igitur patientia mea, quia ab

Patientia Christi in petræ proprietatibus declaratur.

hac petra Christi, excisi sumus, vnde christiani à Christo vocati sumus, sic ab hac mystica Christi petra, ne degeneremus, patientiam nobis arripere, & retinere debemus. Ad hanc Christi patientiam sequendã, nos inuitans Apost. ait 2. ad Tim. 3. b. *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi*: ædificium enim subsequitur suum fundamentum, cum igitur Christus sit petra fundamentalis Ecclesiæ Sanctæ, vt Apost. 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*; & sancta canit Ecclesia, in dedicatione Ecclesiæ; *Angulare fundamentum lapis Christus missus est*, cum igitur nos super hoc fundamento, mystica petra, quæ vt diximus, Christus est, fundati simus, cum hoc sit fundamentum patientiæ, ergo, & nos tales scilicet patientes à Christo esse debemus, à Christo igitur patiẽtia mea. Quare Glos. in epis. p. ad Cor. 10. super illis verbis; *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*, ait: *Humana tentatio, secundum, quod est tribulatio exterior, multum valet, si est fundata super fundamentum patientiæ.* Hoc enim modo, nullus diabolicæ artis, & tẽporalis aduersitatis ictibus actus, poterit concuti, atteri, iuxta illud Matth. 7. *Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, nec cecidit, fundata enim erat supra firmam petram.* Rursus petra insonantes, & in se irruentes fluctus irridet non perhorescit, quin potius illos infringit, sic Christus in deserto diabolicos in ipsum tentationum insurgentes, vt petra, fluctus elisit; sic nos, vt à petra, Christi educti, à tribulationum vndis acti, non opprimemur, imo à Christi virtute, robur assumemus, has patienter tolerando, ad has superãdas; quare Chrisostomus, hom.

Glos.

Christus petra, fluctus diabolicarũ tentationũ infringit, sic nos &c.

22. ad

Chris. 22. ad populum, ait: *Supra petram statutus est fidelis, propterea, & vndarum ictibus inexpugnabilis est; si enim tentationum vnda eleuata fuerint, ad illius pedes non perueniunt, quia omni tali incursu, sublimior firmatus est*. Quia fundamento fundamentalis petræ, quæ Christus est, firmati, sicut hæc dimoueri non potest, sic nec ab aduersitatibus super hãc petram consolidatæ animæ nostræ consistentes, tentationum fluctibus nõ concutiemur, nedum obruemur. Ab ipso igitur patientia nostra. A Christo igitur, discere debemus patiẽtiam, ab hoc originali patientiæ depromere exemplar, in passionibus nostris, constantiam, fortitudinem seruãdo in aduersitatibus diuinæ manus flagella sustinendo viriliter.

Exhortatio moralis ad patientiam, à Christo exẽplari nostro.

Tristaris, quod graui infirmitate detineris, maximis excruciatus doloribus? perpende Christum, columnę alligatum, ministrorum crudelium flagris cœsum, vndique sacrum cruorem, quod remedium est nostræ redemptionis, copiosè aspersum; & tamen nullum atrocissimæ pœnæ doloris, & impatientiæ signum edidit, imo patienter sustinuit, vt p. Petri 2. dicitur; *Qui cum pateretur non comminabatur*. Sic tu supra hoc petræ angularis fundamentum firmatus, patienter pro amore Christi, in satisfactionem tuorum peccatorum, huiusmodi morbum ferre debes. *A Deo igitur patientia mea*. Dolet fortasse quis, quod à prædonibus pecunia, & bonis alijs temporalibus fuerit expoliatus, vt propterea non possit suis necessitatibus prouidere, eius egẽti familiæ subuenire? recogitet Christum, qui omnibus suis bonis expoliatus, qui omnium, & Vniuersi totius Dominus est, nudus cruci affixus. audi remedium ad hebr. 12. a. ait Apostolus: *Aspicientes in auctorem fidei, & consumatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta*; sic & ipse, pro amore Dei, & pro eius salute discat, exemplo Christi, hanc tribulationis huiusce crucem patienter ferre. *A Deo patientia mea*. Anxiaris, quod quem existimabas amicum, famæ tuæ, & vitæ agnoueris proditorem? cogita Christũ, qui Iudam, quem Apostolum elegerat, sui proditorem agnouit, qui 30. denarijs, totius mundi thesaurum ipsum Saluatorem vendidit, & tamen Christus magis de Iudæ perditione, quam de proditione sui, & vitæ damno doluit; sic tu libenter ad animæ tuæ salutẽ, pro amore Dei talem perfer aduersitatẽ. *Ab ipso patientia mea*. Æquanimiter igitur sustinenda, quæ pro æterna salute nobis eueniunt, comparãda, vt ex Habac. 3. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis*. Vbi D. Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos, ait: *Hic tribulationes, & angustias afflictionesq; animi deprecatur, vt in futuro virorum iam cum Christo regnantium numero adscribatur*. Hieron.

12 Modus itaque facilis patienter ferendi, mentis, & corporis in aduersitatibus molestias, est in flagellis ad memoriam reuocare mala, quæ fecimus, quæ, patienter horum tolerando pœnas, purgamus, & salutem consequimur æternam vt Greg. in registro ait: *Facilis erit consolatio, si inter flagella, quæ patimur, quæ fecimus ad memoriam delicta reuocamus, atque hæc iam non flagella, sed dona esse conspicimus; si qua carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamur*. Et lib. 10. moral. idem Gregorius ait; *Dolor flagelli temperatur, cum culpa cognoscitur*. Hinc Ouid. amor. lib. vlt. eleg. 9. ait.

Greg. Facilis modus ferendi aduersitates.

Greg.

Perfer

Ouid. *Perfer & obdura; dolor hic tibi proderit olim:*

Sæpe tulit lassis, succus amarus opem.

Si pro salute corporis, multa patimur, & quare non pro animæ salute.

Et idem lib. p. de remed. amor. ait, *Vt corpus redimas, ferrum patieris, & ignes*

Arida nec sitiens, ora lauabis aqua.

Imo quãto plus flagella Dei ex animo patienter ad animarum nostrarum purgationem toleramus, tanto maiori diuinæ gratiæ fœnore perennis fœlicitatis vitam, & gloriam lucramur æternam, vt Ioan. 12. dicitur; *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Terrena perdit, cœlestia aquirit, corruptibile in incorruptibile commutans. Seminat in lacrymis, in exultatione metet. Pro temporali pœna, patientia, sempiternam sibi mercatur æternæ beatitudinis mercedem. Vnde Luc. 21. dicitur: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quare Lact. Firm. dist. isti. lib. 3. ait: *Beatus est igitur sapiens in tormentis: sed cum torquetur pro fide, pro iustitia, pro Deo illa patientia doloris beatissimum faciet.* Faciamus igitur de necessitate virtutem, vt prouerbio dicitur; libenter ferendo, quod recusare non possumus, vt virtute patientiæ, pœnarum superemus dolores, vt Seneca lib. morib. ait: *Libenter feras, quod necesse est, dolor patientia uincetur.* Considerando, ad nostri salutem, nobis à Deo flagella præscribi, vt p. Cor. c. 11. ait Apost. *Dum iudicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur;* Super quem locum, ait D. Anselm. *Plectimur aduersitate, infirmitate, uel morte corporis, pro peccatis nostris corripimur à Deo clementer, & emendamur, ut non cum hoc mundo damnemur, hoc est cum alijs peccatoribus mundi.*

Quæ bona ex patiẽtia.

Lact. Firm.

Senec.

Anselm.

13 Hinc est quod Apost. plagis, & flagellis pro Domino hilari vultu occurrebat, hæc omnia patientia superaturus, vt act. 20. *Ecce alligatus ego spiritu, vado Ierusalem*; sed cur Paule relicta Asia Ierusalem pergis? ecce responsio; *quoniam vincula, & tribulationes: Ierosolymis me manent; sed nihil horum vereor.* Sed quid est hoc, quod pœnas, & plagas, quas alij refugiunt Paulus appetat? quia in patientia adeo firmatus erat, vt nihil horum vereretur, pro Domino pati, ad cœlestis gloriæ maius augmentum sibi comparandum: itaque lætantur ad pœnas patientiæ gladio præmunitus, iam tribulationum bello exercitatus victurus accurrebat; quam expositionem confirmans Act. 20. ait Carthus. *Tribulationes Ierosolymis me manent, hoc est me expectant, sicque certus sum reuelatione illarum; quod ibidem ligabor, capusque tenebor; sed nihil horum vereor, formido, quia ad talem iam patientiæ gradum culmenque deueni, vt in omni tribulatione læter ex animo, & inconcussa mente permaneam.*

Apostolus flagellis hilaris occurrebat.

Carthus.

14 Ecclesiastici 6. c. dicitur: *Subijce humerum tuum, & porta illam, & ne accidieris in vinculis eius*: hoc loquendi modo, docet sapiens, qualiter flagella diuinæ manus, & tribulationes, quas patimur, debent ab humili obedientia, & patientia regulari. *Subijce humerum tuum*, hic infertur humilitas patientis, qui debet diuinã manum agnoscere, peccatorem corripientem, & illi subijci: Secundum dictum 1. Petr. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Subijce igitur humerũ; humerus est illa pars corporis, quæ onus sustinere solet, vt de pastore dicitur, qui inuentam ouem super humeros suos, imposuit, ferens ad ouile: hic tangit patientiã

Passiones, patientia sunt regulandæ.

quam

quam habere debemus, in molestijs tribulationum sustinendis; quare Hug. Cardin. hic ait: *Subijce per humilitatem, porta per fortitudinem, subijce per obedientiam, porta per patientiam, & non accidieris in vinculis illius, idest ne grauiter, & tædiosè feras, sed cum hilaritate, imple præcepta sapientiæ*; sic enim huiusmodi tribulationum purgationes, ad animæ salutem conferunt, vt Luc. 21. *In patientia vestra, possidebitis animas vestras.* Hinc est, quod sapiens Ecclesiast. 38. a. ait: *Altissimus de terra creauit medicinam, & vir prudens, non abhorrebit illam.* De terra dicere possumus scilicet de corpore humano, quod de terra eductum est, quod est fons omnium ægritudinum, creauit medicinam, hoc est educit flagella, quæ sunt medicina peccatorum nostrorum, vt Hug. Cardin. in Epist. ad Hebr. 12. ait: *Flagellatio diuina est medicina spiritualis purgans à noxijs, & conseruans in bono.* Quæ medicina nobis ad animæ nostræ purgationem præscribitur; quam vir prudens, non abborrebit, & per consequens patienter feret, quam si non feret prudens non erit, sed stultus, & insipiens, non sapiens. Sicut dicitur Psalm. 91. *Et vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Imò non solum patienter ferre debemus, sed & gaudere, & gloriari spe æternæ beatitudinis, consequendi in patientia præmium. Vt 2. Cor. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vbi* Glos. ait: *cum magna delectatione gaudebo*, quia ex hac sanitate diuinæ gratiæ, quam inde ex hac purgatione consequimur in sortem filiorum Dei adscribimur, vt ad Roman. 5. *Gloriamur in spe filiorum Dei.* Quare Chrisost. epist. 3. ait: *Non solum boni aliquid efficere, sed etiam aliquid mali perpeti, magnam mercedem, atque ampla obtinet præmia.* Virtutes autem, & calamitatum perpessiones, inter se conferamus, vt perspicuum intelligas, non virtutibus solum, sed etiam calamitatibus mercedem esse constitutam. Patiëtissimus idem Iob, quam grauia passus sit, nullus scripturæ peritus dissimulare potest; *Coronis tamen*, ait, Chrisost. lib. 2. de prouid. *Non ideo donatus est, quia passus fuit, verum quia contra aduersa omnia, fortis fuit.* Sancti martyres tanta in tormentorum tolerantia, perfundebantur voluptate, vt in medium ignium flammarum, pœnarum, spontè prosilierint. De Sancta Virgine Apollonia patet, quæ in flammam sibi paratam, pro amore Christi, maiori intus diuini amoris flamma accensa, vltrò prodierit. De Sancto Vincentio martyre quoque legitur, in eius vita, quod *candentis ferri machinam vltrò conscendit, & tortores suos pœna praueniens, moras carnificum arguendo, ad pœnam alacriter properabat.* Et Sanctus quoque Ignatius martyr, tantum abest, vt pęnas horresceret, vt damnatus Leonibus, horum potius feritatem ad eum deuorandum lacesserit, ac stimularit, ipso Imperante Traiano, de illius constantia fortiter obstupescente.

Vide Io: Tauolerium de egeno infirmo, qui se fęlicissimum ducebat, eo quod omnem spem suam in Deo repositam habebat, & à Deo, omnia, quæ patiebatur, ritè agnoscebat, sic libentissimè omnes sustinebat, pęnas.

Marginal notes: Hug. Card. — Hug. Card. — Glos. — Chris. — Chris. Iob nō quia passus, sed quia fortis patientia, coronatus. — S. Apollonia ardore patiendi pro Christo, in flammas iruit. — S. Vincentij martyris fortitudo in pœnis. — S. Ignatius martyr Leones ad sui martyrium stimulat.

Sin minus, contra. tex.

§. VII. Diuinæ manus flagella, quæ à Deo immissa, non agnoscuntur, ad animæ salutem nullatenus conferunt, nec libenter sustinentur.

Pœna non tolerata, principium ad æterna supplicia.

1 SIcut diuini flagelli pharmacum, vitiorum in anima peccantes humores euacuans, ad spiritualis ægri salutem confert, & non ægrè hic sustinet, sic è cõuerso, animæ stomachum per pœnitentiam non purgans, per peccatoris indispositionem voluntariam, tantum abest, vt huic prosit ad salutem, vt illud flagellum potius ægrè sustinens principium sit ad æterna ei ventura supplicia, vt Gregor. 18, mor. cap. 13. qui ait: *omnis diuina percussio, aut purgatio, nobis est vitæ præsentis, aut initium pœnæ sequẽtis.* Ad hanc veritatem confirmandam, huc vocare possumus diuinæ misericordiæ, nec non iustitiæ portenta, Moysem, & Aronem, qui ad Regem Pharaonem à Deo missi fuerant, vt hunc signis, & magnalibus admonerẽt, vt populum Israeliticum in pristinam assereret vindicaretque libertatem: vindicta terrerent, & territum seueritate compescerent. Inter cœtera prodigia, hic modo obseruo, quod Exod. 7.b. ait scriptura: *Tulit Aron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Et quid opus erat tali conuersione, nõ ne satius erat Pharaonem maximè verò in principio eorundem legationis Moysis, & Aronis, placido signo ad pœnitentiam inuitare, quam terrifico, auertere prodigio? cur potius ad miraculi euidentiam, illa virga non germinauit, arida in manu non floruit, non fructus edidit, quam proiectam in terram serpentis formam assumere? Virga, disciplinæ symbolum est, vt prou. 22.c. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam;* Hac, nos erudit Deus, & à vero Cęli tramite deuiantes, per viam salutis nos dirigit, vt Ps. 44. b. *Virga directionis, virga regni tui.* Vel virga, est diuini flagelli figura, vt Psalm. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Modo Deus, vt pius Pater misericordiæ, primò virgam, adhibet, vt à peccatore vitia fugat, ablegat impietatem, auferat iniquitatem, hanc igitur virgam, si iste à Deo Patre, ex amore leniter corripiente, agnoscit, & amice recipit, & patienter tolerat, cõfert, vt diximus ad eiusdem peccatoris salutem, sic virga virescit ad spem, efflorescit ad meritum, & accrescit, & frutescit, ad præmium, vt Es. 11. a. *Et flos de radice eius ascendet*, hoc est flos patientiæ, ex diuini flagelli radice ad augmentum germinabit, vt Apost. ad Roman. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia verò spem;* verum si hæc virga misericordię, qua percutitur peccator benignè à Deo, in terram proijcitur duri peccatoris, qui merè terra, dici potest, tum cum è terra sit eductus, tum cum spiritus in eo non subsistat, quo animatus reddatur ad eius cognitionem culpæ, & diuinæ manus flagelli. vt Ber. lib. p. de consid. ad Eugen. agit de peccatore sub nomine cordis. *Cor durum*, inquit, *quod nec cumpunctione scinditur, nec pietate mollitur, non mouetur precibus, minis non cedit, exemplis non inducitur, beneficijs induratur, flagellis non eruditur, nec Deum timet, nec homines veretur;* hæc virga misericordiæ in terram duri peccatoris cordis proiecta, in virgã rigo-

Greg.

Cur virga Moysis, corã Pharaone, in colubrũ est conuersa.

Ber. Virga disciplinę quomodo in colubrum cõuertitur æternæ damnationis.

rigo-

rigoris, & iustitiæ, in colubrum, in draconem vertitur æternalis imminentis pœnæ. Quare S. Bruno super locum exodi citatum, ait: *Quid per virgam, nisi dulcis correctio Domini designatur? sed hæc virga in draconem vertitur, quando leniter correcti, emendare se nolunt.* Tunc enim placida virga terroris, in virgam conuertitur rigoris, secundum illud, Psalm. 108. *Noluit benedictionem elongabitur ab eo, dilexit maledictionem veniet super eum.* Sic huius virgæ flagella, principium sunt ad æterna supplicia, vt Hug. Card. super Hierem. 5. ait: *Qui per flagella non corriguntur, mutabuntur supplicia, in æternam damnationem.*

Brun.

Hug.

2 Deus vti misericors, & nostræ summè cupidus salutis, vt ab assensu culpæ, cui se peccator dedit, ad sui miserrimi status cognitionem adducat, flagelli diuinæ manus funiculis, sensum indit, iuxta illud Es. 28. c. *Sola vexatio intellectum dabit*, vt per penitentiæ semitas, ad se pertrahat, secundum illud Os. 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Flagella à Deo immissa peccatori, dici possunt, meo iudicio, funiculi, secundum illud 4. reg. 21. c. *Extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, & delebo Ierusalem:* hi funiculi sunt primo aspectu charitatis vincula, quibus Deus nos ex amore deuincit ad salutem, vt à peccato reuocet ad se, per penitentiam trahat, ideo subditur: *In vinculis charitatis.* Vt Tob. 13. a. *Tu flagellas, vt salues*; vt Pater nos percutit, ad emendationem, ne pereamus, vt rigorosum diuinum iudicium effugiamus; vt præceptor nos disciplina coercet ad eruditionẽ, vt à vitijs declinemus, vt Psalm. 17. dicitur: *Et disciplina tua ipsa me docebit*: quare filius prudens, & discipulus obediens, qui à patre, & à præceptore Deo, hæc agnoscit, & benignè recipit flagella, hæc ad sui salutem conducunt, vt Psalm. 2. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.*

Qui sint funiculi Adæ quibus nos Deus ad pęnitentiã trahit.

Et meritò ad peccatoris conuersionem, funiculos adhibet Deus, diuini flagelli; peccator n. per culpam iumenti stolidi conditionem induit, quia in hoc potius sensus, quam ratio præualet, & dominatur, vt diximus cum Dauid Psalm. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Vt iumentum igitur peccator debet funibus alligari, & flagelli diuinę manus funiculis cedi, regi, & domari, vt dicebat Petro Saluator noster, Io. 21. c. *Cum esses iunior, cingebas te, sicut volebas, nunc alius præcinget te, & ducet te, quo tu non vis; significans, qua morte esset moriturus*, ecce diuini flagelli funes; sic peccator, percussus sensum cognitionis recipiens diuino subditur, & paret imperio, vt Psalm. 72. *Vt iumentum factus sum apud te &c.* & Psalm. 72. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me:* vt iumẽtum tale morale poterat censeri Adam, dum peccauit, ac si dicerent animalia vt Gen. 3. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* Hunc igitur pęnæ funiculis scilicet exilij eiecit à Paradiso, exigentia cibi, quem proprijs, & continuis laboribus, sibi comparandum in culpæ pœnam, destinauit, vt Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*; sic in funiculis huiusmodi pęnæ, per pęnitentiæ semitas, in charitatis vinculis, ad se Adam traxit. Sic filios suos peccatores attrahere ad se Deus consueuit: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Verum, quia persæpe peccator, vt iumen-

Peccator diuini flagelli funiculis ceditur, & vincitur, quia peccato, fit vt iumentum.

Qui charitatis non trahitur, vinculis, diuinæ iustitiæ flagellis, animaduertitur.

iumentum indomitum, diuini flagelli funiculum ferre renuit, & refugit, plus se iactat, & seruitutis iugum ex se excutere conatur, nec Dei imperio aquiescit, sed magis in culpa obdurescit, in vitijs, à quibus deberet se auertere, surdescit; frenum; vt indomitus equus, diuini flagelli impatienter mordet, pertinacia; ideo funiculos misericordię, in funiculos iustitiæ Deus conuertit, quibus seuerè peccatorem animaduertit, & sic hæc præsentis vitę flagella, initium sunt ad æterna sibi futura supplicia; vt dici possit illud de peccatore aptè, quod de templi contaminatoribus à Christo, ab eodem templo flagellis, ex illis funiculis, constructis, eliminatis, dicitur, Io: 2. *Et cū fecisset quasi flagellū de funiculis, eiecit omnes de templo.* Quæ flagella, siue funiculi symbolum sunt extremę diuinæ in peccatores, vltionis, vt Ps. 31. *Multa flagella peccatoris.* Et ideo Greg. in moralib. ait: *Quę præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt*, scilicet æterna.

Greg.

Fabula de ranis, sibi regem à Ioue poscētibus.

3 Esopi fabula recensetur, quod ingens ranarum multitudo, in lacu degentium, Ioui supplicabat sibi dari regem: derisit Iupiter vota ranarum, tandem multis harum supplicationibus, vexatus, harum votis satisfacere volens, è cęlo trabem ingentem in Lacum illam demissit: illius moles ingenti fragore, quassans aquam, terret ranas, & paulatim accedentes venerātur, Regem; sed cum nullum inde in eadem trabe motum sensus deprehenderēt, & agnoscerent, hunc ligneum paruipendentes eorum regem, super hunc, & ex hoc insilientes, & desilientes, insultant, & desultant; sic rex iste, iners lusui, est, & contemptui. Lacessunt rursus Iouem, quærentes sibi, alium dari regem, qui strenuior sit; harum rursus votis, annuens Iupiter, statim ciconiam, eis demisit, quæ perstrenuè perambulans paludem, quidquid ranarum obuiam fit, deuorabat, de huius sæuitia ranæ rursus apud Iouem conquestæ sunt; sed frustra, nam quæ regem clementem ferre noluerunt, voluit, vt ferrent inclementem. Fabula hæc mentis nostræ conceptum aperit, in peccatores, qui veluti ranæ, sine intellectu, in mundialium voluptatum palude coaxantes, à Deo placidè diuinæ manus flagellis, vt ad pœnitentiam reuocentur, ceduntur, sed hi, regios tribulationum, & pænarum honores, non agnoscentes, quibus ad regnum cœlorum peruenimus, secūdum illud Act. 14. *Per multas tribulationes oportet introire in regnū Dei*; imò fortassis contemnentes, paruipendentes, pro mici tribulationum suauium rege, quem recusant, & despiciunt; æterni rigoris, & seueritatis regem; qui eorum vitia, & scelera rigorosè vindicet, & puniat, iudicem, experiri coguntur. Ideo ait Oleaster: *Idcirco à Deo flagellamur, vt Deum cognoscamus iratum, quem nolumus cognoscere propitium.* Sic temporalis pœna in supplicij æterni principium cedet. Ideo Hug. Card. super Hierem. 13. ait: *Illorum plaga est pessima, & incurabilis, qui in flagellis Dei non corripiuntur, sed magis indurantur.*

Moralis fabulæ sensus.

Oleast.

Hug Card.

4 Huc, in testimonium nostrum Iulianum illum nequissimum, & perditissimum, mentis suæ inopem, & vitiatæ voluntatis, Apostatam sacrilegum aduocare possumus, qui à Sancti Mercurij, lancea, diuina sententia vulneratus, & cōfossus, sanguinem è vulnere effusum, terræ immixtum assumens, in Cœlum iaciens, in Christum inuehens, dixit; *Vicisti Gallilee*; & vt legit Baronius *Saturare Nazaree*,

Iulianus Apostata, in Christū, quibus verbis insurgat.

quasi diceret, me vt deijceres persecutus es, vicisti, victoria tua est, volubilis Gallilee; quid inde? sitis animam meam: accipe sanguinē, quem è mei, vulnere inflicto, extraxisti, corporis, hoc tantum saturare, hunc bibe, hic tibi sufficiat, non est aliud, quod à me expectes: appetis animam? spe certè frustraris, hāc non habebis, Infernus huius hæres erit, hanc possidebit; demon, Dominus, non tu, huius, Gallileus, erit. Ecce quomodo ex diuinæ manus flagellis, impatiens in iniquitatibus suis obduruit, vt etiam in fine vitæ obstinatus æternaliter perire potius, quam pęnitens se Deo credere, maluerit. Nulla certè maior peccatoris impietas, nulla detestabilior iniquitas inueniri potest, & peruersitas, quam quis flagellis à Deo admonitus ad pœnitentiam, diuinam nolit agnoscere manum, ad salutē, Deum velit despicere Saluatorem, vt Iudicem prouocare ad pœnam, & tandem in morte velit esse peior; iniquitatibus suis sibi maiores obstinatior, ad supplicia æterna, coaceruans pœnas.

Eiusdem Iuliani obstinatio, & damnatio.

Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, quibus conueniat, aut non.
tex.

§. VIII. Prælatus, in spiritualibus Subditorum morbis curandis, regionis, temporis, ætatis, morbi ratione inspecta, pollere debet prudentia.

In spiritualibus morbis curandis quænam cōsideranda.

1 VT opportunum igitur spiritualis medicus afferre, & apponere sciat ægris ad salutē animabus, remedium, ad vitiorū euacuationem, per pęnitentiæ pharmacum, & ad peccatorum curationem diligenti debet obseruatione inniti, diuersas ægrotantiū spiritualium, & morborum naturas inspiciendo, regionis, temporis, ætatis, morborum circumstantiarum ratione habita. Sponsæ suæ amore exardescens, cęlestis sponsus, sui affectus inditia exprimēs, ait Cant. 4. *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui, quam pulchra sunt mamma tua.* Quæ verba diligenti mihi videntur ad rem nostram inquisitione esse examinanda: quomodo inquit cęlestis sponsus, se tantum ab vno sponsæ oculo captum, & vulneratum, cur non ab vtroq; oculo, cum vterque collega, eodem munere indifferēter, ad aspectum fungatur? si amborum oculorum venustatē celebrat, vt Cant. 3. *Oculi tui columbarum, oculi tui ipsi me auolare fecerunt*; quomodo ad partialē vnius oculi laudem, vnum ab altero secernens, se modo conuertit, dicens; ab altero tantum se vulneratum, cū indissolubili inter se officij fędere copulentur: & quare etiam vnius tantum oculi venustate inspecta, ambarum inde mammarum, pulchritudinem extollit, dicens, *Quam pulchra sunt mamma tua?* Cur tantum vnius, sicut, & oculi mentionem non facit, mammæ? singularē fortassis, secundum partem ad difficultatis solutionem, si explicationem afferam, ne me quæso redarguatis; duarum mammarum, & vnius tantū oculi, siue aspectus mētionē facit cęlestis spōsus, quia Prælatus, siue quilibet Superior, in subditorum vitijs moderandis, & spiritualibus morbis curandis, vno oculo, hoc est simplici intuitu, indifferenter subditorum necessitate inspecta, veluti mater solicita, & pia, duas doctrinę, & disciplinæ, pro vt expe-

Cur sponsus ab vno spōsæ tantū oculo, se vulneratio dicit.

Cur vnius oculi laudes, & duarū mammarum, exponit inde pulcritudinem.

Vnus oculus in simplici intuitu in Prælato plures mammę, pro diuersis subditorum necessitatibus.

expedit mammas, non vnam tantum, cum diuersorum spiritualiter ægrorum, diuersa sit natura, vt sponsa, & soror Christi diuerso charitatis, & amoris officio fungens, piè exhibere, & pascere debet ad vitæ moralis sustentationem. Quare Gillib. Abb. serm. 31. in Cant. ait: *Collus vnus dicitur, mammæ plures, quia varia debet esse vberum temperatura, pro suggentium qualitate diuersa.*

Gillib.

2. Vt igitur sciamus, quam Deo charus, & gratus sit, qui sic animarum studio vacat, subditur secundo loco, à quo vulnera cælestis sponsus patiatur. Cant. 4. ibi: vulnerasti cor meum in vno crine colli tui, sed quomodo crinis humilis colli, cor ferit? numquid in lanceam vertitur, vel in gladium acuitur, vt cor vulnerare valeat? quomodo à crine colli petitur sponsi cor, cum nec tam facilè, ille nostris pateat aspectibus? *Crini colli*, ait, Rup. Abb. *hic humilis cogitatus*, crinis igitur stat pro cogitatione, collum est membrum, quod caput membris, & membra capiti coniungit; mysticum igitur caput in Ecclesia sancta, Christus est, vt ait Apost. ad Ephes. 5. b. *Ecclesia caput Christus*, membra autem sumus nos, & fideles, vt ad Rom. 12. b. *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter, alterius membra.* Crinis igitur colli, hoc est simplex cogitatio vniendi corpus siue membra Ecclesiæ sanctæ, cum capite Christo, ista cogitatio, cor Christi amoris iaculo ferit: *Vulnerasti cor meum in vno crine colli tui*; vt Ricard. de S. Victore, hic ait: *Crinem colli vnicam cogitationem intelligit, & pracipuã intentionem, qua, circa conuersionem animarum laboratur, quia sicut collum caput, & membra coniungit, sic ipsa anima collum Christo est, dum animas cõuertere, illiusc coniungere studet*: iste igitur, qui mente reuoluit secum, peccatorum conuersionem, qua membra capiti suo Christo coniungit, iste est soror, & sponsa Christi, sponsa quia fidei annulo Christo desponsatur, soror quia diuinæ obsequitur voluntati, quæ salus animarum est, vt Matth. 12. *Qui fecerit voluntatem patris mei, qui in Cælis est, hic meus frater, soror, & mater est.* Vel soror, & sponsa, diuersa nomina, diuersa quoque munia significant; ideo dicitur. *Inspicere itaq; regionem tempus &c.* Ecce munia, quæ spiritualis medicus, ad animarum salutem procurandam, debet obire.

Quomodo è crine colli sponsæ, se vulneratũ, dicit spõsus.

Rup. Abb.

Simplex cogitatio vniẽdi animas Deo huic maximè grata.

Ricard. de S. Vict.

3 Inspicere debet regionem, in qua spiritualis æger degit, idest statum, & locum in quo peccator peccati morbum contraxit, vbi adhuc peccati occasionis influxus viget, quare si regio noxia fuit ad peccati morbum contrahendum, ex ardore concupiscentiæ, nec fore propitiam ad salutem consequendam censere debemus; integrum igitur peccatori erit, humidam pęnitentiæ regionem, morbo contrariam eligere, vel ab ea, hoc est occasione peccati recedere; quare ne peccati cõtagioso illo morbo Sodomitarum, & Gommorrhaorũ inficeretur Lot, iussit hunc ab illa regione Deus discedere, ne pari delinquentium pęna, & ipse cum eis plecteretur, vt Gen. 19. d. dicitur. *Surge tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Et quia qui decumbit ex se non potest mutare locum, sed ab alijs, ad hoc adiuuatur, sic peccator qui in culpę strato infirmus iacet ad mortem; vt Psal. 118. *Adhæsit pauimento anima mea*, cum nullũ in eo diuinæ gratiæ robur subsistat, necesse est, vt à præuenientis diuinæ gratiæ auxilio ad salutem disponatur, & adiuuetur, quod symbolicè in

Ad salutem ægri peccatoris regio peccati cõsideranda, & qualis sit hæc.

A regione Sodomę prę cipitur Lot discedere ad pœnam effugiendũ.

in eodem Lot declaratur, qui ab illa infami regione exire dissimulans, Angelus apprehendit manum eius, & manum vxoris eius, & duarum filiarum. Hoc idem præcepisse videtur Dominus Abrahę, cui dixit: *Egredere de terra tua, de cognatione tua, de domo patris tui, veni in terram, quam monstrauero tibi.* Gen. 12. a. Sed ad, quid hoc Abrahæ præcipere, cum iam à patria recesserat? & quare sanctum virum hunc exulare, à patria præcipit; si nulla culpa, quippe qui iustus erat, intercedit? & quare exilij pęna Abrahæ infligitur? recesserat quidem à patria Abraham de facto, sed & adhuc desiderio mente ad eandem redire tenebatur, ne igitur peruersis conterraneorum suorum idolatriæ moribus, & studijs contaminaretur, è propria terra sua egredi, nedum corpore, sed & mente præcipitur, quod si viro iusto, ob periculum, quod poterat imminere peccati, exilij indicitur pęna; multò magis, peccatori, qui iam in aliquo loco, culpa deliquit, ab eodem est elongandus, ne in noua dilabatur peccata. Debet igitur Superior locum cõsiderare peccatoris, si est pœnitentiæ, qua salutem consequitur, oppositus, vel idoneus. Vel regionem possumus interpretari locum deliciarum, vt erat terrestris Paradisus Adæ, qui quidem locus, cum esset congruus in statu salutis, scilicet innocentiæ, post lapsum noxius erat, ideo ne peiora prioribus peccata adijceret, è paradiso eiectus est. Genes. 3. *Emisit, eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est.*

Quomodo de terra sua præcipitur Abrahæ discedere &c.

Ab occasione peccati se elõgare debet homo, etiam iustus

Regio pro loco deliciarum à quo Adam eiectus est.

4 Vel secundo regionem pro loco vitiorum intelligere possumus, vt de filio prodigo dicitur Luc. 15. *Peregrè profectus est in regionem longinquam.* Vbi Chrysol. sermon. p. *Abijt longè plus mente, quam loco, vt dato non accepto prætio, misera, se venderet seruituti.* Et D. Ambr. in Luc. 15. *Quid enim longinquius, quam à se recedere, nec regionibus, sed moribus separari?* Quare è regione tenebrarum, & culpæ, discendens, ad lucem inde veritatis, & pęnitentiæ redijt; vt Esaiæ cap. 9. *Habitãtibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*; de qua luce loquens D. Petrus Chrysol. serm. 3. ait *Nisi cælestis Pater, redeuntis filij radiasset in vultu, & totam confusionis suæ caliginem, respectus sui lumine, sustulisset, nunquam diuini vultus, vidisset iste filius, claritatẽ.* E regione peccati igitur redeũti filio, pius accurrit pater, pęnitenti veniam præbet, peccata relaxat; quia, vt ait Chrysol. serm. *Delicta non videt vis amoris.* Ex se veniam sibi impetrat, nam apud patrem non intercedit extraneus, gratia, dulciter amplectitur, quem perditum nouerat culpa: suo adstringit pectori, suo, quem in sinu fouerat, quem à se inde alięnatum nouerat inobedientia; osculatur ad amorem, vt sibi iam contradicentem conciliaret ad pacem: & in filium rursus reciperet, quem se in seruum forè cogitabat mancipatũ. Conuestit stola prima, qui filij nuditatem nequit sustinere; induit illum, qui patrimonium suum luxuriosè viuendo largè prodegerat, & nudus inopia ad patriam, & paternã domum reuertebatur; oppipare excepit conuiuio, quem fames vexabat, qui de siliquis saturari exoptabat; filij rursus nomen recipit, qui serui fungebatur officio, parentum obsequio, & consortio additur, qui porcis conuiuebat. Sed dicam, cur qui patrem consilio despexerat, à patre ad veniam respicitur? cur obsequio complectitur, qui potius pęna erat plectendus? cur domi recipitur, qui potius fuste fuerat domo expellen-

Regio pro loco vitiorũ manifestatur in filio prodigo. Chrysol.

Ambr.

Chrysol.

Chrysol.

Cur inobedientem filium recipit, pater, quem potius à se arcere debebat.

expellendus? cur oſculatur hunc pater, qui ad peccatorum ſuorum confuſionem in faciem erat ad contumeliam expuendus? cur lauto excipitur conuiuio, qui potius ieiunio ad pœnam erat macerandus? cur ſtola prima induit, quem potius duris nexibus vinctum ſuſte debebat nudum animaduertere, & domo expellere? verum quia à peccati, & vitiorum regione diſceſſerat, ad pœnitentiæ regionem conuenerat, dignum forè exiſtimauit pater, vt ad primum honorem ſtatumque reuocaret; quare dixit filius, Luc. 15. *Surgam, & ibo ad patrem meum*, ecce veri pœnitentis ſigna; ideo ait Chryſol. ſer. 2. *Iacebat, qui dixit ſurgam, intellexit lapſum, ſenſit ruinam, iacere ſe turpis luxuria reſpexit in lubrico, & ideo exclamat ſurgam, & ibo ad patrem*. Quare pater, patris officio fungitur, pijſſimi amoris ſui ſigna edit in filium; in amplexus, & oſcula ruens, vt idem Chryſol. ſer. 3. *Cecidit ſuper collum eius, non lapſu viſcerum, ſed compaſſionis; cecidit ſuper collum eius, vt erigeret ſic iacentem; vt amoris onere, onus tolleret peccatorũ*.

Quia è peccati regione venit filius, hunc pater recipit ad veniam.

Chryſol.

5 Inſpicere debet, & tempus. Hoc morale tempus Veris, ideſt pietatis, Indulgentiæ, & Iubilei dici poteſt, ſecundum illud Cant. 2. *Iam imber abijt, & receſſit flores apparuerunt in terra noſtra*: iſti flores ſunt gratiæ, & honoris, vt Eccleſiaſt. 24. *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis*. Cum enim Iubilei, & Indulgentiæ flores vernant, & erumpunt, gratiarum manus copioſè relaxanda; Vel cum tempus hyemis, hoc eſt mortis, & rigoris inſtat; cũ quis in articulo mortis conſtituitur, nec tẽpus ad lõgioris vitæ ſpatiũ ei ſuppeditatur, tunc .n. abſolutionis petenti, & pœnitenti indulgentia non retardanda, ſed promptè impendenda. Duo Sacræ Scripturæ loca ſimul conferenda, modò ad rem noſtram obijciuntur, ſcilicet boni Latronis in cruce Chriſtum aſſociantis, & Cannaneæ pro ſalute filiæ à demone vexatæ, gratiam poſtulantis: ille paradiſi præmium, & mercedem vix exigit, vt Luc. 23. *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum*; & ſtatim exauditur ad gratiam, vt ibidem Luc. 23. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*; Cannanea verò petit, nõ auditur, repetit ſupplicationes, repellitur à gratia; inclamat, inſtat reijcitur: præcatores Apoſtolos adhibet, deſpicitur, & non niſi continua præcum inſtantia fatigatus Chriſtus in fine gratiam concedit, Cannaneam exaudit: vnde dicam ego diuerſitas modi conſecutionis, gratiæ? huius tarditas, & dilatio in Cannanea, promptitudo, & celeritas, in bono latrone? potius hic repellendus erat, qui ob ſua immania ſcelera cruci erat condignè affixus, quam Cannanea, quæ pia, oratione ad Chriſtum acceſſit, orare Deum didicit, & in oratione perſeuerãs, nobis orandi quoque formam, methodumq; reliquit. Quod ſi mihi dicetis, quod latro fide firma fultus, & innixus, Chriſtum, Deum vocans, Luc. 23. *Domine memento mei, dum veneris in regnũ tuum*, paradiſi præmium conſecutus eſt, & hunc Chriſtus ſtatim paradiſi ciuitate donauit, reſpondens *hodie mecum eris in paradiſo*; multò citius exaudienda videbatur Cannanea, quæ longiori, & efficaci oratione, fideliter, Chriſtum Deum, & hominem vocans, pro ſalute filiæ obſeſſæ, gratiam poſtulabat, inſtanter, inceſſanter ſupplicabat, dicens Luc. cap. 18. *Miſerere mihi Domine fili Dauid, filia mea malè à demonio vexatur*. Vnde ergo hæc manat diuerſitas, quod latro vix verbum protulit, petens gratiã, hanc ſtatim

Tempus debet inſpicere Superior. Quale ſit hoc.

Cur Latro bonus in cruce ſtatim exauditur, & Cãnanea niſi ſerò.

Tẽpus miſerẽdi in bono latrone, & in Cãnanea, Christus inſpexit.

eſt aſſecutus; Cannanea verò, niſi ſerò, & poſt longam orationem? niſi quia Chriſtus tempore Iubilei, quo prætioſo ſanguinis ſui prætio captiuas culpa, animas redimebat, ideo benedictionũ ſuarum copioſè gratias effundebat: & quia conſiderabat anguſtum etiam temporis ſpatium latroni, morti proximo ſuppetere, ideo ſtatim, ac petijt diuinę miſericordiæ beneficium eſt aſſecutus; Cannaneæ verò fideliter, & inſtanter oranti, quia huius oratione delectabatur Chriſtus, & tempus ſupererat, ideo expoſtulatæ ſalutis pro filia, gratiæ diſtulit collationem, quare Chryſol. ſer. 60. ait: *Si latro in ipſo momento mortis paradiſum inuaſit; & vitam vobis in articulo temporis, quam quæritis quis negabit?*

Indulgẽtiarum, & Iubilei tẽpus, ad veniam peccatorum obſeruandũ

6 Vel inſpicere debemus ad morbi ſpiritualis curationem, tempus, vtpotè Iubilei, & gratiarum, quo theſauri Eccleſiæ diſpenſantur: opportunus enim, tunc locus eſt pœnitentiam agendi. Vel tempus inſpicere debemus, in ſolemnitatibus Sanctorum, ad horum ſuffragia depoſcenda, & auxilium in noſtris neceſſitatibus, apud diuinã clementiam, implorandum; maximè vero B. Virginis, quæ noſtri Tutellaris, & peccatorum Aduocata exiſtit; cuius potentia, diuinæ iuſtitię à nobis iacula diuertit, & pęnarum fulmina auertuntur. Et quãnam exiſtimare debemus fuiſſe cauſam, vt hæc Sanctiſſima Virgo, tempore meſſiũ, & vindemiæ, naſceretur, & moreretur, ſcilicet menſe Auguſti, & Septembris? Non ne conuenientius fuiſſet, vt filij ſui Redemptoris noſtri natiuitati, & morti conformaretur, vt hyemali tempore, eius Natiuitatis, & mortis ſolemnitas celebraretur? cur ergo tẽpore meſſium, & vindemiæ? nunquid, vt ipſa manifeſtaretur mater

Cur B. Virgo Maria, tẽpore meſſium, & vindemiarum, naſcitur, & moritur.

illius, qui viuus panis eſt, de Cęlo, qui deſcendit; qui in virginalis vteri cęnaculo, Spiritus Sancti manu confectus eſt, & diuini amoris igne excoctus, nobis ad æternæ vitæ ſalutem apponitur: vt Io. 6. dicebat Saluator: *Ego ſum panis viuus, qui de Cælo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum?* vel quia ſub ſpecie vini, ſanguinis ſui ſanctiſſimi nobis ad animarum noſtrarum redemptionem, erat poculum propinaturus? quidquid ſacramenti hoc myſterium inuoluat, B. Petri Damiani ad rem noſtram modò tantum ſenſum aperiam, qui lib. 5. epiſt. 11. exponit, ideo Auguſti, & Septembris temporibus naſci, & mori Beatam Virginem, & tempore colligendorum fructuum, quo, vt forenſibus his negotijs vacare quiſq; liberè poſſit, clauduntur tribunalia, cauſæ litium non ventilantur, litigia dirrimuntur, ſententiæ Iuſdicentium ſuſpenduntur; vt ſciremus, ipſam naſcendo, noſtram aduenisse tutellarem; moriendo in Cęlum conſcendere Aduocatam, quæ noſtri apud Deum cauſas agit, & patrocinatur, ad noſtrarum veniam, & remiſſionem culparum. Quare eius interceſſione meritis, & patrocinio imminentia in nos ſupplicia, pro peccatis, abolentur, pęnarum ſententiæ reuocantur; & diuinæ iuſtitiæ, vt ita dicam, tribunalia clauduntur. Verba D. Petri Damiani: *Legibus cautum eſt, vt tempore meſſium, vel vindemiarum, nequaquam cauſarum litigia ventilẽtur, ne forenſia negotia dirrimantur; & ob id factum eſt, vt Beatiſſima Virgo, his temporibus naſceretur, & moreretur, quia per eius uitam, & mortem, lites, & pœnarum ſupplicia in cælorum tribunalibus pœnè contra nos, extincta fuerunt.* Quare hoc tempus Iubilei, & ſolẽnitatũ Sanctorũ præcipue B. Virg.

Petr. Dam. Quid Beatæ Virg. Mariæ natiuitas, & mors pro nobis operetur.

Mariæ

Mariæ obſeruare debemus, ad noſtrorum, eorum ſuffragio, & patrocinio, veniam, & remiſſionem peccatorum, conſequendam.

7 Inſpicere debet, & ætatem, medicus ad purgationem corporalem inſtituendam; ſic ſpiritualis medicus, ad animæ curationem, ætatem moralem, ſcilicet in morbo ſeneſcentis culpæ, vel accreſcentis, ſeu etiam incipientis, & cui opportunum adeſt, vel deeſt auxilium, ad ſalutis ſpiritualis conſecutionem, aduertere debet. Cum Saluator noſter ad piſcinam acceſſiſſet, vbi ingens languentium multitudo degebat, expectantium aquæ motum, inter cęteros in vnum triginta octo annis languentem, oculos miſericordiæ ſuæ conuertit, quẽ interrogat, Ioan: 5. b. *Vis ſanus fieri?* ſed quare ad hunc triginta, & octo annis in infirmitate decumbẽtem, potius quam ad alios acceſſit ſanaturus, infirmos? cum nullius dicatur exceptator partialis perſonæ? dicerem primò ad hoc, quod cum Chriſtus, vt vniuerſalis præuiſor, & prouiſor, & omnibus opportuna ſufficientia ad ſalutem auxilia præſtet, cum vidiſſet hunc languidum, humanis omnibus deſtitutum auxilijs, vt Io: cap. 5. *Hominem non habeo, ut cum mota fuerit aqua, mittat me in piſcinam*; ſic huic diuina ope, & ſubſidio inter cęteros peculiariter præſto fuit: ſed ſecundò ad rem noſtram aptius dicamus, quod Chriſtus ad huius languidi 38. annorum, peculiariter ſalutem diuertit, quia vt cœleſtis medicus Saluator noſter, qui præcipue temporis ægritudinum ſpiritualium rationẽ habet, vidit hunc languentem longa temporis infirmitate detentum, vt clarè ex textu Io: 5. patet vbi dicitur: *Hunc cum uidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quod multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri?* ecce quomodo ex maiori tẽporis longitudine languidi paſſionis, motus miſericordia, ad ſalutem ſubuenit, vt potè difficilior curatio, quę ſupremam Chriſti exigeret poteſtatem, requireret virtutem. Vel poſſumus dicere cum D. Athan. hom. de ſemente: *Diuturnus ideo hic morbus fuit, ut Iudei inde conuincerẽtur, ſi enim breuis illa ægrotatio fuiſſet, latuiſſet uis miraculi.*

Medicus inſpicere debet ætatem quæ ſit iſta.

Cur Chriſtus ad languidum triginta, & octo annorum ſanaturus, præcipuè accedit.

8 Marci 9. habetur, quod quidam filium habens ab imundo ſpiritu obſeſſum, hunc pro curatione, & ſalute ad Apoſtolos adduxit, qui illius cupidi ſalutis, exorciſmo, & pręcibus curæ inſiſtentes, vt dęmonem expellerent, horum dæmon poteſtatem, & imperium ſpernens, abire ab obſeſſo neglexit; quod pius, & filij ſui anxius ſalutis cernens, pater; ad noſtræ ſalutis auctorem, Saluatorem noſtrum, detulit filium; qui Saluator effrenem ſuo dæmonem compeſcuit imperio, & ab obſeſſo inde abegit corpore; ſed prius patrem eius ait tex. Marc. c. 9. *Interrogauit, quantum temporis eſt, ex quo hoc accidit ei: at ille ait, ab infantia.* Sed quomodo temporis auctor, paſſionis tempus requirit? quomodo ille, qui cum Patre diuina pollet ſcientia, ad quem temporum ſpectat cognitio, vt Act. p. a. dicitur: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate:* ille inquam, qui æternitate, quæ omne tempus ambit, continet, & abſorbet, circum cingitur, & menſuratur, quem omnium temporum momenta minimè latent, vt Iob 24. *Ab Omnipotente, non ſunt abſcondita tempora*, de tempore hominẽm interrogat? morborum tempus requirit? ſed vlterius dicam, & quare Apoſtoli dęmonem illum expellere non potuerunt, nunquid poteſtas talis

Apoſtoli demoniacum curare non potuerunt.

Inuaſus à demone, adducitur ad Chriſtũ, qui de tempore, patrem interrogat.

sufficiens à Christo collata est? Horum quæso, si libet priuilegia, & diplomata parùper inspiciamus; quæ apud Matthæum in eius Euangeliorum archiuio reperiūtur, Matth. 10. a. vbi legitur sic: *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*; Et infra ibi, clariùs Christi verba referuntur, quæ sunt: *Euntes autem prædicate, dicentes, quia appropinquabit regnum Cælorum; Infirmos curate; mortuos suscitate; leprosos mundate; dæmones eijcite.* Ecce potestas eijciendi dæmones, & quare dæmonem hunc expellere non potuerunt? quare Dæmon hic, horum irridet imperium Apostolorū? deludit potestatem, spernit facultatem, præceptis non paret, & horum detrectat obtemperare mandatis? sed dicamus quod Christus *de tempore interrogat*, ait, Chrysol. ser. 51. *Non vt nesciens, sed vt sciens, nescientibus prodat.* Et quid est hoc, quod prodere intendit Saluator, de tempore interrogando Dæmoniaci illius? vt omnibus aperiret quāta sit difficultas inueterati morbi scilicet culpæ, dæmonem ab anima expellere: ait enim Chris. hom. 40. in Acta, & 33. in Matth. *Dæmon pessimus peccatum est*; ad quem expellendum Apostolica manus nō sufficere videtur, licet miraculorum priuilegio dotata, quæcunque horum non præualet potestas, vt propterea diuinum ipsum necesse sit imperium interuenire, intercedere potentiam. Vt Lir. Marc. 9. *Interrogauit patrem eius, non ex ignorantia, sed ut ex responsione patris, appareret omnibus diuturnitas passionis, & difficultas curationis.* Similiter dicere possumus ob eandem causam dæmonem non potuisse Apostolos eijcere.

Chrysol.

Chris. De tempore interrogat Christus, vt morbi diuturnitas, & dificilis curatio prodatur.

Lir.

9 Morbum denique inspicere debemus, naturam videlicet cōditionem, & qualitatem peccati: diuersitas enim peccatorum, diuersa quoque pænitentiæ requirit remedia, ad animæ curationem. Obseruo igitur primò, quod 4. reg. cap. 5. nobis sacra enarrat scriptura, de illo Principe Naaman, scilicet militiæ regis, qui erat vir fortis, & diues, sed leprosus; huic præcepit Heliſęus, vt si à lepra mundari cuperet, septies in Iordane se lauaret, ait, tex. 4. reg. 5. c. *Vade, & lauare septies, in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Obseruo secūdo in nouo testamento, quod gessit Christus, quando cæcum à natiuitate illuminauit, postquam collyrium fecit, siuè lutū ex sputo, & liniuit oculos cæci, huic subdit, Io. 9. a. *Vade lauare in natatoria Syloe.* Modo si libet hæc duo veteris, & noui testamenti miracula, ab Heliſęo, & Christo patrata, in Naaman, & cæcum, simul parumper conferamus; in lepra mundanda, & in cæcitate fuganda; cur Propheta septies in Iordanis aqua lauari, & immergi iussit Naaman, semel tantum in Natatoria Syloe, cæcum, præcepit Christus? numquid maior sanandi virtus in Natatoria Syloe, quam in Iordane existeret? cum vtrobique tantum diuinæ potentiæ virtus refulgeret, non aquæ, vt D. Th. in Cat. Aur. super Io. 9. loquens de aqua Natatoriæ Syloe, ait: *Multi enim lauantes ibi oculos, nullo tali beneficio sunt potiti.* Dicamus ergo, quod lepra, & cæcitas peccatum significat; cæcitas à natiuitate significare censerem peccatum, quod ex naturæ imbecillitate, & fragilitate manat, vel peccatum, quod ex primo parente originem duxit, vt Aug. tract. 44. in Io. *Genus enim*, ait, *humanum, est iste cæcus: hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum,* de quo

Morbi qualitas considerāda pec. catis.

De Naamā ab Heliſęo, & de cæco à Christo sanato, differentia ostēditur.

Cur Naamā septies lauandus, semel tantum cæcus.

D. Thom.

August.

Cæcitas peccatum fragilitatis.

de quo omnes originem duximus. Ad hanc igitur cæcitatem originalis culpæ, ſiuè humanæ fragilitatis fugandam, ſimplex baptiſmi, vel pœnitentiæ Syloe vnda ſufficit; lepra verò, quæ contagioſus morbus eſt, ſignificat peccati inueteratam conſuetudinem in malitia ſumma fundatam, vt innuere videtur D. Remig. apud D. Th. in Cat. Aur. ſuper Matth. 8. *Per leproſum*, inquit, *deſignatur peccator; nam peccatum immundam, & variam animam facit; qui ante Chriſtum procidit, quādo de priſtinis peccatis confunditur*. Ad huius igitur myſtici Naaman curationē ſeptiformis diuinæ gratiæ curatio requiritur; ideò præcepit Heliſeus, vt ſepties Iordanis aquæ ad curationē immergeretur, lepræ; diuerſa enim peccata, varias expoſtulant curationes.

& originale; lepra peccatum inueteratum ſignificat.

Remig.

10 Ad pleniorem intelligentiā, & abundantiorem doctrinam, pro dictorum confirmatione, recolamus quæſo, adoleſcentis illius viduæ, & Lazari demortuorum reſurrectionem. Adoleſcentem ad ſepulturā delatum, loculi ſimplici tactu, verbis his, Luc. cap. 7. *Adoleſcens tibi dico ſurge*, ad vitam Chriſtus reuocauit: Pro Lazari verò reſurrectione Chriſtus, ad illius ſepulchrum perexit, à quo reuolui iuſſit lapidē, dicens Io: 11. *Tollite lapidem*, & ipſe Chriſtus turbatus, lacrymatus eſt, vt Io: 11. d. *Ieſus infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum, & lacrymatus eſt*. Et inde alta voce eum vocans, ad vitam reuocauit, Io: 11. *Voce magna clamauit; Lazare veni foras; & ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus*. Sed dicam ego, cur in huius reſurrectione, tot pietatis officia præſtitit, tot ſubijt labores, tot ſuſtinuit, & ipſe paſſiones, vt in lacrymas erumperet Chriſtus? tot miniſtrantium officia adhibuit? cur nō ſimplici voce, & tactu ſepulchri, Lazarum, ſicut adoleſcentem à mortuis excitauit? ſi nullius exceptator perſonæ, vt Rom. 2. dicitur: *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum*, ſi vtriuſque miſericordia motus, vtrumque excitauit ad vitam, cur modi diſparitas obſeruatur? Adoleſcentem mortuum peccati fragilitatem libenter deſignari, & adumbrari crediderim; facilè enim adoleſcentium natura, vti ad malum ex ſe prona, in culpam labitur, & in peccati corruit interitum, hinc eſt quod Iob. 13. c. dicebat Deo: *Scribis contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ*; Ac ſi lubricam adoleſcentulæ fragilis ætatis naturam obijcere vellet. Quare D. Th. in hunc locum Iob. 13. lect. 2. ait: *Homo in iuuentute comparatur herbæ virenti, ſed in ſenectute comparatur, quaſi ſtipulæ ſiccæ*. Virens enim herba citò tranſit, ac languet, vt Pſalm. 89. c. *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat*. Sicca verò ſtipula, igni diſpoſita, eſt intelligenda inueterata peccati conſuetudo, infernalis ignis pœnæ adaptata: Adoleſcens igitur mortuus peccatum, quod ex ætatis fragilitate commiſſum, ac propterea, vt minus damnabile, ſeu culpabile cenſerem, quare ſimplici diuinæ manus tactu, diuinæ miſericordiæ contactu, per lignum crucis, videlicet paſſionis Chriſti, diuinæ præuenictis gratiæ, voce præcedente, ad ſpiritualem animæ reſurrectionem reuocatur, ad ſalutis æternæ vitam reducitur; Lazarus verò quatriduanus, peccatoris figuram defert, qui in inueteratæ vitioſe conſuetudinis ſepulchro delitescit, cordis ſui duritie tumulatus, ligatas manus, & pedes habet, qui à bonis totaliter operationibus vacat, otio putreſcit, lapide obſtinationis ob-

Adoleſcentis, & Lazari differentia, reſurrectionis à Chriſto.

Cur adoleſcentis facilis, & Lazari laborioſa Chriſto reſurrectio.

Adoleſcētis mors peccati fragilitatē deſignat.

D. Thom.

Lazarus quatriduanus inueteratum peccatorem figurat.

tectus, in spelunca latronum infernalium degens, & miserè iacens, à conscientiæ vermibus incessanter corrosus: hic, sanè diuinæ omnipotentiæ potentem manum eflagitat, à peccati sepulchro ad vitam immortalem gratiæ, vt resurgat, & ita, à diuinæ pietatis oculis pr̨e commiseratione lacrymas excussit, alta, ad vitam ex cæcitatis, scilicet diuinæ gratiæ, voce, morte dum reuocat, Io: 11. *Voce magna clamat Lazare veni foras*; vt audiat surdescens in peccato, sordescens in vitijs, & habitu malo defunctus, quatriduanus, vt resurgat, vt Chrysol. serm. 65. *Fremit spiritus, vt caro reuiuiscat: fremit vita, vt mors fugetur: fremit Deus, vt resurgat homo: fremit indulgentia, ne sententia contradicat: fremit Christus debellans mortem*. Et benè etiam, & singulariter conceptum nostrum, sua sententia ad confirmationem, obsignat, D. Aug. super Ps. 67. *Qui educit vinctos in fortitudine*, ait: *Nam singularis quadam Dei gratia, & fortitudo requiritur, vt huiusmodi peccatores ad vitam redeant; & fortassis ad huius rei difficultatem designandam, cum Christus Dominus suscitauit Lazarum ligatum, & positum in sepulchro, lacrymatus est, & infremuit in semetipso, & facta prius oratione, voce magna clamauit, Lazare veni foras*.

Chrysol.

August.

11 *In quibus conueniat, aut non.* tex. medicus spiritualis, sicut, & corporalis, debet supradicta regionis, temporis, ætatis, & morbi, sicut exposuimus, considerare, vt sciat, quibus spiritualis purgationis remedia conueniant, & competant, nec ne. Duo Christi facta, sicut omnia eius admiranda sunt opera ad rem pr̨esentem opportuna mihi examinanda, & consideranda, obijciuntur; primum est, dum è Cælo Saulum ad se vocat, vt in Prædicatorem, Persequtore Christianorum conuerteret; secundum est, quando turbis, eum in horto Gethsemeni ad perdendum quærentibus, respondit, vt Io: 18. *Ego sum*. Dum enim Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, & sanguinem Sanctorum, sine intermissione sitiret, & horum, quos odio prosequebatur acerrimo, persecutioni vacaret, & insisteret; diuina circumfulsus luce, in terram cadēs, vt Act. 9. 2. *Audiuit vocem dicentem sibi Saule, Saule quid me persequeris? qui dixit, quis es Domine? & ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris*: Turbis autem ad Christum accedentibus in horto, vt vinctum ducerent, cum quærentibus, respondit: *Ego sum*. Io: 18. cur istis, non respondit, sicut & Saulo: *Ego sum Iesus*, sed tantum dixit *Ego sum*? non ne vtrique persequtionis Christi, & Christi in membris suis æqualis erat causa? non ne idem est Iesus, qui à turbis, sicut, & à Saulo, insidijs petabatur, & quem perdere, vterque molliebatur? ità profectò; & quare Saulo respondetur *Ego sum Iesus*, & turbis tantum dicitur *Ego sum*, Iesus nomine tacito? Videndum est, *quibus conueniat, & quibus non*. Saulus è tenebris gentilitatis, luce diuina affulsus, ad lucem gratiæ efficaciter vocatus, salutem quærit, & Saluatorem, dum Christum fide fultus, Dominum fatetur; dicens Act. 9. *Domine quis es?* ideò huic, Iesus nomen, qui salutem præsefert proditur, dicens, *Ego sum Iesus*, qui dicitur Saluator; vt illum ad salutem adduceret, appositè Iesus respondit. Turbis verò scelere obstinatis, Christum prodere, & perdere, hunc ligare, & inde crucifigere quærentibus, quæ nec signis, nec miraculis terrebantur, & Saluatorem odio prosequebantur, Salutis earum, quod est Iesus reticetur

Diuersis morbis spiritualib' diuersa etiam remedia applicanda.

Cur varia responsio Christi Saulo, & turbis.

cetur nomen; ideò tantum reſpondetur *Ego ſum*, non autem *Ego ſum Ieſus*. Dixerunt ſe quærere Ieſum, non Saluatorem, ſed eum tantum, qui Ieſus denominatur, ideo his tãtum dixit. *Ego ſum*. Sicut, & Pharaoni, corde obdurato, Deus per Moyſem innoteſcere voluit, dicens, Exod. 3. c. *Ego ſum, qui ſum. Qui eſt, miſit me ad vos*; vt non Dominum pietatis, quem fide agnoſcere, & fateri recuſabant, ſed Iudicem, & Dominatorem, quem vltrò negabant, coactè, & inuitè, experirentur ad pœnam. Iſti enim Iudei, è materiali luce facium, & luminum, inter ſacrilegij tenebras volutabantur, Saulus verò, è tenebris gentilitatis ad lucem veritatis, qua affulſus erat, cadens in terram, poſtmodum conuolabat; illi vt ad mortem Chriſtum raperent, feſtinabant; iſte vt à Chriſto raperetur ad vitam, accurrebat: illi vt Chriſtum cruci affigerent; hic vt Chriſti ſtigmata, ſuo in corpore gereret, vt ipſe Paulus dicebat, ad Galat. 6. g. *Ego ſtigmata Ieſu in corpore meo porto*: Illi vt blaſphemarent, iſte, quem blaſphemauerat, vt prædicaret, Saluatorem; Illi vt Chriſti Ieſus ſanguinem crucifixione, & paſſione huius, effunderent, iſte, vt Vas electionis eſſet, qui Chriſti nomen per totum orbem terrarum veheret prædicatione, vt Act. 9. c. *Vas electionis mihi eſt iſte, vt portet nomen meum, coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael*; Ideo meritò huic, non illis, Ego ſum Ieſus, reſpondetur. Secundum, quod ait Hypocrates: Inſpicere itaque debet, *in quibus conueniat, aut non*.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS

LIBER PRIMVS.

Aphorismus tertius.

Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo consliterint; neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere; quum vero non quiescant, neque possunt in melius proficere, reliquum est igitur, vt decidant in deterius. His de caussis bonum habitum, statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremum ducendæ: periculosum enim: sed qualis natura fuerit, eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic, & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ. Et rursus refectiones, quæ extremæ fuerint, periculosæ. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

EGIT in antecedenti aphorismo Hippocrates de euacuandorum qualitate, nunc verò in præsenti, & in sequentibus, vt ait Galenus, agit de eorumdem humorum quantitate, ab immodica repletione, & euacuatione initio sumpto. Vel vt placuit Ioanni Marinello Physico peritissimo, in præsenti differit, qualis debeat esse ista euacuatio, & hoc in genere, deinde dat modos, quibus ostendit, quomodo moderata esse debeat; & hoc in Athletis exemplificat. *Habitus exercitatorum.* tex. Qualis esse debeat huiusmodi euacuatio, nempè moderata, exemplo exercitatorum, seu athletarum declarat, qui per totam vitam in gymnasticis exercitijs versati, nullū habent aliud studium, nisi vt alios supplantent, & deijciant, ad quod assequendum, carnis molem corpori adijcere, cum studeant, humorum copiam quoque accumulant: Hi enim apparatus, sunt ad abundantem totius corporis nutritionem; & cum vasa sint cibo, & potu supramodum repleta, periculum est, ne aut ipsa vasa repentè rumpantur, aut natiuus suffocetur, aut extinguatur calor; & ratio id suadet, quę talis est, quia natura semper operatur concoctionem alimenti, distributionem in sanguinem, mutationem, adiectionem; agglutinationem, & assimilationem; cum igitur hæc omnia semper moliatur, cum

Galen.

Io: Marinel.

Medicina corporalis.

De qualitate euacuationis, quæ moderata esse debet, exéplo athletarum.

Quid natura semper moliatur.

corpus

Corpus nimis repletũ, suffocationis periculo subiacet.

corpus repletum manet, ità vt nihil solidis partibus adijci possit, & refertę venæ, non habeant iam, quo distributum alimentum recipiant, tunc periculum est, ne aut vas aliquod corporis rumpatur, vel suffocato calore natiuo, mors repentina sequatur; quare expedit statim, & sine mora illam pleniorem habitudinem, per euacuationem soluere, vt corpus iterum possit enutriri. *Neque compressiones ad extremum ducendæ.* Hęc est secunda pars huius aphorismi in qua concludit, quod compressiones ad extremum non sunt ducendæ *idest*, vt ait Sanctorius hic: *Non esse euacuandum vsque ad deliquium.* Ratio est, quia omne nimiũ est inimicum naturæ: *secunda enim valetudo*, ait Arist. in par.p. prob.2. *Mediocritas quædam est*: sic vasorum inanitio, debet esse moderata; immoderatio enim si tendit altius, facit redundantiam, & quæ descendit efficit defectum: isti enim excessus immutant corporis temperiem; dum hęc minuitur disponitur ad morbum; dum corrumpitur, fit morbus; dum destruitur, mors sequitur: compressiones igitur extremæ, & non moderatæ, erunt periculosæ; propterea, quia non ad tale ducunt, qualis natura fuerit eius, qui debet perferre Sic euacuationes, siuè inanitiones ob eandem causam, quę modum non habent, & ad extremum deducunt, sunt periculosę. Eodem modo etiã dicendum est de refectionibus, siuè repletionibus extremis; omnes enim periculosæ. Diximus in præcedenti aphorismo, & nos moraliter in purgatione spirituali animæ, videlicet ægri peccatoris, attendẽdam esse euacuationem, nõ secundum quantitatem simpliciter pœnitentiæ, siue quorumcunque operum pœnalium, sed pręcipuè secundum qualitatem, nempè charitatis,

Compressiones ad extremũ, quod non sint ducendæ.

Sanctor.

Arist.

Euacuationes, sicut repletiones extremæ, omnes periculosæ.

Ordo medicinę spiritualis.

maximè si noxij vitiorum humores euacuentur, vti exposuimus: Item in secunda eiusdem aphorismi parte, egimus de modo huius moralis euacuationis, qualiter scilicet Medicus spiritualis, siuè quilibet Prælatus, & Superior gerere se debeat, in pœnitentiæ dieta, spiritualique purgatione, ægro peccatori præscribenda, debitis, scilicet regionis, temporis, ætatis, & morbi, vt declarauimus circumstantijs, obseruatis. In pręsenti verò aphorismo, qui est tertius in ordine, agimus de euacuandorum quantitate, per pœnitentiæ dietã, siuè per spirituale operum pęnalium pharmacum, & qualis debeat esse huiusmodi culparum euacuatio, ratione pœnitentiæ, quæ moderata, ęgri peccatoris viribus proportionata, & non excedens est statuenda, & decernenda; ac propterea ab immoderata vitiorum repletione habituati peccatoris initiũ ducemus, quantum hæc periculosa sit, ostendentes. *Habitus exercitatorum. Habitus*, ait D. Th. p. p. q. 83. a. 2. c. & quæst. 49. p. c. *est secundum quem ad aliquid nos habemus benè, vel malè.* Habitus igitur exercitatorum potest intelligi, tum de illis qui se benè in bonis operibus exercuerunt; vt Psal. 118. dicitur: *In mandatis tuis exercebor*; tum de illis, qui se vitiorum exercitio manciparunt, vt Gen. 50. *Obsecro vt obliuiscaris scelerum fratrũ tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te*: de hoc igitur habitu malo in præsenti noster instituitur sermo exercitatorum, seu moralium Athletarum, scilicet Peccatorum scelestissimorum, qui ad summum iniquitatum culmen, deuenerunt, iuxta illud p. reg. 20. *Scitò quia completa est malitia eius*; sicut etiam de illis, fœdissimo scelere, inquinatis, dicitur Genes. 8. *Clamor Sodomorũ Gomorrheorum multipli-*

Medicina spiritualis Quid sit habitus.

Morales athletæ, qui dicantur.

Status Peccatoris, ad extremũ vitiorum, qui deuenit, maximè periculosus.

multiplicatus est, & peccatũ eorum aggrauatum est nimis. Habitus igitur iste malus peccatorum, qui in turpi effrenatarum suarum cupiditatum Gymnastica euexia, & in vitiorum studio vltrò, & diù se exercuerunt, & molem maximam criminum coaceruauerunt, & adijecerunt animæ suæ, vt proximum supplantarent, deijcerent ad culpam, deciperent ad pęnam, & sternerent ad supplicium; habitus iste, seu peccatoris status, est maximè ad repentinum diuinæ iustitiæ interitum periculosus; nam cum amplius vitiorum cibo nutriri non possit illius sensus, caro, & voluntas peruersa, qui se in omni peccatorum genere exercuit, vt dicere possit, illud Esdr. 9. b.: *Iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque in Cælum:* vt etiam Psalm. 37. dicitur *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum;* vbi Hug. Card. ait: *Superauerunt rationem, videlicet, quantum ad numerum, quia multæ, & quantum ad locum, quia vsque ad Cælum ascenderunt, & quantum ad dominium, quia me in seruitutem redegerunt;* ita vt dici possit ex hac peruersi habitus plenitudine, quod Ps. 72. habetur: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis;* Necesse est, vt lacessita diuina iustitia, ex summa bonitate contempta, Peccatorum vasa, ad ęternum frangantur interitum, iuxta illud Rom. 9. *Vasa iræ apta in interitum,* & supernis flagellis, dirumpantur ad pœnam, vt Ps. 2. *Tanquam vas figuli cõfringes eos;* & sic inde peccatoris repentina mors sequatur, vt Ps. 9. *In operibus manuum suarum, comprehensus est peccator.* Et Iob. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Vbi Greg. 15. mor. cap. 19. ait: *Potest in puncto hic intelligi, quod sapè hi, qui in iniquitate diù tolerati sunt, subita morte rapiuntur, vt nec flere ante mortem liceat, quæ peccauerunt.*

Hug. Card.

Greg.

Quare habitum illum malum vitiorum, & iniquitatum insuperabilem plenitudinẽ, statim per pœnitentiæ pharmacum, soluere necesse est; ne diuini flagelli repentina peccator rapiatur morte; iuxta illud S. Ecclesiæ pium consilium, dicentis: *Emẽdemus in melius, quæ ignoranter peccauimus, ne præoccupati die mortis, quæramus spatium temporis, & inuenire non possimus.* Sic malus iste habitus vitiorum per pœnitentiæ pharmacum, statim est euacuandus, vt cœlestibus diuinæ gratiæ edulijs, in Ecclesiæ sanctæ mensa, per sacros ministros, dispositis, possit denuò anima spiritualiter enutriri; ideò benè D. August. inquit: *Vas es, sed plenus es; effunde, quod habes, vt recipias, quòd non habes; effundas amorem seculi; vt implearis amore Dei. Neq; enim compressiones ad extremum ducẽdæ.* tex. Hic, qualis debeat esse per pœnitentiæ pharmacum, euacuatio, habitus vitiorum, ostendit; quod scilicet moderata, vt secundum vires pœnitentis fiat, vt vitia reprimantur, sensus mortificetur, non caro extinguatur, ne verificetur illud Matth. 23. *Aligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt super humeros hominum.* Compressiones istæ, possunt intelligi super excedentes diuitiæ, quæ ad animæ purgationem eleemosynis in pauperes erogando euacuantur, vt Tob. 9. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam;* vel diuitiæ, & res malæ ablatæ, quæ restitutione sunt euacuandæ, vt Iob. 20. *Diuitias quas deuorauit, euomet;* hoc est, vt ait D. Th. hic, *Quas rapaciter acquisiuit.*

Vitiorũ habitũ, statim soluere expedit, pœnitẽtiæ pharmaco.

S. Ecclesia.

August.

Enutriẽdus gratia, peccati humorem, prius debet pęnitentia, euacuare, noxium.

D Thom.

Moralis, quæcunque euacuatio p pœnitentiã, moderata requiritur.

exemplo Zachæi, qui dicebat Christo, Luc. 19. *Ecce Domine dimidiũ bonorum meorum de pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*: sed ista euacuatio moralis, per eleemosynarum elargitionem, siuè per restitutionem male ablati, debet pœnitentis viribus accommodari, vt scilicet, sit moderata, in eo, quo factus est ditior, vt primus status seruetur, in quo erat peccator, quando se illicitis lucris dedit, ne propter restitutionem ipse inde emendicare cogatur, vt communiter Doctores, *Sic, & euacuationes, quæ ad extremum ducunt periculosæ*. Istę euacuationes possũt dici pœnitentiæ, sicut quæcunque opera pœnalia, quibus vitiorum noxij humores, quomodocunque euacuantur, vt Act. 3. c. *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra*. Et 1, Cor. 12. *Cum factus sum vir, euacuaui, quæ erant paruuli*; ac si dicere vellet, statim, ac virtutum limen attigi, foras exclusi à me mũdi inania, seculiq; vanitates, quod est propriũ puerorum. Huiusmodi igitur euacuationes ad extremum deducẽdæ non sunt; omne enim nimium, naturæ inimicum est, cum virtus in medio consistat, & extrema vitiosa reddãtur; cum igitur à medio declinat, in vitium vertitur virtus, vt liberalitas, quæ virtus est, & moderatio quędã, dum tendit altius, facit redundantiam vitiosam, nempè prodigalitatem, si ad oppositum extremũ propendit, per defectum, auaritiam generat. Euacuationes igitur morales pęnitentię ad extremum deducendæ non sunt; vti supra diximus, ne vires pœnitentis excedant, vt etiam ad Rom. 12. dicitur; *Rationabile sit obsequium vestrum*, vbi D. Hieronimus, ait: *Omne opus bonum, tunc placet Deo, si rationabile fiat*. Et rursus refectiones quæ extremæ fuerint periculosæ. Hæ refectiones possunt intelligi ad literam physicę, hoc est cibus, potusq; ad naturę sustentationem, ordinata, quæ in crapulas, & ebrietates inde deflectunt, & consequenter in vitium, & culpam maximam, cum à mediocritate recedunt, & ad extremitatem declinant; quare ratione corporis, & animæ, corporalis scilicet, & spiritualis valetudinis periculosæ sunt. Vel moraliter potest intelligi pro immoderatis animi, & sensus refectionibus, diuitiarum rapacitate, quibus insatiabiliter reficitur auarus; vt p. Cor. 4. 6. *Iam saturati estis, iam diuites facti estis*. Hæ enim omnes, tum physicę, tum morales refectiones, quæ extremæ fuerint, corpori, & animę peccatoris periculosæ euadunt. Chrysol. ser. 4. ait: *Sicut ventorum turbines elementa confundunt, sic fercula congesta, stomachum conturbant: Vt nauẽ fluctus, corpus ebrietas, sic demergit: hominem dat in profundum, lucra vitæ aufert; mortis facit sibi re naufragium*. Ex quibus omnibus opportunos paragrophos exhaurimus.

Hieron.

Quæcunque siuè physicæ, siuè morales refectiones, debent esse moderatæ.

Chrysol.

Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingũt, periculosi tex.

§. I. Quam periculosus sit status peccatoris, qui ad summum vitiorum, & flagitiorum culmen deuenit, ne à diuina iustitia repentè abripiatur, ad mortem.

His de causis, bonum habitum, statim soluere, expedit tex.

§. II. Vt ab imminenti

æternæ mortis periculo inueteratus euadat peccator, statim, & sine mora, contractum vitiorum habitum, debet pœnitentia soluere.

Vt corpus, rursus nutriri incipiat. tex.

§. III. Vt habituatus peccator, denuò possit spiritualibus diuinæ gratiæ edulijs enutriri, noxios inueterati habitus, & sensualium affectuum humores, salubri debet pœnitentiæ pharmaco, euacuare.

Neque compressiones, ad extremum ducendæ, (periculosum enim,) sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, hoc ducere conuenit. tex.

§. IV. Qualiter morales animæ purgationes, ad extremum non sint ducendæ, sed pœnitentis viribus, commensurandæ.

Sic, & euacuationes, quæ ad extremũ ducunt, periculosæ. tex.

§. V. Quæcunque pietatis opera, ad animæ salutem ordinata, discretionis trutina examinanda.

Et rursus refectiones, quæ extremæ fuerint, periculosæ. tex.

§. VI. Refectiones, tam physicæ, quam morales, quæ modum excedunt, corpori, & animæ valdè perniciosæ.

Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi. tex.

§. I. Quam periculosus sit status peccatoris, qui ad summum vitiorum, & flagitiorum culmen deuenit, ne à diuina iustitia repentè abripiatur, ad mortem.

1 PRæsentis thematis sensum, ferè ad literam, ex sacris paginis, de athletis nos arripere, & desumere posse videtur, Genesis 6. vbi à Moyse recensetur, quod in prima mundi ætate, *erant gigantes super terram*; sed priùs quam hoc diceret, in eodem textu ibi, quædam præcedunt minæ diuinæ indignationis, & cominationis in peccatorem, dum dicitur à Deo Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*; deinde sequitur textus: *Gigantes erant super terram*; subsequitur præterea querela de hominum malitia, & nequitia peccatorum, quare debitis hos supplicijs animaduertere decernit, ideò subditur Gen. ibi: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore; & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit hominem, quem creaui à facie terræ*; sed dicam ego si à peccatorum culpis excitatus Deus, hos flagellis cedere intendebat, quid necesse erat, vt Moyses referret, quod gigantes erant super terram? quid ad rem?

Athletæ, quomodo gigantes in vitijs, diffusè declaratur.

ad remissi homines altæ, vel breuioris staturæ essent; staturæ enim non est imputandum peccatum; cum naturæ opus merè sit: & in naturalibus, nec meremur, nec demeremur; tum cum peccatum, malitiæ, & voluntatis viciatæ, sit actus, nullo modo, qualitati corporis naturali, adscribendum; sic non vt gigantes, sed vt peccatores pœna plectendi erant; cur ergo cōmemorat Moyses, quod tunc gigantes essent super terram, à quibus inde comminatio, & pœna subsequitur? Non casu hoc à Moyse dictum, aut mysterio vacare censendum, cum hoc scriptura recenseat, quæ à Spiritu Sancto est dictata, & ducta, & cum ad Rom. 15. a. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Gigantes hic, non tantum physicè, sed moraliter præcipuè intelliguntur, non tantum proceres, & statura magni, vt erant, sed moraliter ob grandia scelera vt explicat Glosa interlinealis: *Erant immanes corpore, superbi viribus, inconditi moribus*: vnde *gigantes filij terræ dicuntur, in hebreo cadẽtes*, vt Hug. Card. hic: *Gigantes à ge, quod est terra, per quos rectè significantur amatores terrenorum, quare vera dicũtur cadentes*; quantumcunque enim isti ascendunt in oculis mundi, magis cadunt in conspectu Dei, vt Esai. 26. *Terram gigantum detrahes in ruinam*, & etiã Liranus hic ait: *Gigantes robusti viribus, incompositi moribus*. Quare sequitur, isti sunt potentes &c. hoc est vt idem Liran. explicat: *Ab antiquo viri famosi, scilicet malæ famæ, quia raptores, & luxuriosi*; quare subditur in sacro text. Gen. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore &c.*: ecce quomodo intelliguntur Gigantes, qui in malitia prius pubescentes; in peccatorum consensu præcrebescentes, in actionibus peccaminosis adolescẽtes, in vitiorum consuetudine cuirescentes, & in malo habitu consenescentes, in hoc tandem ad gigantea m vitiorũ altitudinem, magnitudinemque deuenerunt; quia magnam peccatorum molem animæ eorum, sibi coaceruauerunt; vt Ps. 40. dicitur: *Cor eius congregauit iniquitatem sibi*; ideò subditur ibi Gen 6.: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*: ecce habitus moralis exercitatorum vt diximus cum Hippocrate; ideò status huius periculosus; quare inquit Deus Gen. 6. *Delebo hominem quem creaui à facie terræ*. Hos igitur gigantes describens S. Chrisostomus, hom. 22. in Gen. *Gigantes autem erant, &c.* ait: *Vide quomodo singula, quæ dicuntur peccatorum ostendunt magnitudinem, quia enim in genere dixit, quod multa malitia esset in terra, subdit, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum &c.: magna huius verbi emphasis est, non inquit aliqua cogitatio, vt diuerteret, quandoque ad alium, sed omnis cogitatio eorum, & verba cogitatio eorum, multum habent momenti, non enim ex surreptione hoc illis accidit, sed in corde cogitant, & hac per singulas horas volunt, & neque semel, & iterum, aut fortuitu à malitia sibi temperant, sed diligenter ea exercent.*

Gigantes non physicè, sed moraliter, non statura, sed peruersis moribus.

Glos.

Lir.

Peccatores quomodo gigantes euadant.

Chris.

2 Vt hunc moralium gigantum, vitiorum plenitudinem, & horumdem imminens periculum æternæ mortis à diuina iustitia comminatum dignoscamus; notemus quid sequitur, Gen. 6. *Videns Deus, quod multa malitia hominũ esset in terra*, &, vt diximus, subdit periculũ imminentis pœnæ, ideo ait Deus: *Delebo hominem, quem creaui à facie terræ*; & sententiam damnationis innuit

Quomodo moraliũ horum gigantũm, sit periculosus status, ex diuina iustitia.

inuit, dum Noe admonuit, & huic praecepit ad diluuium instans, & de proximè futurum, euadendum, vt saluti propriae, & familię suae consuleret, arcam sibi construere; quare dixit Gen. 6. *Venit finis vniuersae carnis*, quasi diceret, inquit, D. Chris. hom. 24. in Gen.: *Magnam ostendi longanimitatem, volens hūc inferre pœnam, sed quia peccatorum multitudo in hoc tēpus eos adduxit, finem his imponere oportet, ne vlterius progrediantur*: magnitudo, & multitudo peccatorum diuinam iustitiam prouocat ad iram, ad vindictam lacessit, irritat ad pœnam, stimulat ad supplicium; quare cum D. Chrisostomus, beneficia à Deo peccatori collata, retulisset, qui tanta Dei benignitate abusus, semper Deum offendendo, qui peccata ob pęnitētiam dissimulabat, in maiora scelera ille corruebat, peiora prioribus addedo, necesse erat, ne diuinae iustitiae praeiudicaret, vt ad condignas meritis, iam comminatas, peccatori infligendo pœnas deueniret; vti Chris. hom. 22. in Gen. super illa verba, delebo hominem, quē creaui, quasi diceret, ait: *Quae mei erant officij exhibui: ex nihilo illum produxi, naturae illius scientiam indidi, liberum arbitrium donaui, ineffabili longanimitate vsus sum, & post longum illud tempus, & post indignationem, & minas, quas dixi, aliud praefiniui tempus, vt peccata sua sentiret, & quia sic nihil proficit, cogit necessitas, vt minas meas opere compleam*. Ecce statum periculosum aeternae mortis.

Chris.

Gigantea moles, idest multitudo iniquitatū, diuinam iustitiā lacessit ad pœnam.

Chris.

3 Ex Ps. 54. ait psalmista: *Veniat mors super illos, & descendant ad Infernum viuentes*; *vt de Core, Dathan, & Abiron factum est*, ait D. Hieronimus hic: *Et simul venit ignis, & mortui fuerunt, & terra absorbuit eos viuos*; vt Num. 16. patet. Sed cur tantus indignationis rigor, tam seuerae vltionis imprecatio? cum alioquin hoc malum potius, sua debebat Dauid oratione diuertere, amouere deprecatione; ait enim Apost. 2. Cor. 5. *Charitas Christi vrget nos?* sed ad haec Lir. hic, respondet, quod, *Non zelo vindictae, sed zelo diuinae iustitiae, hoc dixit*. Sed iterum quaero, cur petit diuinae iustitiae ius exequi, cum potius hanc retardare deberet, spe poenitentiae, vt à culpa, & ab inferni euaderet, poenis? vt Exod. 32. g. Moyses fecit, qui se Deo pro Israelitico populo, oratione opposuit, dicens: *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui*: Sed huius imprecationis causam, & difficultatis solutionem audite: Addidit Propheta rationem, cur hoc dicat, & subdit eodem psalmo: *Quoniam nequitiae in habitaculis eorum, in medio ipsorum*; idest, vt ait D. Hieronim. hic: *Etenim tam opere, quam cogitatione pleni sunt*; ecce habitus vitiorū plenitudinem; vult igitur inferre Propheta, quod cum ad hanc vitiorum plenitudinē, & malorum operum vltimum complementum deuenerint, reliquum est, vt cum vlterius progredi in malum non possint, in aeternum prolabantur interitum, ideo ait Ps. cit.: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes*; quia nulla pœnitentiae spes supponitur, nulla salutis, vbi dura obstinationis peccatoris catena deuincit.

Hieron.

Cur Dauid, super peccatores mortem precatur.

Lir.

Hieron.

Vitiorū plenitudo, diuinam iustitiam ad infligēda supplicia, prouocat.

4 Ad hanc moralem sacrilegam giganteam plenitudinem, ad extremam criminum magnitudinem, quò vlterius progredi non potest, ad quam, nec Infernus ipse, nec omnes simul dæmoniaci, vnquam peruenire poterunt, deuenit, scelestissimus ille, omnibus seculis deplorandus Apostolus; melius dicerē Apostatam, Iudas scilicet Iscariotes, dum magistrum suum, ingratus

Ad summã plenitudinẽ scelerũ Iudas deuenit, Ecce gigas diabolicus.

gratus discipulus, Dominum infidelis seruus, misericordiarum Patrem, seruus, & impius filius, Christum Dominum, animarum nostrarum, & gloriæ thesaurum, infernalis mercator, triginta denariorum prætio, Iudeis vendidit, ad mortem damnandum, prodidit, tradidit; vti Chrisostom. hom. 29. in Matth. ait: *Quando enim omnes simul Demoniaci tantum facinoris committet, quantum Iudas solus commisit, qui ad extremam iniquitatem, turpi pecuniarum ardore deuectus est.* Ecce moralem mali habitus plenitudinem, & giganteam, secundum grauitatem peccati altitudinem: ad hanc quid sequitur, ecce repentinæ mortis periculum, & euidens subitaneus casus, ecce repentè corporis vasa confracta, & animæ æternus subsecutus interitus; à diabolo suasus, desperatione ductus, ad arborem ipse met vltrò illaqueatus, & suspensus vitã miserrimè finiuit: *Et abiens laqueo se suspendit* Matt. 27. & Act. p. *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*; ecce repentina mors, & vasorum confractio, & licet quadam, vt dicitur pœnitentia ductus, triginta acceptos retulerit argenteos, à Dæmone tamen, & peccato excæcatus, ad æternæ mortis laqueum properauit, quare Euseb. Emiss. *Infelix Iuda ad viam salutis redire cœpisti, sed diabolus, qui te ad tradendum Magistrum, & Dominum inuitauit, ipse tibi, vt te occideres consilium dedit.*

Chris.

Repentinus interitus Iudæ sequitur.

Euseb. Em.

5 Refert Cardanus lib. 11. de varier. cap. 52. de quodam homine Symeone nomine, cognomine Turco, natione Lucense, qui arte, & ingenio, quandam construxit, & efformauit sedem, in qua aliquis dum sedebat, quædam intus latentia ferrea instrumenta prodibant, & erumpebant, quæ ità sedentem nexibus constringebant, vt ab hac amplius dimoueri, nedum assurgere valeret; qua quidẽ sede ad vindictam in quendam sibi inimicum Ioannẽ Baptistam nomine, vt hunc ab humanis eriperet, est vsus: dissimulato igitur odio, quo eum prosequebatur, & inimicitia, hunc proditorio animo ad quodam viridatium delicijs affluens, inuitauit, & adduxit, cui sedem huiusmodi artificiosam præparatam, ad quiescendum in morte præbuit, in qua cum ille sedisset, statim illa ferrea instrumenta eruperunt, quibus firmiter, & fortiter constrictus, tantum abest, vt assurgere denuò potuerit, vt immotus remanserit, in quem Symeon ille proditor, ira exardescens, antiquum renouans, & euomẽs odium, sibi ab eodem illati vulneris memoriam refricans, in hunc ad vindictã insilijt, & cum contumelijs acriter hunc affecisset prius; multis inde vulneribus confossum, crudeliter necauit; qui tamen occisor secundum illud Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladiũ, gladio peribunt*, & Sap. 11. *per quæ peccat quis, per hæc, & torquetur*, à iustitiæ cultoribus deprehẽsus ad mortem similem adiudicatus, in eadem sede depositus, ac alius Perillus in Tauro æneo multis tormentis examinatus, & excruciatus, debitas mortis pœnas pariter, & ipse luit. Huiusmodi sedem, vitiorum plenum habitum, vti diximus, liceat nuncupare, quam sibi peccator diabolica edoctus arte, malitiosè construit, & dolosè efformat, in qua, dum quis per diutinã moram peruersæ voluntatis sedet contra illud vt Ps. p. *Et in cathedra pestilentiæ non sedet*, ferrea obstinationis, ita instrumenta prodeunt, quæ infælicem sessorem peccatorẽ, ita acriter, & duriter constringunt, vt ab eadem culparum, & vitiorum sede, ad bona opera assurgere, & ad pœ-

Cardan.

Artificialis sedes, à quodã constructa, ad inimici sui mortẽ

Artificialis sedes, est habitus vitiosus, ad peccatoris mortem.

Auguſt. ad pœnitentiam proſilire, haud poſſibile videatur, quare Aug. 6. confeſſ. *Suſpirabam*, inquit, *ligatus, nō ferreo alieno ſed mea ferrea voluntate: Velle meum, tenebat inimicus meus, & inde funes mihi fecerat, ex peruerſa enim voluntate facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas, quibus annulis ſibimet annexis, tenebat me ſtrictè, dura ſeruitus*. In hac ſede atrociſſimi illius ſacrilegij cœdis Saluatoris noſtri ſederunt, Iudei; vnde obſtinati in impietate ad fidem aſſurgere, non poſſibile fuit; quare Auguſt. tract. 30. in Io: ait: *Viderunt enim* (inquit, ſcilicet Iudei) *ſe ingenti crimine impietatis adſtrictos, quando illum occiderunt, quem venerari, & adorare debuerant*: ecce peruerſitatis ſedes, in qua imobiles ſederūt, vnde mirum non eſt, ſi ſic obſtinationis nexibus deuincti, ad pœnitentiam aſſurgere non valuerunt, ſecundum illud D. Gregor. lib. 24. moral. qui ait: *Vſitata culpa, obligat mentem, vt nunquam ſurgere poſſit ad rectitudinem, conatur, & labitur*: Quare & in eadem ſede iniquitatis, in qua Deum grauiter delinquēdo, offendit, ab eodem pœna plectitur, vt in obduratione ſuarum culparum moriatur, & ipſe peccator, vt Auguſt. ſer. 3. de Innocent. *Hac animaduerſione percutitur peccator, vt moriēs obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei*.

Auguſt.

D. Gregor.

Auguſt.

Cōſilio Dauidis, ab hac ſede declinandum.

6 Ideo appoſitè ad rem noſtram ſubdit Propheta pſal. 1. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit*. Hic, omnes peccatoris tangit, ſtatus, à quibus iuſtus declinat; notemus verba, *abijt, ſtetit, ſedit*; *Abijt*, eſt peccatorum conſortium adire, vbi boni corrumpuntur mores, & in vitia eorundem corruunt, ac deflectunt; beatus igitur ille, qui ab his ſe elongat, & diuertit; *ſtare*, dicit aliquam morulam in peccato, quæ via eſt ad conſuetudinem, ſic Beatus, qui in via peccatorum non ſtetit, qui ſcilicet peccās, ſtatim à peccato, huius deformitate cognita, recipiſcit, & ad gratiam per pœnitentiam aſſurgit: ſed nota, quod non dixit in via peccatorum ambulauit: *hoc quippē*, ait D. Hieron. hic, Pſalm. 1. *impoſſibile eſt; quia nullus abſque peccato, nec ſi vnius quidem horæ, fuerit vita eius*, ſed dicit ſedit, ecce ſedem, quam diximus; ſedes enim dicitur à ſedendo, ille igitur in cathedra ſedet, qui quieſcit, & diù in peccato, & vitiorum habitu obſtinatè perſeuerat: qui enim ſtat, incommodè manet, & per modum tranſeuntis, & animo diſcedendi, manet; verum qui in cathedra ſedet, ibi per modum permanentis eſt. Hæc igitur cathedra peccatoris inueteratū deſignat habitum malum, à quo mors æterna inde dimanat. Ideo hic habitus dicitur peſtilentiæ cathedra, quia ſicut, qui tangit, quod peſte infectum eſt, illicò eodem ſimul contagio inficitur, & perit, ſic qui in vitiorum habitus peſtilētiæ cathedra manet, æternæ mortis indubitanter ſubiacet periculo: Vel cum Hug. Card. hic dicere poſſumus. *Quod peſtilentia* (*inquit*) *eſt herbarum corruptio, quæ totam gregem paſcētem corrumpit, & contaminat*: modo dico ego, peccator per culpam, iumenti naturam, & conditionem moraliter ſortitur, vt pſalm. 48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit comparatus eſt iumentis inſipientibus* &c. quia magis ſenſualitas, à qua vinci vult, quam ratio, cui non paret, in eo præualet; ſi igitur peccator, fit modo dicto, iumentum, vt Nabucdonoſor herbam comedēs venenoſam peccati, qua corruptus, & infectus

D. Hieronymi ſentētia, quod nullus ſine peccato

Quomodo quis in hac ſede ſedeat.

Habitus vitiorum, cathedra peſtilentiæ.

Hug. Card.

fectus æternaliter peribit. Ecce cathedra pestilentię, in qua malè habituatus, sedens, perit. Vel eum Glos. interlin. dicere possumus, quæ sic habet: *Pestilentia est morbus, qui omnes ferè inuadit*, cum igitur peccatum sit animæ morbus, qui mortem infert, in peccato meritò inueteratus, in hac pestilentiæ cathedra consistens, ac si venenum hausisset, mortem sibi consiscet; vt Ezec. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*.

Glos. interl.

Peccator in hac pestilẽtiæ cathedra sedet, & moritur.

7 Huius pestilentiæ cathedræ mali habitus Demonis arte confictę, & constructę, à qua ita facilè sedens dimoueri non potest, nedum resurgere, figuram habemus in visione illius mulieris sedentis in amphora, cuius os massa plumbea occlusum erat, quæ visio Zachariæ ostensa est, vt ibidem cap. 5. de qua Ambr. super Ps. p. ait: *Vnde iniquitas in plũbeo talento sedet, eo quod, fixa in peccato, sit ab eo separari non possit, etenim inueterati in errore, & studiosè in flagitijs inhærentes, sedere dicuntur*. In hac pestilentiæ cathedra sedens peccator, meritò diuinæ iustitiæ iaculum, quo ad æternam confoditur mortem, in se irritat, & sua intorquet malitia, vt Iacob. p. dicitur: *Peccatum cum consumatum fuerit generat mortem*. Quid est peccatum consumatum? consumatum dicitur aliquid, quod ad finem peruenit, quod ad finem deuenit, est in vltimo termino, hic vltimus terminus est illius peccatoris, qui in vitijs inueteratus, ad summam vitiorum plenitudinẽ peruenit, sic.n. peccatum ex consuetudine dicitur consumatum, vt ait hic Hug. Card. *Consumatum per consuetudinẽ generat mortem*. Sed inquies nunquid consensus, & opus non sunt mortalia, sicut, & consuetudo? quare ergo dicit tantum de consuetudine, quod hæc generat mortem? sed ad hæc idem respondet Hug. *Quia*, inquit, *peccatum, quando tractum est in consuetudinem, iam quasi nulla spes est, aut parua de reditu: sed in alijs habet homo adhuc signa vitæ quam plura, quando peccatum adhuc latet in cogitatione, pauciora verò, quando prolatum est in opere*. Et notandum, quod ait Apostolus, quod peccatum tractum in consuetudinem generat mortem; vtitur hoc verbo *generat*, quia sicut ad generationem multi requiruntur menses, non enim conceptionem statim, & immediatè sequitur generatio, sed multò post, sic quia, vt ait Phylosophus in lib. prædicamẽt. *Ex frequentatis actibus fit habitus*, mortis æternæ generatio, ex inueterato plurium peccatorum prosilit habitu, consuetudineque dimanat.

Figura huius cathedræ mulier sedẽs in amphora plũbea.

Ambr.

In hac cathedra sedens, dimoueri nõ potest.

Hug. Card.

obiectio.

Hug. Card.

Siquodlibet peccatũ generat mortem, quomodo illud cõsuetudinis prçcipuè dicitur generare mortẽ.

Quomodo dicitur peccatum generari.

Arist.

8 Sed dices, quomodo à peccato consumato mors generari potest, cum generatio morti opponatur? generatio, ait D. Th. p. p. quæst. 27. a. 2. *Est mutatio de non, esse ad esse*, mors verò de esse, ad non esse, dicitur, quia est priuatio vitæ; quomodo igitur terminus generationis, qui debet esse aliquod positiuum, & vitæ, erit non ens, vt potè mors? quomodo ergo mors poterit generari? mihi videtur posse ad difficultatis solutionem respondere, quod ex nõ ente non potest dici, quod ens generetur, si ad illud commune proloquium recurramus, scilicet, *Quod ex nihilo, nihil fit*, scilicet naturaliter; nam alioqui diuina potentia ex nihilo, omnia produxit ad esse, vt ex creationis essentia patet, quæ vt ait D. Th. *Est productio ex nihilo*. Sed dicam quod peccator ex nihilo, quod est peccatum, secundum illud D. Aug. Io: 16. qui ait: *Peccatum est nihil, & nihil homines fiunt, dum peccant*, quia tendunt ad non esse, idest ad deficere, quippe qui

D. Thom.

Quomodo peccatũ, quod est animæ mors, generari dicatur

Aug.

ex nihilo sunt educti, ad esse, nihil fit, mors videlicet generatur animę, quæ est non esse gratię, & æternæ vitæ priuatio. Vel tendunt ad non esse, quia priuatus gratiæ vita simpliciter, non potest dici, quod habeat esse, quod est à Deo, à quo peccato recessit, sic recedens à vita, mortem incurrit, ecce mors, quæ generatur, quæ est hoc non esse. Sed attendamus ad Apostoli dictũ, Iacob. p. *Peccatum cum consumatũ fuerit generat mortem*; intelligendum est de peccato, quo ad vltimum gradum, inueteratæ videlicet peruersæ consuetudinis deuenit, tunc enim verè dicitur peccatum consumatum, nam tunc non amplius dicit tendentiam ad nihil, vt dicit, & intelligit D. August. dum ait: *Et homines fiunt nihil dum peccant*; notate illud verbum, *fiunt*, quod dicit tendentiam ad nihil; verum consumato per malam consuetudinem peccato, iam ad nihilum simpliciter deuenit, iam nihil est amplius, ad quod tendat, cum ad summum nihil deuenerit, quod est peccatum consumatum, secundum illud Ps. 14. b. *Ad nihilum deductus est in cõspectu eius malignus.* Ex quo nihilo, mors inde subsequetur animæ, quæ secundum Aristotelem: *Est vltimum terribilium.* Quod quidem confirmari potest; ex illo Philosophorum communi dicto, *Quod corruptio optimi est pessima*; cum igitur peccatum maximè malæ consuetudinis, totaliter bonum gratię tollat, meritò ex hac corruptione sequitur, quod pessimum est, mors videlicet animæ, quæ vltimum animæ terribilium dici potest. Ecce ergo quomodo *peccatum cum consumatum fuerit generat mortem. Consumatum*, ait Hug. Card. *per consuetudinem generat mortem gehennæ*. Et Glos. interlin. *Peractum, & in consuetudinem mala vita productum*; sic enim mortem generat; quare D. Augustinus lib. 5. homil. 42. ait: *Noli dare consentionis amplexum, ne plangas partum, quia si consentis, concipis, nondum times peccatum? time, quò perducit peccatum; dulce est peccatum, sed amara mors.* Quæ mors dici potest quodamodo ens, quæ mortuos Deo, continuò pascit ad mortem, vt Ps. 48. *Sicut oues in Inferno positi sunt, mors depascet eos.*

(Marginal notes: August. — Hug. Card. — Glos. — August.)

9 De hac plenitudine morali, & vitiorum compressione, & inueterato peccati habitu, & spiritualis animæ suffocationis, seu repentinæ mortis periculo, loqui videtur, Patientissimus, Iob 21, his verbis: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Inferna descendunt.* Pro istis bonis, temporales prosperitates intelligit hic, D. Th. dicens: *Ducunt in bonis dies suos, omnes dies suos in prosperitate peragunt*; vel sensus voluptates intelligi possunt, vt crapulæ, & ebrietates, de quibus dicebant illius primi seculi amatores mundi, Sap. 2. *Edamus, & bibamus, cras enim moriemur*; Vel carnis lenocinia, vt ibid. *Nullũ sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Et denique mundi quæcunque vanitates, vt Sap. ibidem. *Coronemus nos rosis, antequã marcescant*; quibus omnibus vacabat diues ille, & superbus Epulo, de quo dicitur, Luc. 16. *Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè*; ecce quomodo ducebat in bonis dies suos, dũ dicitur *quotidiè epulabatur*, & huic petenti ab Abraham per Lazarum, aquæ gutta refrigerari, meritò responsum est Luc. 16. *Recepisti bona in vita tua*; sed quod peius est: *Et in puncto ad inferna descendunt*; cum molem magnam peccatorum animæ suæ adiecerint, ecce repentinæ æternæ mortis periculum superue-

(Marginal notes: D. Th. — Quomodo in bonis dicitur peccator ducere dies suos. — Ad cumulũ culparũ, repentinus sequitur animæ interitus.)

peruueniens, vnde subditur: *Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno.* Quia vt ait Psalmista Ps. 77. *Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cū festinatione*, postquam sensualium voluptatū superfluis saginati sunt escis, vitia vitijs accumulātes, ecce moralis suffocationis repētinus interitus, ideo subditur: *& in puncto ad Inferna descendunt.* Sed quid sibi vult hoc dicere in puncto? punctum est illud, cuius pars nulla est, quod indiuisibile est, quod nulla temporis mensura dimetiri potest, sed benè peccatorum interitus in malo habitu inueteratorum, erit instans, punctū, in quo nullum temporis spatium, ad pœnitentiam, pro eorum peccatis peragendam, eis suppeditabitur. Ideo D. Greg. l. 15. mor. cap. 19. ait: *Potest in puncto hoc, intelligi, quod sæpe hi, qui in iniquitate diù tolerati sunt, subita morte rapiantur, vt nec flere, ante mortem liceat, quæ peccauerunt.*

Quomodo in puncto, quod est indiuisibile, fit descēsus peccatoris, ad Infernum.

Greg.

10 Ad huius expositionis sensum, huc, aduocare possemus similitudinem de puero, vt videri assolet, qui auiculam tenui oblungo filo nexam præ manibus tenet, hanc relaxat, & ad terram demittit, quæ sibi escas aliquas, & grana colligit, & carpit ad cibum, quibus aliquantulum pasta, libertatem sibi nactam persuadens, alas expandit, ad fugam contēdit; verum fili altera extremitate manibus à puero retenta, dum fugam carpit auis, puer filum ad se trahit, & auiculam rursus in manum suam retrotrahit. Auicula hæc dici potest peccator, qui à fraudulento diaboli Aucupe, sugestionis apparētis boni grano illectus, culpæ laqueis irretitur, & capitur, à quibus nos ereptos fuisse, gratulabatur Dauid, dicens 123. *Anima nostra, sicut passer erepta est, de laqueo venantium.* Sic igitur capta in manibus diaboli degit, & in huius potestate manet; nam, si dicitur Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt*; sic ex opposito impiorum animæ, in manu diaboli degunt; hanc peccatoris moralem auiculam, diabolus, peccati filo nexam tenet, secundum illud prou. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Et D. Hieron. super psal. 9. ait: *Vnusquisque peccans secum portat funes, vincula, tormenta, vnde sustinet mala*; oblongum est hoc iniquitatis filum, ob longam peccati consuetudinem, siue habitum, quod multis actuum contorsionibus conficitur, nam habitus ex frequentatis actibus dicitur generari; hanc igitur sic nexam peccatoris auiculam, diabolus parum dimittit, & relaxat, vt per amænos sensualium campos voluptatum delicietur, secundum illud psalm. 80: *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum*; iniquitatum, & vitiorum vndequaque suo grata sensui, grana carpit ad cibum, vel potius colligit ad pœnam; sensualium voluptatum escas edit, vt Sap. 2. diximus: *Nullū sit pratū, quod nō pertranseat luxuria nostra*: & ibidem: *Coronemus nos rosis antequam marcescant*, cum nulla aduersitatum, aut diuinæ iustitiæ pœna, & animaduersione præmatur, ab hac, se immunem forè credit: verū cum malæ consuetudinis, & obstinationis, peruersæ voluntatis filo à diabolo fallaci aucupe, continuò retineatur, vt August. 6. confess.: *Velle meū tenebat inimicus*, & ibidem: *quibusdam annulis sibi met annexis, tenebat me strictè, dura seruitus*: dum mentis suæ alis pœnitentiæ volatu, tempore mortis ad Cœlum cogitat, & contendit (si tamen contendit, qui cæcus culpa, & spiritualibus diuinę gratiæ infirmus est viribus) ecce à diabolico aucupe,

Exemplum pueri, auiculam præ manibus tenentis.

Hieron.

Peccator, vt auicula, obstinationis filo nexa, in manum diaboli in morte reducitur

August.

eupe, obstinationis filo in manũ suã de repente retrotrahitur, & ad inferni miseram inde reducitur caueam: *Et sic in puncto ad inferna descendunt: Vt nec flere* (ait Gregor. loc. cit.) *ante mortem liceat, quæ peccauerunt*.

Greg.

11 Ex ipsis arborum fructibus moralis huiusce nostri Aphorismi sensum, & confirmationis argumẽtum, desumere possumus. Prouerbium tritum est: pirum, seu pomum diù maturitate coctum, ex se decidere, quam sentẽtiam Marc. Tull. in Cat. Mai. arripere videtur, qui ait: *Sicut poma ex arboribus, si cruda sint, vi euelluntur, si matura, ex se decidunt; sic vitam adolescentibus, vis aufert, senibus maturitas*. Huiusmodi pomum, nobis moraliter hominem possumus adumbrare, naturæ fructum, in terrestri Ecclesiæ Sanctæ Paradiso, à Domino plãtatum, vt fructum sapidissimum proferret meritorum, ad æternam gloriam, pro qua conditus est homo, consequendam. Vt Genes. p. *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum*. Primo igitur in charitate germinat in sanctarum artium disciplina, pullulat, in virtutum studio, in diuinæ scientiæ apprehensione efflorescit; in sanctorum operum augmento, succrescit, in bona fama in proximorum exemplum suauem virtutum edit odorem; maturescit per meritum, & tandem ad maturitatem redactum, per virtutum, & sanctorũ operum complementum, per perfectæ vitæ consumationem; morti inde cedens, naturæ debitum persoluit, quia vt ad Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori*; tunc decidit ad terram, qui in terram est reuersurus; decidit in morte, vt resurgat ad vitam, corruit, sed non colliditur, nam: *Dominus supponit manum suam*, in qua seruantur illesæ iustorum animę, vt Sap. 3. *Iustorum enim animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ*; & vt sciamus, quod verè non moriuntur, sed obdormiunt in Domino iusti, subditur: *Visi sunt oculis insipientium mori*; insipientes sunt, qui iustos mori affirmant, cum in morte temporali ad æternã transeant vitam; ideo sequitur: *Illi autem sunt in pace*; quare iustorum fructus cũ in manu Dei esse dicantur, cum in morte à temporalis vitæ arbore decidunt, non in terram corruunt, vt collidantur ad pęnam, sed à diuinæ misericordiæ manu, sustinentur ad præmium. Verum peccator de quo præsens instituitur sermo, pomum hoc quoque dici potest, quod, vitiorum, & mali habitus maturitas, aufert ad mortem, quod ad æternæ pœnæ terram, vel potius ad huius centrum, quod, est infernus, decidit. Pomum quidem naturę fructus, sed acerbum malitia, abominabile Deo culpæ germine, vt Leuit. 19. *Poma, quæ germinant immũda erũt*; Acerbum dicam, quia ex sterili vitiatæ naturæ planta, seu terra primò prodit; germinat per prauę cogitationis, morosam delectationem, efflorescit, per peruersæ voluntatis, diabolicæ suggestioni, consensum; crescit per multiplices culpæ actus; maturescit per habitum inueteratæ consuetudinis in malo; & tandem ad vltimum maturitatis complementum reducitur, cum in vitiorum cõsumato habitu peruerso cõsenuerit, & obdurucrit, ex quo sequitur inde, vt in terram infernalis centri, in morte decidat, & collidatur, per diuinæ iustitiæ sententiã, & ab infernalium ferarum dẽtibus, diripiatur æternam ad pęnam, vt Ps. 19. *Et singularis ferus depastus est eam*: tormentorum diaboli pessumdetur pedibus, & sic Iob. 21. ait:

Pirum maritate concoctum ex se ex arboribus dicitur decidere.

Marc. Tull.

Qualiter iustus dici possit Ecclesiæ Sanctæ fructus maturescens ad gloriã æternam.

Quomodo peccator dici possit fructus moralis acerbus, maturescit ad pœnam æternam.

In

In puncto ad inferna descendunt. Huius acerbi pomi moralis infelicem maturitatem ad culpam, & ad pęnam sub peccantium gradibus nobis insinuat D. Isid. de sum. bon. lib. 2. cap. 23. dicens: *Cogitatio praua delectationem parit; Delectatio consensum, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortē.* Ecce generatio pomi, in delectatione; efflorescentia, in consensu voluntatis, augmentū per actionem; maturatio per consuetudinem, & vltimò extrema maturitas, per multorum peccatorum coaceruationem, & necessitatem tandem, ex qua perennis inde mors generatur; vt p. Iacob. *Peccatum cum cōsumatum fuerit, generat mortem.*

Isid.

12 Hic opportunè ad rem nostram possemus ad dictorum confirmationem; symbolum, siue figuram talē ponere, racemum vuæ in vitreo vase, seu ampulla maturū inclusum hac inscriptione: *donec frangatur.* Patet enim, quod racemus vuæ, siue botrus, dum paruus, & exilis est, in principio, sicut facilè potest introduci in ampullā, sic nec ab hac educi difficilè videtur, verū auctus, & ad maturitatem redactus, materno stipiti coniunctus, extrahi, & educi non potest, nisi illud vitreum vas frangatur; sic igitur dictum competit: *Donec frangatur.* Racemus iste, siue misticus, & moralis botrus dicamus, quod sit peccatum, siue inueterata in malo peccatoris consuetudo, maturus, diaboli cibus, vt Psam. 79. *Et singularis ferus depastus est eam*, botrus quidē, sed amarus iuxta illud Deut. 32. *Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi.* Ex quibus vinum illud, quod cum felle mixtum patienti in cruce Saluatori oblatum fuit, effluxit, vt Matth. 27. *Obtulerunt ei bibere vinum cum felle mixtum.* Vas istud in quo racemus iste peccati includitur, peccator intelligi potest, iuxta illud ad Rom. 9. *Vasa iræ apta in interitum.* Dum igitur racemus iste peccati paruus est, hoc est in principio consideratur peccatum humanæ naturæ fragilitate, commissum, vel in principio dum nundum ad iteratos actus productum est, facilè diuina præueniente gratia, cordis inde contritione subsequente, à peccatoris vase, hoc est ab anima potest extrahi, & educi, per pœnitentiam; Verum si iste racemus in peccatoris vase diù remanet, & non citò extrahitur, efflorescit per complacentiam, concrescit, per frequentatos actus, maturescit per consuetudinem; sic enim maturus, non extrahitur, nisi vas frāgatur, nisi per peccatoris interitum eius terminatur vita: quare Gregor. in Iob. cap. 10. ait: *Tenent igitur peccatorem praua consuetudines, quem semel cœperunt, & quotidie duriores existunt, & cum ipso in puluere dormiūt, quia non nisi cum eius vita finiuntur.* Necesse est igitur ex harum maturitate culparum, repentina vasorum peccatoris sequatur, per temporalem mortem, æterna confractio; vt Is. 30. *Subito dum non speratur veniet contritio eius, & comminuetur, sicut conteritur lagena figuli, contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ.*

Perischema.

Comparatio peccatoris racemo in vitro incluso, ad maturitatem.

Greg.

Non nisi cū peccatoris vita, peccatum inueteratum terminat.

13 Vas tale perditionis fuit Pharao, in quo obdurationis racemus manens maturus, licet pluribus signis, & magnalibus per Moysem, & Aronem ad pœnitentiam admonitus, à sæuitia sua, & culpa recipiscere recusans, diuina abusus misericordia, vas contumeliæ, factus, inde, vt vas iræ ad æternū interitum aptum, est confractum. Vt Theophyl. Epist. ad Rom. 9. ait; *Vas erat*

Vas iniquitatis, aptum solum ad interitū, Pharao.

Theophyl.

Pharao, hoc est homo, ob innatam duritiem, irā Dei succendens, hunc sustinuit Deus, tolerauit, & miru in eum longanimitate est vsus, qua tamen abusus, in animi duritiem conuertit, & factus est iræ susceptibile vasculum, & ad perditionem idoneum. Quas enim summæ pietatis artes in hunc, vt ad bonam pœnitētiæ frugem, Israeliticum populum dimittendo, reduceret, non adhibuit, pius, & misericors Deus: quibus enim signis non fuit ille admonitus, minis perterritus, flagellis comminatus, & affectus, vt electum populum libertate donaret? Verus Dei nuncius ad eum, à Deo missus agnitus fuit Moyses, dum ante Pharaonis oculos virgam suam in terram proijciens, in colubrum conuertit, quem inde cauda assumens, in pristinæ virgæ formam eleuauit, quæ magorum virgam etiam deuorauit. Quando idem Moyses simplici eius virgæ percussione, aquas in sanguinem vertit, vniuersali piscium nece, & diuersis temporibus, è terra ranas, ab aere cyniphes, muscas incredibili molestia, & nausea Egyptios vexantes, suscitauit. Horribiles è Cœlo quoque tempestates, terræ fructus exterminantes, plantas exsiccantes, agros deuastātes, ad bestiarum necem, euocauit; Israelitarum tamen saluis, & intactis pecoribus omnibus. Ictu pestilentiæ Egypti primogenita, etiam Pharaonis, ad mortem percussit. Hæc omnia à Deo permissa, & immissa fuerunt, vt Pharaonis cor ad pœnitentiam emolliret, vt August. serm. de temp. 88. tom. 10. ait: *Elegerat Dominus Moysem, qui Pharaonem virtutibus inuitaret, signis, & magnalibus admoneret, vindicta terreret, territum seueritate compesceret*; sed ecce in iniquitate pergraui, in obstinatione permaturus factus racemus, cum amplius tolerari

Signa, quæ per Moysem ostēdit Deus Pharaoni, vt ad pœnitentiam reduceret.

August.

non posset, diuinæ iustitię sententia, in interitum constringitur æternum. Vt Rom. 9. *Vasa iræ apta in interitum*. Vbi D. Hieronymus ad Rom. 9. *Implendo peccata sua vasa iræ digna sunt facti, & à semetipsis ad interitum præparati*. Hic Theophylacti, vt supra sententiam relata &c. aptè reuocare possumus.

Hieron.

Theophyl.

14 Maximè diuinę iustitiæ manus timenda est, à peccatore in malo habitu inueterato, & difficilem hic habet diuinæ misericordiæ curationem. Iam diuini flagelli minæ præcedunt. Is. p. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filij sceleratis dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel; abalienati sunt retrorsum, in quo percutiam vos vltra addentes præuaricationē?* Hæc comminationis verba, maximè ad præsentis sensus nostri elucidationem, facere videntur, & emphasim faciunt, in peccatores, in culpis, & vitijs sordescentes: quare Septuaginta pro populo graui, iniquitate, legunt: *Populo pleno peccatis*; ecce habitus peccatorum malus, secundum etiam illud Psal. 17. *Filij alieni inueterati sunt, claudicauerunt à semitis suis*. His, igitur diuinæ iustitiæ rigorem minatur, dicēs: *Væ*, quod aduerbium minantis est, & postquam recensuit venenosas culparum escas, quibus in mensa diabolicæ suggestionis, illorum consensu saginati, & saturati sunt, ideo, dicunt: *Septuaginta populo pleno peccatis*, & diuinæ afflictionis, ad remedium harum culparum, medicinam requisisset, inquiēs: *In quo percutiam vos vltra*, idest, vt explicat D. Hieron. hic: *Non inuenio, quam plagis vestris possim adhibere medicinam; omnia membra vestra plena sunt vulnerum; nullam partem corporis, quæ non sit ante percussa, reperio: vel certe nullas inue-*

Inueteratus peccator diuinæ iustitiæ manū, maximè formidare debet.

Septuag.

Hieron.

nio

nio plagas, quibus vestram frangam duritiam, quas afflictiones ob eorum culparum plenitudinem, denuntiat subdens: *Facti estis mihi in satietatem*, idest vitiorum vestra repletio, me valdè molestat, sequitur: *non dimittam peccata vestra*, quod maximum, imo certum reprobationis, & æternæ pœnæ, nedũ diuinæ indignationis, est argumentum, & signum. Quid ergo agendum, in hac vitiorum plenitudine, ne repentina in eos irruat mors? remedium præscribit, dicens ibi Is. p. *Lauamini, & mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, & benefacite.* Et alia huiusmodi saluberrima ad animę purgationem, & vitiorum solutionem, ad salutem necessaria medicamenta præscribit, vt celeri mentis nostræ pede, ad officinam diuinæ misericordię accurramus, præstolemur pharmacum pœnitentiæ bibentes.

Minæ negationis diuinæ misericordiæ peccatori inueterato.

15 D. Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium Papã, quem Abbatem præfecerat scribens de Summa Pontificij dignitate, ad quam assumptus fuerat, inter cætera ait: *Considero gradum, & casum vereor, considero fastigium dignitatis, & faciem abyssi intueor.* Sic proportionaliter mihi fari posse videtur, de peccatore, qui ad culparum culmen deuenit, summam flagitiorum altitudinem, cõsidero, & vicinum æternæ mortis præcipitium intueor; sicut dicebat Dauid Ps. 36.: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum supra cedros libani, transiui, & ecce nõ erat.* Vbi D. Hieronymus, *Vix terga verto, vix de hoc cogito, aspicio, vt iterum videam, & ecce quod euanuit pro tanta velocitate, qua defecit.*

Hieron.

16 Periculum summè reformidandum æterni interitus, in peccatore in inueterato habitu vitiorum degente; peccata enim in consuetudinem congesta, in naturam inolescunt, & vertuntur, & cum à natura desciscere, haud possibile videatur, sic à peccato declinare, cum fortiores in anima, habitus malus, radices emiserit, difficillimum cẽseo. Quare Hierem. 13. *Si mutare potest Etyops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* Et hoc clarè nobis patere potest, in illis primi sęculi peccatoribus, tempore diluuij, qui verè sęculo tãtum viuentes in vitijs obdurati, multis licet essent futuri instantis diluuij signis admoniti, nullatenus tamen à peruerso illo habitu dimoueri, haud possibile fuit, vt ad pœnitentiam expergiscentes, diuinæ manus imminentia diluuij flagella, præcauerent: quorum duritiam, & ineptiam admiratus D. Chrisostomus tom. p. in Genes. cap. 6. hom. 24. his verbis exagerat: *Et cum tot annis audissent, quod ante fores esset interitus, nec sic à malitia cessauerunt.* Quæ quidem verba magnam amplificationis emphasim continere videntur; quasi dicere vellet. Velut pius Pater, & Propheta Noe centum annis, antequã diluuij terram aqua innundaret, de proximo, hoc tam ingens periculũ à scelestissimis illis peccatoribus formidandum, prædixit affuturum, ac pleno ore vociferatus est, & quod ira Dei, velut diuinæ iustitiæ rapidissimus fluuius, eorum peccatis intumescens, in eos irruebat; quocirca diuinæ indignationis furorem, quærerent pœnitentiæ, & orationis diuertere aggeribus; & summam illam diuini rigoris, flammam, quam peccatorum suorum stipula, & peruersæ volũtatis halitibus succenderant, lacrymis temperare, efficacissimis rationibus hoc suadere conabatur, vt ab eorumdem peccandi

A malo habitu diuertere quã difficile.

Confirmatur in peccatoribus primi sęculi tempore diluuij.

D. Chrisost.

Vniuersalis diluuij descriptio, & peccatorũ ad conuersionem obduratio.

Noe prædicit diluuiũ futurum, vt ad pœnitẽtiam confugiãt peccatores.

candi

candi sententia, & licentia diuerteret, & amoueret: *Nec sic à malitia cessauerunt*. Ad arcam construendam, multis alijs artificibus adhibitis, Noë manum mouet, & quot maleorum ictus, & percussiones insonabant, tot erant diuinæ misericordiæ voces, quæ eorum duritiam increpantes, in cordis eorum auribus pœnitentiam intonabant: *Nec sic à malitia cessauerunt*. A remotioribus regionibus, exterisque climatibus, & vndique animalia adueniunt, quadrupeda, & volatilia cuiuscunque speciei, binaq; in arcam ingredi conspiciuntur, ad eorum salutem: quadrupeda leo, elephas, taurus, draco, vrsus, aper, lupus, tigris, panthera, lepus, canis, ouis &c. volatilia, vt Aquila, Phœnix, cygnus, ciconia, miluus, accipiter, coruus, & alia etiam parua volatilia, ipsi tamen peccatoris forisstabant ad horum futuram perditionem: *Nec sic à malitia cessauerunt*. Cælum diuinæ indignationis præco factum, diuinæ iustitiæ mœsta insignia præfert, totum atræ caliginis velo obducitur, & ad peccatorum vindictam assurgens, crudele terræ bellum indicens, furit, tonat, fulgurat, fulminat, præcipites demittit pluuias, præcipitat grandines, vibrat sagittas, fulgura emittit, fulmina iaculatur, nec tamen tantis terroribus acti, ad pœnitentiam cogitant: *Nec sic à malitia cessauerunt*. Aer nec ipse, tam horribile diuinæ iustitiæ spectaculum sereno vultu adspicere sustinēs, totus in lacrymarū resoluitur pluuiam, totus indignationis igne accēditur, & vehementissimis ventorum sibilis obstrepescens, eorum mentis duritiem increpabat: *Nec sic à malitia cessauerunt*. Mare velut irata tigris, vel furens leo, liquidum vndarum pedem citò mouēs, nunc litora cursitabat, nunc in naues insiliebat, nunc fluctuum montes, velut ad expugnandum cælum, extollebat; nunc indignationis spumam edens, in scopulos, acriter fremens, impingebat; nunc voraginū ora ad naufragium aperiebat; *Nec sic à malitia cessauerunt*. Iam tandem aquarum innundatio, in toto ferè terrarum orbe spatiari incipiebat, & in illo turbido elemento fluido, natantia cadauera, animalia, confusaq;, & alia mixta simul cernebantur, veluti diluuij spolia; quod videntes illi peruersi peccatores, se in fugam conuertentes, ad turres pro eorum salute confugiebant; à turribus, ad colles procedebant; à collibus ad montes properabant; ad horum igitur culmen assensos, necesse est, vt ad hos conuersus dicam. Quò vlteriùs ad vestri salutem progredi modo cogitatis, ò infelices? en horum alterum necesse est, vt vobis eligatis, vel arcam ingredi pęnitentię, vel aquis diluuij intercepti, miserrimè interire: O lacrymabile humanę cæcitatis prodigium, ò diabolicam humani cordis duritiem; inter tot peccatores illius seculi scelestissimos, nullus fuit, nec vnus quidem, qui flexo humilitatis poplite, recipiscens à culpis, diuinam ad suorum veniam peccatorum, imploraret misericordiam. *Nec sic à malitia cessauerūt*. Ita enim peccatorem inueteratarū culparum laquei tenaciter cōstringunt, vt ab his eripi haud impossibile videatur; ideò D. Greg. in Iob. cap. 10. ait: *Tenent igitur peccatorem praua consuetudines, quem semel ceperunt, & quotidiè duriores existunt, cum ipso in puluere dormiunt; quia non nisi cum peccatoris vita finiuntur*.

Noe fabricatione arcæ, admonebat peccatores ad pœnitentiā.

Ex animalibus conuenietibus ad arcā, secreta admonitio peccatorū.

Cælum diuinę iustitiæ præco, obnubilatur, pluuias, hoc grandines, & fulgura demittit.

Ab aere signa.

A mari.

A diuina iustitia aufugere potius, quā ad diuinam misericordiā confugere, obstinatus tētat peccator.

Greg.

His de causis, bonum habitum, statim soluere, expedit tex.

§. II. Vt ab imminenti æternæ mortis periculo inueteratus euadat peccator, statim, & sine mora, contractum vitiorum habitum, debet pœnitentia soluere.

Cita pœnitētia, remedium ad diuinæ iustitiæ supplicia, euadendum.

1 NOn debet igitur peccator in vitiorum pleno habitu cōstitutus, vt diximus, amaro pœnitētiæ pharmaco culparum euacuationem differre, ne repentinus æternæ perditionis animæ superueniat interitus; sed saluberrimum Sanctæ Ecclesiæ monitum sequi, dicentis: *Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus, ne præoccupati die mortis, quæramus spatium temporis, & inuenire non possimus.* Quod quidem sanum consilium, & salubre monitum, à D. Augustino, videtur relatum sentent. 71. dicente: *Remedia conuersionis ad Deum, nullis sunt cunctationibus differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate.* Vt clarè videre est, in infœlici illo Thebeorum Tyranno, Archia nomine, qui ab amico per nuncium, de multorum in eum ad mortem conspiratione facta, sigillatim ad monitus, vt propriæ consuleret saluti; Hic, licet à nuncio admonitus, vt statim literas legeret, vtpotè seria continentes, ad eum transmissas ab amico; sicut sensus gaudijs, & tripudijs tyrannus iste locauerat, vtpotè ille, qui in cōuiuio detinebatur, eas aperire, & legere detrectat, dicens: *si seria continent, seria in crastinum*; sed ad crastinū non peruenit, nam inter epulas, se cibum mortis disposuit, & in occasu diei, in occasum mortis declinauit, & extrema gaudij, luctus occupauit; nam eadem nocte, conspiratores, sicut decreuerant, ad eum venientes, multis plagis confossum de medio sustulerunt. Ecce quomodo iste remedium suæ salutis distulit, ideo tempus pœnitentiæ, perijt, tarditate. Quare idem August. serm. 58. de temp. apertè ait: *Erit tempus, quo peccator velit pænitere, & non poterit, quia quando potuit noluit, & propter malum velle, perdidit bonum posse.* Statim igitur, & sine mora ad pœnitentiæ pharmacum accurrendum, amaram debemus hanc potionem ebibere, vt vitiorum habitum dissoluamus, ne à diuina iustitia morte præuenti spatium temporis, quod inuenire inde non poterimus, frustra quæramus, vt ait D. Bern. serm. ad fratr. *Ne differamus fratres, ne fortè in die mortis quæramus spatium pænitentiæ, & inuenire non possimus.*

S. Ecclesiæ. Salubre monitū.

August.

Archiæ dilatio, eiusdē mortis causa.

August.

D. Bern.

2 Et hoc nobis Angelus mulieribus apparens, tempore resurrectionis Christi, innuere, & declarare videtur: Hæ mulieres piæ ad monumentum accesserant, vt earum deuotionis obsequio, emptis allatis aromatibus, dominicū inūgendo corpus, in sepulchro, satisfacerent; quibus, Angelus harum mentem, & desiderium penetrans, ait, Matth. 28. *Scio enim, quod Iesum quæritis Nazarenum, resurrexit, non est hic*, cum de Christi resurrectione has edocuisset, his, eiusdem resurrectionis Christi, ad huius Discipulos, legationis imponit officium, munus committit, solicitudinem incutit exequutionis, dicens, Matth. 28. *Citò euntes dicite discipulis, quia surrexit præcedet vos in Gallileam.* Cur tanta, has fœminas ad hoc legationis officium solicitudine coarctat? cur harum mulierum infirmitati non compatitur, fragilitati non commiseretur, debilitati

Cur Angelus mulieribus citò annunciare discipulis præcipit Christi resurrectionem.

litati non conformatur, vt commodo, quo poterunt itinere, & tempore competenti Angeli dicta discipulis referant, annuncient resurrectionem dominicam de sepulchro? *Sed ait citò euntes dicite &c.* moras tollit, tempus longum adimit, tarditatem prohibet, solicitudinem inculcat? Ita profectò, quia resurrectionem Domini annunciare debebant, symbolum resurrectionis nostræ, dicente Apost. ad Rom. 4. *Resurrexit Christus propter iustificationem nostram.* Hęc igitur nostra de peccati sepulchro de vitiorum tumba, obstinationis tumulo, resurrectio, nullis cunctationibus differenda, ideo ad nostri eruditionem, ait Angelus mulieribus, *citò euntes &c.* quia dum de animę nostræ agitur ad gratiam resurrectione, omnis mora intercidenda, omnis dilatio tollenda, tarditas eliminanda; hinc est, quod huius mysterij præsciæ hæ mulieres, in primò solis exortu ad sepulchrum Christi perexerunt, vt Marc. 16. *Valdè manè veniunt ad monumentum.*

Resurrectio Christi, nostræ resurrectionis symbolum, ideo cita annunciatio illius, mulieribus perhibetur.

3 Vita functum filium Viduæ, ad suscitandum Heliseus misit puerum suum Giesi, cui dixit, 4. reg. 4. *Accinge lumbos tuos, & vade; si occurrerit tibi homo non salutes; & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi, & pones baculum meum super faciem pueri.* Sed quare hoc? licet ne seruo Dei iustæ vrbanitatis trasgredi leges? quomodo si Giesi hominem nobilem, & honore dignum, offenderit in via, hunc prohibet Heliseus salutare? quis tales inurbanitatis mores instituit, regulam tradit, quis ve salutantem resalutare vetat? nunquid diuina lex bonis honestatis, & vrbanitatis obsistet moribus? sed antequã ad huius loci solutionem deueniamus, noui testamenti consimilem prius locum, & difficultatem adducamus, Luc. 10.

Quare Giesi ab Heliseo & discipulis à Christo salutatio, prohibetur in via.

præcepit Apostolis suis Christus, vt vniuersum mundum peragrantes vbique diuinum Verbum disseminarent, quibus etiã modum quendam præscripsit, dicens, Luc. 10. *Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos, nolite portare sacculum, neque peram, & neminem per viam salutaueritis.* Quod Prædicatores diuini Verbi, nihil ferant sibi in via, vt ait Greg. in Ezechielem: *Tanta enim Prædicatorũ debet esse in Deo fiducia, vt præsentis vitæ sumptibus, quamuis non prouideat, tamen hos sibi non deesse certissimè sciant, ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus alijs prouideat æterna*, hoc transeat; sed quid obstare poterat Apostolis, si aliquem per viam salutassent? dicens, *Et neminem per viam salutaueritis?* Cum Christus aliter fecisse, nobis compertum sit, qui prior, pijs illis mulieribus post resurrectionem suam obuius factus, salutem dixit, vt Matth. 28. b. *Et ecce Iesus occurrit illis, dicens; auete.* Si mulieres in via salutat Saluator, quare discipulos suos, sibi obuiantes præcepto salutare prohibet; *Et neminem per viam salutaueritis?* D. Gregor. super hunc locum, exponit de Prędicatore, qui, vt munus sibi iniunctum prædicationis diligenter obeat, obstantia quæque impedimenta amouere debet; ideo ait: *Per viam neminem conceditur salutare Prædicatorem, vt sub quanta festinatione, iter prædicationis pergere debeat, ostendatur*, Et clarius etiam D. Aug. ser. 42. de sanctis: *Tanquam diceret*, ait; *Omnia prætermittatis, dum quod iniunctum est peragatis*; hic non officium sedulitatis, & obsequium salutationis aufertur, sed solum hoc, vt dum diuina mandantur parumper sequestrentur temporalia; vt etiam Theophil. ait: *Quod nullum in itinere*

Greg.

Quomodo Christus Apostolis suis in via salutare prohibet, si ipse mulieres, in via salutat. Greg.

Aug.

Theoph.

salu-

salutent, hac de causa iniunxit, ne occuparentur in salutationibus huiusmodi, & curiositatibus, quibus à prædicatione impedirentur. Modo ad rem nostrã dicamus, si Christus Apostolis ita strictè prædicationis officium iniungit, vt salutationis obsequia tollat, ne huiusmodi munus retardetur: sic Helisęus præcepit Giesi, quocunque salutationis officio prætermisso, ad iacẽtis Viduæ pueri resurrectionẽ pergere, quod nostræ à peccato resurrectionis Symbolum est, quia dum de animæ resurrectione agitur, omnis mora intercidenda, nulla dilatio interponenda, sed incunctanter festinandum, ne tempus tarditate pereat. vt Ambr. lib. 7. in Luc. ait. *Festinato enim iubebat ad puerum defunctum contendere, vt celebrandæ resurrectionis exequeretur officium*. Quod si corporalis resurrectio pueri non est retardanda, quomodo resurrectio animæ, diuinæ gratiæ, peccato, vita functæ, quæ corporali longè maior est, quæ in summo æternæ mortis, & ghennæ pœnæ periculo versatur, erit differẽda? si Helisęus, vt alienum puerũ mortali iterũ vitæ reddat, tantopere satagit; quomodo peccator, pro propria animæ salute, æterna, in culpæ sepulchro miserrimè iacentis, & inuisibiliter latitantis, non festinabit?

Dum de animæ resurrectione agitur, omnis mora intercidenda.

Ambr.

4 Ad Petrum imperio Neronis in carcerem detrusum, accedit Angelus, qui Petrum quatuor quaternionibus militum custodiæ traditum, duabus vinctum catenis, in medio duorum militũ vigilantium inuenit dormientem; cuius latus, percutiens, eũ excitat, dicens: Act. 12. *Surge velociter*. Sed dicã ego, ad quid tantam citò surgendi Petro solicitudinem angelum incutere? si catenæ Petrum deuincientes cadunt, nec temporis mora liberationi Petri præiudicabit; si diuinum interuenit auxilium, frustra humana obsistere nitetur potentia; si carceris portæ patent, quis nolente Deo, has claudere poterit, & quis prohibente, & repugnante Angelo, Petrum poterit retinere? ad quid igitur tanta festinatione ad surgendum, è somno Petrum solicitare? sed quod me ad maiorem excitat admirationem, est, quod inde excitato Petro huic præcipit, vt se sua præcingat zona, vt se caligis suis indueret, vestimenta adaptaret, Act. 12. *Dixit autem Angelus ad eum*, (ait tex.) *precingere, & calcea te caligas tuas, & fecit sic, & dixit illi circunda tibi vestimentum tuum*: primò Petrum ad surgendum tanta præmit solicitudine, vt non solum dormientem voce excitet, sed pugno, ac alter Angelus, qui Iacob femur percussit, vt Gen. 32. quod inde emarcuit, latus fortiter impegit, ad citam exurrectionem, deindè expergefacto multum temporis impendit, & concedit ad sibi vestimenta adaptãda, ait Angelus, *Præcingere*; Ecce ego, quasi diceret Petrus, pręcinctus, citò igitur exeamus, ne rursus à custodibus depræhensi detineamur: non, quasi diceret Angelus, expecta. *Calcea te caligas tuas*, hoc statim agit, ecce calceatus, quasi subderet Petrus, aufugiamus ergo; expecta, quasi dicat Angelus, *Circunda tibi vestimentum tuum*, hoc, in re hac tam graui non est necesse, quasi diceret Petrus, vita, & liberatio à morte omnibus corporis pręstat ornamentis, ne tempus hic igitur amplius conteramus, ne nostra frustra reddatur expectatio, & periculosa dilatio, citò foras: sed dicam ego si temporis angustia non coarctat, & tuta est liberatio, quare non finit Angelus dormire Petrum, & postea experectum à periculo eripere, e carcere educere, quare ad exurgẽdum solicitudinem.

Angelus ad Petrum in carcere.

Cur Angelus Petro surgendi è somno tantam incutit solicitudinem.

Cur solicitè excitat à somno Petrum Angelus, deinde moras inducit, ad exeundum, è carcere.

dum moras interdicit, & excitato inde, tempus dilatat ad exeundum è carcere? quid sibi vult Petrus in carcere? Peccatoris hoc Symbolũ est, in peccati carcere consistentis, secundum Hug. Card. hic, qui ait: *Carcer est peccatum, vel mala conscientia; quaterniones animæ affectiones, duo milites, caro, & mundus; duæ catenæ, ommissio, & commissio; custodes dæmones sunt, qui ostium carceris, idest conscientiæ custodiunt*; suis tentationum excubijs, ne à peccati carcere vinctus peccator, per pœnitentiam absedat, vt Glos. ait: *Ne quis confiteatur, & saluatur*; Angelus nos illuminans est diuina præueniens gratia, quæ illuminat omnem hominem veniẽtem in hunc mundum; percussio lateris, est recordatio passionis Christi, ex cuius latere vera fluxit Ecclesia, & Sacramenta manarunt, nostræ salutis fundamenta; sic igitur peccator, quasi vinctus moraliter, percussus, excitatur per cõtritionem, lumen refulget per peccati recordationem, diuina affluente gratia, ostium carceris, est os peccatoris, quod aperitur per confessionem, cadunt catenæ per satisfactionem, & portæ apeiuntur ad salutem per absolutionem. Sed quod ad rem nostram facit, dicit Angelus Petro: *Surge velociter*, quia dum de dormitione peccatoris in peccati carcere agitur, nulla dilatio permittenda, nulla mora adhibenda, sed statim ob æternę mortis periculum, velociter exurgendũ, vt Aug. ser. 120. de temp. *Noli pœnitentiã differre, dum in hoc tempore viuis, in quo tantum eius fructus est vtilis* Quare Apost. ad Rom. 13. ait: *Hora est iam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus*. Præcipit inde Petro, vt præcingat se, sua secum deferat vestimenta, ne quid relinquat in carcere, ne in peccatorum recordatione, & in eorundem delectatione amplius immorandi occasio interueniat, & in Dei amore tepescat &c. vel tempus suppeditatur post resurrectionem à somno vitiorum, vt in peccatorum satisfactione, per pœnitentiam, immoretur.

Petrus in carcere Symbolum peccatoris in culpa existentis.

Hug. Card.

Quid quaterniones, quid milites, quid catenæ, & carceris ostiũ.

Glos.

Quid Angelus, quid lux eiusdẽ, quid lateris percussio.

Præcipitur Petro statim surgere, qa à peccatis somno statim surgendum.

Aug.

Mora ponẽda in omnibus peccati occasionibus tollendis.

5 Quid de Maria Magdalena dicam, quæ in mali habitus strato infelici iacens, vitiorum somno sopita, ad vocem intus vocantis, inuitata Saluatoris, ad fontem misericordiæ abluenda cucurrit, quæ tot lasciuiæ sordibus coinquinata iacebat. Sed dices quando cucurrit? audi Euangelistam Luc. 7. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisei attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*. Quæ quidem verba cum magnam emphasim in se continere, & plurima quoque recondita mysteria redolere videãtur, aliquantulum in huius sanctæ mulieris pęnitentis, liceat explicatione immorari. *Vt cognouit*, quod vigilans animarum nostrarum pastor aduenerat, qui animam suam pro ouibus suis ponit: qui nonaginta nouem oues in deserto cęli reliquerat, vt generis humani aberrantem quæreret; ipsa Magdalena se ouem Christi prodidit, dum eius vocem protinus audiuit, & errãs ipsa pastorem secuta est, eam quærentem, iuxta illud Ioannis 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me*; vt ab infernalis lupi faucibus erepta, ad cęli caulas, per pęnitentiæ tramites duceretur. *Vt cognouit*, quod cælestis medicus, qui verbo, nostros curat, & depellit morbos, vt aiebat Centurio Luc. 7. *Dic tantum Verbo, & sanabitur puer*

Marię Magdalenæ descriptio in prõpta eius cõuersione.

Vt cognouit, quod Christus pastor, se ouem præbuit.

Vt cognouit, quod Christus medicus ægra accurrit.

puer meus. Et ps. 106. *Misit Verbum suum, & sanauit eos*. Ecce vt ait Ecclesia, ipsa Magdalena: *Ægra currit ad medicum, Vas ferens aromaticum, & à morbo multiplici verbo curatur medici*. Morbi sui præscia, medicamenta contulit, & aliũ iniungens, ipsa à morbo spirituali curata est. Vt August. lib. 50. hom. 23. *Nouerat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum idoneum esse, ad quem venerat, sciebat. Vt cognouit* culparum suarum grauitatem, quod suam deturpando honestatem, commaculando famam, cognomentum, cognationem, patriam, parentes, Deum, grauiter offenderat. *Vt cognouit*, quod animarum fraudulẽtus auceps, mẽtitis, suarum fraudum, & versutiarum vocibus, venenosis sensualium delectationum escis, in inextricabilia tot vitiorum retia allexerat, reatus laqueis innexerat. *Vt cognouit*, quod id quod promittit, & dare potest mundus, deperit, & euanescit, & pęna manet æterna; secundum illud Gregor. *Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat. Vt cognouit*, ante, retro, intus, foris, à dextris, & sinistris, supra, infra, Ante Saluatorẽ, qui nostræ salutis anxius, huic diuinã suam venerat misericordiam largiturus; retrò, anteactam, & tot peccatorum maculis coinquinatam vitam; Intus conscientiæ suæ synderesim, hanc acriter remordentem, aut coarguentem; Extra mundum fallacem, suis lenocinijs, & blandimentis ad inhonesta eam trahentem, & ad tartara perducentem; supra Cęlum suis obnubilatum culpis, Deum suæ indignationis, & furoris igne exardescentem, diuinæ iustitiæ iacula minitantem; Infra, Infernum apertum, infernales dracones, aperto ore, animas sitientes, flammas iaculantes, ad huius animæ internitionem insilientes; A dextris, diabolum tentatorem. Vt Psalm. *Et diabolus stet à dextris eius*; A sinistris Angelum Custodem mæstum. Ecce vitiorum plenum habitum, quem diximus, sicut ait D. Greg. in Euangel. *Septem demonia habuit, quæ vniuersis vitijs plena fuit*. Quid ages ò Magdalena? ecce habitum, plenum, vitiorum videlicet, statim soluere contendit, pęnitentiæ pharmaco. Tota tristis, quæ à se diuinam lætitiam fugauerat, tota dolens, quæ in mundi delicijs exultauerat; rubore suffusa, timore mortis perculsa, minis territa cęli, pęnis exanimata futuris; cubiculum suum ingreditur, vt hoc fieret Dei Fanum, orationis, & pęnitentiæ delubrum, quod fuerat suarum iniquitatum domicilium: ad cęlum eleuat oculos, quos ad terrenas voluptates declinauerat: ad Deum pęnitentia anhelat, à quo culpa recesserat; suspiria emittit dolentia, vt luxuriæ depelleret fętorem, pectus tundit, quod vanitatibus ornauerat; cõscientiam arguens impiã lacrymas emittit, vt diuinæ misericordiæ campos irrigaret, ad veniæ peccatorum suorum, fructus percipendos. Cubiculum igitur ingressa, in nouam reformata creaturam, veterem vxuta, vt Col. 3. *Expoliantes veterem hominem, induentes nouum*, in testimonium, sicut ipsa mundum contẽnebat; *Frangit* specula, amatorias literas comburit, amantium delet figuras, vana corporis ornamenta deponit, monilia abijcit, & mundi vanitates despicit. *Specula infringit*, quæ sicut sensus à secretis eam mundo, pulchram depinxerant, Deo deformem reddentia culpa, ad carnis lenocinia suaserant, nunc confractionis pęnam subirent: *fregit speculum*, materiale, quia speculum sine macula inuenerat, in quo maculas suas animę inspiciens, diui-

[Marginal notes: August. — Vt cognouit grauitatem peccati. — Vt cognouit demonis artes. — Mundi fallacias. — Greg. — Ex omni parte se ipsam conspiciens. — Greg. — Ad pęnitentiam cogitat, & accurrit solicita. — Domũ propriã, & cubiculum ingressa, quid agat. — Specula frãgit.]

diuina abstergeret misericordia, deleret pœnitentia. *Amatorias literas comburit*, vt instabiles vani amoris characteres in animæ suæ pergameno, à diabolo exaratas, pœnitus obliteraret. *Comburit literas*, vt quæ ignem concupiscentiæ inhonestæ, in cor eius intulerant; nunc debita ignis pœna perirent. *Comburit literas* amantium, quæ sicut vanitate scatebant, sic in cineres, quæ vanitatis symbolum sunt, resoluerentur, euanescerent; *Amantium delet figuras*, quia nunc Christum, verum animæ nostræ sponsum, Amatorem, hunc tantum admittebat, cuius amore casta redditur, tactu mundatur, amplexu purificatur, & sanctificatur osculo. *Amantium figuras* delet, quæ in se Trinitatis effigiem, culparum suarū fœditate, deturpauerant. Vana corporis ornamenta despicit, quæ sola ad animæ decorem respiciebat. *Monilia reijcit*, quæ veluti sensus catenæ in vitiorum carceribus, vt diaboli mancipium, deuinctam cōstrinxerant. *Monilia abijcit*, quæ veluti ferrei ob cordis duritiā manices, eius manus, ad bona opera peragenda, detinebant. Sic confractis speculis, concrematis literis, Amatorum figura deleta, monilibus, & ornamentis quibuscunque reiectis, domo propria egreditur, Pharisei domum adit, vbi indultor animarum accumbebat. Videbitur alicui fortassis, temeritati adscribēdum, quod Magdalena gessit; mulier Iuuenis, Nobilis, nubilis, pulchra, diues, sola, dissoluta cesarie, per ciuitatem Ierusalem incedens, Pharisei, tempore prandij, domum petens: quia si mulier, intra domesticos parietes se continere debebat, vt Psalm. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*; quod si vxor, multò magis filia nubilis. Si egreditur domo, maximè si diues, & nobilis, ancillarum, & seruorum stipata commitatu incedere æquum erat; & tamen sola procedit: si sola, per aliqua saltem remota loca progredi debebat; & tamen per Ierusalem Iudeæ metropolim, ciuitatem pergit. Si sic, vadit, saltem cooperto capite, composito corpore, & habitu incedendum ei erat, sed hoc non, sed expansis crinibus, dissoluta cesarie, pergit. Si sic progredi vult, saltem domestici alicuius domum, adire debebat; & tamen Pharisei domū petit. Si ita, vt ciuilibus, & nobilibus imbuta moribus, quæ erat, expectare consentaneum erat, prandio terminato; si tamen hoc tempore etiam vult accedere, saltem debebat inuitata prius, conuenire; & tamen sola, iuuenis, pulchra, per ciuitatem, dissoluta cesarie, Pharisei domum, tempore prandij, non ab aliquo inuitata, accedit. Sed sancta est hæc Magdalenæ præsumptio, pia temeritas, laudabilis audacia. Ad medicum quippe suæ salutis, properat, vt à multiplici lethalium culparum suarum morbo, ne diutius vexaretur, ipsius diuini Verbi, salutari Verbo, vt Psal. 106. *Misit Verbum suum, & sanauit eos*, citò, & ipsa conualesceret ad salutem. Ideò August. lib. 50. hom. 23. ait: *Vidistis mulierem in ciuitate famosam, non inuitatam accurrisse conuiuio, vbi medicus recumbebat, quæsijsse pia impudentia sanitatem. Aduenit quasi importuna conuiuio opportuna beneficio*. Sola vadit; quia societates, & consortia hominum, modo ei suspecta erant, quæ animæ suæ iam fuerant damnosa, & officiosa saluti. *Sola*, ab hominū cōsortio secreta, quę à Deo vocante erat associata. *Sola*, vt facilius mundi detestaretur vanitates, perituri seculi, sperneret blandimenta, amatorum societatibus renunciaret, illicitis

Amatorias literas comburit, & quare.

Amantium figuras delet.

Vana ornamēta reijcit.

Domo egreditur, vt ad Christū pergat.

Falsæ opinionis suspicio facilis, de Magdalena.

Reprehenduntur apparēter, fortassis Magdalenæ actiones.

August.

Cur sola vadit.

illicitis amoribus, sensualibus voluptatibus bellum indiceret, & solius Dei, prompta deseruiret obsequio. *Sola*, quæ à sanctis afflatibus ducta, in viam salutis, incedere disponebat; quæ in viam sensualium voluptatũ, & carnis cucurrerat mortis. *Sola*, vt nemo hominum cordis sui, secreta ad Deum disposita, auderet, penetrare, *Sola*, vt melius cœlestem alloquens medicum, peccatorum suorum liberius vulnera detegeret, morbos aperiret animæ, salutis æternæ remedia assecutura. *Sola*, tandem, ne cuiuscunque opera, vel consilio à sancto proposito, quin celeriter ad Deum accederet, detineri posset. *Dissoluta cesarie*, & expansis capillis, vt hanc quisq; videret pœnitentem, quam iam aspexerant peccatricem; & capilli, quibus velut rete impuro amore illaqueauerat amantes, nunc dissoluerentur ad pœnitentiam. *Dissoluta cesarie*, vt capillos suos in linteũ ad Christi pedes lacrymis suis humefactos abstergendum, adaptaret, quos prætioso vnguento ad impurorum amantium amorem, sibi conciliandum, deliniuerat. Vel *dissoluta cessarie*, ne corporis ornatus, à pœnitentia ad mundi rursus voluptates inhonestas pertraheret. *Tempore prandij* accessit, vt illa, quæ suarum impudicitiarum esca carnem pauerat, nunc sibi ieiunium indicens, Christum esuriens, rubelles sensus debita corporis castigatione compesceret, & Christo suam salutem esurienti lacrymarum suarum pocula præberet; sicut ait Chrysol. serm. 93. *Deus delinquentium esurit gemitus, sitit lachrymas peccatorum.* Tempore prandij, quia sciebat Christum verum esse panem cœlestem, de quo dicitur Io. 6: *Qui manducat ex hoc pane viuet in æternum*, propterea tempore prandij ad Christum accessit accumbentem, vt hoc pane, & cœlestibus diuinæ gratiæ edulijs, ad vitam enutriretur æternam. *Tempore prandij*, quia sicut hoc tempore debacchãtes sẽsus, eam ad immundarum voluptatum crapulas pertraxerant, nunc castigati ieiunio sensus, magis pœnitentia restringerentur, & ipsa auidius cœlestes inde appeteret cibos. *Tempore prandij*, vt diuinæ gratiæ micas velut altera Cannanea è diuinæ misericordiæ mensa sibi ad animæ suæ sustentationem colligeret. *Tempore prandij*, vt spirituali diuinæ gratiæ cibo allecta à nauseantibus carnis epulis abhorreret. *Tempore prandij*, vt nos doceret, nullo vnquam tempore à Deo ad gratiam vocatos, conuersionem esse differendã, salutis tempus retardãdum. Ecce quomodo hæc omnia ad citam pœnitentiæ formam describendãm ordinantur: *Vt cognouit*.

Cur dissoluta cæsarie.

Cur tempore prandij domum pergit Pharisei.

Chrysol.

6 Magno hoc vitiorum habitu pleno detinebantur Niniuitæ, vt Ion. 3. *Vade in Ciuitatem, & prædica in ea, quia ascendit malitia eius coram me*; Quare, celerem intimat, & præscribit pœnitentiæ euacuationem: quocirca Niniuem ingressus Ionas, statim reiectis rethoricorum colorum penicillis, diuinæ iustitiæ sententiam delineat, his verbis, & subuersionis ciuitatis imminens minitatur periculum, dicens Ion. 3.: *Adhuc quadraginta dies, & Niniuem subuertetur, mox vt audierunt prædicationem Ionæ*, ait Chrisost. *pœnitentiam egerunt*; Ideò ait tex. Ion. 3. *Crediderunt Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis, à maiore, vsque ad minorem, & peruenit Verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Sed quare ad Ionæ prædicatiorem se pœni-

Niniuitę ad Ionæ prædicationem, ad citã currunt pœnitentiam.

Chris.

tentiæ

tentiæ statim, sine vlla cunctatione dederunt Niniuitæ? poterant dicere tempus nobis suppeditatur, quadraginta dierum spatium nobis ad futuram submersionem conceditur, triginta, itaque nouem diebus, voluptatibus sensualibus vacare poterimus, liberè sensui indulgere, & postremo die pœnitentiæ ex corde operam dabimus; Deus enim patiens, & longanimis est, & multæ misericordiæ, & in quacunque die ingemit peccator, omnium iniquitatum ipsius Deus amplius non recordabitur, quare si peccator se talem pęnitendo agnoscit, huic Deus ignoscit: expectat enim semper, vt misereatur, sic scripturæ diuinę clamant; & tamen sine mora, nulla temporis dilatione expectata Niniuitæ ad seriam statim pœnitentiam acurrerunt, illicò Ionę prędicatione audita, eorum animas Deo, diuinam misericordiam implorantes, humiliauerūt, peccatorum suorum veniam petētes; ideo dicebant, Ion. 3. *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Et quare longa tanti temporis opportunitate ad pœnitentiam differendam non vsi sunt? quia, vt sapientes periculum imminens sibi agnouerūt mortis, dum in pleno vitiorum habitu detinebantur, quare statim, & sine mora, eundem habitum, pęnitentiæ accellerata potione, ipsi soluere decreuerunt; & sic comminatas à Deo per Ionam, pęnas euaserunt: quare subditur, in textu Ion. 3. *Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt, de via sua mala, & misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Temporis enim opportunitatem pęnitentia accellerata attendere voluerunt, diuinam misericordiam expectantes, iram Dei auertentes, furorem retardantes, ne importunitatem, diuinæ iustitiæ, sententia damnati, ex improuiso, experirentur ad mortem, secundum illud D. August. serm. 58. de tempore. *Erit tempus in quo peccator velit pænitere, & non poterit, quia quando potuit noluit, & propter malum velle perdidit bonum posse.* August.

7 Exemplum nobis est mulier illa Raab, quæ pacto inito cum exploratoribus, qui ad saluandam domum funiculum coccineum dederunt pro signo, ad appendēdum in fenestra, à qua ipsi egressi fuerant, statim ipsis abeūtibus, illud signum de fenestra sua appendit, non ad diem belli, seu obsidionis distulit, ne in re tanti momenti, temporis incertitudo, & repentina fortassis ciuitatis obsessio, & bellum immīnēs, salutis, & vitæ propriæ, de repēte spem arriperet; ac si diceret intra se: Nescio, quando exercitus Israel venturus sit, nocte ne, an galli cātu, an orto iam Sole, cras; aut postridie &c. Vel an ego obliuioni tradam signum appendere, vel aliud simile impedimentum intercedet, melius est ergo statim signū apponere, non potest hæc præuentio nocere, dilatio vero potest; de vita mea, & meorum agitur; negotium graue est, præoccupemus ergo impedimentorum occasiones. Sic igitur nos facere debemus. Nescimus, qua hora mortis nostræ esse debeat, & Dominus apud nos Iudex venturus sit, & Diabolus animę nostræ arcem obsessurus, ideo ait Dominus Marc. 13. *Vigilate, nescitis enim, quando Dominus domus veniet;* Serò ne an media nocte, an galli cantu, an manè, ne cum venerit repentè inueniat nos dormientes. Quod si hæc mulier adeo vigilans, ac diligens tantoperè fuit ad mortem vitandam temporalem, quanto magis nos soliciti esse debemus, ad æternam mortem vitandam.

Raab ab exploratoribus suæ salutis signo accepto, hoc exponere nō retardauit.

randam. Scimus enim, quod nobis peccantibus, confessio, & pęnitentia etiam ad salutem est necessaria, quid in crastinum defferimus pœnitere quis scit ne hodie subito moriaris, igitur, ait Lucan. 1. Pharsalia:

Luccan.

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

8 Alexander Magnus ille Macedo sæpe obsidione ciuitatem aliquam dum expugnaturus cingebat, obsessis pacem exhibebat; si tamen dum ardebat cereus, quem ipse pro termino temporis ad sibi consulendum, exponebat, si se, suæ ditioni, & imperio dedere, & subdere decernebant ciues, extincta enim candela, ad expugnationem, nullatenus eos ad veniam amplius audiendo, imisericors irruebat. Sic Deus exercituum misericors, animæ peccatoris ciuitatem, misericordia expugnaturus, ad hanc accedit, tribulationum, infirmitatum, persecutionum, calamitatum, belli, & famis, persæpè circumcingit obsidione. Mittit nuncios Prædicatores, de quibus Apost. 2. Cor. cap. 5. Pro Christo legatione fungimur, qui sunt legati eius à latere, vt vidant, & petunt, si se Deo per pęnitentiam dare decernunt. Accendit cereum dum tempus suppeditat vitæ ad resoluendum pro vita æterna, accendit candelam, dum peccatoris illuminat mentem ad miserum suum agnoscendum statum, dum per inspirationes sanctas superiorum admonitiones, amicorum cohortationes ad eum confugere pœnitentia inuitat, ardet fax dum tempus vitæ præterit; & sæpe vnius oboli paruam candelam, breuioris temporis apponit; & tamen peccator sempiternam immortalis vitæ sibi expositam facem in mente præfigit, vnde sequitur, vt obstinatione cęcus ad hoc lumen non attendens de pœnitentia minime cogitans, nihil de salute sua decernens, extinguitur lumen, & improuisa à diuina iustitia rapitur morte, à diabolo animæ suæ expugnata arce, peccatoris infęlici ciuitate capta: quare nos admonet Christus, vt dum lux est vitę, diuinæ gratiæ præuenientis affulget nobis lumen, vt pœnitentia ad eius misericordiam accurramus, vt Io. 12. *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant*; ac si diceret ad rem nostram, dum nobis pax æterna promittitur, dum spes est salutis, dum tempus remanet vitæ, dum hæc ardet candela, quod animæ nostræ proficuum est quæramus, extincta enim vitæ candela, tempore vitæ transacto, quid nisi tenebræ culpæ, & caligo æternæ inuoluitur pœnæ. Ideo Hierem. 13. *Date Domino vestro gloriam, antequam tenebrescat.* Idest; vt exponit Hug. Card. hic: *Pænitentiam agite, antequam veniant tenebræ captiuitatis, idest ante mortem, quæ obtenebrabit omnes sensus.* Vt Ecclesiast. 18. *Ante iudicium para iustitiam.*

Alexandri mos, in expugnatione vrbium, cereum accensum apponere.

Quomodo Deus ad expugnandas animas nostras ad misericordiã, accedat.

Qualem facem exponit Deus. Pœnitẽtiæ nobis tempus tributas.

Hug. Card.

9 De illis virginibus fatuis recensetur parabola, Matth. 25. quæ ad socias prudentes accurrerunt, & oleum petierunt, eo tempore, quo sponso lampades ardentes erãt præ laturæ, dicentes: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*: responderunt prudentes, dicentes, *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis: dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua: nouissimæ verò veniunt, & reliquæ Virgines dicentes: Domine Domine aperi nobis, at ille respondens ait: Amẽ dico vobis nescio vos.* Sed quare suum non distulit aduentum, sponsus, qui erat, vt hæ virgines empto oleo,

De prudentibus, & fatuis virginibꝰ parabola.

Quare fatuę virgines nō receptę sunt ad nuptias sponsi.

oleo, ornatis, & suis adaptatis lampadibus, vna cum socijs suis eidem possent occurrere venienti sponso? & quare à socijs oleum petentes nō receperunt? & quare ingresso sponso ad nuptias non reliquit ianuas apertas, vt istæ etiam possent introire; & deinde venientes, & petentes non receptæ sunt? non istis, aperta est ianua ad introitum, sed clausa, & ipsæ exclusæ, dicens, *Nescio vos?* sed horum omnium, rationem reddit difficultatum, Saluator noster in huius parabolæ conclusione, dicens, Matth. 25. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neq; horam.* Istæ fatuæ Virgines, sunt peccatores, qui ad aduentum sponsi, hoc est æterni futuri Iudicis, minimè vigilantes, in huius mundi, & terrenarum deliciarum strato iacētes, dormitant, qui animarum suarum lampades, bonorum operum oleo, vt D. Hylar. can. 27. exponit, dicens: *Oleum boni operis fructus est*, ornare neglexerunt; quare venit sponsus, Iudex videlicet, & iudicij dies, quo amplius bona opera non licet patrare, sed de præteritis reddere rationem, vti D. Hieron. hic: *Quia iam emendi tempus excesserat, & adueniente Iudicij die, locus non erat pœnitentiæ, noua patrare opera, sed præteritorum rationem coguntur exoluere*; hinc est, quod quia temporis opportunitatem, non obseruauerunt, se in bonorum operum studio exercentes, meritò à cælestis gloriæ nuptijs excluduntur, vt Aug. de verb. Dom. *Magna eius est seueritas post iudicium, cuius ante iudicium, ineffabilis misericordia prærogata est*: eius aduentus noluit nobis innotescere diem, vt semper vigilemus parati, ac si semper mori deberemus, & factorum nostrorum rationem reddituri, vt Aug. *Salubriter diem aduentus sui Dominus latere voluit, vt semper sic deberemus viuere, ac si semper deberemus iudicari, vt semper timeamus Deum*; non, petitum à socijs receperūt oleum fatuæ virgines, & in bonorum operum studio desides, quia non est, vt putet quis, aliorum meritorum posse patrocinio subleuari, qui proprijs in fine destitutus comparet, vt Hieron. hic, Matth. 25. ait: *Quisque pro suis operibus mercedem accipiet, neque possunt in die iudicij, aliorum virtutes, aliorū vitia subleuare*; ideo ingresso spōso ad nuptias, indignis clauditur salutis porta, quam suorum scelerum repagulis clauserunt. *Et clausa est ianua*. Sed quare istis fatuis inde venientibus, vt sponsi nuptijs, & ipsæ fruerentur, petentibus, Matth. 25. *Domine Domine, aperi nobis*. Ingressus non permittitur? si bonus latro semel tantum Christum Dominum confessus, dicens Luc. 23: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*, paradisi ianuas intrauit, huic portæ panduntur, dicens Saluator, Luc. 23. *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradisum*, & quare istis virginibus latrone nobilioribus, & Domini vocem geminantes: *Domine Domine aperi nobis*, non possunt has sponsi ingredi ianuas? si & ipse Saluator ait, Matth. 7. *Petite, & accipietis, pulsate, & aperietur*, quare istę petendo, quod postulant, non assequuntur ianuam pulsant, & hæc nō eis aperitur? Sed respondebimus, quod istæ fatuæ virgines, scilicet peccatores, serò venerunt, cum clausa erat iam ianua, hoc est post iudicium, quod est sponsi aduentus, ideo frustra ingredi petunt. Stephanus, quando Cęlos ingressus est? quādo erant aperti, quos videns, exclamauit, dicens Act. 7. *Ecce video Cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*; Ecce sponsi occursus, sic introiuit, vt sancta canit Ecclesia:

D. Hylar.
D. Thom.

Hieron.

August.

August.

Cur Christus Iudicij diem, noluit nobis innotescere.

D. Hieron. Desides, in aliorū meritis nō debēt sperare.

Quare exauditur latro pro paradiso, non istæ fatuæ virgines, quæ petunt ingressum.

Stephanus

Petierũt ingredi quando erat, ianua clausa è contra D. Stephanus. August.

Stephanus vidit Cœlos apertos, vidit, & introiuit; at istæ fatuæ virgines, petierunt tempore, quo clausa erat ianua, vt ait August. de Ver. Dom. *Receptis enim illis, qui sunt in angelicam vitam cõmutati, clauditur aditus ad regna cœlorum, non enim post iudicium patet precum, ac meritorum locus*: vt idem resonat D. Hieronymus: *Post iudicij autem diem, bonorum operum, & iustitiæ occasio, non relinquitur.* Vel dicam ego, meritò istis prohibetur ingressus, quia voce tantum ingredi quæsierunt, dicentes: *Domine Domine aperi nobis*; Respondet sponsus: *Amen dico vobis, nescio vos*; quasi diceret; vos nõ agnosco, ex meis ouibus non estis, ideo à longè, foris manete, forsitan sub Virginum nomine, mentito habitu, erunt meretriculæ, quæ nuptiales meas polluent delicias: sed quomodo inquit sponsus, se has non agnoscere? Io. 10. ait Saluator: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequũtur me, & vitam æternam do eis*; ecce cœlestis gloriæ portas, quas cœlestis sponsus aperit electis suis; hi enim sponsi vocem audiunt, diuinis obtemperando mandatis, & cœlestibus illuminationibus correspondendo; & eum per semitas passionum, & tribulationum sequũtur, iuxta illud Matth. 15: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*; hos enim sponsus agnoscit, & gloriæ, aperit portas; istæ fatuæ virgines, videlicet peccatores, non sunt ex ouibus Christi, non huius vocem audiunt, non hunc sequuntur, meritò, ait: *Nescio vos*. Sed quo istæ modo, non audiunt vocem sponsi Christi? quæ est ista sponsi vox? Christus modum ingrediendi ad cœlestes nuptias, aperuit, dicens Matth. 7: *Omnis enim, qui petit accipit, qui quærit inuenit, pulsanti aperietur*, ergo, vt ingrederentur, pulsare debebant, at istæ non pulsant, sed tantum petunt, ergo cum modum ingrediendi nesciant, vocem eius non audierunt, ergo oues eius non sunt, ergo non cognoscit eas, meritò igitur ait: *Amen dico vobis nescio vos*. Dices, quod istæ fatuæ virgines petierunt ingredi, licet ianuam non pulsauerint, dixerunt enim: *Domine Domine aperi nobis*: hæc non est vox Christi, ex hac solum petitione, non potest istis patere ingressus, ait enim Saluator Matth. 7: *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnũ cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum cœlorum*; tantum ingredi petierunt, dicentes, *Domine Domine aperi nobis*; debebant igitur pulsare, vt sibi aperiretur porta à sponso; quomodo fit hæc pulsatio? nõ voce, sed adhibentur manus, & pedes, quæ symbolum sunt operationum, ideo ait Christus: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est*, opere adimplendo mandata diuina, ecce pulsatio, sic huic aperitur cœlorum porta; ideo subdit: *ipse intrabit in regnum cœlorum*; cum istæ igitur fatuæ virgines, non pulsauerint ianuam operum bonorum manu; meritorum suorum oleo, animarum suarum lampades non ornantes, meritò à cœlestis gloriæ nuptijs excluduntur, nec beatitudinis æternæ portæ amplius his patent, ideo dicitur: *Amen dicos vobis nescio vos*. Quare Hieron. hic: *Licet virgines sint, vel corporis puritate, vel vera fidei confessione, tamen quia oleum non habent ignorantur à sponso: ex hoc autẽ, quod infertur vigilate itaq; quia nescitis diem, neque horam, intelligit vniuersa, quæ dicta sunt, esse præmissa, vt quia ignoramus Iudicij diem, solicitè nobis bonorum operũ*

Hieron.

Quomodo sponsus dicit, se has virgines nõ cognoscere.

Quo modo non audiunt vocẽ sponsi, quæ est ista vox.

Petierunt ingredi, sed non pulsauerunt.

Quomodo pulsatur ianua salutis.

Resolutio difficultatis.

Hieron.

Chris. *lumen præparemus*. Et D. Chris. in homil. p. *Ideo ponit parabolam in Virginum persona, vt ostendat, quod licet virginitas, magnum, quid sit, tamen si ab operibus misericordia sit deserta, cum adulteris, foras eijcietur.*

Plutarch. 10 Ex Plutarcho in Apoph. Reg. & Imper. colligo, quod cum Alexander ille Magnus, tempore, quo signa sua, cum hoste erat collaturus, casu, animaduertit quendam militem, tunc arma præparantem; hunc statim reiecit, & ab exercitu suo, vt desidem, & sua militia indignum, abegit, dicens: *Recede à me, & à meo exercitu, non enim bonus potest esse miles, qui ad tempus pugnæ vsq; armorum differt præparationem*; Sic nos, qui in huius mundi militia degimus, qui Christi milites sumus, qui christianæ militiæ in sacro fonte, nomen dedimus, vnde opportuna arma ad spirituales pugnas recepimus, vt D. Chrisostomus: *Quis quis ergo* (ait) *post baptismum grauiores sustines tentationes, ne turberis, nam propter hoc arma suscepisti, non vt vaces, sed vt prælieris*; qui acerrimos hostes habemus, vt in seq. omn. Sanctor. S. canit Ecclesia: *Mundus, caro, dæmonia, diuersa mouent prælia*; cum quibus congredi debemus, ideo ad spiritualia fidei arma, nobis accurrendum, vt diaboli insidijs obsistere valeamus; ait enim D. Hieronymus in Epis. ad Ephes. 6: *Contra spirituales hostes, spiritualia arma sumēda sunt*, ideo ait Apost. ad Ephes 6: *Induite armaturam Dei, vt possitis stare contra insidias diaboli*, & vt regnum cælorum, quod vim patitur, violenti rapiamus. Sub duce igitur nostro Christo, sub vexillo fidei, debemus semper esse spiritualibus armis ad pugnam præmuniti, in inuisibilem Inferni hostem ad pugnandum, & ad obsistendum semper dispositi, sicut ille ad nos oppugnandum semper est paratus; Vt p. Petri c. 5. dicitur: *Quia Aduersarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in fide*. Quod si eo tempore, mortis videlicet, quo in nos sæuissimus infernalis vltor, animæ nostræ arcem, suis diabolicarū artium insidijs circumcingit, quo diuini Iudicij tuba in mentis nostræ auribus insonat, quo corporalium passionum infirmitatis, timpana concrepant, doloribus obstrepunt, quando dies pugnæ reddendæ scilicet rationis, totius vitæ nostræ indicetur, quando culparum nostrarum equitatus, contra nos irruit; quādo infernalium spirituum phalanges insidijs armatę, ad nostri spiritualem internicionem accurrent; si tunc inquam, pœnitentiæ arma disponere cogitamus, si eo vsque spiritualium armorum ad nostri defensam præparationem protrahimus; profectò non veri milites Christi iudicabimur; sed vt desides reprobabimur, ab aliorum comilitonum sanctorum consortio seiungemur, à Christiano expellemur exercitu iuxta illud Beati Efrem de vit. & exerc. mon. ser. 8. *A marè ingemiscens, dices*, ait, *Væ mihi misero, & peccatori, quomodo huiusmodi gloria priuatus sum, & à sodalibus meis separatus: totum vita mea tēpus, cum illis exegi, nunc autem ab eis segregatus sum*. Consilium igitur, salutare sapientis audiamus, qui ait Eccles. 9. *Quodcunque potest facere manus tua instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erūt apud inferos, quo tu properas*: notemus quęso verba ait Sapiens: instanter operare, idest, vt explicat Hug. Card. hic: *Celeriter, continuè feruenter, perseueranter: celeriter* propter breuitatem temporis, vnde Io: 9. *Me oportet*

Marginalia: Alexander, vt desidem militē, abigit ab exercitu. — Christiani Christi milites, huius arma, & hostes quales. Chris. — S. Eccles. — Hieron. — Christus dux noster, fides vexillum. — Non vsq; ad mortem pęnitentię pręparatio differenda. — Efrem. — Salamonis consiliū sequamur ad nostri salutē. — Hug. Card. Quid sit instanter operari.

tet operari opera eius, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari: *continuè*, quia interpolatio otij, mentis robur eneruat; Ecclesiastici 27.: *Si non in timore Domini, te tenueris, instanter citò subuertetur domus tua*: *feruenter*, quia mollities in bonis operibus, dissipatio illorum est, Prou. 18. *Qui mollis, & dissolutus est in opere suo; frater est sua opera dissipantis*: *perseueranter*; Matth. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*.

11 Celeriter igitur, quanto fieri potest peccatorum habitus soluendus pœnitētiæ pharmaco, ait enim August. de ver. & fals. pœnit. c. 7. *Timendum est valdè de pœnitentia serò, multos solet serotina pœnitentia decipere*: pœnitentia enim sera, dicitur raro vera, maximè verò cū mortis tempus instat, tot enim tunc intercedunt difficultates, vt vix de Deo aliquid possit cogitari; quomodo enim potest animæ suæ saluti, quis consulere, dum mens extra se noxijs rapitur cogitationibus; voluntas timore prosternitur, cū corpus intimis infirmitatis excruciatur doloribus, sensus peruertuntur, & in viuo corpore, defuncti forma refertur; quomodo de Deo cogitare potest, qui se totum mundo dedit; quomodo ad Dei amorem assurget, qui in terrenarū voluptatum fimo, fixus iacuit semper; quomodo ad pœnitentiam accurret, qui bonorum operum infirmis pedibus tot vitiorum pondere prægrauatus, deprimitur? Lege prohibetur furiosum, qui suę non est mentis compos, testamentum condere, l. in aduersa ff. eod., & l. furiosus C. cod. hinc est, quod Notarij in testamentis, de eo, qui testatur, apponunt hæc verba. *Sanus mente, licet corpore languens*; mentis enim, non corporis in condendis testamentis sanitas requiritur; l. senium, C. eodem, quod si aliter factum fuerit, testamentum nullum, inualidumque declaratur: Si igitur in temporali testamento, quo de terrena substantia, de bonis temporalibus, quis disponit, rationis vsus requiritur, ad testamenti validitatem; & quomodo peccator, corporalis, & spiritualis æger, in extremis laborans, benè poterit testari, non de bonis temporalibus, sed spiritualibus, & æternis, scilicet de anima sua, quæ cunctis opibus, sicut longè prætiosior, sic omnibus anteponenda, quare Luc. 6. dicitur, *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur*? pœnitentiam agendo, eo tempore, quo extremis excruciatur laboribus, maximis eius corpus vrgetur doloribus: febribus exæstuat corpus, ratio exulat, mens stultis occupatur cogitationibus, memoria elabitur, & euanescit, sensus peruertuntur; & maxima æger pœna afficitur, quod ei sit ab hac vita emigrandum, mundum deserere, diuitias, & opes summis laboribus partas, relinquere; quod vxorem, filios, propinquos, & amicos, quos inordinatè dilexit omnes deserere compellatur: arduum profectò negotium, & tunc temporis, pro animæ salute, ritè pœnitentiæ testamentum condere, est, de manu Herculis, velle clauam extorquere; quare D. Aug. ait: *Quem enim morbus vrget, pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionem, maximè cum vxor, & filij, quos illicitè dilexit, sint præsentes, & mundus ad se vocet*; hoc enim pœnitentiæ testamētum Diabolus animaduertens, irritum, & inualidum manifestabit, & tanquam impœnitens, vt ab intestato discedens declarabitur peccator; qui eò vsque distulit pęnitentiam, vt Ecclesiastici 14. dicitur: *Testamentum huius mundi, morte morietur*,

Marginal notes: August. Celeriter, peccatorū habitus soluendus. — Dilatio pœnitentiæ, reprobatur ob difficultatē conuersionis. — Ex lege ciuili. — l. in aduers. ff. eod. & l. furios. C. eodem. — l. sen. C. eodem. — In temporali testamēto rationis vsus requiritur testatoris. — Quam periculosum sit peccatori, ad extremū vitæ, pœnitentiam differre. — Quæ pęnitētiæ difficultates, ægro peccatori, in fine vitę occurrant. — August.

idest hominis mundo dediti, pęnitentia inanis declarabitur, maximè ad vitæ extremum producta.

Obiectionis præuentio.

12 Sed dicet quis, nolo, eò vsq; pęnitentiam differre, quò in extremis laborabo, & rationis vsum amisero, sed statim ac me morbus inuadet corporalis, à morbo spirituali animæ curari satagam; quare statim confessorem ad me vocabo, pœnitentiam agam, opportunam, sic salua erit anima mea. Sed, & hæc adhuc stulta est cogitatio, & periculi plena res est, ne ex amore Dei, & ex dolore diuinæ offensæ, sed potius à timore pœnæ ęternæ hæc pœnitentia procedat; sic nulla esset; & hoc familiari quadam posset similitudine declarari. Accidit olim (supponamus) aliquos cælo sereno, blandiente aura, pacato mari, consolidatis vndis, nauem cōscendere, & ventis vela dare, nauigationem incipientes, lęti voces in iubila tonant; vnus canit, psallit alius, ludit hic, manducat ille, dormit iste, vnus histrionis personam gerit, alter legit libros, & vnusquisque diuersis vacat studijs; & vix in altum nauis peruenit, ecce cælum serenum obnubilatur, pacatum mare feruet, silentes venti superbi excitantur, intumescunt fluctus; interim nauis veluti pila, facta fortunæ lusus, supra maris petram insiliens, à potenti ventorum manu impulsa, & turbine percussa, modo ad cælum eleuatur, modo ad ima repercussa, deijcitur: magno interea nautæ cæterique nauigantes, imminenti submersionis, & instantis mortis, periculo perculsi, timore prostrati, nauis gubernationi, remis fatiscētes, insistūt; sed fluctibus succrescentibus, quasi euadendi periculum desperata salute, ait gubernator nauigio vectis exonerate nauem, merces, & ponderosa quæque citò in mari proijcite, ne cum rebus nostris, & nos pereamus; mercatores, & cæteri id exequi retardant, ne opes, maximo ingenio, studio, & labore comparatas, perdant, ad cælum oculos lacrymantes attollunt, diuinam implorantes clementiam, & Sanctorū suffragia deposcentes; quod prospiciens gubernator, iterum fortiùs inclamat in eosdem, vt omnia in mari proijciant; qui videntes, maris infortunium, nauigandi artem superare, gementes, & dolentes vxorum, filiorum, & domus miseriam, deplorantes, in mare omnia proijciunt. Modo ad nos, ista mercium, & bonorum in mari proiectio, est ne nauigātium voluntaria? pro certo teneo, quod si cum vita, temporalia eadem bona saluare potuissēt, non vtique non recipiēda amplius, mari ipsa tradidissent; mortis enim timor, ne vitam amitterent naufragio, eas perdere suadet merces &c. quare si voluntaria sit hæc bonorum temporalium amissio, ex dictis Philosophi conijce, ait igitur, Philosophus, lib. 3. Ethic. c. p. & etiā Greg. Nissen. lib. 5. cap. p. *Huiusmodi, quæ per metum aguntur mixta sunt, ex voluntario, & inuoluntario, id enim, quod per metum agitur, in se consideratum, non est voluntarium, sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum, quod timetur.* & D. Th. p. 2. q. 6. a. 6. ait: *Proiectio mercium in mari, fit uoluntarium, tempore tempestatis propter timorem periculi.* Totum igitur quod diximus ad rem nostram applicemus. Hoc seculum, mare dici potest, vt Chris. hom. 23. in Matth. 8. qui ait: *Mare seculum intelligitur, quod à diuersis peccatis, & uarijs tentationibus, uelut quibusdam fluctibus, æstuat*; in hoc igitur mari, in naui huius corporis consistentes, humanam hanc agentes vitam, nauigare dicimur, vt Senec. epist. 72.: *Pernauigauimus Lucilli vitam, quemadmo-*

Nauigantiū descriptio.

Periculum naufragij.

In mari mercium proiectio, an voluntaria tēpestatis tēpore.

Arist. Greg. Nisс.

D. Thom.

Chris. Hoc seculū veluti mare.

Senec.

Præsens vita nauigatio.

admodum in mari, & terra, & vrbes recedunt, sic in occursu rapidissimi temporis, primum pueritiam abscindimus, deinde adolescentiam, deinde quicquid est inter iuuenem, & senem medium in vtriusque confinio positum, deinde senectutis optimos annos, nouissimè incipit ostendi publicus finis generis humani; sic Cœlo sereno, terrenæ prosperitatis, & secundæ fortunæ fœlici aspirante sydere, pacato mari, in corporis incolumitate, & otio vitam degentes, sensus, & mundi aura blandiente, ventis vela damus; huiusce vitæ cursum fœliciter peragentes; vnusquisque, suis proprijs, secundum naturam studijs intentus; hic veneris voluptatibus, iuxta illud Sap. 2: *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*; ille gulæ indulget, crapulis vacat, vt Sap. 2.: *Edamus, & bibamus cras enim moriemur*; hic ad inimicorum suorum vindictam, incumbit, vt Psalm. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; ille auaritiæ studet, vt Ezechiel. 33. g. *Auaritiam suam sequitur cor eorum*; sic hic, huic, ille, illi peccato vacat; ecce peccatorum sarcina, & onera, quibus animæ nostræ nauis, oneratur, & grauatur, vt Sap. 9. d: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animã*; & tãdem in altum venit, cum mortis tempus instat, tunc enim horroris caligine, mentis Cœlum obnubilatur, peccatoris; tunc morborũ, & ægritudinum intumescũt fluctus, & impij cor diuinæ iustitiæ ventis agitatum, feruet, vt Es. 57. d. *Cor impij quasi mare feruens*; tunc passionum vndæ fremunt furentes, & nauis vitæ peccatoris, varijs periculorum agitata procellis, animæ, & corporis subiacet naufragio. In tali casu, nauis Gubernatores, scilicet animæ Rectores, Superiores, & Prælati, sicut, & Medicus, aiunt; in

Hominum diuersa studia &c.

In altum, mortis tẽpore, peccator venit.

Animarum rectores nauis gubernatores.

proximo mors est, citò exoneretur nauis animæ, confessione, & penitẽtia, vt Esaias Regi Ezechiæ Esa. 38. ait: *Dispone domi tuæ, quia morieris, & non viues*; exoneretur sarcina peccatorum; proijcite merces in mari; euome odium; relinque vindictas; parce inimicis; malè ablati merces proijce in mari restitutionis; nihilominus peccator penitentiam dissimulat, retardat confessionem; hoc cernens Confessor, acrius in peccatorem inuehit; inferni huic pœnas minatur, nullam spem ait illius amplius superesse salutis, ideo intonat, vt peccatorum pondus deponat, conscientiam exoneret, integra, ac fideli confessione: Tunc metu mortis perculsus peccator, morbi malignitate, & grauitate prostratus, ne inferni pęnas subeat, merces proijcit, in mari pænitentiæ; Confessori suam exonerat conscientiam, confitetur peccata, penitentiam agit; ecce merces in mari proiectas: est ne bona, & voluntaria hæc penitentia? est ne vera hæc censenda confessio? dicat hoc, respondeat D. Augustinus ser. 36. qui ait: *Quem enim morbus vrget, & pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionem*. Et iterum ibidem ait; *Si quis positus in extrema necessitate suæ ægritudinis, voluerit accipere pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quod benè hinc exit: si securus hinc exit, ego nescio, pænitentiam dare possumus, securitatem autem non; Non quidem dico damnabitur; sed nec dico liberabitur, Vis ergo à dubio liberari? tene certum, & dimitte incertum; Age pænitẽtiam dum sanus es, si sic agis, dico tibi, quod securus es, quia pænitentiam egisti, eo tempore, quo peccare potuisti: si vis agere pænitentiã, quãdo peccare* non

Morales merces peccatoris proijciẽde, quales.

An pœnitẽtia in fine vitæ, sit volũtaria, ob mortis timorem.

August.

Responsio D. August.

non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.

Nemo secundę valetudinis spe, debet differre pœnitentiã.

13 Obijcies forsitan, prospera te valetudine frui, ac propterea bona spe recreari, tempus tibi posse suppetere, ad pœnitentiam peragendam. Ad hæc respondeo tibi, quod secunda valetudo, sępe in aduersam ex improuiso solet commutari, & repentina mors persæpe spem adimit pœnitentiæ; vidimus, audiuimus, legimus homines, quandoque aliquo innopinato casu, subitò occumbere, aut fluminis alluuione correptos, aut in terris tegulæ ictu lethali percussos, aut domus ruina interire oppressos; vel hostili hasta transuerberatos, aut mucrone confossos, aut alia improuisa morte correptos, Deo sic disponente, in eorundem scelerum, & flagitiorum pęnam, & in impudentissimæ expectationis supplicium. Non ne talium exemplorum plenæ clamant historiæ: de Dionysio Thebęorum tyranno, qui inter gaudia mortem inuenit, inter lætitiæ imoderata iucunda pocula, venenum mortis improuisæ hausit. De Anacaronte Poeta, qui dum vuæ granũ deglutiret, subitam ebibit mortem. De Balthasare Rege, qui dũ inter conuiuia degeret, morti adiudicatur. De Absalone, qui dum aufugeret, quercui suspensus, tribus confossus lanceis perijt. Holophernes, qui dũ placida in somnis quiete frueretur, vitam perdidit. Filij Israel, qui dum cibũ sumerent, cibus mortis effecti sunt. Filios Iob in conuiuio à ruẽte domo oppressos perijsse? solus peccator, qui diuinam quotidiè prouocat irã, qui summa misericordia seruatur à Deo, ab his omnibus periculis se sẽceptum iri credet? meritò igitur in hunc D. August. ser. 7. ad fratres in Herem. ait: *Quid tu peccator conuerti dissimulas, & non metuis, ne mors repẽtina surripiat diem conuersionis: non ne homines subitò moriuntur: Deus promisit tibi remissionem, conuertendo te à peccatis, securitatem non promisit, diu viuendi; si subito intrat dies extremus, perit dilatio, & restat damnatio.* Si periculoso quis morbo corripitur, statim ad se medicum accersiri iubet, vt sibi opportuna ad salutem medicamenta præscribat; hæc licet eum excrutient vltrò assumit, venas sibi præcidi patitur, amaras ebibit, & nauseantes potiones, pillulas deglutit, corpus nouacula intercidi non recusat, licet dolorem maximum incutiat, & huiusmodi carnificinam, in aliud tempus non reijcit, sed statim in se exerceri vult, quia periculum est in mora, cum iam in discrimen salus eius vertetur. Si igitur pro salute corporali, tantam adhibet diligentiã, nec vllam vllo modo, patitur dilationem; cur cum animæ salus periclitatur, & mors non temporalis, sed æterna imminet, in longissimum tempus pęnitentiæ medicinam ad animæ salutem differet, cum futuri maximè temporis nullus habeat certitudinem? hinc est, quod D. Augustinus, peccatoris huiusmodi personã induens, ait: *Cras, inquit conuertar, & erit finis; cuius rei finis dicis? iniquitatum mearum? bene gaude, quia crastino iniquitatum tuarum erit finis; sed quid si ante crastinum, tuus erit finis? ergo quidẽ bene gaudes, quia conuerso tibi Deus indulgentiam promisit; sed crastinum diẽ, tibi nemo promisit.*

Multorum repentina mors.

August.

De diligentia, & pęnis, quas, quis patitur, pro salute corporis, non pro salute animæ, vbi maius periculum.

14 Hoc tam graue, æternæ mortis periculum, quod ex pęnitentiæ dilatione, peccatori imminet, intulisse nobis videtur Sophoniam, his verbis. Sophon. 2.: *Vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari, quoniã attenuabo robur eius.* Quadam die, dum hic Propheta Ciuitatem Niniue perambularet, casu ad quandam

Periculum dilationis pœnitentię quale, Sophonias intonat.

quandam fenestram eleuās oculos, vidit, simulq; audiuit garrientes, & præcinētes auiculas quasdā; oculos deorsum subinde declinans, vidit in superliminari eiusdē domus coruum crocitatem, & statim illius domus ruinam, & exitium prædixit, his verbis: *Vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari, quoniam attenuabo robur eius*; sed quęnam tanti exitij consequentia ex horum animantium aspectu, auicularum ad fenestram, corui ad portam deduci potest? quot enim cardueles, cannarios, philomelas, & huiusmodi aues, ad fenestras, & domi ad animi oblectationem, detinent, & etiam coruos alunt, & enutriunt, qui edocti sæpe humanas actiones immitantes, miranda propemodum agere videntur, nunquid tales, huiusmodi alentes animantia ita grauiter delinquunt, vt ob id diuino ad pœnam futuri exitij subdi debeant iudicio, & horum domus ruinam minari? nunquid Propheta ad inania, & falsa dementium augurum præstigia recurrit, vt ex animantibus futura, quæ incerta sunt hominibus mala præsagiat? quid quæso huiusmodi animantia referunt, cuius rei typum, & Symbolum gerunt? periculum designant peccatoris in malo habitu inueterati, & pœnitentiam dissimulantis, & conuersionem ad Deū procrastinantis. Huiusmodi enim auiculæ, veluti passeres sensualium voluptatum, & omnium denique vitiorum Symbolum sunt; nec mirum cum istis, dæmones ipsos, Christus comparauerit, vt Luc. 8. in seminatoris illius parabola patet, vt etiam D. Greg. 28. mor. cap. p. ait: *Nomine volucrum superba dæmonia designantur, ac si dicat fraudulenta, & elata dæmonia in corde vestro, idest in cogitatione superbia inueniunt, habitationem suam*; qui igitur carni, auaritię, vindictę, & vitijs deditus est, tunc in eius mentis fenestra, & animæ eiusdem domi, canunt passeres, modulantur aues diabolicæ iniquitatis. Quas enim delectationes non haurit, voluptates non percipit ex venereis, & carnis illecebris, ille lasciuus, auarus dolosè in animæ suæ detrimentum, in proximi pręiudicium, pecunias, & iniquum mammona coaceruando: Ille Epulo, gulæ indulgendo, crapulas, & ebrietates sectando, immoderata ebibendo pocula? est nę his remedium? talibus, spes salutis? Videamus, si ad cordis horum ianuam commoratur coruus, horum porta, os est, secundùm illud Matth. 15.: *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt*; si corui vox auditur, quæ intonat, *cras cras*: si cum Deus eum vocat, respondet *cras*, si cum prædicator illi suadet, vt meretricem, seu adulteram dimittat, respondet *cras*: si cum ad pacem cū inimico ineundam, inuitat, ait, *cras*; hoc pessimum signum est, quod animæ robur consumitur, diuinæ gratię fundamentum ruit, & tota spiritualis animæ illius domus in æternum coruenda sit, interitum. *Attenuabo robur eorum*; quare Aug. ser. 164. de temp. ait,: *Ecce quoties dicis, cras cras, factus es corruus: ecce dico tibi, cum facis vocem coruinam, occurrit tibi ruina; nam ille corruus, cuius vocem immitaris exijt de arca, & non redijt*. Quare: *His de causis bonum habitum statim soluere expedit*, ait Hippocrates, non coruus, sed columba esse debemus, quæ statim ad arcam reuersa est.

Auiculæ ad fenestram, & coruus in superliminari domus, qd designant.

Greg.

Auiculæ mūdi voluptates designāt, coruus dilationem pœnitētiæ peccatoris.

Peccatori in conuersione dicenti, cras cras, væ huic

August.

15. Hinc est, quod Cant. 6. dicitur: *Reuertere, reuertere sunnamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te*. Anima in sacro fonte baptismatis, per fidem Deo despōsata est, vt Os. 2.: *Desponsabo te mihi in fide*, verū per peccatum, cum se im-

Peccator quater à Deo vocatur ob citā pœnitentiam.

se impuris mundi, carnis, sensus, & diaboli amatoribus copulauerit, harum tentationum lenocinijs allecta, dicens Os. cap. 2.: *Vadam post amatores meos*, cælesti sponso frangens fidem, adultera vocari potest; vt Hierem. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te*. Huius tamen miseriæ, & proximæ perditionis, Deus sponsus commiserans, hanc ad se vocat, vt per pœnitentiæ semitas, iterum ad se reuertatur, vt quæ despecta est, vt Guillelmus ait: *Sunamitis interpretatur despecta, siue captiua, quoniam à viro suo despectui habetur*, à sponso suo, oculo misericordię, & veniæ aspectu conspiciatur, vt ait D. Hieron. lib. p. in 3. Hierem.: *Post fornicationem suscipit pœnitentem, & hortatur læsus Dominus, vt reuertatur ad se*: & ratio est, quia cum peccatum sit auersio à Deo, & conuersio ad creaturas, à bono immutabili ad bonum commutabile, vt communiter Theologi; cum vt ait Philosophus: *Oppositorum sit eadem disciplina*, sic pœnitentia erit per auersionem à creaturis, & conuersionem ad Deum, vti bonum immutabile; sed quare toties repetit, reuertere reuertere, quater adulteram sponsam ad se per pœnitentiam reuocat? nunquid diuina vox quæ ab omnipotentiæ spiritu educitur, ab Altissimi ore procedit, quæ factis identificatur, secundum illud psalm. 32.: *Ipse dixit, & facta sunt*, quæ ex cæcis nihili abyssis, ad existentiæ lucem res producit, vt ad Rom. 4. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*; & vt ait D. Basil. in Ps. 147. *Quæ nundum existentes essentias producit, & existentes mutat, & cuicunque vult adaptat*, non sit potens prima vice, vt audiatur, absq; alia repetitione? Illa inquam vox, quæ ex obscuris sepulchrorum latibulis, tabida ad vitam reuocat, cadauera, vt Lazari, Io: 11. *Lazare veni foras*; Illa vox, quę ab omnibus in die Iudicij, ante Summi Iudicis tribunal comparituris, etiam vita functis pro vltimo peremptorio citatis, audietur, vt Io: cap. 5.: *Et omnes, qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei*; Illa vox, quæ surdis auditum, cæcis visum, claudis gressum, debilibus robur, languentibus, & infirmis salutem tribuit, & mortis vitam restituit; illa vox, quæ ad cor hominis, ad centrum terræ, & vsque ad inferos peruadit, absque quadruplici repetitione, primò non percipietur? cur quater repetit hoc verbū *reuertere*? fortassis mihi dicetis, quia anima in peccato sordescens, surdescit, quia omnium virtutum corruptionem per culpam incurrit? benè quidem; sed si potens est vox, vt potè illa, de qua dicitur Matth. 7.: *Et surdos fecit audire, & mutos loqui*, cessat obiectionis difficultas: quare ergo, quater adulteram sponsam vocat ad se? Possemus primo dicere, cum D. Honorio: *Reuertere à quatuor plagis mundi, ab errore perfidiæ, ad fidem; Vel reuertere ad Redemptorem tuum, te vocantem, te recipere volentem, in eum credendo: reuertere ad illum diligendo: reuertere ad eum, eius præcepta operando: reuertere ad eum promissam vitam ab eo sperando*. Secundo dicere possemus, quod repetit quater reuertere, quatuor peccatorum speciebus correspondens; vt Ber. in ser. 3. ex paucis: Quater, ait, Dominū dicere reuertere propter qu[illegible]druplicem superbiam, per [illegible]am ipso auersamur; superbiam cordis, oris, operis, & habitus: ait igitur reuertere primo mo[illegible]lo, quia si cogitatione mala à Deo recessimus, debemus ad eum per contritionem redire

Guillelm.

D. Hieron.

Adulteræ, anima peccatoris cōparatur, & quo modo.

Cur cælestis spōsus, quater animam, ad se reuocat.

Basil.

Diuinæ vocis virtus, & potentia.

D. Honor.

Prima responsio D. Honorij.

Secunda expositio, seu responsio cū D. Bernardo.

dire, vt Ioel. 4. *Conuertimini ad me in toto corde vestro*; ideo *reuertere* primò: si à Deo per oris peccatum recessimus, per iniurias, in proximum, detractiones euomendo, vel Deum blasphemando, per confessionem ad eundem redire debemus; vt Psal. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius*; sic secundo dicitur *reuertere*: si peccato operis à Deo recessimus, per ieiunium, pœnitentias, & lacrymas redire debemus, vt Ioel. 4. *Conuertimini ad me, in Ieiunio, fletu, & plantu*; & sic tertiò *reuertere*: si à Deo recessimus per peccatum habitus, & per inueteratam consuetudinem, sic redire debemus per bonorum operũ perseuerantiam, secundũ illud Matth. 10. c. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*; Ecce quarto *reuertere*. Sed melius ad rem nostram dicam, quater animam adulteram ad se, & ad pœnitentiam vocat, propter periculũ euidens ęternæ mortis, quæ illi imminet; & vt eam attentam reddat, ad audiendam sponsi vocem, vt à culpa quam primum resipiscat, vt illi timorem incutiat, ne in peccati cœcitate, & obstinatione persistat, & in ea tandem, moriatur; quare D. Bern. serm. 3. in Annunciat. Domin. ait: *Et forte quater reuocat animam, quam respicit, quo nec in peccandi consuetudine, nec in conscientia peccatorum, sed nec in tempore, & torpore ingratitudinis, aut in elationis cæcitate persistat*; quia vnum peccatum trahit aliud, & velut annuli sunt peccata, quæ consuetudinis malæ catenam construunt, quæ miserum peccatorem, vt diaboli seruum, in Inferni carceribus vinctum ad æternas pęnas miserrimè, detinent; ideo erectis auribus, diuinis obaudire debemus vocibus, ad sponsum cœlestem per pęnitentiam celeriter confugientes; vt Ecclesiastici 21. a. *Fili peccasti, ne adÿcias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimmittantur &c.*

Tertia responsio, & solutio ad rē nostram.

Bern.

Peccata annuli, quibus catena habitus efformatur.

Vt corpus, rursus nutriri incipiat. tex.

§. III. Vt habituatus peccator, denuò possit spiritualibus diuinæ gratiæ edulijs enutriri, noxios inueterati habitus, & sensualium affectuum humores, salubri debet pœnitentiæ pharmaco, euacuare.

1 CVm ad quamcunq; formam requiratur dispositio in subiecto, quæ secundum proportionem ad eandem formam, & agens, & per remotionem impedimenti attenditur, vt ex D. Thom. 4. dist. quæst. 17. 2. p., cum anima nostra ad gratiam, charitatem, & Deum vti eius formam, licet super excedētem, disponatur, debet huic proportionari; quare cum dispositio formæ, ab eadem forma emanet, vt de calore, respectu ignis patet; sic animæ nostræ dispositio ad gratiam, & charitatem, veluti eius formam ab eadem gratia, prouenire necesse est; sicuti D. Gregor. hom. 30. in Euang. ait: *Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum, quem diligit, non haberet*. Sed vlterius requiritur remotio impedimenti in anima, ad eandem supernaturalem diuinæ gratiæ formam assequendam: quare anima, quæ charitate innititur, & eiusdem diuinæ gratiæ dono insigniri cupit, necesse est, vt opposita à se impedimenta, amoueat vitiorum, sensualium affectuum, inhonestarum voluptatum obliteret characteres, vt idem D. Gregor. loc. cit. ait: *Qui*

D. Thom.

Greg.

Requiritur vitiorũ expulsio ad gratiæ diuinæ consecutionem.

Greg.

adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum nō amat, quia in sua voluntate contradicit.

Quomodo absētia Christi, dicatur necessaria, ad Spiritus Sancti consecutionem.

2 Et hoc est, quod insinuasse videtur Saluator noster, discipulis suis dicens, Io: 6. *Expedit vobis, vt ego vadam, si enim non abiero paracletus, non veniet ad vos, si autem abiero mittā eum ad vos.* Cur quæso ad Spiritus Sancti aduentum, Christum abire expediebat? nunquid ad Spiritus Sancti, capescenda dona, necesse erat, vt Christi præsentia à discipulorum subtraheretur aspectibus? nunquid Christus auctor gratiæ Spiritus Sancti, cum quo communem habet essentiam, indiuisam substantiam, contubernium non admittit, vel paracletus, Christi præsentiam refugiat? vt Ber. ser. 6. de ascens. ait: *Ita ne inuisa paracleto præsentia Christi, aut contubernium dominicæ carnis horrebat, quā sicut angelo prænunciante cognouimus, nec concipi quidem, nisi eo superueniente potuerit?* Et eadem quoque admiratione suspensus, D. August. tract. 94. in Io: ait: *Quid est si non abiero paracletus nō veniet ad vos? nunquid, hic positus Christus, non poterat mittere illum, quem scimus, super eum baptizatum venisse, atque mansisse, imò à quo scimus eum nunquam separabilem fuisse?* Quo ad hæc primo, quo ad literā respondet Emin. Caietanus in Io: 16. qui ait: *Si quæris causam, quare si Iesus non iret, paracletus non veniret; multa possunt accomodari rationes congruæ, sed illa, quæ cogit est, quia sic decreuerat Sancta Trinitas, quæ omnia suauiter disponens ordinauit, vt non duo simul adessent in hac vita Consolatores, (alter humana conuersatione, & alter spirituali eleuatione) sed recedente primo, Apostoli abstraherentur ab humanis consolationibus, & totos se darent spiritualibus, succedente secundo, vt rei probauit euentus. Si autem abiero mittam eum ad vos.*

Bern. — August. — Caietanus. — Prima responsio, quo ad literam, Caietani.

Secūda responsio Card. de Turrecremat.

Secundo respondet alius Card. de Turrecrem., quia corporalis delectatio discipulorū in Christo secundum carnem impediebat eleuationem mentis eorum, in desiderium diuinitatis; quia, vt ait Bed. *Expedit vt forma serui eorum subtrahatur aspectibus, quatenus amor diuinitatis, apertius eorum insigeretur mentibus.* Propter igitur horum dispositionem discipulorum, ait Christus, quod expedit, vt vadat; quia quodāmodo carnali amore afficiebantur ad Christi humanitatem, & non spirituali ad eius diuinitatem; quare D. Bern. vt supra. *Quid est ergo, nisi abiero paracletus non veniet ad vos, nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem, occupata mens, non admittit, non recipit animus, non capit affectus.* In quam sententiam etiam accurrit D. August. loc. supracit., dicens. *Quid est ergo, nisi abiero paracletus non veniet ad vos, nisi nō potestis capere spiritum, quamdiu secundum carnem persistitis nosse Christum; caro quidem factum Verbū habito in vobis, sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis: expedit vobis, vt ego vadam; si enim alimenta tenera, quibus vos alui non subtraxero, solidum cibum non esurietis; si carnaliter hæseritis, capaces spiritus non eritis.* Errant igitur toto Cęlo omnes illi, qui cęlestem illam dulcedinem, huic cineri, diuinum illud balsamum, huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse huiusmodi illecebris, arbitratur; ex quibus omnibus colligere ad animæ nostræ salutem possumus, quod si gustus ille; consolatione, quam de præsentia, & cōuersatione, cū humanitate Christi habe-

Bed. — Bern. — August. — Moralitas.

habebant Apostoli, ita Spiritus Sancti cõsolationem impediebat, quãto magis delectationes mundi, & sensuales voluptates, quę de carne, non de spiritu sunt, imò huic opponuntur, diuini spiritus in nobis solamen, & participationem impedient? quemadmodum de Verbo Dei proportionaliter, dicebat D. Ambr. super Psalm. 118. beati immaculati: *Quomodo possunt uerba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitia?* Discãt igitur illi, qui ad sacram cõmunionem accedere intendunt, qualiter se disponere debeant, vt dignum Deo, cor suum habitaculum exhibeant; ideò ait, Greg. *Tergat unusquisque fordes praui operis, qui Deo praeparat domum mentis.*

Ambr.

Exhortatio moralis.

Greg.

Ex Physicis disciplinis probatio.

3 Ex Physicis disciplinis veritas desumitur. Est principiũ infallibile, quod ad introductionem nouæ formæ naturalis in subiecto, veteris formæ præsuponitur expulsio, vt de igne patet, qui cum in ligno introducitur, huius forma expellitur; sic ad nouam diuinæ gratiæ formam, in anima inducendam, vetus vitiorum forma præsuponitur prius exclusa. Hinc est, quod Apostol. ad Colloss. 3. dicebat: *Expoliantes uos ueterem hominem, cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creauit eum:* Sed inquiet quis, quomodo potest quis, veterem hominem expoliare, sicut, & nouum induere? an homo vestis, & indumenti rationem sortietur, & induet, quæ sunt quid extrinsecum, & accidentarium; vel veterem plasmationem exuet, se interficiendo, vt nouum induat? homo enim naturam subsistentem, & hypostasim dicit, cum sit quodam singulare, & indiuiduũ, quomodo igitur homo hominem induere poterit, sicut & expoliare? nam aut duæ personæ in vnam coalescent, & duæ in vno, & eodem simul coarctabuntur supposito, hypostases, sic duo homines erunt, & vnus homo, vel dabitur penetratio corporum, quæ omnia inconuenientiam, & impossibilitatem redolent. Sumitur igitur hic homo non physicè, sed moraliter, & per metonymiam, homo pro vita hominis, vt ex D. Tho. p. p. quæst. 18. art. 2. qui ait, quod nomina quandoque propriè sumuntur pro ipsis rerum essentijs, aliquando minus propriè pro ipsis rerum proprietatibus, à quibus imponuntur, sicut hoc nomen *uita* impositum est propriè ad significandum substantiam, cui conuenit, secundum suam naturam mouere se ipsam, vel agere se, quocunq; modo ad operationem; quandoq; minus propriè pro operationibus vitæ; sic, homo, dicere possumus sumi potest, pro rationali, quadam animali natura, & hoc modo propriè; secundo minus propriè pro operationibus eiusdem, quæ quodãmodo dicitur vita hominis, vt ibidem ad secundum, ait Angelicus Doctor, quod illa operatio, quæ est homini delectabilis, ad quam inclinatur, & in qua conuersatur, & ordinat vitã suam ad ipsam, dicitur vita hominis, vnde quidam dicuntur agere vitam luxuriosam, siue honestam; ait igitur D. Anselm. ad Coloss. 3. *Veterem hominem* (scilicet exuere) *cum actibus suis, idest ueterem uitam, quæ in peccato est, in quo secundum Adam uiuitur, & induentes nouum hominem, idest nouam uitam, quæ in iustitia ducitur.* Vel dicamus cum Glos. interlineal., quæ legit veterem hominem, *habitum uitiorum.* Habitus enim dicitur etiam ille, quo quis conuestitur, sic qui vitiorum habitu indutus fuit, hunc exuere media pęnitentia debet, vt nouo virtutum, & diuinæ gra-

Quomodo expoliatur vetus homo, & nouus induendus.

D. Thom. Homo sumitur pro vita hominis.

Angelici Doctoris declaratio.

Anselm.

Glos.

tiæ dignè induatur habitu.

4 Huius veritatis figuram, & confirmationem habemus in sacris paginis, Ionæ 3. in Rege Niniue; qui Ionę prædicatione commotus, Dei comminatione audita, quæ fuit: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, illicò, vt pœnitentia Deum ad misericordiam alliceret, sicut suis ad vindictam prouocauerat culpis, mollia, & regia ornamẽta vitiorum, quibus, vt alius Epulo, induebatur, vt Luc. 16.: *Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè*, demisit, abiecit, vt nouo diuinæ misericordię, venię, & gratiæ conuestiretur habitu, vt ibid. Ion. 3.: *Et peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere*, vt Coloss. 3.: *Exuentes veterem hominem, induentes nouum*, quæ expoliatio malæ vitæ, & vitiorum est intelligenda, non humanæ substantiæ deperditionis, vt ait D. Iren. lib. 5. cap. 10.: *Hoc dicit Apostolus non veterem amouens plasmationem, alioquin opportebat nosmetipsos interficientes, separari ab ista conuersatione*; quare paulò post subinfert, concludens idem Iren. sic: *non ergo substantia, continebat carnis, sed spoliationem pristinæ nostræ conuersationis, manifestauit, quæ veterescit, & corrumpitur*.

Niniuitæ veterem vitiorum habitum exuunt, & nouum pœnitentię induunt.

D. Iren.

Iren.

5 Vel etiam dicere possumus specialiter cum D. Aug. lib. contr. Faustum: *Veterem hominem, nihil aliud Apostolus, quam vitam veterẽ dicit, quæ in peccato est, in quo secundum Adam uiuitur*; Adam enim terrenus dicitur, quia de terra eductus fuit, vt Gen. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ*; vt igitur cęlestem Adã induat, idest Christum, secundum illud Apost. ad Rom. 13. *Induimini Dominum Iesum Christũ*, terrenum exuere debet hominem, veterem vitam in peccato, vt nouo conuestiatur diuinæ gratiæ, & cælestium bonorum, habitu, & terrami sensualium affectuum deserere, vt cælum supernaturalium donorum assequatur, ideo dicebat Apostolus 1. Cor. cap. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis*; Et vt clariùs pateat nostræ sententię sensus, ad sacras recurramus paginas.

August.

Vetus homo, vita vetus in peccato, secundum Adam viuendo.

6 Dictorum figuram, ex sacris Gen. 12. desumere possumus. Vocauit Deus olim Abram, cui suæ beneuolæ mentis, & voluntatis, & munificentiæ signa, & argumenta aperiens, ad terram omnium bonorum opulentissimam, benedictionum gloriæ, famæ, gratiæ refertam eidem ostensuram, in qua suæ prolis fœcunditatem, & ampliationem summam promittit, generosè inuitat, dicens: *Veni in terram, quam monstrabo tibi, faciamq; te in gentẽ magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ*: sed notate quod antequam ad hanc perrectùrum, se disponat, & se viæ committat, vt ad illã perueniat, eidem, vt à terra sua, cognatione, & domo patris sui recedat, egrediatur, præcipit, & iniungit, dicens Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*; ac si dicere vellet, si hanc desiderabilem deliciarum terram, quam tibi dare intendo, & promitto, obtinere, & consequi exoptas, à domo tua, patria, & parentibus, & cognatione tua, prius vt recedas, necesse est: sed cur tam rigorosa præceptio? cur à terra sua, & patria declinare iubet, ad quam vnusquisque natura duce, corde semper, & affectu fertur? ideo Poeta ille Ouid. de remed. *A laribus patrijs exire pigebit*: Infelix illa auis, cui natura desertã Vallem, in

Vt promissam desiderabilem terram assequatur Abrã, à propria recedere præcipitur.

Ouid.

Cur à patria.

in natiuitate dedit, quia ad hanc naturali semper instinctu tendit, & affectu propendit, vt Ouid. p. de Pont. ait.

Ouid.

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos,
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Et quare de cognatione, à cuius amore etiam elongari, haud possibile videtur, cum cuique maximè à natura insitum sit, suos amplecti cognatos, videre propinquos, sanguine inuisere coniunctos, dicitur enim prouerbio, *Dulcis amor patriæ, dulce videre suos.* Et cur domũ paternam vult deseri, in qua natus, enutritus, vixit, creuit, adoleuit; cuius paterni, & patrijs lares, licet, pauperes, quandoque splendidissimis principum aulis præponuntur?

Cur à cognatione.

Cur à propria domo.

Expositio moralis.

Verum si tanti mysterij cor, & intima penetremus, ex hac historia sensus nostri dilucidationem, exhauriemus, nempe, quod si spiritualia, & cælestia bona assequi, & attingere exoptamus, terrenis delicijs, & affectibus renuntiare, & vale dicere, & omnino declinare debemus. In hac terra tot bonis, & benedictionibus referta, quã Deus Abrahæ promisit, mysticè æterna designãtur gloria, si quidem cum dicatur: *Veni in terram, quam monstrauero tibi*, vt ait Lir. hic: *In terram scilicet uiuentium, uita gratiæ:* Si igitur huius beatæ terræ fælices incolæ esse cupimus; æternę dulcedinis perpetuò lacte, & melle affluentis, si cum Deo spiritualem cognationem in æternum conseruaturam, qua filij Dei verè nominemur, & simus, contrahere optamus; si cælestis illius æterni Patris domus, habitatores esse, & illius Regię, in qua perpetuæ fælicitatis vbertas manat, aulici adscribi quærimus, e fallaci huius mundi terra, quę semper virescit ad culpam, arescit ad gratiam, sterilescit ad meritũ, mentis nostræ pedem retrahere, & de domo patris nostri, idest veteris Adam per peccatum, & de cognatione vitiorũ egredi, & recedere debemus; quæ omnia in verbis allatis exponuntur: *Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui; Egredere de terra tua*, Glos. interlin. habet: *de terreno homine*, hic, fuit Adam, de terra plasmatus, ideo terrenus interpretatur, qui culpæ nostræ origo fuit, ideo dicitur: *Egredere de terra tua*, idest, vt exponit Hug. Card. hic: *De amore terrenorum: De cognatione tua*; Glos. interlin. habet: *De cognatione vitiorum, diaboli*, à quibus liberari petebat Dauid, Ps. 50. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: Vel de carnali concupiscentia, quæ nobiscum est nata, relinquendo amicos carnales*, vt Hug. Card. exponit: *De domo patris tui, de memoria mundi, & carnali affectu parentum.*

Lir.

Glos.

Hug. Card.

Glos.

Hug. Card.

7 Ex Gen. 21. dicitur: *Cum vidisset Sara, filium Agar Ægyptiæ, ludẽtem cum filio suo Isaac, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius, non erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac*; quid sibi vult filius ancillæ, idest Ismael, & filius Saræ, idest Isaac? Symbolum sunt hi carnis, & spiritus, sensualium voluptatum, & cælestium donorum, temporalium, & spiritualium deliciarum; hæ enim non benè certè cohabitant: Isaac enim ex promissione spiritualis prolis, in Deo regenerãdæ datus est Abrahæ, Gen. 12. *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ*; & ideò natus est Isaac de Sara, quę Domina interpretatur, quia spirituales deliciæ liberam à seruitute tuentur animã, secundum illud 2. Cor. 3. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas*: Ismael, ex Agar, quæ peregrina interpretatur, & ancilla erat, significat, quæ

Vidẽs Sara Ismaelem, ludẽtem cũ filio suo, illum cũ matre ejciẽdũ petit.

Huius expositio mysterij.

quæ ex carne, & mundi voluptatibus oriuntur, ex ancilla, hoc est ex carne, & sanguine, & ex natura corrupta, quæ filium in seruitutem redegit. Iuxta illud Io: 8. *Qui facit peccatum seruus est peccati*, & Io: 3. *quod natum est ex carne caro est*; & quod ex ancilla seruus est; quare cum caro spiritui opponatur, quia: *Caro* ait Apost. ad Galath. 5. *Concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*, sic qui carni adhærent, mundo, & sensualibus voluptatibus agglutinantur, non placent Deo; vt 2. ad Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*; quare non benè colludunt, vel simul stant, Ismael, & Isaac, carnales, & spirituales deliciæ, ideo dicitur: *Eijce ancillam, & filium eius, non erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac*. Filius enim peccati ex diabolo est, ideo dicitur: *Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores*. Matth. 8. hi non sunt hæredes regni cœlestis, sicut filij Dei, de quibus dicitur ad Galath. 4. *Quod si filius, & hæres per Deum*. Sed notate, quod ait D. Hieronym. in Genes. tom. 3. *Vidit ludentem: Dupliciter* (inquit D. Hieronymus) *hoc ab hæbreis exponitur, siue quod idola ludo fecerit, iuxta illud Exod. 32. Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere: siue quod aduersum Isaac, quasi maioris ætatis, ioco sibi, & ludo primogenita vendicaret*; vtroque modo effectum carnis interpretari possumus, aduersus spiritum, & mundi, aduersus iustum, quod ad idola prouocet, pro Deo adorando creaturas, & quod primogenituræ sibi dolo vendicare audeat locum, & honorem, spiritui dominando, non rationi subiacendo: quare eijcienda est ancilla, & filius eius, scilicet sensuales delectationes mundi, à spiritualibus delicijs segregandæ, non enim simul cohabitare possunt, sed vnum expellit aliud; *Sic non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*.

Spiritus, & caro non simul bene cohabitant.

Qualis intelligatur lusus Ismaelis cum Isaac.

Hieron.

Expositio Auctoris, ex verbis D. Hieronymi.

8 Hinc est, quod Cant. p. dicitur: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus; lectulus noster floridus*: lectulus iste, est cor nostrum, dicitur lectulus, quia vnum tantum capere potest, cum Deo anima nostra, vnũ sunt, vt p. Cor. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*, & Io: 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Quare Hailgrinus censuit lectulum esse animam deuotã: *Manet enim, ait, Christus in eo, qui diligit eum*. Cum igitur cor nostrũ cum Deo vnum sit, lectulus proportionatus, illud erit; verum si duo veniunt ad cohabitãdum in eo, vnus excludet alterũ oppositum; & vnus lectulus nõ poterit sufficere ambobus. Es. 28. *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, necesse est*. Duo contraria ait Philosophus non possunt esse in eodẽ subiecto; & quæ maior contrarietas inueniri potest, illa, quæ inter Deum, & diabolum inter peccatum, & gratiam intercedit, ad inclusionem igitur vnius alterius exclusio subsequetur. Quare cum cor nostrum lectulus dicatur, vnum tantum capere poterit, aut Deum per gratiam, cum quo vnum erit, aut diabolum per peccatum. Altero ergo horum recepto, alter certè excludetur oppositus. Ideo Lir. in Matth. 24. ait: *Cor hominis, non potest simul capere Deum, & diabolum, sed suscepto diabolo per peccatum, exit Deus; suscepto Deo per charitatem, exit diabolus*. Sic in hoc cordis nostri lectulo non simul accubabunt terrenæ, & cœlestes deliciæ, sicut nec Deus, & dæmon, sed vno suscepto, alterum necesse est, excludi; *Ita vt alter decidat necesse est*, ab hoc lectulo, siue coangustato cordis nostri strato. Vel dicamus, quod lectulus iste sit,

Hailgrin.

Lectulus est cor nostrũ, in quo vnus tantum cõquiescere potest.

Lir.

In lectulo cordis suscepto Deo excluditur diabolus, & è contra.

corpus

corpus nostrum, in quo sponsus cœlestis cum sponsa, quæ est anima nostra, quæ Deo in fide desponsata est, sicut Os. 2. *Desponsabo te mihi in fide*, in sacro baptismatis matrimonio, cohabitant, & conquiescũt, & vnum sunt, vt ad Ephes. 2. *Erunt duo in carne vna*; Et vt in Eucharistiæ Sacramento patet, in quo vnũ corpus cum Christo, illud dignè sumentes efficimur, vt Chris. hom. 60. ad popul. Antioch. qui de hoc sacramento loquens, ait: *Hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus, vnum Christi corpus, & vna caro*; sic iste corporis nostri lectulus, erit aptus, & proportionatus Deo, & animæ, charitatis vnitate simul agglutinatis. Quare Orig. hom. 3. ait: *Hic lectulus corpus est, quod est commune animæ, & Christo.* Deus verò, & dæmon, sensuales, & spirituales deliciæ, cum veluti opposita, in vnitate minimè conualescant, huius moralis lectuli simul consortio, non compati possunt, sicut nec inter se reconciliari; quare vtrisque, communis esse non poterit, lectulus iste. Vterque horum, in homine dominiũ exercere contendit, Deus, vt verus Dominus, diabolus, vt tyrannus; ille diuinorum præceptorum dominio, hic dolosè tentationum suarum insidijs, & insultibus animas circumueniẽdo, in eo principari satagit; ille vt diuinæ gratiæ nos cibo reficiat, iste vt nos culpis decipiat; ille vt nos saluet, hic, vt nos perdat; Vtrisq; his, veluti dominis, nos deseruire simul, haud possibile est, vt Matth. 6.: *Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet*; si quidem cum oppositos principatus exercere intendant, Deus, & diabolus, & cum inter se quoque pugnent, virtutes, & vitia, gratia, & culpa, altero igitur horum admisso, alterum oppositum ablegare necesse est, vt Christus dicebat, *qui non est mecum, contra me est*. Quare Hug. Card. Matth. 6. ait: *Duo Domini, sunt virtutes, & vitia, cælestia, & terrena, Deus, & diabolus vanagloria, & vera gloria, vnum igitur odio habebit, diabolũ, tanquam singulariter malum, non creaturam, sed uitium, alterum diliget, scilicet Deum.*

Chris. — Orig. — Lectulus corpus nostrum dici potest. — Duobus dominis seruire non possumus. — Hug. Card.

9 Pulchrè etiam Galen. 11. Method. medend. cap. 4. ait: *Fieri non potest, ut febris sanetur, nisi inhibita prius putredo sit, porrò ea inhiberi, manente causa, non potest.* Sic dicamus nos ad diuinæ gratiæ sanitatem consequendam, necesse est, vt prius putredo peccati tollatur, nec hæc amoueri potest, peccati occasione manente; quare nedum peccatum, sed & occasionis radicẽ quantum in nobis est, pro viribus, à nobis euellere debemus, vt diuina digni efficiamur gratia, sicut (inquit D. Basil. epis. de vita solitaria:) *In cera, ait, nemo scribere potest, nisi ex ea literas impressas antea, deleuerit; sic nec anima diuina dogmata degustare, nisi pristinos, ex anima detraheret mores.* Homo igitur veluti cœlestis agricola, priusquam in cordis sui agro, diuinæ gratiæ semen recipiat, & virtutum inserat fructus, vitiorum siluestres herbas radicitus euellere extirpare debet; nam ait Philosophus: *Intus existens prohibet extraneum*, & spinæ vitiorum sementem virtutum suffocant exortam, vt Luc. cap. 8. *Et simul exortæ spinæ, suffocauerunt illud.*

Galen. Non sanatur febris, nisi putredo inhibeatur; — Basil. — Philosoph.

10 Omnia enim nobis circumobsistentia impedimenta, vt virtutes, & cœlestia dona consequamur, quantum in nobis est, à mente nostra ablegare debemus, & omnem omninò occasionem amouere, quæ diuino amori quocunque modo obesse,

Ad cœlestiũ donorũ cõsecutionem vitia sunt ablegãda.

obesse, & repugnare potest. Missurus Saluator noster ad prædicationis officium Discipulos suos, quædam his præcepta indixit, vt Luc. 10.: *Nolite inquit portare sacculum, neque peram, neque calciamenta, & neminem per viam salutaueritis*. Sed quare suis secum sacculum in via, & peram deferre vetat Apostolis, vt necessaria, quæ cuiq; naturæ conueniunt, sibi opportuna prouidere nō valeant? nunquid sacculos portare prohibet, qui sacculos sibi conficere, & habere suadet? Luc. 12. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt*? Et quomodo sine calciamentis incedere iubet, illos, qui aspera, & saxosa, vepribus etiam consita, & tribulis obducta loca petere, & laboriosa itinera maximè vero brumali tempore, carpere debebant? quomodo sine calceis iubet esse in via, Apostolos, cum ipse magister, à quo vti ab exemplari discere debebant, calceatus incederet, vt Aug. ser. 42. de sanctis ait: *Si ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret, non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius?* & quomodo Christi exemplar sequentes, calceati non incedent; & si calceati incedent, quomodo diuino obtemperabunt præcepto, sine calceamentis, vt incedant? Sed maior crescit, dictorum admiratio, ait: *Neminem per viam salutaueritis*, quomodo hoc Apostolis præcipit, si ipse præceptor diuinus oppositum operatur, cum occurrens mulieribus post resurrectionem dixit his: *Auete*, vt Matth. 28. & quænam in salutationis officio, quæ beneuolentiæ signum est, culpa interueniri potest? & quomodo inurbanitatem diuina patietur præceptio? quare August. serm. 42. de Sanctis ait: *Quid sibi vult neminem per viam salutaueritis? itane placet, vt iter agentes occurramus charis nostris, vt eos non salutemus maiores, non resalutemus minores?* Ex abstrusis his dubiorum cellulis; mysteriorum, & solutionum mella extrahamus; terrenos in primis sacculos temporalium diuitiarum prohibet reijcere, si incorruptibilos in Cœlis cœlestium bonorum thesauros nobis comparare exoptamus, secūdum illud Matth. 6.: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate vobis thesauros in Cœlo, vbi nec erugo, nec tinea demolitur, & fures non effodiunt, nec furantur*. Possemus secundo dicere, prohibet ferre sacculos, & perā, vt vni tantum prædicationi vacarent; circa verò temporalia omnem curam in eum proijcerent, qui eos mittebat. Vt dicebat Dauid Ps. 22. *Dominus regit me, nihil mihi deerit*, & etiā, vt dicebat Christus, Matth. 6.: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo soliciti esse dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur ibidem*. Vt Euth. Luc. 10. ait: *Hoc interdicto iubet, vt de necessarijs corporis spem in illum habeant, qui ipsos emisit*. Vel tertio melius ad rem nostram dicamus, vetat hęc onera ferre secum, vt Deo militantes Apostoli, secularia negotia abigerent, vt Greg. 7. in Euang. *Qui ergo officium prædicationis suscipit, dignum non est, vt opus secularium negotiorum portet; ne dum hoc, eius colla deprimit, ad prædicanda cœlestia non assurgat:* vt etiam Apost. 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicet se negotijs secularibus*. Vel vt ait idem Gregor. in Ezechielem, *Ne dum mens eius occupatur ad tēporalia, minus alijs prouideat æterna*: ne proprij pascui cura, pro corpore, animarum salutaria pasqua retardet. Rursus possemus addere alias rationes, quare sacculos, & pera

[Marginal notes: Cur Christus, qui calceamēta deferebat, calceos Apostolis prohibet. — August. — Cur salutare in via prohibet, Apostolos. — August. — Sacculos prohibet terreni, non cęlestis thesauri. — Sacculos prohibet, vt vni Deo tātum deseruiāt in prædicatione. — Prohibet sacculos, vt in Deo spē reponant. Euth. — Vt secularia negotia abigerunt. Greg. — Greg.]

pera portare vetet Apostolos: vt incentiuum litium tolleret ab eis, occasionẽ auerteret, & pecuniæ amorem, & auaritię stimulum ab eorum cordibus amoueret; ne, dum sacculis carerent, reponenda lucra, vel temporalia bona curarent. Insuper calceamenta minimè deferre præcepit, vt à terrenis affectibus procul mentem abducerent, qui ad cœlestia capescenda dona, & inde alijs edocenda mysteria, cuperent eleuari; vt Moysi dictum est Exod. 3. *Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo es, terra sãcta est.* Vel sine calceis vult esse Apostolos, vt propriæ mortificationis exemplo, auditores, & populi edocti, in horum cordibus diuinæ prædicationis dogmata, cœlestium mysteriorum, & pœnitentiæ arctius imprimerentur characteres, & impressi remanerẽt immobiles. Sed rursus, quod melius ad rem nostram facit dicamus, cur neminem ait per viam salutaueritis? non intendit in hoc præcepto Saluator, vrbanitatis, argumenta, in proximum sic prohibere, sedulitatis tollere officium, humanitatis excludere signa, in familiares, & amicos, sed vt disceremus, quod diuino mancipati, & dispositi ministerio, humana, & terrena cuncta, quæ obstare possunt impedimenta amouere debemus, vt Dei mandata, solicitè sedulò, & sine mora nobis iniuncta, adimpleamus: quare D. August. ser. 42. de Sanctis ait: *Quid est neminem salutaueritis in via? potest quidẽ, & simpliciter sic accipi, quia iussit nos festinanter agere iniuncta, & hoc ita dixit neminem per viam salutaueritis; tanquam diceret, omnia prætermittatis, dum quod iniũctum est peragatis; ea locutione, qua solent dicta exagerari, consuetudine sermocinandi.* Non enim, quod ipse Saluator gessit, deuotas illas fœminas supra relatas post resurrectionem salutando in via, modò Apostolis contrarium suadet, seu imperat, vrbanitatis auferens officium, amorem beneuolentiamque conciliantis, sed ne diuina retardentur obsequia, spiritualia tepescant opera, & in diuino spiritus feruore refrigescat torpore charitas. Quare Theoph. Luc. 10. ait: *Porro quod nullum per viam salutent, hac de causa eis iniungit, vt ne occupentur in hominum salutationibus, & curiositatibus, quibus à prædicatione impedirentur.*

Vt lites tolleret, & auaritiam auerteret.

Cur sine calceis incedere præcipit.

Salutationis cur officium vetet.

August.

Theoph.

11 Ad rem nostram conducere videtur ille locus scripturæ admiratione certe dignus, à Saluatore nostro expositus, Luc. 14. qui est: *Qui venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem; aut filios, fratres, aut sorores, adhuc autem & animã suam, nõ potest meus esse discipulus.* Quæ quidem verba primo aspectu contradictionem, nedum difficultates maximas, si ita dire, fas est, inuoluere videtur; Quid enim est hoc, quod, quos nobis, diligere præcipitur, vt Deut. 4. *Diliges proximum tuum*, modo odisse diuino teneamur præcepto? ergo odium ad Christi discipulatus gradum, & honorem cõducet, & ad diuinum nobis amorem conciliandum viam sternet? Ille qui nobis præcipit inimicorum nostrorum dilectionem, vt Matth. 5.: *Diligite inimicos vestros*, modò in parentes, & consanguinitate, nedum nobis necessitudine coniunctos, ad odij præceptum diuertit? si ait Apostolus ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio*, quomodo in lege diuina sistendo, contrarium dilectioni, & legi præceptum assumemus? fortassis odium, quod amoris nexus dissoluit, amorem conciliabit? Sed quos odio habebimus? inimicũ? non, quia iste est ex præcepto,

Diuinũ obsequiũ omnibus rebus anteponendum.

Quomodo veniẽs ad Christũ, omnes odio habere debeat

Quomodo Christus, qui amorẽ præcipit parentum, & affinium, odiũ suadet.

vt intulimus, diligēdus; Amicum? cum quo amor cōtrahitur, sic amor in odium vertetur, sic de amico inimicus erit; audite quos odio habere debemus, parentes, vxorem, filios, sorores, & etiam nos ipsos, Luc. 14. *Qui venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, aut filios, fratres, aut sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et quomodo parentes hic odisse modò præcipit, quos alibi summo honore venerari strictò sub mortis pœna, præcepto mandauit? vt Matth. 15. *Honora patrem, & matrem, qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Quid demeruere parentes, vt in hos filij odio insurgerent, de quorum virtute geniti, substantia enutriti, prudentia edocti, moribus præditi fuerunt? quibus sicut, & magistris pares gratias referre non possumus? Quid vxor, vt à viro despiciatur? cum quo vnum corpus efficitur, vt ad Ephes. 2.: *Erunt duo in carne vna*; à quo ex præcepto debet diligi, vt ad Ephes. 5. *Vnusquisq; vxorem suã, sicut se ipsum diligat*, odio sit prosequenda? Quid fratres, & sorores, vt odio prosequi debeamus? cum odium suscitet rixas, quæ pacem, quam ipse tulit Saluator, dicens Io: 14. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis tollat, & destruat*: Sed quod magis est, & nos ipsos odisse, præcipit, ideo ait: *Qui non odit patrem, & matrem &c. adhuc, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et quomodo quis se ipsum odio habere potest, cum scriptum sit per Apost. ad Ephes. 3: *Carnem suam nemo vnquam odio habuit* Et Esa. 58. *Et carnem tuam ne despexeris.* Sed ne amplius in difficultatibus immoremur, ad harum modò solutionem accedamus, ait D. August. in regula: *Ante omnia fratres charissimi diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data*; Ac si diceret præ omnibus diligendus est Deus, quare si parentes, sorores, fratres, filij &c. omnes, quos supra retulimus, nos à Dei amore retrahunt, aut retardant, Dei hostes sunt, & nostri, quos omnes reijcere, & odio prosequi debemus, vt Matth. 10. ipse Saluator noster intulit, dicens: *Qui diligit patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus.* Ideo si Dei amorem admittimus, mundi parētum scilicet, & aliorum noxium, ab hoc diuino amore dimittere, & reijcere debemus, nam amor Dei cum amore mundi non copulatur sicut, ille Poeta Ouid.

Non bene conueniunt, nec vna in sede morantur,
Maiestas, & amor,

Quare ad rem nostram D. August. serm. 15. in Psal. 118. dicit egregiè, *Dominus Iesus præcepit, Dei hostes, etiam si nobis, aut parentum, aut filiorum, aut coniugij germanitatisq; necessitate copulantur, odio prosequendos.* Et maximè cum horum odium ad Dei amorem nobis cōciliandum cōferat: Ex quo habemus, quod amor Dei omnium creaturarum dilectioni etiam parētum preponendus est, vt D. Hieronymus in quad. epist. *Licet in collo tuo paruulus dependeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus, vbera, quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcato perge patre, & siccis oculis ad vexillum crucis euola, solum pietatis genus est, in hac re te esse crudelem.* Animam etiam nostram præcipit odio habere, scilicet carnem, & vitam nostram, quæ cum dæmone, & mundo, in vnum, in nostri ruinam insurgentes conspirant, vt in sequentia omnium Sanctorum. *Mundus caro dæmonia diuersa monent*

Quomodo qui venerari iubet parentes, odio habere præcipit.

Quomodo quis se ipsũ odio habere debeat.

August.

Responsio, ad allatas difficultates

Ouid.

D. August.

Dei hostes etiam si nobis sanguine coniunctos odisse debemus.

Hieron.

Anima nostra scilicet caro odio habenda.

uent prælia, in animæ nostræ deperditionẽ coniurant, quare hanc odio haberi vult, mortificationibus reprimendo, eiusdem appetitibus, & desiderijs saluti nostræ noxijs repugnando. Vt Gregor. homil. 37. in Euang. *Tunc bene animam nostram odimus, cum eius carnalibus desiderijs, non aquiescimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur.* Quare ex his omnibus deducere possumus, quis, & qualiter sit amãdus, & odio habendus, nempe, vt ait Greg. loc. citato. *Ametur quilibet in hoc mundo etiã aduersarius, sed in via Dei, contrarius non ametur, etiam propinquus.* Et D. Bern. lib. de pass. Dom. c. 23. *Sic sunt amandi amici, vt affectus amoris conseruetur, sic sunt odiendi, vt eorum amor nequaquam Dei amori præferatur.*

Greg.

Greg.

Bern.

12 Quare ad rem nostram dicamus, quod si cœlesti diuini amoris lacte purissimo enutriri exoptamus, à fallacibus mundi vberibus, & terrenorum voluptatum lacte noxio, voluntatis, mentis, & desiderij ora debemus diuertere. Quare Esa. 28. c. dicitur: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus:* Quasi diceret illis, qui ab vberibus mundi, idest temporalium, & sensualium voluptatum os cordis, & affectus auulserunt, vt dicitur Prouerb. cap. p. *Fili si te lactauerint peccatores, nõ aquiescas eis*, & iam amplius non concupiscunt, sed ab hoc abhorrent, æternæ sapientiæ diuinarum illuminationum, & cœlestium consolationum spiritale sanum lac præbebo.

A mũdi vberibus declinet, qui cœlestium gratiarum lac esurit.

Ex historijs Regum Galliæ, memini me legisse, quod cum Galliæ quædam Regina, natione Hyspana, cuperet proprium filium regijs moribus imbuere, proprio quoque eundem lacte enutriri statuit; cum igitur quadam die animi gratia absens Regina à palatio peruagaretur, & infantulus, quem puellarum suarum custodiæ reliquerat, à fame vexaretur, & qui clamoribus, & vagitibus suam exprimere conabatur famis necessitatẽ, vt cibi misericordia subleuaretur. Cum expectati reditus Reginæ, se hora protraheret, misericordes puellæ tenerrimæ illi ætati compatientes, ne ieiuna nimis, infantis salus periclitaretur, quadam aduocata nutrice, hæc proprio lacte pauit, & esurientem cibo aquieuit infantulum. Ad aulas regias reuersa Regina, ac audiuit Infantem Regium, exterum lac suxisse. Indignata infremuit, ac iure iurando adiecit, filio, proprium amplius lac non exhibiturum, nisi exterum prius lac euomisset; quo dicto, sic manu contracta, pugnis, & motibus molestis, ita infantem exagitauit, & pœna affecit, vt exterum lac euomere, & edere fuerit coactus infantulus, & tunc materna regia vbera exhibuit, & proprio lacte pauit. Sic Deus, vt mater nostra, cuius nos filij sumus. Vt 1. Io: 3. *Vt filij Dei nominemur, & simus*, quæ nos pascit, & nostri semper cũram, gerit, vt Is. 49. d. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur vteri sui, & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui*; vt nos igitur cęlestibus imbueret moribus, erudiret disciplinis, instrueret exemplis, proprio diuinę eius doctrinæ, & gratiæ lacte enutriri disposuit, vt Bern. *Oportet diuinam sapientiam lactescere, & ad paruulos peruenire*; sed peccator non malitia, sed ingenio paruulus, vt infernalium lamiarum mundi, sensualium voluptatum, fucato aspectu allectus, harum fame, sensuali appetitu vrgente vexatus, ad mundi vbera vagit, accurrit,

Histor.

Regina, quæ propriũ lactare infantem decreuit.

Bern.

rit, se his insigit, lac exterum diaboli, vitiorum auidè fugit, à quo abstinendum sapiens suasit prouerb. p. c. *Fili si te lactauerint peccatores non aquiescas eis*. Quare iusta indignatione commotus Deus, vt Ose. 12. *Me ad iracundiam prouocauit Ephraim*, vt zelans mater: *iurauit*, vt dixit Psalm. 109. *Dominus, & non pœnitebit eum*, diuinæ gratiæ, & cœlestium consolationum sancta vbera minimè exhibiturum; nisi prius secularium voluptatum, à spiritualibus alienum lac, nos euomamus, & reijciamus. Ideo D. Ber. cit. ab Hug. super Psalm. 118. ait: *Delicata est diuina consolatio, nec conceditur admittentibus alienam.*

Terrenas voluptates reijciat, qui diuina ambit solatia.

Ber.

Historia.

August Aulici Teodosij Imperatoris duo, à mundo declinãtes, Religionis habitum assumunt.

13 Hanc probè veritatem agnouere illi Imperatoris sapientes aulici, vt refert D. Aust. 8. confess. cap. 6., qui de harum terrenarum vanitatum cum cœlestibus donis repugnantia, diuinitus edocti, mundo carni nuncium remittentes, Cæsareæ aulæ honoribus, gratijs, & quibuscunque commodis abdicatis, & diuitijs posthabitis, religiosa vitam amplexa, sub paupertatis, & obedientiæ ducibus, iter sibi ad Cælum arripuere; nam cum Imperator apud Treuiros Pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, isti duo præcipuè, relictis mundani gaudij solẽnitatibus, extra Ciuitatem in hortos muris contiguos, animi gratia ad deambulandũ processerũt. Dum igitur cõbinati spaciabãtur, aliquãtulum digressi, in quandam casam irruerunt, vbi quidam serui Dei habitabant spiritu pauperes, qualium est regnum cælorum; hanc ingressi inuenerunt in paupertate diuitias, in humilitate gloriam, in austeritate delicias delitescere; ad manum sibi protinus occurrentem quẽdam codicem horum alter legit, in quo erat scripta vita illius Antonij, sanctitate præeminentis, qui fuit Eremi decus, & ornamentum, Egypti splendidissimus Sol, & in spiritualibus bellis in dæmones colluctationibus, & prælijs inuictissimus dux, & Inferni terror maximus; hoc tantum dixisse sufficiat, quod huius vitæ lectio, hos duos à mundi turbinibus, & à seculi vanitatibus ad Cœlum euocauerit, & eripuerit. Dum igitur huius tanti viri vitam legeret, cœpit huius sanctitatem maximis pœnitentiæ meritis accumulatam admirari, in diuino amore protinus exardescens, talem quoque sibi vitam arripere in animum induxit, & relictà militia seculari, Deo totis viribus militare ad regnũ cœlorum, meritis expugnandum, iuxta illud Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; quare sobrio pudore iratus sibi, in amicum oculos conuertens, ait huic. *Dic quæso* Verba Diui Augustini, *omnibus his laboribus nostris quò ambimus peruenire? quid quærimus, cuius causa militamus; maior ne esse poterit spes nostra in palatio, quam vt amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile plenumq; periculis, & per quot pericula peruenitur ad grauius periculum, & quandiù istud erit? amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio.* Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ discreuit, decreuitque meliora; Quæ quidem verba vti à Spir. Sanct. dictata, magnã in se dicendorum mysterij emphasim continere videntur, quare ad nostri eruditionem hæc breuiter expendentes in horum declaratione parumper liceat immorari. *Dic quæso omnibus his laboribus, quo ambimus peruenire?* ac si dicere vellet: amice, & frater mi; En audisti tanti viri sanctæ vitæ probitatem, morum munditiam, pœnitentiam, austeritatem, denique cœlestis consolationis præmium assecutum, quod in

Hi Aulici, D. Antonij vitam legẽtes, seculo renunciare decernunt.

D. August.

August. Aulicorum discursus inter se.

in cælis tandem terminatum, nullo termino claudetur, & nos his laboribus nostris, *quo ambimus peruenire?* In Cæsaris aula, sine mercede laborare, sine præmio mereri, sine stipendio militare, sine vllo solatio pati: continuò mente cruciari, affligi, hilari vultu, nos despicientes aspicere, nos deprimentes extollere; inhonorantes nos venerari; nos vexantes consolari; laudare malum, ignorantiam demirari, ingratitudinem colere; quò his laboribus nostris ambimus peruenire? maior ne potest esse spes nostra, quam Cæsaris gratiam assequamur, quæ tandem, quia hominum gratia fallax, periculi plena res est, nam citò amittitur, sicut difficulter aquiri potest, sic ergo per tot erumnarum, & periculorum tramites laboriosos, ad maius periculum peruenitur? & quando hæc erunt? interim anni transeunt, ætas præterit, iuuentus deflorescit, debilitantur vires, corroditur corpus, prouentus diminuntur, deperditur sanitas, languescit virium virtus, facultates consumũtur, & mors aduenit, & spes nihil parturit, non adimpletur. Inueniri non potest portus, vbi cernitur naufragium; nulla securitas speranda, vbi periculum patet; tot solicitudinibus angimur, tot curis præmimur, tot malis affligimur; tot inuidiæ iaculis exponimur; tot timoris vndis agitamur, sic igitur semper hæsitabũda heret mens nostra; in tot periculis mercedem fallacem, incertum præmiũ sperãtes, ineptè versamur? ò mundi dementia, ò hominum insipida, & stulta mens; *Amicus autem Dei si voluero ecce nunc fio. Nunc*, qui possum à vita deficere, ad tribunal Christi rapi, ad iudiciũ vocari; *Nũc*, in quo me Deus vocat, misericordia inuitat, in quo est tempus acceptabile, dies, & hora salutis; *Nunc* in quo Deus suæ diuinæ misericordiæ inexhaustos thesauros in animæ meæ pauperculæ gazophylacium, effundit; *Nunc*, qui cũ corpore animam quoque deperdere possum: *Amicus Dei si voluero ecce fio.* Et quænam collatio Cæsaris Aula, cum cælestis gloriæ Rege; Imperator Terræ, cum cæli, & totius mundi Conditore, & Domino; inanis mundi gloria, cum æterna illa fœlicitate; gratia hominum, cum gratia Dei? ò humanus sexus? vbi es? ò homo adhuc in molli terrenarum cupiditatum culcitra, dormitas; adhuc ad Deum venire mente hæsitas? adhuc in tenebris iaces, & indeficiens eternæ gloriæ lumen non vides? Apage ò munde, dixit. Tantum enim iste discursus, in horum cordibus inualuit, vt, abiectis mundi delectationibus terrenis spretis honoribus, veterem hominem expoliantes, nouum induerint, sanctum Religionis habitum assumentes, & cælesti militiæ adhuc in terris ambo nomen dederint; sic vt se Deo adiũgerent, mundo renunciarunt: *Quia* vt ait Greg. in Hom. 11. *qui cælestis vitæ dulcedinem in quãtum possibilitas admittit perfectè cognouerit, ea quæ in terrenis amauerat libenter cuncta derelinquit*, ex quo meritum, & premium æternæ, inde beatitudinis creditur fuisse consecutos, vt S. Ambr. lib. 5. in Luc. cap. 6.: *Qui contempserit secularia, ipse merebitur æterna: nec potest quisquã meritum regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus, emergendi non habet facultatem.*

In Aulis Pricipum, Aulicorum pericula.

Aulici hi mũdo nuncium remiserunt.

Greg.

Ambr.

14 Qui igitur spiritualibus vitæ æternæ edulijs animam suam cupit enutrire, noxium peccati humorem, pœnitentiæ pharmaco, debet euacuare; sicut Matth. 10. dicitur: *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et quomodo serpentis prudentiam possumus

immitari

immitari, qui venena gerit, à quibus, quis eripi, & liberari ſtudet? Inter alias ſerpentis proprietates, hęc in eo præcipua viget, ſicut ait Ambr. ſer. in fer. poſt Dom. p. Quad. *Serpens cum venit ad bibendam aquam, prius quam bibit, extra fontem euomit venenum ſuum, & poſtea bibit*; ſic nos hanc proprietatem debemus cordi, & mentibus noſtris inſerere, vt ſitientes fontem aquæ viuæ, æternæ vitæ, priuſquā ad hanc accedamus, ad quam inuitati ſumus, vt Io: 7. *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat*, vel prius quam ad panem illum Angelorum, in Euchariſtia deguſtandum, accedamus, odij, liuoris, vindictæ, & peccati venenum deponamus, per confeſſionem vt Hug. Card. ſuper Eccleſiaſt. 32. *Surge è medio per contritionem, & vome per confeſſionem*; & ſic purgati bibentes diuinæ gratiæ aquam, & cæleſti illo æternę dulcedinis paſcemur cibo, quare idem Ambroſius ſubdit, ſimilitudinem complens: *Ita, & nos* (ait) *quando ad altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum peſſimum, hoc eſt iracundiam, odium, inuidiam, falſitatem, & ſic ad altare Domini, corpore, & ſanguine, eius, ſatiemur*.

Ambr. Serpens ad fontem accedens venenum prius euomit, ante potum.

Ad cęleſtem panem deguſtandum, peccati prius euomendum virus.

Hug. Card.

Ambr.

* * *

Neque compreſſiones, ad extremum ducendæ, (periculoſum enim,) ſed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, hoc ducere conuenit. tex.

§. IV. Qualiter morales animæ purgationes, ad extremum non ſint ducendæ, ſed pœnitentis viribus, commenſurandæ.

1 VT igitur in corpore, alteri, ſiue nouæ nutritioni detur locus, pleniorem diximus illam habitudinem, ſine mora eſſe ſoluendam; quæ ſolutio euacuatione declaratur; vt Galenus hic. Hæc autem euacuatio, qualis eſſe debeat præſentis textus particula manifeſtat, quæ ſic habet: *Neque compreſſiones, ad extremum ſunt ducendæ*; vt ſcilicet, ſiue eleemoſynæ, ſiue malè ablati reſtitutio, non extremæ ſint, vt diximus, ſed diſcretionis calculo examinentur, ſecundum illud Solonis dictum: *Vt nequid nimis*; & pœnitentis viribus modificentur. Et quod moderata, & non extrema eſſe debeat iſta eleemoſynarum v. g. compreſſio, ad pauperum, vt potè, inopiam ſubleuandā, patet; nam primò naturæ ordo inuerteretur; quia ſi id totum, quod habet diues, in pauperis eleemoſynam elargiretur, tunc pauper diues euaderet, & diues in extremam decideret pauperiem, quod inconueniens videtur: ſecundo, quia pietatis auctor, qui ait, Oſe. 6. *Miſericordiam volui, non ſacrificium*, hoc non præcipit, vt omnem ſuam quis in pauperum ſubleuatione, effunderet ſubſtantiam, ſed tantum ſuperflua, vt Luc. 11. *Quod ſupereſt date*

Galen.

Solon.

date eleemosynã, & egregiè D. Ambros. lib. 2. in Luc. 3. ait: *Misericordia pro possibilitate conditionis humanæ, mensura seruatur; vt non sibi vnusquisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere partiatur.*

Ambr.

Cur Mariæ Magdalenæ Christus, pedum vnctionem permiserit, domi Pharisei, nõ aliarũ mulierũ simul, in sepulchro

2 Hinc licebit absconditum eruere mysterium diuinæ pietatis; cur Christus Mariæ Magdalenæ soli, domi Pharisei facultatem tribuerit, vt prætioso vnguento sanctos eius posset linire pedes, non alijs fœminis, inter quas ipsa Magdalena connumerabatur, quæ emptis aromatibus, vt Christi sanctissimum vngerent corpus, ad sepulchrum processerunt. Et quare, si tunc soli Magdalenæ hoc præmisit, his omnibus simul religiosis fęminis, si exceptator personarum non est, honorem non concessit, vt pio, earum sanctæ vnctionis obsequio, in corpus Christi, satisfacerent desiderio? Dũ Maria Magdalena domi Pharisei corpus sanctissimum Christi vnguento liniuit, corporis eiusdem in sepulchro vnctionem præuenit, vt idem Saluator dicebat, Marc. 14. *Præuenit vngere corpus meum in sepultura.* Quare hoc præstito per Magdalenam obsequio, nihil amplius ad nouam vnctionem desiderabatur, sic harum mulierum sanctarum modo prætensa vnctio superfluebat: verum, & harum obsequij tributum Christus non repulit, non recusat, sed quomodo acceptauit? Vultis, quasi diceret Christus vngere corpus meum? obsequium non detrecto, deuotionem vestram non recuso, ad membra mea recurrite, quæ sunt pauperes, empta, & comparata vobis aromata modo superflua mihi, vendite, prætium in horum inopia subleuanda effundite, secundum illud Luc. 12. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam*, & quia ait Christus Matth. 25. *Quod minimis meis fecistis mihi fecistis*, sic meo corpori obsequium præstitum vestrum ducam, & tunc meum, vestris aromatibus vnxisse corpus declarabo, cum pauperum miseriam, vestra eleemosyna subleuabitis. Quare D. Bernardus. *Peperit ergo magister pietatis vnguentis optimis, quæ membris suis indigentibus cuperet exhiberi.* Ecce superfluitas aromatum in eleemosynas eroganda.

Vnctio Magdalenæ, est preuẽtio vnctionis præstandę in sepulchro, Christo.

Superfluentia aromata, in eleemosynã erogari cupit Christus.

Bern.

3 Hæc enim mulier Magdalena inquam; qualiter de superfluis eleemosynas pauperibus elargiri debeamus, eius apud Christum obsequio, nobis argumentum reliquit, Domum Pharisei ingressa ad Christi pedes prouoluta, & deuota procumbens, lacrymarum imbribus, hos irrigauit; ex quibus indulgentiæ, & peccatorum suorum veniæ, copiosos fructus collegit; vnde dicitur Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: insuper eosdem Christi pedes, dicit Euãgelista lacrymarum humore humefacto, crine soluto, illos tergebat, & osculabatur, & vnguento vngebat. Pedes Christi sunt extrema Ecclesiæ, hoc est pauperes, & infirmi in Ecclesia, vt ait Ambros. de Tob. 22. Hier. super Es. 52. *Tunc enim Christi pedes rigamus lacrymis nostris, cum miseriæ pauperum, & proximorum nostrorum compatimur.* Ait enim D. Thom. p. p. quæst. 21. a. 3.: *Misericordia, est compassio alienæ miseriæ in corde, qua si possumus subuenire compellimur*; quæ quidem miseria nos persæpe ad fletum prouocat, miserendo; verum tunc Christi pedes tergimus capillis, cum eleemosynæ, & aliorũ pietatis operum vnguento, pauperibus subuenimus, vt optimè D. August. super Psalm. 51.: *Mulier peccatrix, cum fleuisset super pedes Domini capillis suis tersit, quos lacrymis rigauit, significans, quia cũ misertus fueris*

Maria Magdalena capillis suis Christi pedes tergens, quid?

Ambr. Hieron.

D. Thom.

Capillis, Christi pedes tergimus, eleemosynis.

August.

Cur potius capillis, non linteo, Maria Magda-

lena, pedes Christi abstersit.

fueris alicuius, debes, & subuenire si potes; cum enim misereris, tantum lacrymas fundis, cum subuenis capillis tergis. Sed quare capillis tergebat Christi pedes, non potius aliquo sudario, vt potè linteo lineo magis apto, vt fecit Christus, cum discipulorum suorum lauit pedes, & S. Veronica, cum sanctissimam Christi faciem abstersit, quomodo capillis abstergere potuit; & voluit Christus, cum hi, aqueum illum lacrymarum humorem super Christi pedes effusum, recipere tollere, & abstergere minime valeant? capilli superfluitatem diuitiarum, & bonorum temporalium symbolū sunt, nam sicut capilli non sunt quædam pars corporis, sed quædam superfluitas à corporis humore procedēs, sic bonorum temporalium superfluitas capillorū nomine designari potest, cum non sint hæc terrena nobis naturalia, sed aliena, & superflua; capillis igitur Iesu pedes tergebat; vt disceremus, de superfluis nos debere pauperibus eleemosynas erogare, quare D. August. tract. 5. in Io: ait: *Capillis terge, si habes superflua da pauperibus, & Domini pedes tersisti; capilli enim superflua corporis videntur, habes quod agas de superfluis tuis, tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria*; & hoc idem insinuare videtur idem D. Aug. T. 8. in Ps. 140. vbi ait: *Meritò quia capilli, quasi superflui sunt, inde illa pedes Domini detergebat; superflua tua necessaria fiunt tibi, si inde fueris obsecutus pedes Domini.* Ecce quomodo in superfluis, non in purè necessarijs eleemosyna exercenda; sic diuitiarū compressiones ad extremum minimè ducendas esse dignoscimus,

Mariæ Magdalenæ capilli, diuitiarum superfluitates significant.

August.

August.

Eleemosyna non de purè neces-

4 Hæc veritas per Deut. 24. corroboratur, vbi dicitur: *Quādo messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum, reliqueris, non reuertaris, vt tollas illum, sed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus.* Hic de terrenorum substantia, insinuat pietatis opera in pauperes excolenda, ac propterea cum nobis naturalia non sint temporalia hæc bona, tantum ad nostri sustentationem necessaria, secūdum propriam cuiusque conditionem, assumenda præcipit; superflua verò ad egenorum pauperiem subleuandā, relinquenda, vt cœlesti benedictione fruamur, secundum illud prou. 24. *Qui miseretur pauperis, beatus erit.* Sed quod ad rem nostram facit, perpendamus: ait manipulum oblitum in agro esse relinquendum pupillis, & aduenis egenis: ex quo deducere licebit, non totam substātiam, & diuitum facultatem esse pro eleemosyna pauperibus dimittendam; ideo non ait, totam segetem, sed manipulum, veluti partē, quæ ad necessariam vitæ sustentationem diuitis non facit, sed vt superfluum, ducit relaxandum pauperibus. Et hoc idem clarius patet Leuit. 23. vbi præcipit Deus, vt segetes metant, sed stipulam relinquant in parte, dicens: *Postquam messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam vsque ad solum, nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus, & peregrinis dimittetis eas*; quasi diceret, segetes, sicut seminastis ad vestri sustentationem, iam metite, laborum vestrorum, vt par est, etiam fructus colligite; verum in eo, quod vobis superest, mementote pauperum; egenorum rationem habete, nam sicut volatilia, & cętera quęque terrestria animantia, quæ non serunt, neque nent, Dei tamen prouidentia aluntur, quanto magis rationales creaturæ, quæ proprio carent agro, vestris substantijs, quæ vobis necessaria

minime

sarijs nobis, sed de superfluis faciēda.

Manipulus in agro oblitus, pauperi relinquēdus

Superflua pauperibus relaxanda.

Segetes vsq; ad solum secari prohibet Deus, ad pauperum subleuationem.

minimè sunt, ali debent; horum tuenda vita, propulsanda fames, & summa egestas miseriaque subleuanda; quare spicas, quas Deus è manibus messorum prouidit decidere, has pauperibus, relinquite, peregrinis famescentibus dimittite, arentibus horum faucibus, & vacuo ventri, vt subueniant; quare cum messueritis segetem, neque vsque ad solum, has vult secari, vt stipulæ particula ad iacentis pauperis stratum prouidè, & opportunè remaneat. Et quia non in solo panis cibo viuit homo, maximè verò diues, sed etiam in generoso vitis germine, ideo Deus ad hoc etiam descẽdit, vt in hoc etiam de eleemosyna cogitemus, secundum illud Tob. 4. *De substantia tua fac eleemosynam*; quare Leuit. 19. 10.: *Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes*; quasi dicere vellet, etiam in racemis, & vuis vindemiarum tempore colligendis, vobis quoque superflua occurrent, nempe racemi, qui remanent, & horum etiam grana, quæ decidunt, in his quoque mementote pauperum, & quæ vobis superflua, illis necessaria, relinquetis: quare Liranus hic, ait: *Propterea metentes, vel vindemiantes, vult aliquid derelinquere pauperi, & proselyto, ne datori omnium videatur ingratus, qui alijs diuitias dedit, alios de aliorum reliquijs viuere voluit, vt sic probet dispensationem diuitum, & pauperum patientiam.*

Liran. In vindemia, vult etiam Deus aliquid pauperi relinquendum.

5 Sed inquiet quis quomodo hic reliquias in messe, & vindemijs pauperi relinquendas præcipit, si in deserto vbi affatim turbæ multitudinem paucorum panum, & pisciũ cibo abundè pauit, reliquias, quæ superfluerant colligendas præcepit, dicens Io: cap. 6. *Colligite fragmentã, ne pereant*, & quare hæc turbis illis non dimisit inde pasci turis, si tunc pastis, quod si hæc colligenda præcipit, & quare spicas manipulos relictos, & decidentia grana tempore messium, vel etiam vindemiarum, vt diximus dimittenda suasit, imò iussit, ad pauperum subsidium? sed respondetur, quod non eadem omnium horum ratio est; nam hic de pascendis pauperibus, ibi de pastis turbis sermo est intelligendus; hic de simplici pauperum necessitate, & de diuitum superfluitate; ibi de exuberante cibi superfluitate turbis iam famelicis exsaturatis; hic de reliquijs ad aliorum necessitatem relictis, ibi de fragmẽtis panis, & piscium ad miraculi euidentiam colligendis, vt ex fragmentis, & reliquijs receptis magis diuinæ manus claresceret potentia, cum plus sustulissent, quam apposuissent.

Obiectio: si superflua pauperibus relinquẽda, quare in deserto colligendas præcipit Christus reliquias.

Difficultatis solutio.

6 Charitatem hanc maximam, non extremam in pauperes exercendam nobis suasit Saluator, dum Luc. 3. 1. dixit: *Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti; & qui habet escas similiter faciat.* Christus vti pater pijssimus noster, qui nos sua potentia genuit, & sanguine suo in sanctæ crucis lectulo, passionis suæ doloribus regenerauit ad vitam; nos omnes sibi filios, & inter nos fratres, & pietate germanos optat esse; & quos charitatis sanguine in vnum sanctæ Ecclesiæ corpus, & consortium collegit, & adunauit, temporalia quoque bona præcipuè in necessitatibus cupit cõmunia haberi. Quare ait, *qui habet duas tunicas, det alteram non habenti*, vt etiam D. Gregor. hom. 20. in Euangel. ait: *Minus proximum amare conuincitur, qui non eo in necessitate illius, etiam ea, quæ sunt sibi necessaria partitur*, hoc pariter de escis præcipit, vtpotè habens duos panes vno cõtentus, ad propriæ

In necessitatibus egeno, vt fratri secũdum possibilitatem, subueniendum.

D. Greg.

vitæ sustentationem, fratri egenti communicet alterum: non enim ait; vt det ambas tunicas, quasi quod vtraque possessor priuatus, nudus ipse incedere cogatur, extremum enim hoc opus esset, & à charitate in prodigalitatem declinaret, & virtus verteretur in vitium omnia enim extrema vitiosa redduntur, alteram quidem, veluti necessitati suæ superfluam suadet, aut pręcipit dari tunicā, vt charitatis ad impleat plenum opus. Quare D. Basil. in serm. ad diuites ait: *Hic autem docemur, quod ex omni eo quod affluit supra proprij victus necessitatem, tenemur erogare illi, qui non habet, propter Deum.* Hanc benè Saluatoris nostri mentem, animo concepit impertiendæ charitatis in egenos, Sanctus Martinus, cui cum obuiā venisset pauper nudus, Christi nomine eleemosynam petens, euaginato ille gladio, partem chlamydis scidit, cum nil aliud præter vestem, & arma haberet; & illam pauperi cessit, qua Christus ipse sequenti nocte indutus, eidem apparens Martino, sic affatus est: *Martinus Cathecumenus, hac me veste contexit.* Sic ex S. Seuero Sulpitio. Quare non totam vestem sed partem elargiens ad extremam quoq; omnium bonorum eleemosynam nos docuit deueniendum non esse. Et huius sancti maxima charitas est admiranda, nam alteram vestem libentius dedisset, si habuisset, cum propriam scidit in eleemosynam.

D. Basil.

Seuer. Sulpit.

7 Sed obijcies, quod Christus cuidam viam salutis carpere, & ad perfectionis statum, peruenire cupienti, responderit Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, quod in Apostolis etiam adimpletum est, dicente Petro, vt Matth. 19. a. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* qui totum dicit nihil excludit, ergo ex Christi consilio, & Apostolorum gestis, omnia nostra temporalia bona relinquere ad nostri salutē probè consultum erit? sed respōdetur hoc dixisse Christum, vt huius petentis animum, à terrenis abduceret bonis, vt magis ad cælestia appetenda eiusdem erigeret mentem, eleuaret affectum, & ad sequelam Christi cogitaret, qui ei de corporali, & spirituali prouideret victu, vt fecit Apostolis, omnia relinquentibus; quare eidem subdidit, Matth. 19. *Et veni sequere me*, quod aliter facientes, scilicet omnia absolutè temporalia bona pauperibus relinquentes, non probarem; imò nec omninò à culpa immunes, vti ad extrema deflectentes, censerem; quare Hug. Card. Matth. 19. ait: *Qui dat omnia, rationabiliter debet sibi prouidere aliquo modo, uel ingrediendo Abbatiam, quæ ei posset dare necessaria, vel accipiendo eleemosynam ab alio, aliter peccaret, omnia dando.*

Obiectio si superflua, tantū danda, quare adolescenti, omnia sua pauperibus Christus, dispergenda, suadet?

Responsio obiectionē.

Omnia bona, non debet absolutè, quis pauperibus erogare.

Hug. Card.

8 Et hoc ipsum mihi ratio suadere videtur extremam omnium scilicet facultatum moralem euacuationem à diuite eleemosynam pauperibus erogando, non esse faciendam, nam D. Th. 2. 2. quæst. 118. ait p. *Cum in omnibus rebus bonum consistat indebita mensura*, necesse est, quod per excessum, vel defectum illius mensuræ, malum proueniat; In rebus autem, quę sunt ad finem, necesse est vt huic commensurentur, vt per Philos. p. polit. capit. 6. sicuti medicina sanitati; cum igitur bona exteriora, vt potè facultates, & diuitiæ, vtilium rationem habeant ad vitæ humanæ sustentationem, necesse est, vt huic commensurentur, quare si diues secundum mensuram suæ conditionis vtatur diuitijs, hoc bonum, verum excessus huius mensuræ constituit

D. Th.

Philosoph.

Quomodo quis diuitias retinere, & relaxare teneatur.

stituit peccatum, dum supra debitum modum, vult aquirere, & retinere, pauperibus eleemosynas negando, quod auaritię detestabile vitium esset, vel in aliud extremum oppositum declinando, per excessum, omnem substantiam facultatum suarum nihil sibi omninò ad vitæ sustentationem reseruando, pauperibus tradendo, hoc prodigalitatis vitium esset, & contra naturam, cum vnusquisque, debito victu vitam tueri, & conseruare naturaliter conetur; quare D. Th. 1. 2. q. 32. a. 6. secũdum ait: *Quod prodigalitas habet immoderatam emissionem, quæ repugnat naturæ, & ideò prodigalitas dicitur esse contra naturam*; ideo meritò D. Ber. in Cant. ser. 24. ait: *Discretio omni virtuti ordinem ponit; est discretio non tam virtus, quam moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, & doctrix morum: tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsaq; affectio naturalis, in perturbationem magis conuertetur, exterminiumque naturæ.*

D. Thom.

Bern.

Discretio seruanda.

9 Secundò possunt intelligi, pro istis; vti diximus moralibus compressionibus, diuitiæ, quas auidè dolo ingurgitauit fœnerator, quarum euacuatio per restitutionis pharmacum, est instituenda; quæ quidem euacuatio ab extremitate declinare quoque debet; idest non tenetur, ita fœnerator restituere, vt propterea ipse emẽdicare cogatur, maximè qui prius honestè viuebat, & cùm iactura sui status, & conditionis primeuæ; quare non tenetur v.g. Comes ad venditionem Castri, quod iusto titulo possedit, nec nobilis emendicare, vel aliorum se seruituti subijcere, nec artifex supellectilia, & instrumenta necessaria ad eius vitæ sustentationem, vt restituat malè ablatum, vendere: Tenentur tamen omnes, quo quomodo possunt, ad restitutionẽ, vt potè Comes citra notam paupertatis, parcè viuere, statum suum attenuare, & etiam artifex, aliquid demere de proprio victu, moderatè tantum viuendo, & quod in dies lucrari potest paulatim restituere id, ad q; tenetur; ita Corrad. in respõs. cas. consc. quęsito 111.: Verum tamen est, quod si fœnore dolo, & iniustè illum statum aquisiuit Comes, etiam cum eiusdem status iactura, & Castri deperditione, hoc est restituendum, reseruatis sibi semper naturalis vitæ, seu viuendi sumptibus, sicut prius; hoc enim est de iure naturæ, sic sensit Nauar. cap. 17. n. 56. & 57. Bonac. p. 2. disp. p. q. vltima num. 23. & 24. vbi etiam alij Doctores citantur.

A fœneratore restitutio nõ extrema facienda, cũ iactura sui status, declaratur.

Quomodo iniustè detẽtor rei alienæ, ad restitutionẽ teneatur.

Corrad.

Nauar.

Bonac.

10 Tertiò etiam vitiorum, scilicet malorum habituum compressiones, per pęnitentiam euacuandę, ad extremum non sunt ducendæ, hoc est non sunt à Confessore, & à Superiore pęnitẽti preter vires huius pœnæ iniungendæ: vt de illis Pharisęis, & Scribis, qui in Moysi cathedra sedebant, dicebat Saluator Matth. 23. *Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt super humeros hominum*; sic de Confessoribus illis, qui in Spiritus sancti, & D. Petri cathedra sedẽt per auctoritatem, dici potest, qui pœnitentibus grauem pœnitentiæ sarcinam imponunt, pro satisfactione peccatorum, quam ferre nõ possunt, quare horum sententiam Confessorum reprobans D. Chris. super Matth. 23. ait: *melius est errare circa modicam pœnitentiam, quam circa immodicam: si erramus aliquando modicam pœnitentiam iniungendo, non ne melius est de misericordia rationem reddere, quam de crudelitate?* Vbi pater familias largus est, dispensator non debet esse tenax; si Deus est benignus, vt quid Confes-

Pœnitentiæ à Superioribus pręscribendæ, modum nõ debẽt excedere.

Chris.

for erit austerus? Et Homil. 43. in opere imperfect. idem Chris. ait: *Tales sunt, qui graue pondus venientibus ad pænitentiam imponunt, vt sic dum præsens pœna fugitur, contemnitur pœna futura: si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare posueris, necesse habet, aut fascem reijciat, aut sub pondere confringatur, sic homini, cui pondus pænitentiæ imponis, necesse est, vt aut pænitentiam reijciat, aut suscipiens, dum ferre non potest, scandalizatus amplius peccet: melius est per misericordiam reddere rationum, quam per crudelitatem deficere pænitentem.* hæc Chris. Et hoc etiam per doctrinam Angelici nostri Præceptoris probari euidenter potest D. Th. in suppl. ad 3. p. q. 10. a. 2. qui ait: *Quod homo liberatus à pœna æterna per absolutionem sacramentalem*, ad huc remanet obligatus, ad pœnam temporalem, secundum quod pœna est medicina purgans, & promouens, & sic hæc pœna restat patienda in purgatorio, sed quia hæc pœna purgatorij restat improportionata viribus pœnitentis, in hoc mundo viuentis, ideo virtute clauium minuitur in tãtum, quod proportionata viribus pœnitentis remanet, ita quod satisfaciendo, se in hac vita purgare potest; ex quo clarè videmus, quod Deus ipse misericors in pœnitentijs iniungendis, vires pœnitentis metitur.

Chris.

Exemplum adolescẽtis supra vires fascem recipientis.

D. Thom.

Pœna purgatorij, quia improportionata viribus nostris minuitur in hac vita, vir tute clauiũ ad satisfactionem.

Probatur Theologicè quod extra vires pœnitentis pœnitentiæ non sint iniungendæ.

11 Quod vt nobis magis elucescat Theologicè etiam probemus: Deus ipse confessoribus exemplar esse potest, ne vltra vires pœnitentis, huic pœnitentias iniungant, quare pœnitentias nostras, ipse moderatus est; Peccatum enim cum sit offensa infinita, ratione obiecti infiniti, quod est Deus, requirebat etiam satisfactionem infinitam, ad offensam tollendam, vt satisfactio culpæ esset proportionata; quare cum homo, vt pura creatura, quæ est virtutis finitæ, infinitæ offensæ satisfacere minimè posset, iure meritò ex rigore iustitiæ diuinæ, æternis pœnis adiudicandus fuisset, pro iusta pœnitentia peragenda; quid egit misericors Deus, qui est solus virtutis, sicut, & potentiæ, infinitæ? ne eius imago, æternis inferni ignibus addicta cõcremaretur, quã ad cælũ, & æternam gloriam eleuare intendebat, in se ipso nostras moderatus est pœnas, quare: *Deus*, inquit, Bed. *Factus est homo, vt pati ex vno, & redimere posset ex altero*; hoc est, vt homo pati posset, humanitatem suam subiectum passionis substrauit, & vt Deus, vt redimeret hominẽ, sic sui sacratissimi sanguinis virtute pro nobis satisfecit diuinæ iustitiæ, illum durum rigorem mitigans, vt nos etiã pœnitentijs nostris in ipsius Sanctissimo Sanguine fundatis, satisfacere possemus; sic nostras debitas diuinæ iustitiæ moderatus est pœnas. Nec dicendum est, quod Christus satisfactionẽ ita adimpleuerit, vt nobis amplius alia satisfactio non sit necessaria, vt hæreticorum malè olet opinio; Sed Christus infinitatem satisfactionis, quam nos pro peccatis debebamus supplens, pœnas etiã ipsas à nobis exigendas minuit virtute ipsius sanguinis; non tamen eas à nobis sustulit, ac si nos nullas pati deberemus, hoc enim absurdum, & hæresim olet. quare Greg. p. reg. 9.: *Non omnia nostra Christus expleuit; per crucem suam quidem omnes redemit, sed remansit, vt qui redimi, & regnare cum eo nititur, crucifigatur: hoc profectò residuum viderat, qui dicebat si cõpatimur, & conregnabimus* 2. ad Timoth. 2. quasi dicat, quod expleuit Christus non valet, nisi ei qui id quod remansit, adimplet; hinc idẽ Paulus ad Coloss. p. ait; *adimpleo ea*

Vt satisfactio culpæ correspõderet, Deus factus est homo.

Bed.

Pœnas nostras Christus, eius passione moderatus est.

Greg.

quæ

Quomodo adimplere possumus, quæ desunt passioni Christi.

quæ desunt passionũ Christi, in carne mea. Quare Christus quo ad redemptionis munus spectabat, prætio sui sanguinis infinito liberauit nos à debito peccatorum omnino, ita vt nihil amplius ab eo requireretur exequendum, quo ad nostram salutem, & liberationem; veruntamen hoc est tantum, ad diminutionem pœnæ nostræ, & culpæ totalem purgationem, quare à nobis etiam pœnitentiam conferri voluit, ad plenam vtrinque solutionẽ debitorum, quæ cum nostra essent, ipse maxima ex parte persoluit, vt nimirum ex nostra parte adderetur dolor, & pœnitentia, secundum vires nostras, vt diuinæ iustitiæ, quo ad nos attinet, satisfaceremus.

Deus, qui nos creauit nostri non quærit dissolutionem, sed vitam, ideo moderatam mortificationẽ sensus.

12 Et hoc etiam mihi ratio ipsa suadet, nam Deus non hominem, sed culpam odit; culpa igitur, & vitium destruenda sunt, non homo, dicitur enim Sap. 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*: peccatum enim, vt immediatè contra Deum diuinæ bonitati opponitur, non homo, vtpotè Dei imago, & factura, quare caro, vt spiritui deseruiat, ne in peccatum sæuiat, vel corruat moderata pœnitentia præmenda, & castiganda, non immoderata, est exterminanda. Medicus enim, qui curat infirmum, non hunc omnino deijcere, & huius vires prosterni quærit, sed has potius tueri, & morbum solum, & morbi causam tollere tentat; sic salutis nostræ cœlestis medicus Saluator, venit nostras infirmitates peccatorum tollere, iniquitates auferre, animi morbos, vitiorum à mentis nostræ corpore contagia amouere, non corporis vires infringere, non pœnitentia ad mortem debilitare.

Vitia amouenda non caro extinguenda, sed comprimẽda.

Deus enim est vita, vt ipse testatur. Ioan. cap. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*, & vita profectò nostra. Vt Chrysol. serm. 19. *Ipse dixit Ego sum vita, quod est anima corpori, hoc est anima Christus*: hic nobis vitam dedit, sicut animam ex nihilo produxit. Vt Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*. Quare cum vita, vitæ non opponatur, sic vitam quam nobis ipsa vita per essentiam dedit, vt hanc conseruemus, & tueamur exoptat. Rursus dicamus, quod sicut gratia perficit, non destruit naturam, vt communiter Theologi, sic corporis, & sensus mortificationes, ad contaminatæ vitijs animæ expiationem protendentes, quibus rebelles sensus passiones comprimuntur, vt rectæ rationi subdantur, veluti ad gratiam præuiæ dispositiones, ad salutarem conuersionis pœnitentium frugem, moderatæ, & his proportionatæ sunt præscribendæ, non ad virium deperditionem, & naturæ destructionem imponendæ; quare Lir. Roman. 12. *Caro* (ait) *sic maceretur, quod natura seruetur, & vitia excludantur*; nam cum modus seruandus sit in omnibus rebus, quod ad extremum peruenit, in vitium vertitur, sicut virtus in medio consistit. Ideo Diuus Hieronymus in Epis. *Quidquid cum modo, & temperatè fit, salutare est, omnibus, in omni re modus, laudabilis vbique mensura*.

Chrysol.

Lir.

Hierom

Sic, & euacuationes, quæ ad extremũ ducunt, periculosæ. tex.

§. V. Quæcunque pietatis opera, ad animæ salutem ordinata, discretionis trutina examinanda.

1 EX præcedenti immediatè paragropho, præsens, sicut declaratur, ita, & delucidatur: compressiones enim quæ ducuntur, per euacuationem intelliguntur duci; quare illæ discretionis trutina sunt examinandæ, ne in vitium deflectant, sic morales euacuationes, quæ sunt pœnitentiæ, non debent in extrema, quę à virtutis regula declinant, deflectere; quare modus, discretio, & via regia in his sunt eligenda, vt dicemus, ideò D. Hier. in Epist. *Quid quid*, ait, *cum modo, & temperatè fit, salutare est; omnibus in omni re modus, laudabilis vbique mensura*: omnia hæc igitur opera grano salis, quod prudentiam indicat ponderanda sunt, vt discretionis metam teneant. Hinc est quod Deus Moysi præcipiebat, sal in omnibus sacrificijs esse apponendum. Leuit. 2. *Quid quid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui, de sacrificio tuo: in omni oblatione tua offeres sal*. Sed attendamus quæso mysterium, ad sacrificij qualitatem; Deum non tantum in omnibus sacrificijs præcipere Moysi adhibere sal, sed triplicato salis nomine, præceptum inculcat; dum dicit *sale condiens, sal non auferes; sal offeres*. Sed dicam ego, quid sale opus erat in sacrificio, si hoc sale conditum sit, vel insulsum, cum tantum cibus sale condiatur, qui ad esum disponitur? Deus enim, qui sacrificium præcipit, sibi ad cibum illud, non requirit, vt Ps. 49. *Nunquid sanguinem hircorum aut vitulorum ego potabo?* cum igitur, ignis dente deuoretur; non humano, vel alio ore edatur, sacrificium, cum sapiditas, aut insipiditas non requiratur, ad quid tale condimentum salis? sed quod maiorem ingerit difficultatẽ, est quod non semel sal meminisse sufficit, sed triplicata repetitione salis, præceptum mandat; Verum si intellectus nostri cuspide, huius intima absconditi sacramenti, penetremus mysteria, sanctæ eruditionis iucundissimum ad rem nostrã exhauriemus liquorem. Ad condiendos præcipuè cibos sale vtimur; quod tamẽ debita est adhibendum mensura, vt Chrysol. ser. 25. ait: *Omnium quidem ciborum, sal salubre est condimentum, si mensura non desit, alioquin sine modo, & ipsum perit, & quod saluit, perdit; amarat enim nimietas, quod poterat condire mensura*; hoc, nos ad ciborum præparationem adhibemus, vt Iob. 6. *Nunquid potest comedi insulsum, quod sale non est conditum?* Sal enim sapientiæ Symbolum est, hoc infanti, baptismũ aquam suscipienti, in huius os, à Parochio, infunditur, dicẽte: *Accipe sal sapientiæ*, ac si dicat, accipe sapientiam, vt rationalis, modum regendi vitã tuam, & rationis actus benè dirigendi: sapiẽtia enim non solum est cognoscitiua Dei, sicut apud Philosophos, sed etiam est directiua humanæ vitæ, quæ dirigitur non solum secundum rationes humanas, sed etiam secundum rationes Diuinas, vt sciitè D. Th. 2. 2. quęst. 119. a. 7. vult ergo inferre Deus; hoc præcepto Moysi dato, sacrificium nostri corporis, quod est hostia viuens, vt Apostolus ait ad Rom. 12. *Obsecro vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*; quod inquam sacrificium intel-

Iubet Deus Moysi in sacrifici sal apponere.

Cur sacrificium, quod nõ comeditur, sale condiendum.

Cur triplicato salis nomine, iubet sacrificium.

Chrysol.

Quid significet sal, quod in os pueri, in baptismo ponitur.

D. Thom.

D. Anselm. Sale conditur. sacrificium cum mortificationes moderatæ redduntur.

intelligitur in pœnitentia, & mortificationibus, vt dixit D. Anselmus ibi: *Hostia viuens, est corpus pro Domino afflictum*, vt igitur placeat, & acceptum sit Deo, hoc sacrificium non quomodolibet, & simpliciter sic est offerendum, sed sale cōdiendum, hoc est, cum modo, & mensura debet fieri, ne in extrema, quæ vitia sunt, deflectat, quę omnia bona à sale sapientiæ promanant, vt

Chrysol.

Chrysol. ser. 25. ait: *Qui in nobis est sensus, si teneat modum* (ecce sal sapientiæ) *dat saporem, intellectum parit, prudentiam generat, cor dilatat, auget ingenium, maturat dicenda, audienda componit, fitque sibi dulcis, fit degustantibus tota dulcedinis plenitudo*. Et hoc benè ad

Glos. interl.

rem nostram etiam Glos. interlin., quæ sic habet; *Sale condies, vt scilicet, quidquid ad Christi honorem offerimus, sale rationis, & discretionis condiamus*. Et terreplicat Sal, ne sale discretionis sapientiæ, & prudentiæ magisterium, à nostra disciplina recedat, euanescat eruditio, pereat doctrina, & ne vllo vnquam tempore à nostri memoria defluat.

Vaccæ arcā ducentes, quę ibant in directum: iusti significantur.

2. Vaccæ illæ plaustrum ducentes, in quo ferebatur arca Dei, nostrum exornant intentum; ait tex. 1. reg. 6: *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabāt, neque ad dexteram, neque ad sinistram*. Vaccæ istæ secundum

Greg.

placitum D. Greg. in hoc loco, Sancti, & iusti intelliguntur. *Pergunt* (inquit,) *quia sancti viri bona incessanter faciunt*, ferunt iugum, nō peccati, graue, sed Christi, quod suaue est, vt Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Trahunt arcam diuinæ legis, quæ quattuor Euangelij rotis vehitur; & ducitur arca diuinę legis, in ea enim legis tabulæ à Deo traditæ diuinaq; manu conscriptæ, & per Moysem promulgatæ conseruabantur, ibant itaque vaccæ in directum, quia viri sancti in æternam patriam tendentes, tam constanter in directum pergunt, vt nunquam à tergo reuocentur, vt Christus Luc. 9: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei*; sed notate hic obiter verba, non ait, rediens retrò, sed *respiciens*, vt benè

Euthim.

Euthim. ad eum locum ait: *Oportet eum, qui sequitur Christum, confestim omnia despicere, & sequi, nè oculos quidem ab eo diuertendo, ne fortè habitu, & specie eorum, quæ à tergo sunt retineatur*; addit etiam textus, non solum, quod ibant in directum, sed quod pergunt, & mugiunt, quia sancti viri viam Cœli carpentes, strictos, & dumosos tramites pœnitentiarum calcantes, licet maximis tentationum diabolicarum appetantur insidijs, à recto tamen Cœli incæpto itinere, & tramite non declinant. Vt Greg. hic:

Greg.

Mugiunt vaccæ, sed pergunt, quia sancti viri, & si magna sunt tentamenta, quæ perferunt, viam tamen supernæ patriæ non relinquunt. Sed quod melius ad rem nostram facit, dicitur: *Et non declinabant neque ad dexterā, neq; ad sinistram*: ex 1. reg. 6. sed quid opus erat hoc dicere, quod vaccæ mediam viā assumptā semper instriterint, neq; ad dexterā neq; ad sinistram declinantes, si iam dixit, quod vaccę in directum ibāt, ergo iam per viam rectā, & ad neutrā extremorum, vel alterutram partem supponendum, non deuiasse, & diuertisse: sed dicamus non satis esse viris iustis rectum cæli tramitē carpere, semper pergendo, & non retrocedēdo in via Dei, sub pœnitentiæ iugo, & onere mugientes, laboribus defatigati, nisi virtuti adhæreant, quæ in extremorum confinio

Quid sit viro iusto, in directum, neq; ad dexterā, neq; ad sinistram declinare.

sita

ſita eſt; ſic non debent neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare, ſibi pœnitentias, vt potè ieiuniorum immoderatas, vires proprias excedentes, aſſumentes, aut ſenſui inordinatè, & præter modũ, indulgentes, vt Greg. *Ad dexteram* (inquit) *declinare, eſt virtuti abſtinentiæ immoderatè inſiſtere; ad ſiniſtram declinare, eſt carni abundantius indulgere.*

Greg.

3 Hanc mediam viam inſiſtendum, diſcretionis, quæ regia eſt, vt dicemus modò, ab extremis virtutum, & vitiorum declinando, ſuadebat D. Hieronymus in Epiſt. 7. Marcellæ ſcribens, pro inſtitutione filiæ, ne hanc in nimiam inediam neque in nimiam pateretur illã abire lautitiem; quare ait: *Sic comedat, vt ſemper eſuriat*; quaſi diceret, ſic comedat, vt mediocritatem ſeruet, non declinando ad dexterã, neque ad ſiniſtram; ſi enim nimiam parcitatem ſeruabit, non comedendo, ad virium ſuſtentationem, ad dexteram declinabit; ſi comedet per nimiam lautitiem, ciborumque exceſſum, declinabit ad ſiniſtram; vtraque enim pars extrema vitium redolet; ſic igitur comedat, vt ſemper eſuriat, comedat, vt laboret; eſuriat, ne recalcitret caro ſpiritui: quare ne filiam nimia maceraret inedia, ad dexteram trahendo, ſubdit idem D Hieronymus ibidem loc. cit. *Diſplicent mihi in teneris maximè ætatibus, longa, & immoderata ieiunia, in quibus iunguntur hebdomades; oleum in cibo, & poma vetantur: Experimento didici, aſellum, in via cum laſſus fuerit, diuerticula quærere.* Sed non ſolum extrema vitia, quę abſtinentiæ opponuntur ſunt fugienda, ſed etiam, quæ cęteras virtutes oppugnant; quare via regia eligenda eſt, mediocritas ſeruanda, vt Phil. Iud. lib. quod Deus ſit immutabilis ad finẽ, ait: *Nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram, à regia via deflectendum eſt; ſed progrediendũ per mediam: nam ad vtrumuis latus, diuerticula, ob nimietatem, defectum ue, culpantur;* qualis autem ſit hæc media, & regia via, ab extremis vitioſis ad huius demonſtrationem deuenit, idẽ Doctor, dicens ibid. *Apud petulantes temeritas dexteram, timiditas ſiniſtram obtinet, ſic apud tractantes pecuniam illiberaliter, dextrum ſordida parcitas, ſiniſtrum larga profuſio: item apud forenſibus cauſis deditos, laudatur vafrities, damnatur ſimplicitas: ſunt qui ſuperſtitionem quaſi dexteram ſequuntur, ne in ſiniſtram impietatem incidãt;* quare ex his extremis vitioſis, viam regiã aſſumẽdam ad remedium nobis eruditione ſternit, ſic inde inquiẽs: *Eſt autem in medio temeritatis, & timiditatis fortitudo, inter ſordes, & profuſionem temperantia; inter vafritiem, & ſtultitiã, prudẽtia; inter ſuperſtitionem, & impietatẽ pietas. Hæ ſunt mediæ viæ inter vtraque diuerticula, omnes cõmeabiles, & publicæ, per quas non eſt fas vectari corporeis inſtrumentis, ſed motibus animæ cupientis inambulare in rebus optimis.*

Hieron.

Non ad lautitiem, neq; ad parcitatem nimiã, declinandũ.

Hieron.

Phil.

A via regiã nõ deflectẽdum, quæ nam ſit, hæc.

Phil.

4 Hanc viam regiam mediocritatis, ſiuè ęqualitatis, quam inſiſtere debemus, nobis inſinuauit, & expoſuit legislator Moyſes eruditione, ſiue præcepto illius regis, quem in thronum regium inaugurandum ſtatuerat, ſiuè ex augurio in regem conſecrandum, vt ſcilicet ab extremis declinando viam teneat mediam, vt Deut. 17. *Non eleuetur, cor in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram;* quibus verbis clarè patet mediam æqualitatis, ſiuè mediocritatis viam Regi præſcribere; quam quidem Rex ſibi aſſumit, & tanquam iuſtitiæ fructũ

Mediocritas via regia pręſcribitur hęc regibus.

ex

ex diuinæ legis arbore decerpendum sibi proposuerat, vt idem Philo lib. de creatione Principis ait. *Assequar*, inquit, videlicet ex diuina lege, *vt in neutram partem deflectam, veluti in æquilibrio, recta regiaque via mandatorum diuinorum incedēs, firmis passibus, nec vnquam offensantibus. Talem enim viam Moyses solet appellare regiam, quæ inter defectum, & nimietatem, tramitem tenet medium, quoniam in ternione, quod medium est, principatum habet, vtrinque contigua coaptans vinculo insolubili latera, sibi tanquam regi stipantia.* Quibus verbis apparet manifeste, non in extrema vitiorum, odij, vel amoris, esse declinandum, sed inter hęc extrema, media, quæ virtutis est, scilicet æqualitatis, & mediocritatis via pergendum; quæ quidem via, cum inter vitiorum confinia sita sit, meritò virtutis Principatum tenet, & cum etiam veluti quædam Regis proprietas videatur, meritò via regia, ęqualitas nuncupari posse videtur.

Philo.

5 A media hac, siue Regia ęqualitatis via diabolus totis viribus animas diuertere nititur. Angeli lucis formam indutus, suadet iusto Cœli viam pœnitentiæ gressibus carpere præscribenti, immoderatam corporis sibi eligere castigationē, viribus suis insuperabiles amplecti abstinētias, hoc enim tutissimum ad Cœlum patere iter; hoc enim fine suadet, vt per sublimes virtutum ieiunij, & mortificationum tramites, quæ nostras, vel pęnitentium vires excedunt, ad extrema vitiorum, inde præcipitia inflectat, pertrahat, & adducat; Sanctorum ob oculos exemplo præposito, qui rara abstinentia Deo chari summis honoribus, & gratijs decorati extitere; vt Moyses, qui quadraginta dierum spatio ieiunus Dei obtutu, & familiaritate dignatus, legis diuinæ tabulas, diuino exaratas digito, & charactere recepit, populis promulgandas; Vt Elias, qui simili tempore summa ferens ieiunia, quadraginta dierum, ad Cęlum triumphali igneo vectus meruit conscendere curru; Vt sanctissima Senensis Catherina Virgo, quæ raram sibi viuendi abstinentiam eligens ad cœlestis sponsi colloquium admissa, solo persæpe cœlestis panis refecta pabulo, in dies non sine miraculo victitare didicerat: Hoc n. modo suadet diabolus, sciens quanta mala, & pericula ex immoderatis præter vires assumptis ieiunijs, & pęnitentijs promanant, vt potè virium imbecillitas, corporis hebetudo, mentis tristitia, in sancto exercitio torpor, corporis, & animæ ægritudo, quæ hominem ferè omnino ad solita propria munia obeunda, ineptum efficiunt, & ad corporalia, & spiritualia exercitia, quæ corporalibus etiam innitūtur virtutibus, in habilem reddunt, quare D. Isid. in Colla. Abbat. Moys. ad nimiam parcitatem, & voracitatem mentem referens ait: *Ad vnum n. finē nimietas ieiunij, & voracitas peruenit, eodemque dispendio vigiliarum, immoderata continuatio, monachum, quo somni grauissimi torpor inualuit, nam per excessum continentiæ debilitatem, quenquam ad illum statum reuocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur.*

Ab hac via regia diuertere iustos, quærit diabolus.

Quæ mala ex immoderata pęnitētia procedant.

Isid.

6 Qui enim inæqualitatem seruat, detrimentum maximum incurrere necesse est; nam dum ventrem ieiuniorum nimia ariditate constringit, imbecillis redditur, mens, quæ cibi inanitate laxata, orationum perdit vigorem, & dum ventrem nimietate escarum, & poculorum distendit, (quod est aliud extremum oppositum) & excessu carnis latitudine prægrauat, & vo-

A regia via declinātes, vt in vitia labātur necesse est.

tacitate opprimit, mentis oculi caligant, condormitare compelluntur, & ab orationum exercitio deficere, & declinare necesse est. Exemplũ, & similitudo resilit in arcu, qui si semper tenditur, & relaxationis otiũ non recipit, sic debilitatur, vt cũ ad scopum remittitur, iacula deficiant nec feriant ad quod diriguntur, sic mens si nimia corporis extenuatione debilitatur, ad orationis, & sanctarum operationum iacula emittendum, ad inimicum eumcendũ, quasi rationalis arcus inepta existet: Vt igitur tanti imminentis mali detrimentum euitemus, remedium mediocritatis opportunum assumamus, adhærentes consilio Petri Rauis. in quodam serm. dicentis. *Cunctam disciplinam regularis ordinis moderatur æqualitas discretionis, ne vel nimia remissio nutritiua sit criminum, ne impia discretio parricida virtutum. Discretio* enim ipse ait, *virtutibus modum imponit, sine qua virtutes sunt vitia; nam si adsit timor, & non discretio transit in desperationem; si dolor, in amaritudinem; si amor in adulationem; si spes in præsumptionem; si lætitia in dissolutionem; si ira in furorem.* Ecce periculum in quod incurritur vbi discretionis non dominatur virtus, & prudentia æqualitatis, & moderationis frenum non adhibetur.

Similitudo de arcu, qui si semper intéditur deficit, dum inde remittitur.

Petr. Rauis.

7 Diabolus sicut Deo apponitur, & virtutum omnium oppugnator est, sic mirum non est, quod si Deus mediam viam, quæ regia est ad Cœlum ducens, inter latera extremorum consistentem, scilicet vitiorum, quæ hominem ad inferna ducunt, incedere, & tenere præcipit, è contra diabolus à media via nos deflectere conatur, & ad extremam perducere perditionis æternę. Huius figuram in sacris paginis nobis dedit Moyses, Num. 20, dum enim populum Israeliticum per terram Regis Edom perducere optaret, huic Regi internuncios misit, dicentes tex. *Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam, non ibimus per agros, neq; per vineas &c. sed gradiemur via publica; nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos: Cui respondens Edom, non pertransibis per me, alioquin armatus occurram tibi*; & iterum id secundò petentibus, idem respondit, *non transibitis; statimq; egressus est obuius cum infinita multitudine, & manu forti*. Quare Phil. loc. cit: quod Deus sit immutabilis: *Id* (inquit) *molestissimè terrenus Edom fert: timet enim suis dognatibus, ne subuertantur, confundanturque, & ideo bellum internicinum minatur, si conemur viam vi perrumpere*. Ex cuius figura intentum nostrum facilè concludere possumus, quod diabolus, eos, qui per mediam virtutum viam, ad salutem pergere tentant, ab hac diuertere totis suis nititur viribus, quare diabolicarum suarum artium castra mouet, vt à media virtutum via, ad extremam vitiorum, & perditionis pertrahat.

Moysi ab Edom prohibetur pergere per terram huius.

Phil.

Diabolus per directũ pergentes animas diuertere totis conatur viribus.

8 Huius veritatis cõfirmationẽ experiẽtia ipsa prodit: videmus n. & sẽsu percipimus, quod si præceps, & subitanea pluuia, aperto Cœlo terrã inuadit, statim hinc inde riuuli exoriuntur, qui mox crescentes spaciantur in lacus, qui arua obruunt, sementes suffocãt, sternunt segetes, plãtas euellunt, fructus auferũt, animalia necant, arbores eradicat, & multa incolis damna præstant. Verum si è contra, placidus è Cęlo sensim imber instillat, aridam humectat terram, arua viuificat, agros fecundat, sementes fouet, plantas nutrit animalia recreat; & huius humore, inde grauida tellus, desideratos copiosi fructus opportunè partus

Effectus præcipitis pluuiæ, & placidę.

tus edit, & simili modo dicamus nos, quod si è piæ mentis Cœlo, nimia, & præceps pœnitentis vires excedens, ieiunij, & mortificationum in terram corporis, pluuia descendit, statim debilitatis riuuli prodeunt, qui ægritudinū inde spaciantur in lacus, velut rapidum flumen, potentiarum, ne sua istæ valeant, exercere munia, deuastat agros, bonorum habituum arbores eradicat; sanctarum cogitationum in via Dei proficiendi, semina suffocat; bonorum profectuum sternit segetes; piorum operum fructus otio emarcessere facit; naturalium virium euellit plantas, & virtutum cāpos ad sterilitatē subuertit; quia tunc virtus in vitium vertitur. Quare Bern. lib. 5. cap. 10. florum &c. ait: *Iustitia dum suum modum excedit crudelitatis vitium gignit, & nimia pietas dissolutionem disciplinæ parit, sic sæpe vitium est, quod virtus reputatur*. Et super Cant. ser. 49. ait: *semper quidē zelus nimius, absque scientia efficax, minusque vtilis inuenitur, plerunque autem, & perniciosus valde sentitur*. Quod si imber placidus non seueræ, sed moderatæ mortificationis, ieiunij v. g., & disciplinarū, secundū cuiusq; vires, sensim in pœnitentis corpus instillat, mox virtutum enascuntur riuuli; cœlestium consolationum humor, cordis nostri humectat terram, mentis agros recreat, sanctarum cogitationum sementes fouet, bonorum habituum arbores ad pristinam pietatis viriditatem conuestit, piorum desideriorum semina ad virtutum incrementa fœcundat, duras otij glebas, & ariditatem virtutum dissoluit, & tandem cœlestium illuminationum humectata humore, fœcundata diuini Verbi semine animæ nostræ terra, continuò virtutum incremento accrescens, desideratos meritorum, & bonorum operum parturit fructus; vt Psal. 1. *Et erit tanquam lignum &c., quod fructum suum dabit in tempore suo*. Quare D. Hieronymus ad Furiam. ait: *melius est quotidie parum, quam semel satis sumere. Illa pluuia optima est, quæ sensim descendit in terram, subitus enim imber in præceps arua subuertit*. Et præcipitis huius pluuiæ moralis mortificationum excedentiū, effectum, exprimens S. Isid. lib. de sum. bon. ait: *corporis debilitas nimia vires animi frangit, mētis ieiunium marcescere facit, nec valet quicquam boni per imbecillitatem perficere*. Multi enim sunt, quos ego noui, qui dum zeli sui, præter vires pœnitentias assumendi, habenas non retrahunt, ita in præceps ex debilitate ruunt, vt nec sibi ipsis, nec alteri seruiunt; imo tantum abest, vt ipsis prosint, vt alijs maximas molestias pariant, & incommoda afferant. Quare cum in medio consistat virtus, & vt ait D. Tho. 3. dist. 33. quæst. 1. a. 5. discretio pertineat ad prudentiam, & sit generatrix, custos, moderatrixque virtutum, vt D. Bern. super Cant. serm. 40. *Est ergo discretio, non tam virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix, & consummatio perfectionis, tolle hanc, & virtus vitium erit*, illa seruanda hoc modo, vt ait D. Bern. in quad. epis. *Durius tractandum est corpus, ne rebellat, ne insolescat; sic tamen, vt seruire possit, quia ad seruiendum spiritui datum est, neque sic habendum est, tanquam si propter illud viuamus, sed tanquam sine illo viuere non possimus*. Ita Bern. Quare medium, quod est virtutis, iter carpere debemus, ad sanctorum operum progressus, ad neutram extremorum, quæ vitiosa sunt, vt diximus, viam declinando. Vt optime S. Basil.

Pœnitentia excedēs, præcipiti pluuiæ comparatur.

Bern.

Bern.

Pœnitentia moderata placido cōparatur imbri.

Hieron.

Isid.

D. Thom.

Ber.

Bern.

Basil.

Ab extremis declinandũ, medium iter carpendum.

lib. de ver. virg. ait. *Qui adipiscendi bono studio, corpus macerare pergunt, iterato dictabimus, ne declinet ad dexteram, neq; ad sinistram* prou. 4. sicut enim in gula; *intemperantia non declinare, graue, & periculosum est, ita per nimiam abstinentiam corpus atterere, ac per infirmitatem inutilem reddere, omni profectoratione caret.*

Diadoch.

Præterea Diadochus de perfect. spirituali cap. 45. dat exemplum de corpore, quod ad extrema reducitur, vel nimis onustum cibo, vel debilitatum inedia; ideo quæ mala, ex his extremis sequătur, ait: *Vt corpus multo cibo onustum languidam, & segnem efficit mentem; sic nimia continentia victus debilitatem facit, vt ea pars animæ, quæ in contemplatione versatur, in mæstitia sit, & in sermonis fastidio, neque infirmo corpore esse debet, qui certat, sed ita firmo, vt sustinendo, certamini par esse possit.*

Et rursus refectiones, quæ extremæ fuerint, periculosæ. tex.

§. VI. Refectiones, tam physicæ, quam morales, quæ modum excedunt, corpori, & animæ valdè perniciosæ.

1 SIcut euacuationes extremæ morales, nedum physicæ periculosæ redduntur, vt diximus, sic etiam repletiones, huiusmodi rationem periculi sortiuntur, & primò quidem ventri indulgentes, vt damnabiles, & Infideles Deo censeri possunt, quia à Deo recedunt, & ventrem, suum sibi Deum efficiunt, vt ad Philipp. 3. *Quorũ Deus venter est*, quare Deut. 31. dicitur: *Cum comederint, & saturati crassiq; fuerint, auertentur ad Deos alienos, & seruient eis*; ecce Deus horum, venter; sed notate, quod prius dixit Apostolus de his: *quorum finis interitus.* Et inde sequitur, *Quorum Deus venter est.* Ecce ventri deditι, quali in periculo versentur mortis æternæ. Quod, vt nobis elucescat, ait D. Amb. lib. 8. epist. 48. *Non immeritò Sanctus Moyses delectationem, Serpentis figurauit similitudine; prona est enim in ventrem, sicut serpens non pedibus incedens, aut vllis eleuata cruribus, sed sinuoso flexu, totius, velut corporis sui lubrica.* Ecce primo periculum, quod ventri indulgentes, velut serpentes, terram serpũt; nunquam mentis oculos ad Cœlum attollunt, sed ad suum finem, ad saginam, ad eorum Deum, sine bonorum operum pedibus euntes, temporalium delectationum terram repunt. Sed & vlterius, consideremus serpentis cibum; dicitur Genesis 3: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Hæc est pœna, quã Deus serpenti Euæ tentatori inflixit, & comminatus est, sic sensualis homo genio indulgens, non cœlestibus pascitur sacramentorum edulijs, sed terram comedit, vt diabolicus serpens temporalium escarum, & sensualium delectationum, quas auiditatis suę faucibus continuò ingurgitat; ideo ait idem Amb. *Et terra cibus est, sicut serpenti, quæ escam nescit cælestem, corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species cupiditatum, & tortuosis angulatur anfractibus venenum in dẽtibus habet, quibus se vnusquisque euisceraτ luxuriosus, helluo internecat obliguritor perimit*; Quare corporis, & animæ in maximũ periculum huiusmodi helluones incurrunt, & mundi delicijs immoderatè incubantes. Hæ dici possunt delectationes sensuales tem-

Ventri indulgentes, hunc sibi, Deum efformant.

Ambr.

Ventri deditι, veluti serpentes, quomodo terram serpunt, & hăc comedunt.

Ambr.

Chrif. pestas, quæ corpus, & animam obruit, vt Chrif. hom. 13. *Iam uero, ait, quis possit tempestatem illam ingentem eloqui, quæ ex huiusmodi pernicioso deliciarum vsu, in animam, & corpus irrumpit?*

Crapulę, & ebrietates, innundanti aquæ comparatæ.

2 Corpori præcipuè nimiæ refectiones, seu repletiones physicæ, vt potè crapulæ, & ebrietates detrimēto sunt: similitudinē affert D. Chris. or. 6. de fato, de terra, quę ab aquarū inundatione suffocatur, nec tunc potest suam ostendere virtutē, quia vires deperdit, vnde germinare nō valet, nec fructus edere, & vt ferè inutilis incolis censetur, quare ait Chrif. Chris. *Sicut terra nimia aquarum copia superata; calorem suum naturalem deperdit, & robur ammittit, & neque ad culturam suam, neque ad fertilitatem idonea est: sic grauibus, & insanabilibus morbis corripitur deliciosus tremore, & dissolutione membrorum, tabe grauedine pedum, manuumque cruciatibus, & pluribus alijs quibus Medici asserūt illos obnoxios esse; quare licet gehenna non esset, neque animaduersio, neque damnatio extrema à Deo, sed hæc sola adessent, an non satis esset à delicijs auertendos?* Periculosa propterea est huiusmodi extrema refectio, vt meritò venenum dici possit, quod mortem afferat, præcipue ebrietas, vt Deut. 32. *Fel draconum uinum eorum, & uenenum aspidum insanabile*; Sed quomodo comparat vinum felli draconum? fel n. amarum, vinū verò dulce, & suaue, quod bibentes recreat, & exhilarat, secundum illud Psal. 103. *Vinū lætificat cor hominis*? Et quare vinum, venenum inde nominat, & venenum aspidum, quod est insanabile; Et quare etiam draconis elli comparat, qui crudele est animal? sed dicamus, quod vinum puta ebrietas, causa pro effectu; est fel, quia affert mortem, hæc enim

Quomodo vinum, dicatur fel draconum, & insanabile.

velut fel amara est, vt dicitur Ecclesiast. 41. *ò mors quam amara est memoria tua*, dicitur & fel draconū crudelium, quia mors est inexorabilis, ideo subditur, *& uenenum aspidum insanabile*; & tamen curari potest tali veneno percussus, quod aceto, vt ait Plinius expellitur, sicut ab aliorum serpentum veneno, non tamen ebrietas, hæc prorsus incurabilis videtur. Quare Ambrof. lib. de Helia cap. 14, notat pulchrè appellari vinum: *Venenum insanabile, multi enim reliquorum serpentum ueneno curantur, nemo ebrietate.* Plin. Ambr.

3 Et quod periculosæ sint huiusmodi extremæ refectiones, maximò physicæ, à primo humani generis parente argumentum confirmationis possumus desumere, qui ob immoderatam cibi vetiti refectionem, quam extremam denominare possumus, cum eidem mortem intulerit, vt Genes. 2. *In quocunque enim die ex eo comedes, morte morieris*, qui in vilē iumentorum degenerauit conditionem, vt dicere possent animale, vt Gen. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis*, & in turpem diaboli seruitutem deflexit, imo ipsum totum genus humanum peccati originalis contagione infecit, & mortis subegit dominio: Et quia, vt ait Sap. prou. 31. *Nullum secretum est, ubi regnat ebrietas*, post vetiti cibi refectionem, cognouerunt nostri hi primi parentes hac culpa esse nudos, quos charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, misericorditer obtexerat: quare meritò Bacchi figuram, iuuenili facie pingebant, vt significarent ab ebrietate maturitatem abesse; & scitè D. Fulgētius lib. 2. mythol. nudum pictum fuisse Bacchū, quia ebrius omnia dilapidat, & nudus remanet, vel quia mentis suæ secreta occultare nescit: *Iuuenis* (inquit) *igitur pingitur* Fulgent.

Quæ mala, ex vetiti cibi esu Adæ, emanauerint.

Cur Bacch⁹ iuuenis, & nudus pingitur.

Diony-

August.

Dionysius, quia nunquam ebrietate natura est; ideo etiam nudus, seu quod omnis ebriosus interuertendo, nudus remaneret, aut mentis suæ secreta ebriosus nudet; & D. August. ad sacr. virg. loquens de ebrio, ait: *cordis sui arcana patefacit, & amicorum sibi commissa secreta, in medium prodit*. Ex quo etiam, non miror, quod ille summi meriti ingenij, & integritatis Pater Noë, vino tumulētus somno sopitus virilia pudenda generationi suæ in propriam nudauerit cōfusionem, quare Hieronymus in epist. ad Ocean.

Hieron.

Noè, ait, *ad vnius horæ ebrietatem nudauit fæmora sua, quæ per sexcentos annos contexerat*.

4 Non solum corpori, sed, & menti, vt gubernatori hominis, & toti omnium sensuum reipublicæ imoderatæ obsunt physicè præcipuè refectiones, quæ mentem obnubilant, vt Hug. de S. Vict. *Ebrietas iudicium rationis offuscat*, & D. Chrysol. serm. 41. Ebrietates terræ nubibus comparat, nam sicut hæ

Quam mala corpori, & mēti, ebrietates pariant.

Cælum obnubilant, vt solis fulgentes radios, quibus terra illustratur, & exornatur, conspicere non possimus, sic ebriotatis famosi vapores, dum ad cerebri cælum ascendunt, rationis solem obnubilant, vnde corporis, & sensuum terra sua, quasi officiorū venustate priuatur; quare ait Chrysol.: *Sicut terra nubes caligant celum, sic obscurant animas intemperata conuiuia; sicut ventorum turbines elementa confundunt, sic fercula congesta stomachum conturbant, vt nauem fluctus, corpus, ebrietas sic demergit*; quare cum in crapularum, & ebrietatum mari demergatur ratio ebriosi; mirum non est, quod nullum rectè gerendi methodum inspiciat; nullum bene viuendi, & correctionis consilium admittat; vt D. Aug. ad sacras Virg. ait: *In ebrijs non ratio vlla, non vllum vitæ gerendæ consilium*:

Chrysol.

August.

Ebrius consilium non admittit, vt patet in Cābyse, qui Praxaspis filium occidit

Senec.

Herod.

quam veritatem egrè in proprij filij nece expertus est Praxaspes, vt referūt Seneca lib. 3. de ira, & Herod. in Thalia; nam cum apud Cambysem, vt à nimia potatione vini hunc auerteret, consilio accessisset, dicēs: Nolite nimio vino perdere ò Rex, ne tibi, & ciuibus tuis perniciosus fias; secū Praxaspem ad cenā Cambyses vocauit, qui cum largiùs bibisset, & mero incaluisset Praxaspis filium sagitta in cor huius confixa, occidit, vt obiurgator cerneret, post nimiam potationem adhuc illum tutam ad feriendum sicuti dixerat, habere manum.

Herodis crudelitas, in D. Ioannem Præcursorē, ex tumulētia, procedens.

5 A ratione omninò alienum temulentia, & ebrietate, Herodem nobis liceat conspicere Regem, qui in pium impius, in iustū, scelestus, in sanctum iniquus, & diuinæ legis præuaricator in Prædicatorem, & Christi Præcursorē, sæuijt ad mortem; Qui diuinum Solem predicat, luce priuatur, qui agnum culparum nostrarum tollentem maculas, digito innocens indicat, vt scelestus iudicatur ad penam, qui cæli præmia exponit, mortis subit sententiā. Et quæ tua est hæc dementia ò Rex; vt puniatur iustitia, cedatur innocentia, carceri damnetur veritas, accusetur sanctitas, & carcis extremi suplicij tenebris, nitidissimus obscuretur, & obducatur charitatis Sol: Quid Herodem ad tantam deuexit insaniam, vt carcerem pietatis redderet carnificinam iniquitatis, quid ad tam immane scelus regem impulit, vt tam indigna regio decori patraret crimina, nefandissima committeret sacrilegia, vt sanctum virium, quem, vt talem agnouerat, sic prædicabat, vt Matth. 6. c. vbi dicitur: *Herodes metuebat Ioannes sciens eum virum iustum, & sanctum, & audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat*.

de medio tolli, & decollari præceperit. Quis criminum processus ô Rex; quæ articulorum delatio auditur de Ioanne, quæ testium depositio habetur, quæ culpa in Ioanne deprehenditur, quæ iudicij ratio postulat, vt mortis sententia, in hūc inferatur, & hic capite damnetur? vt refert Euangelista Marc. 6. *Misso speculatore præcepit afferri caput eius in disco, & decollauit eū in carcere*; si tam indigni sceleris, & nefandissimi sacrilegij causam quæritis hanc mecum indagate: ait tex. Marc. 9. *Herodes natalis sui cænam fecit, principibus, & tribunis, & primis Gallileæ*: tota causa in ebrietatem, & crapulas refunditur huius necis sacrilegæ, ô lacrymabilis tragedia: Herodis natalitia mors fuere Ioannis: illius regis oriens Ioanni mortis contulit occasum. Expectabat hunc diem Herodias, vt noctem inspiceret obiurgantis Præcursoris, vindictæ hoc tempus expectabat, quæ obiurgationis diuina verba non sustinebat: teneri Ioannem quæsierat vinctum in carcere, vt ipsa per luxuriæ prata liberè spatiaretur, vt Sap. 2: *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*, & sensibus frena laxaret. Opportunum igitur diem expectabat diabolica mulier, vt quem suis viribus occidere non poterat, vt cupiebat, dicitur enim Marci 6. *Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat*, ex cœnæ compotatione, & arte saltandi filiæ in sententiam mortis Ioannis traheret Herodem. Ecce igitur dies opportunus, *in quo*, Marc. 6. *Herodes natalis sui cænā fecit principibus, tribunis, & primis Gallileæ*. Fecit cœnam, quæ noctis tempore celebratur, vt hic noctis non diei filius omnibus clarescerer, qui natus erat, cum vitiorum adhuc volutaretur in tenebris; vti Chrysol. ser. 174. ait: *Benè cænam, quia non luci sed tenebris addictus est, hic natalis, in quo noctis filius natus est, non diei*. Fecit cœnam, quæ martyris cruentatis sanguine, disponebatur epulis. Regia Aula Herodis, comica sena erat, tripudijs tūc maxime disposita, & ebrietatibus; à Como enim lasciuiæ, & commesationis Deo, comedia vocatur. Vel potius tragica, in qua Reges, Principes, & nonnunquam Heroes, & Dij introducuntur: Vultis reges? ecce Herodem, vultis principes, & Heroes? Ecce conuiuæ; Marc. 6. *Fecit cænam principibus, & tribunis, & primis Gallileæ*: vultis denique Deos? ecce Ioannem Deum gratia, secundum illud Psal. 81. d. *Dixi vos Dij estis, & fili excelsi omnes*, & horum Deorum primus, quia, vt Luc. 7. c. *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista*. Huius tragediæ argumentū est tristissimū de nece enim præmeditabatur Ioannis. Principia n. tragedia læta habet sua, quæ quidem lethum inde intulere Ioannis. Lætitia dissoluta natabat in cœna, quia, vt ait D. Chris. homil. 49. in Matth. *Primum tumulentia, & delicijs constabat, deinde spectatores omnes erant corrupti, & ille, qui conuiuio praerat, omnium inquissimus*. Senę deinde huius tragediæ, & actus turpes, inhonestæ erant, quare subdit idem Chris. *Tertio voluptates, atque licentia omnia dicendi, audiendi, faciendi, maxima in ipsis erat*. Læta erat sena in quam saltatrix puella descendit, quæ cum lætitiæ saltando comediam egisset, vt ait tex. Marc. 6: *Cumque introijsset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulq; recumbentibus*, ecce finis tragicus luctuosus: rex puellæ, quid quid vellet petendi facultatem tribuit, & optionem; licet dimidium regni sui,

Herodis tumulētia, & crapulæ, causa necis Ioannis.

Crysol.

Quomodo Herodis Aula Regia sena comica, dici possit.

Herodis cęna, tragedia exponitur Ioannis necis.

Chris.

Chris.

sui. Quæ consilio matris, omni regia potentia posthabita, vnum Io: Baptistæ caput petijt, sibi dari decollatum; quod Rex tumulētus nulla amplius Sācti viri ratione, nec veneratione inspecta cōcessit; ebrietas n. ipsa vsum rationis ademerat, vt Sāctum coronis dignum, velut impium, interficeret. Quare Chrysol. ser. 173. *Sic iudicat, inquit, mens oppressa crapulis, & toto quodammodo ebrietatis demersa naufragio*. Ecce quomodo ebrietatum, & crapularum comedia in tragediam diræ innocentis Ioannis conuertitur, & resoluitur, necis. Quare idem Chrysol. serm. vt supra 173. *Illa ergo criminis filia non tam ad mortem, quā ad ipsam sentinam sui sceleris, mox cucurrit, vt tragediam nefandam caneret, qua impleuerat turpissimè comediam*.

Chrysol.

Chrysol.

6 In ebrietatibus, & crapulis iam conceptas euomunt rixas crapulatores; & sanè hoc animaduertit Apostolus, dum simul vinum, & percussiones copulauit; quare de Episcopo loquens, sic habet. 1. Timoth. 3. *Non vinolētum non percussorem*, vt ferè impossibile videatur mero, & crapulis nimis indulgentes, posse se in officio rationis continere, quin in rixas, & insanias irruant; vt Philo Iudęus, lib. de vita contemplatiua ait: *Vulgus vbi se mero explenit, ac si non vinum bibisset, sed insaniæ poculum, ad rationem pœnitus profligādam ex animo offensat, & canum ferocium more in rabiem vertitur*. Absalon ex stuprata ab Amone eorundem sorore Tamar, diu odium illi inferendæ necis dissimulauit; biennij igitur tempore transacto, nacta occasione tondendarum ouium necē, tunc meditatus est, sed cur eo vsque vindictam distulit in fratrem? cur hoc tempus expectauit? Sanè Lir. ideo notatum putat ibi tempus tondendarum ouium, quia illo præcipue tempore solebant deliciosa, & solemnia celebrari conuiuia, in quibus parta odia erūpere ad vindictam possent, nihil enim conuiuia citius generant, quam inauditas crudeles, & maturatas neces, quibus se se fratres inuicem perimant. Hoc maximè in Alexandro Macedone gloriosissimo Imperatore patet, qui in prælijs insuperabilis dux, qui vi, & ferro vinci non potuit, à vino superatus, & qui in bello hostium terror erat in conuiuijs ab amicis erat metuendus, quos ebrietate sopitus, ad mortis somnum extremum persæpe vocabat, quare August. ad sac. virg. *Alexander omnium victor, vino victus est*. Et moralis Stoicus Sen. 84. epis. ad Lucil. *Refertur inquit Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum carissimum sibi, & fidelissimum inter epulas, confodit*. Opportunum tempus expectat diabolus decipiendi inuadendi animas, & perdendi corpora; & quodnam erit hoc tempus? potationis, & cōuiuiorum, cum his delicijs homines vacant, tunc suis tentationibus aggredi, & viribus prosternere tentat. Hoc in filijs Iob patet, de quibus dicitur Iob p: *Filijs suis, & filiabus vescētibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus irruit è regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruēs oppressit liberos suos, & mortui sunt*. Sed quomodo tot nobiles filij, tanto virtutum decore pollentes, tot diuinæ gratiæ præsidijs vallati, tot potuerunt diabolicæ artis insidijs circumcingi, dæmonis virtute prosterni, potentia deijci ad mortem? vnde tantæ ruinæ emersit origo? hanc insinuat ipse tex. dum ait: *Filijs suis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum*. Inter pocula non potest quis dæmonis incursibus non patere, eiusdem non subijci

Vinolenti in rixas, & in insanias facilè irruunt.

Philo Iud.

Absalon necē Amoni inferendam, conuiuij, & crapularum tēpus expectat, vti opportunum.

Liran.

Inuincibilis Alexander à vino vincitur.

D. August.

Senec.

Filiorū Iob mors dū conuiuijs, & cōpotationib⁹ vacabant.

Orig.

subijci impulsibus; egregiè Orig. in Cat. Græca ait: *Si præcantes eos diabolus inuenisset, nihil contra eos efficere potuisset. Verum cum ei fuit oblata occasio, tunc demum potuit, sed quale tempus fuit opportunum, qualisue opportunitas? potus erat.* Ehu ehu videre modo, quibus periculis subiaceat, qui gulæ, & genio indulget, & ebrietatibus deseruit; si comessatio filiorum Iob modesta erat, & temperata, cuius exteriora sic erant composita, vt sanctissimus Pater solum, si quid lateret criminis in corde, vereretur, pro hoc Domino hostias offerebat; & nihilominus, quia comessatio, & cōpotatio erat, statim illos fecit patere impulsibus dæmonum. Quem inde gula in turpitudinem non impellat, iam diximus de Sancto Noè, cuius inuoluntaria turpitudo à non excogitata ebrietate inscie processit, vt D. Eph. de virginib. ait: *Iustus igitur hic Noè, qui inundationes aquarum tēpore vniuersalis diluuij, vicerat, à modico vino victus est dormiens. Aquæ infinita non potuerunt vincere ipsum, vinum autem vile inter dormiendum, virum iustum nudauit.*

Ephr.

Noè diluuij aquas superans, à modico vino victus est.

7 Immoderatæ etiam temporalium voluptatum refectiones maximè periculosæ animæ; quod insinuare videtur ad Gal. 4. Apost. allegoricè agens, de Isaac, & Ismaele dicēs: *Quomodo tunc is, qui secundū carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit scriptura. Eijce ancillam, & filium eius.* Hic textus vocat illum locum Genes. 21. 16. quem citat Apostolus vbi dicitur, quod Sara vidit Ismaelem ludentem cum Isaac; si vidit ludentem, quomodo ait Apostolus persequentem, quid lusui cum persecutione, si opponuntur quomodo conectuntur in vnum? lusus lætitiæ actio est, persecutio terroris, & tristitiæ signum; lusus amorem persæpe conciliat, persecutio ab odio, ad odium, & ferale ducit. Sed audite mysterium; Ismael vti docet idem Apostolus carnis filius est, qui ex carne oritur filius carnis est, sic caro, appetitus carnis, & sensuales mundi voluptates, pro Ismaele possunt intelligi; Isaac autem spiritum importat; quando igitur Ismael caro videlicet, suis voluptatum tractibus, ludit cum Isaac cum spiritu, sicut pueri delectantur, tunc ille lusus dicitur persecutio, nam carnis voluptates, & immoderatæ deliciæ spiritum tunc persequuntur, huic maximè nocent, nam caro spiritum inficere suis vitiorum sordibus conatur, & ad inferna pertrahere, vt Apostolus ad Rom. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*: Sic igitur bene dicitur, quod Ismaël ludens cū Isaac, hunc persequebatur, caro videlicet spiritum, cum quo continuum bellum gerit, vt Apost. ad Galat. 5: *Caro concupiscit aduersus spiritum spiritus autem aduerersus carnem.*

Sensualium voluptatum immoderatæ refectiones, animæ, maximè periculosæ.

8 Quod si huiusmodi nocumenta magis dignoscere cupimus, quæ etiam animæ afferunt mundi terrenæ immoderatæ voluptates adeste mecum. Stobæus serm. 15: *Socrates (inquit) virtutis studiosum, & amatorem admonebat voluptates omnes, velut Sirenas fugere, & vitare.* Notum est, quod Sirena dicitur monstrum, quod dulcedine sui cantus ad necem trahit nautas, dicitur enim Sirena a Siren, quod est attractio, vt ait Huguitius de Sirena; item sic S. Isidorus lib. 20., vbi agit de portentis: *Sirenes (inquit) tres finguntur fuisse, ex parte mulieres, ex parte volucres, vngulas, & alas habentes; quarum*

Stobæus. Mundi voluptates, vt Sirenes, nos alliciunt, vt decipiāt, & ad mortem pertrahant.

Huguit. Isid.

vna voce, altera tibia, tertia lyra canebat, quo allectos nauigantes, sub specie cantus ad naufragium pertrahebant. Ita S. Isidorus, qui fabulam, Sirenas refert. At Philologus Sirenen piscem, & monstrum marinum Siren esse, ait, semimulieris, & semipiscis formam habens, quod dulcedine cantus facit dormire nauigantes, quos cum viderit consopitos, ad nauem accedit, & quem rapere potest, rapit, Ita ille. Denique Siren cantus dulcedine attrahit homines ad mortem. Tales sunt huius vitæ, & mundi immoderatæ, delectationes, placent quidem, & delectant, sed placendo, & delectando non corpus, sed animam, quod peius est, ad mortem rapiunt, & ad infernum pertrahunt, vt bene Poeta. Ouid. 1. amor. 4. *Impia, sub dulci melle, venena latent.* Quis igitur potest gustare dulcedinem, quæ gustata affert mortem? Quare Aristoteles admonebat, vt voluptates contemplemur, non venientes, sed abeuntes; fucata enim specie blandiuntur, abeuntes dolorem, ac pœnitentiam relinquunt.

S. Isid. Phisolog.

Ouid.

Arist.

9 De muscis fabula est, quod cum in cella quadam profusum mel vidissent, statim ad illud aduolantes, dulcissimo illo liquore, & succo iucundissimè pastæ sunt; cum autē iam saturæ auolare vellent, pedibus in illo tenaci liquore, quasi visco hærentibus totis viribus se eripere nitentes, etiam alis implicitæ auolare nequierunt; quare morituræ inquiunt! ô nos infœlices, & miseræ, quæ tanta exsaturati dulcedine, in hac mortis amaritudine, depasci modo necesse est. Fabula innuit ad rem nostram, quod immoderatarum deliciarum mel, sæpe eos rapit ad mortem quos traxit ad dulcedinem. Ecclesiast. 37. *Propter crapulam, multi obierunt.* Quare M. Tull. de finib. ait: *Voluptates dimittamus, & suis se finibus tenere iubeamus, ne blanditijs, & illecebris nos capiat nimia voluptas.*

Fabula. De muscis, quæ à delibuto melle, in hoc interceptæ, pereunt.

M. Tull.

9 Hos mundi huius amatores immoderatis delicijs inhiantes incubantes naui comparari possunt, quæ nimis onerata mergitur, vt ait Chris. serm, contra luxum, & crapulam sic. *Eum, qui viuit in delicijs ebrietati deditus est; & carnium voratione, & vini potatione disrumpitur, sæpe, & inuitus, & spontè necesse est peccare; nam sicut nauis oneraria quæ supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata, submergitur; ita anima, & corporis nostri natura, si plures acceperit cibos, quàm ferat sua vis, impletur, & infectorum grauitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur, & nautas, & gubernatores, & eos qui in prora, & alios nauigantes, & ipsum onus cum hominibus, perdit; sic igitur non tranquillitas maris, non sciētia gubernatoris, non nautarum multitudine, neque eruditio neque admonitio non præparationis studium, & non anni pars tempestiua, non aliud quicquam naui, quæ sic in tempestate est prodest: ita, & delicatis euenit, neque cogitationum multitudo, neque eruditio, & admonitio, neque admonitiones, & consilia, neque aliud quid, neque timor futurorum, neq; pudor, neque accusatio præsentium, neque aliud quid saluare potest sic periclitantem animam;* hæc Chris. & alibi etiam hoc idem sub nauis similitudine infert idē Chris. hom. 10. in Genes. *Sicut nauis, quæ aquis impletur ut exhauriri nequeat statim submergitur; ità homo cum crapula, & ebrietati se ipsum exponit, in præceps vadit, & rationem suam submergit;*

Delicijs terrenis inhiātes naui nimis oneratæ comparantur, quæ ad naufragium tendit.

Chris.

Chris.

Chris.

quare

quare Saluator noster ab hoc crapularum vitio retrahere cupiens, ait Luc. 21. *Attendite, ne grauentur corpora uestra crapula, & ebrietate*, quasi dicere vellet, vt nauem animæ vestræ ad portum salutis perducere possitis, ad quem tendimus, & à supremo æternæ sapientiæ nauta dirigimur, non debemus, hanc immoderato crapularum ebrietatum vitiorum pondere prægrauare, onerare, aliter in profundum demergeretur inferni, vt Sap. 9. *Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animũ, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*; ideo Chrys. ser. 2. *Oneratus venter ad vitia cor deponit, præmit mentem, ne supernam valeat sentire pietatem*. Et Chrisost. homil. p. ad pop. *Infirmetur corpus, non infirmetur animus, refrenetur caro, & anima ad cælum cursus, non impediatur*.

Chrysol.

Chris.

10 Contra superfluis delicijs, & terrenis voluptatibus immoderatè vacantes, ad horum culpam detegendam, & malum, siue etiam periculum manifestandum, insurgere videtur, Eliphaz Iob 15. qui ait: *Abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem*: sed quomodo homo iniquitatem dicitur, bibere? substãtia enim est, quod ebibitur, & certè liquida, non simplex qualitas, vt culpa & iniquitas; non accidens, cum hoc sine suo subiecto, ad nutritionem minimè assumatur, & quomodo bibitur, quod spiritale nõ corporale est, quod non in ventrem vadit, sed in animæ cedit perniciem, vergit in detrimentum? Et quare sicut aqua dicitur potius, quam vinum, quod illa sapidius, & prætiosius est, bibitur iniquitas? Non longè ad propositum nostrum confirmandum, hæc similitudo distat. Dicamus ergo, quod ille, qui liberè crapulis, & ebrietatibus debacchatur, qui effrenis delicijs, & sensualibus voluptatibus, sensibus loras laxando immoderatè indulget, in has absque vllo timoris diuini freno diffluit, hic profectò, sicut aquam bibit iniquitatem; nam sicut bibens aquam, id facilè agit, & non, vt in edendo, laborat, vt Hippocrates ait lib. 2. Aph. 11. *Facilius est impleri potu, quam cibo*; sic qui in crapulas, ebrietates, & huiusmodi vitia diffluit, sicut aquam bibit iniquitatem tã facilè, & promptè hanc perpetrando: & dicitur, *quasi aquam*, non quasi vinum, bibit iniquitatem, quia qui bibit vinum temperatè bibit, ne inebrietur, verũ bibens aquam sine vllo freno, & timore bibit, vt ostendat qualiter omni excluso, & postposito timore, liberè sensibus ad peccandum frena relaxet; quare Liranus hic, ait: *Iniquitatẽ sicut aquam bibit, qui committit peccata absque freno timoris; ille enim qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè, sed bibens aquam, hoc non timet, propter hoc non curat de tali temperamento.* qui igitur laxatis sensus habenis in immoderatarum voluptatum campum percurrit, ad æternæ mortis properat præcipitium; ideò dicitur iste homo Iob. 15. *Abominabilis, & inutilis homo, qui bibit, quasi aquã iniquitatem*, dicitur Psal. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* In his omnibus pro remedio spiritualem cœlestem medicum adeamus D. Hieronymum in epist., qui nostræ salutis cupidus animæ nostræ salutaria præscribit monita, ait enim D. Hieronymus: *Hippocrates in aphorismis, docet crassa, & obesa corpora, quæ crescendi mensuram impleuerunt, nisi citò ablatione sanguinis minuantur, in paralysim, & in pessima morborũ genera erumpere: & idcircò, necessariam esse*

Crapulis, & ebrietatib. vacãtes abominabilis sunt Deo.

Peccator ob effrenatam peccandi libertatem, dicitur bibere, quasi aquam iniquitatem, & quomodo exponitur.

Hippocrat.

Lir.

D. Hieron.

Totius huius aphorismi, ecce expositio Diui Hieronymi, maximè in immoderatis repletionibus.

demptionem: ut rursum habeant, in quo possint crescere; non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere non posse uiuere alias, nisi crescendo capax sit. Vnde Galenus, uel doctissimus Galeni Interpres: adepta, quorum uita, & ars sagina est (dicit in exhortatione medicinæ) nec uiuere posse diu, nec sanos esse; animas item nimio sanguine, & adipibus, quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil celeste, sed semper de carnalibus eructare, & uentris ingluuiem cogitare. Quos enim crapula infirmos reddit, hos parcitas, & necessitas uiuendi, siue paupertas persæpe sanat, ut idem Hieronymus in epist. ad Iou. ait: *Legimus quosdam morbo articulari, & podagra humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, conualuisse, caruerunt enim solicitudine dispensante domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt, & animam*, hæc Hieronymus.

Hieron.

Parcimonia, & paupertas morbos proscribit.

APHO-

APHORISMORVM HIPPOCRATIS

LIBER PRIMVS.

Aphorismus quartus.

Victus tenuis, atque exquisitus, in morbis quidem longis semper; in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus, & rursus, qui ad extremum tenuitatis deuenit, grauis est; nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt graues sunt tex.

Ordo medicinæ corporalis.

EGIT Hippocrates in superiori immediatè aphorismo de omni immodica repletione, sicut etiam de euacuatione in generali, qualis esse debeat, nempe, quæ moderata fuerit; In præsenti de eadem, quomodo moderata reddatur ratione victus, præcipuè differit. *Iubens*, ait Galenus hic, *in morbis longis semper vitandum esse victum tenuem*; *In acutis verò non semper*, ait igitur Hippocrates: *Victus tenuis &c.* Victus tenuis est virium imminutio; harũ enim tuendarum gratia, aluntur infirmi; In sanis semper naturæ robur seruandum est, vel alimentis augendum, non frangendum; Victus, enim plenus auget, moderatus tuetur, & conseruat tenuis verò minuit: quare hunc secunda valetudine semper fugere oportet, sic Galenus hic ait. In ægrotantibus verò rarò fit, vt vires quas inuenerimus, maiores reddamus, sed semper operam damus, vt easdem vires in morbis longis retineamus, ac tueamur; Ideò ait hic Hippocrates; quod *Victus tenuis, in morbis longis semper periculosus*, existit. Et quandoque etiam in acutis morbis, in quibus non conuenit, hoc est in principio horum, in quibus vires modicè imminutas debemus conseruare; ideò victus absolutè tenuis, non est adhibẽdus, sed solum quando fuerit morbus in vigore, vt ait Io: Marinellus; & ratio est, nam cum morbus viget, natura languescit infirmi, victus ergo ille, qui naturæ languenti commodior est, huic erit administrandus, quo igitur magis affecta fuerit natura, eo tenuior adhibendus est victus, nam cum crassiorem, languens natura concoquere minimè valeat, & incoctus eam opprimeret, sic à morbo, & à victu deuicta, omninò prosterneretur, & deficeret, quare in morbis longis, & in principio acutorum, prout

Galen.

Medicina corporalis.

Quod sit victus tenuis.

Galen.

Victus tenuis in morbis lõgis periculosus sicut in principió acutorum.

Io: Marinell.

pro vt distinguuntur à peracutis (tunc enim tenuissimus adhibēdus est victus, vt infra Aphor. 7. dicemus) victus tenuis, periculosus, iudicatur. *Rursus, qui ad extremum tenuitatis deuenit, grauis est.* Hic declarat Hippocrates, qualis consideratio adhibenda est in morbis, quando tenuem victum requirunt, ea enim ratio habenda est, ne tenuitas victus extrema sit, nam cum inedia, & morbus ægri vires debilitent, si vasa redderentur vacua, & nulla alimenti fieret exhibitio, tunc in corporis maximum vergeret detrimentum, & in vitæ summum æger adduceretur discrimen. *Nam, & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.* Cum extrema omnia vitiosa sint, vt diximus, consequenter nec periculo vacant, quare quod dictum est de extrema tenuitate, quæ ægro maximè obest, sic de repletionibus dicendū, quæ extremæ cum fuerint, sanis nedum ægris periculosæ redduntur. Diximus in superiori Aphorismo, de nimia morali animæ repletione, de peccatorum inueterato habitu agendo, & de spirituali proportionaliter ægri peccatoris scilicet, per pœnitentiæ præcipue dietam, euacuatione, qualis hæc esse debeat, scilicet moderata, discreta, & non extrema, quæcunque illa sit. In præsenti vero Aphorismo, quomodo hæc moderata reddatur in spirituali animæ victu, in longis præcipue peccatorum morbis, & in principio acutorum, scilicet erumpentis culpæ, vel auaritiæ vt infra, exponimus, & declaramus. Sicut de corporali, & materiali cibo, & victu, quo animalia viuūt, verba fecimus; dicitur enim cibus, quo animalia nutriuntur, & sustentantur, habens rationem calidi, & sicci; sic proportionaliter dicēdum de cibo, & victu spirituali, qui auris, & cordis ore sumitur, mentis dente teritur, manditur, & deglutitur, quo anima spiritualiter reficitur, nutritur, & impinguatur, vt dilucidè D. Ambr. serm. 40. ait: *Quisquis Verbo Dei pascitur, terrenum pabulum non requirit, nec enim potest panem seculi capere, qui pane reficitur Saluatoris. Negligit famem corporis, qui pabulo lectionis intendit, nec ventris curam habere poterit, qui alimentum cibi cælestis acquirit. Ipsa enim est omnium refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de diuinis scripturis cibum eloquij perennis accipimus.* Dicimus igitur. *Victus tenuis atq; exquisitus, in morbis quidem longis semper periculosus.* Victus tenuis, sicut materialis, est corporis, seu virium corporalium, sic spiritualis spiritualium viriū imminutio dici potest, vt de Verbo Dei Lucæ 8. dicitur: *Venit diabolus, & tollit Verbum, ne credentes salui fiant. Victus tenuis.* Iste victus tenuis, dupliciter meo iudicio potest exponi, per adiectiuum, & per aduerbium; per adiectiuum tenuis, scilicet paruus, debilis, & exilis, per aduerbium victus tenuis, hoc est eorū, qui rarò diuino reficiūtur cibo, sicut qui parum orat, vel rarò orat; vtroque igitur modo potest intelligi victus iste tenuis, vt melius ex dicendis infra. Multa pro spirituali, victu intelligi possunt. Primò immediatè Verbum Dei, vt Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, hoc enim Verbum dicitur animæ nostræ panis, vt Germanus Cōstantinopolit. in exposit. orat. Dom. ait: *Panis certè corporalis, hic ipse est, quo vescimur; Animæ vero panis Verbum Dei est.* Istud Verbum; siue panis, & diuinus sermo dicitur edi ab anima, quam lætificat, vt Hierem. 15. *Inuenti sunt sermones tui,*

Marginalia: Cum victus tenuis est exhibēdus, cauendum est ab extremo, quo vasa vacua omnino redduntur. — Ordo medicinæ spiritualis. — Medicina spiritualis. — Ambr. — Victus tenuis moralis, est virium spiritualium imminutio. — Victus tenuis exponitur, per adiectiuum, & per aduerbium. — Victus Verbum Dei. — German. Const.

tui, & comedi eos, & factum est mihi Verbum tuum in gaudio. Secundo iste victus potest sumi pro Sacra Scriptura, & diuinis præceptis, mentes hominum nutrientibus, quæ sunt cibus lactentium infirmorum, & robustorum, vt clare Orig. super Num. hom. 27. qui ait: *Verba Dei sunt, in quibus diuersus pro hominum captu animarum cibus est*. Et Dionys. epis. 9. Hilar. super Psalm. 64. hoc idem asserunt. Tertio potest victus iste spiritualis sumi pro sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, figuratis in illis cibarijs, quæ dedit Ioseph fratribus suis, Genes. 42. sic Gregor. 23. mor. c. 25. quæ hic viuentem, hinc decedentem nutriunt animam, vt cibus ille subcinericius datus Eliæ. *Comede grandis enim tibi restat via*. Quarto pro oratione potest sumi, quæ mentes nostras nutrit, ac roborat, vt D. Th. 2. 2. quæst. 83. 13. c. *Effectus orationis est quadam spiritualis refectio mentis*. Quinto pro conuersione infidelium ad Deum, vt Io. 4. dicebat Christus: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui misit me*. Vel pro eleemosyna, & operibus bonis, vt Orig. super Matth. tract. 12. super Ioan. homil. p. Isy super Leu. 11. Sexto pro pœnitentia iuxta illud Psalm. 79. *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura*. Denique potest summi pro Eucharistiæ præcipuè Sacramento, secundum illud Io. 5. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Ad rem igitur nostrā, & explanationem descendentes, dicamus ad singulas particulas. *Victus tenuis, & exquisitus, &c.* Longa peccati ęgritudine spiritualiter decumbenti, victus tenuis diuini Verbi, cui breues quis præstat aures; sacræ doctrinæ, diuinæ legis, & præceptorum, à quibus mentem abducit; supernatum illuminationum, quas non recipit; pœnitentiæ, & bonorum operum, quæ non peragit; fraternæ correctionis, siue prędicationis, quam ad conuersionem infidelium, siue peccatorum non adhibet; orationum, & sacramentorum, à quibus mente se elongat ad spiritualem animæ salutem maximè periculosus existit; vt mox singulas particulas sigillatim exponētes, breuissimis paragrophis dilucidabimus; & meritò periculosus dicendus est iste victus tenuis expositarum virtutum, & bonorum, nam cum hoc victu sic exposito animæ vires subsistant, & tueantur, ergo hoc deficiente, aut tenui modo exposito existente, æger peccator à spirituali, & æterna vita deficiet, vt Ps. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis*. *In acutis vero in quibus non conuenit periculosus*; dicitur morbus acutus, vt à peracuto distinguatur, in quo victus tenuissimus est exhibendus. In acutis igitur morbis, in quibus non conuenit, scilicet pręcipuè in principio in quo naturæ vires sunt conseruandæ, victus exquisitè tenuis, est periculosus. Pro morbo acuto potest intelligi peccatum in communi: In initio igitur morbi acuti, hoc est erūpentis culpę, tenuis victus, scilicet pœnitentiæ nimia tepiditas, animæ valdè periculosa, secundum illud Ouid. p. remed. *Vidi ego, quod fuerat primo sanabile vulnus, Dilatum longa damna tulisse mora*. vel pro his morbis acutis auaritiæ libenter intellexerim peccatū, cum symbolica quadam inter se cognatione cohæreant corporales, & spirituales hi morbi; nam si morbus acutus, vt ex Hippocrate in lib. de vict. rat. in mor. acu. fit in superiori ventre, extremis partibus, capite, manibus, & pedibus perfrigidis existentibus, calore

Victus, sacra Scriptura.
Orig.
Dionys.
Hilar.
Victus Ecclesiæ sanctę Sacramēta.
Greg.
Victus pro oratione.
D. Th.
Victus infidelium conuersio.
Victus, eleemosynæ, & opera bona.
Orig. Isy.
Victus, pœnitētia pręcipue, lacrymæ.
Victus, animæ. Eucharistiæ cibus.
In initio morborum acutorū tenuis victus periculosus.
Ouid.
Hippocr.

lore ad thoracem coaceruato; & vt Io. Marinellus in Aphor. lib. 7. aph. p. sic auaritiæ vitium viscerum locũ sibi proprium vendicare testatur: Marc. Tull. 4. Tusc. qui ait: *Illi morbo, qui permanat in venas, & inhæret visceribus, nec inueteratus euelli potest nomen est auaritia*; & hoc etiam Ecclesiast. 10. sententia comprobatur, vbi dicitur: *Nihil scelestius auaro, qui in vita sua effudit uiscera sua*; habet extremas partes præcipuè manus charitatis maximo torpore perfrigidas, pauperibus eleemosynas minimè relaxando, vt Matth. 24. *Refrigescet charitas multorum*: calore cupiditatis habendi diuitias; intus in corde retento, vt Ambr. super Psal. 118. qui ait: *inflammatur lucro auaritia, & non extinguitur*; & si dicere fas esset etiam peracutum affirmarem, vt vitium capitale, de quo ad Timoth. 6. ait: *Radix omnium malorum est cupiditas*, extremis associata laboribus vt Poeta Latinus lib. 3. Æneid.

Io. Marinel.

M. Tull,

Ambr.

Quid nõ mortalium pectora cogis,
Auri sacra fames. Et intimis excruciatur doloribus, de qua loquẽs Apost. 6. Timoth. *Quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis*. Sed tantum ad rem nostram dicamus: In initio morbi acuti, dum scilicet auarus solicitis diaboli tentationibus ad auidè rapiendũ, & tenaciter, & indebitè retinendum aliena vexatur, & incutitur, tenuis victus operum bonorum, misericordiæ videlicet, & eleemosynarum pauperum necessitatibus non subueniendi, quando parum, aut ferè nihil eleemosynarum egenis largitur, quibus æger peccator à vitiorũ expurgatur morbis, vt Luc. 11: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*; & clarius etiam Tobię 12: *Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & uitam æternam*, *Periculosus*, ne ab æterna salutis vita omnino deficiat, vt prou. 21: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*, cui etiam consonat illud Ps. 108: *Pereat memoria eorum de terra, eo quod non est recordatus facere misericordiam. Et rursus; qui ad extremum tenuitatis deuenit, grauis est*. Sicut cum tenuis, siue tenuissimus victus in morborum acutorum vigore, siue in peracutis adhibendus est, animaduertendum est, ne nimia dieta fiat, qua corporis vasa omnino vacua reddantur, sic tenuissimus moralis animæ victus, quo potentiarum vasa vacua redduntur, debito scilicet Verbi Dei, diuinæ legis sacramentorum, orationum, pœnitentiæ, eleemosynarum, supernarum illuminationum, & bonorũ operum victu destituta, quem victum omnino reijcit peccator, iuxta illud Ps. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum*; valdè periculosus, ideo subditur, *& appropinquauerunt, vsque ad portas mortis*; ecce periculũ, vt egregiè D. Greg. 14 mor. cap. 7. qui ait: *Inedia inuadit costas, quando omni spirituali refectione subtracta sensus mentis deficiunt, & cogitationes suas regere, vel & tueri non possunt*.

Virgil.

Aduertere debet medicus, ne in tenuissimo victu, vasa omninò vacua reddãtur.

Greg.

Nam, & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt. Sicut de extrema physica, & morali inanitione, & dieta modò diximus, idem de opposita repletione proportionaliter subinferendum crediderim, cum vtraque sint extrema, ac proinde vitiosa, ac propterea corpori, & animæ obnoxia, & exitialis: dicitur enim omnis repletio mala. Hæ extremæ repletiones dici possunt superfluæ diuitiæ, quas veluti cibum in stomachũ cordis sui, suę cupiditatis appetitu ingurgitat, & coa-

Sicut inanitiones extremæ, sic repletiones tales periculosæ.

& coacetuat auarus, secundum illud 1. Cor. 4. *Iam saturati estis iam diuites facti estis*, hæ enim morales repletiones animæ saluti graues sunt, & periculosæ, vt Ambr. ser. 4. *Diuites oneratos auaritia, & cupiditate fædatos, ipsa vitæ deformitas, per arctam viam regni minimè introire permittit*, ex quibus omnibus opportunos aliquos tantum paragrophos depromemus.

Ambr.

Victus tenuis, atq; exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus. tex.

§. I. Spiritualis æger, qui longa peccati ægritudine decumbens, tenui Diuini Verbi victu reficitur, huius animæ maximè periculosa salus.

Victus tenuis, atq; exquisitus. &c. tex.

§. II. Æger culpa, à Sacræ Scripturæ, & diuinorum præceptorum victu, mentis palatum auertens, huius animæ læthale periculum.

Victus tenuis, atq; exquisitus. &c. tex.

§. III. Continuo peccati languens morbo, opportunum pœnitentiæ cibum reijciens, maximè huius animæ periclitatur salus.

In acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus. tex.

§. IV. In initio acuti morbi erumpentis culpæ, tenuis, pœnitentiæ victus, animæ saluti valde obnoxius.

In acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus. tex.

§. V. Cum acutus auaritiæ enascitur morbus, tenuis eleemosynarum victus, animæ periculosus.

Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis. &c. tex.

§. VI. Spirituali morbo languens, à bonorum operum victu totaliter abhorrens, in maximo æternæ mortis periculo versatur.

Nam, & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt. tex.

§. VII. Extremæ diuitiarum, & sensualium voluptatum repletiones, animæ stomachum ad mortem aggrauant.

Victus tenuis, atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus.

tex.

§. I. Spiritualis æger, qui longa peccati ægritudine decumbens, tenui Diuini Verbi victu reficitur, huius animæ maximè periculosa salus.

A diuino Verbo auertens, periculum.

1 VIctum igitur hunc spiritalem animæ, dicam primò Verbum Dei indicare, quo anima, non tantum viuit, sicut materiali cibo corpus, vt German. Constantinapol. in orat. Dominica, qui ait: *Panis certè corporalis, hic ipse est, quo vescimur, Animæ vero panis, Verbum Dei est*, & Orig. hom. 27. in Num. *Cibus verus naturæ rationabilis, sermo Dei, est*; sed etiam est ille, qui nostram impinguat animã, mentis confirmat vires, & cor ad vitam roborat æternam; vt D. Ambr. serm. 40.: *Ipsa est omnium refectio, quæ saginat animam, impinguat viscera &c.* Iste igitur victus tenuis diuini Verbi, sine sumatur nominaliter, idest paruus, & exilis, vt patet de eo, qui vix Verbum Dei audit, & statim alio mentis declinat aures, secundum illud 2. Timoth. 4. b. *A veritate auditum auertent, ad fabulam autem conuertentur*, vel quasi aduerbialiter, tenuis victus, respectu eius, qui rarò, vt semel in mense, vel in anno, Verbum Dei audit, sic est, ac si non audiret, quia non libenter, & vt illud adimpleat audit, peccati longa ægritudine detentus; vt Chris. homil. 50. ad pop. *Non sustinet anima peccatrix conscientiæ tribunal*; quare de hoc verificatur illud Saluatoris dictũ Luc. 8. *Venit diabolus, & tollit Verbum de corde eorum, ne credentes, salui fiant*. Vtroque igitur modo iste tenuis victus est periculosus animæ, quia dum parum, vel rarò diuini Verbi cibo reficitur peccator, qui nihilo ferè æquatur, propriam non agnoscit culpam, hãc nõ dolens delet, nõ petit à Deo veniam peccatorum, non recipiscit à vitijs, non recedit à via iniquitatis, vt pœnitentia, per viam æquitatis incedat, ad diuinam pro suarum remissione culpatum, misericordiam non confugit; sic in vitiorum perseuerat habitu, ideo spiritualibus debilitatus viribus, à vita deficit, & in æternum miserabiliter, & prolabitur in interitum; quare D. Gregor. hom. 21. in Euang. ait: *Nullum adeo certæ perditionis signum, vt non libenter audire Verbum Dei.*

German. Constant.

Orig.

Ambr.

Quomodo Verbum Dei respectu peccatoris, dicatur tenuis victus.

Chris.

A diuini Verbi robore declinãs, culpis debilitatus, in æternã corruit mortẽ.

Greg.

2. Inter alia signa læthalia infirmorum hoc præcipuum animaduertunt Medici; quando æger cibum non recipit, vel receptum in stomacho non retinet, est enim, ac si non reciperet, sic vires non reficiuntur, ac propterea necesse est à vita deficere, & ægrum interire, sic læthale signum. Cibus spiritualis est Verbum Dei, quo anima pascitur, & enutritur ad vitam æternam, si contemplationis dente teritur, & in cordis stomachum, ad fructus digestionem, & meriti nutrimentum traijcitur; sicut Panis viuus, qui de Cœlo descendit, ipse testatur Io. cap. 6. *Qui manducat ex hoc pane uiuet in æternum*; vt meritò dicere possimus cum Moyse; *Iste est panis, quẽ vobis Dominus dedit ad uescendum*, vt anima nostra pascatur hoc cœlesti pane; diuini scilicet Verbi, vt Phil. lib. 2. legis Allegoriarum, qui ait; *Hic est panis cibus, quem dedit Deus animabus,*

Sicut nõ recipiens, & retinens cibum corporalem signũ læthale, sic de Verbo Dei.

Phil.

mabus, ut se pascant Verbo ipsius, atque sermone. Hunc panem, sicut fauces assumunt corporalem, sic aures spiritualem esurire debent, vt D. August. in Reg. *Ne solum fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Verbum Dei.* Hunc cibum S. Nicolaus adhuc tenellus appetebat, de quo dicitur in lect. Breuiar. *Adhuc puer ad Ecclesiam accedens, sacra, quæ audiebat pectori condebat mandata.* Et de S. Cęcilia, pariter dicitur: *Euangelium Christi semper gerebat in pectore*: Imò de ipsius diuini Verbi matre Sanctissima, dicitur Luc. 2. *Conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo.* Qui igitur culpa infirmus, hũc animarum nostrarum cibum, in mentis, & cordis sui stomacho non recipit, non assumit, vel receptum, & assumptum memoria non conseruat, ad fructum non retinet, ad animæ spiritalem nutritionem, huius profectò maximè animæ periclitatur salus; quare Gregor. in homil. *Æternæ mortis periculum formidate fratres, si verbum uitæ audientes, in uentre memoriæ non retinetis.* Ecce animæ lethale signum.

August.

De Sãctissimę Virginis, S. Nicolai, & S. Cęciliæ affectu, in Verbũ Dei.

Greg.

3 Hinc est, quod cælestis Protophysicus Saluator noster, sacro illo aphorismo, Io: 8. hoc Iudeis intonuit: *Qui ex Deo est Verba Dei audit*, & quia hoc diuinum Verbũ audire refugiebant, ideo subdit: *Propterea vos non auditis, qui ex Deo non estis*; ab effectu à vita æterna alienos, & morti fore propinquos manifestabat: quasi dicere vellet; qui à Diuino Verbo se elongant ab æterna etiam vita procul sunt; cum Dei Verbum sit vita, & salus nostra, vt idem testatur de se ipso Diuinum Verbum Io: 14. *Ego sum via, veritas, & vita*; ergo sicut à vita recedens, necesse est vt morti appropinquet, sic qui à Diuino Verbo se secernit, & elongat, quod est vita, necesse est, vt in mortis corruat periculum, vt Ps. 72. *Quoniam, qui elongant se à te peribunt*; sic igitur benè in Iudeos inuehit, & concludit Saluator: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, quia à diuino Verbo vestras auertitis aures, & cor, iuxta illud Is. 29. c. *Cor autem eorũ longè est à me*; necesse est, vt in mortis coruatis periculum, sic qui Verbum Dei aure audiunt, & in memoria nõ retinẽt: & hoc est, quod dicimus, quod si cibum diuini Verbi, quem auris ore assumimus, in mentis, & cordis nostri stomacho, ad animæ profectũ ad salutis æternæ nutritionem nõ retinemus, idem est ac si non reciperemus, ac proinde animæ lethale signum; vt Diu. Antonin. in summ. 2. p. tit. 11. cap. 11. §. 2. ait: *Sicut non posse percipere cibum corporalem est signum mortis corporalis, ità non percipere legendo, vel audiendo Verbum Dei, quod est cibus animæ, est signũ mortis animæ.*

A verbo Dei deuiantes, quod est vita animę, spirituali, & æternę appropinquant morti.

D. Antonin.

4 Non parua detineor admiratione, quod Verbum diuinum se carnem, & cibum nostrum prodat, dicens Io: 6. f. *Caro mea verè est cibus*; quia idem Saluator ibidem Io: 6. d. dicit: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*; Si caro quomodo panis, si panis, quomodo caro? quomodo vna, & eadem substantia, quæ Christus est, diuersarum substantiarum formam suscipiet carnis, & panis? Num hæc nomina, & substantię inter se diuersæ, in vnam coalescent naturam? re enim, & nomine significatione inter se differre patet: panis n. ex multis granis conficitur, caro animantium substantia est: panis naturalis est cibus, caro ferculũ, & obsonium: ille ad necessariam vitæ sustentationẽ, hæc ad delicias inuenta; si ergo panis est cibus, ad quid caro, & si caro ipsa cibus est, dum ait: *Caro mea verè est cibus*, Io: 6. iam panis vices supplet, ad quid

Quomodo Christus dicatur panis viuus, & cibus animæ, si hoc idem eius sanctissima caro præstat: si panis cibus, ad quid caro cibus.

ergo panis? Quod si vtrumque nomen de eodem diuino Verbo dictũ asseritis, iam neque per hoc ambiguitas effugatur, euitatur superfluitas, cũ vtrobique eadem ratio proportionaliter militare videatur; nam si caro Christi est, quæ sumentibus vitam tribuit æternam; vt Io: 6. f. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*; hoc idem de eodem cælesti pane dicitur, ibidem Io: 6. e. *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*; ad quid igitur Diuinum Verbum, si caro est, cur panis dicitur? horum enim alter superfluere videtur. Verum si ad diuersa horum nominũ significata cælestibus repleta mysterijs, mentem referamus, diuini huius panis, & carnis in vnam diuini Verbi sub diuersis rationibus comperiemus terminare personam. Caro enim Verbum diuinum est, vt Io: p. *Verbum caro factum est*, quæ caro in Eucharistiæ Sacramento, sicut exprimitur nobis, ita & communicatur, vt ad has sui corporis delicias, omni spirituali, suauitate, & dulcedine affluẽtes, carnales animos sub carnis esca in sui amorem traheret, & consiliaret; vt Greg. ait: *Vt homines, qui nisi carnalia sapiebant, mira in carne delicias inuenirent*; & sic cælesti hoc corporis sui sacratissimi, suo opportuno tempore pasceremur edulio. Verum dicitur panis, qui eadem omnia recensita beneficia præstat, vt præcipuè diuini Verbi virtutẽ, & in nobis ad animæ nostræ sustentationem patefaceret necessitatem; sicut enim terrena carne non quotidiè pascimur, sic nec quotidiè spiritualis caro Christi nobis sumenda præcipitur, nec proponitur; quod si hoc factum in vna Senense Virgine Catherina animaduertes, quæ quotidiè cælesti Eucharistiæ nutriebatur pabulo, hoc etiam peculiare donum, quod fuit miraculo comprobatum agnosces, cum sæpè hoc cælesti enutrita cibo solo, in dies victitaret. Verum diuinum Verbum dicitur panis, quia sicut hoc quotidiè vescimur, sicut & petimus in oratione Dominica, dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, sic ad spiritualem animæ salutem, ad huius vitam, & sustentationẽ hoc continuò vesci, & pasci necesse est cælesti diuini Verbi cibo; quare Matth. 4. dicitur: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni Verbo quod procedit de ore Dei*: Vbi Rabanus ait: *Si quis non vescitur Dei verbo, iste non viuit; quia sicut corpus humanum non uiuit sine terreno cibo, ita & anima uiuere non potest sine Dei Verbo*; hoc enim est, quod hominis spiritalem tuetur vitam, vt Ps. 103. *Et panis cor hominis, confirmat*; sed quis erit iste panis? diuinus sermo, Verbum Dei, vt Ps. 111. petebat Dauid: *Confirma me in verbis tuis*; hoc igitur deficiente pane diuini Verbi, animæ deperit salus, & potentiarum vires elanguent, hoc igitur cælesti, ne deficiamus, ad æternam vitam nutriamur pabulo, pascamur pane, vescamur cibo; quare Ber. in Vigil. Nat. Dom. ait: *Non est corparatum sperare in Domino, sed aridum, & exangue, quod oblitum est comedere panem suum; ubi autem fuerit Verbum Dei, non deerit panis, qui cor hominis confirmat, dicente propheta Ps. 111. Confirma me in uerbis tuis*.

Greg.

Sicut non quotidiè pascimur carne sed pane, sic nõ quotidiè Eucharistia, sed bene diuini Verbi pane quotidiè pasci debemus.

Raban.

Diuinum Verbum spiritualem animæ nostræ tuetur vitã.

Bern.

5 De Democrito illo summo Philosopho traditur, vt apud Tarcagnot. p. p. lib. 11. quod morti proximus tribus diebus sibi recentes calidos panes afferri præceperit, quos allatos suis naribus offerens, & obijciens, horum odoris suauitate, & caloris virtute aliquantulum recreatus, aufugientem à corpore detinuerit spiritum, & tribus diebus

Tarcagnot.

Democritus morti propinquus triduò, solo recentis panis odore refectus victitat.

ieiu-

ieiunus victitauerit; quo inde tempore elapso, placida quieuit morte. Si terrestris materialis panis recens, tantum odore perceptus, à Philosopho, huiusce extitit virtutis, vt in moriente vitæ per aliquot dies trāsferret terminos; cuius nam roboris cælestis diuini Verbi panis erit, cuius sanctissimi odoris deuotionis videlicet suauitate degustata, quæ infinitæ est virtutis, & vitam temporalem, nedū transfert, sed æternam, cordis aure dignè percipientibus confert salutem? vt Io: 6: qui *mādueat ex hoc pane, viuet in æternum*. Quare, qui è contra huius diuini Verbi caret pane suauissimo, qui cœlesti hoc sufficienti non recreatur cibo, reficitur pabulo, ab æterna hanc vita defecturum indubiè, reor; hoc igitur, ad æterna vitam, & ad animæ mortem eliminandam à nobis, vescamur pane, de quo Ambr. super Psal. *Eloquium tuum viuificauit me*, ait: *Hæc est anima nostra vitalis substantia, qua alitur, & pascitur, & gubernatur, nec quicquam est aliud, quod viuere faciat rationalem animam, quam eloquium Dei*. Ecce diuini Verbi, & eloquij panis, qui nostras ad vitam reficit animas, ergo hoc deficiente eiusdem maximè ad mortem periclitabitur salus.

Ambr.

6 Ad hanc animæ, spiritualiter ægrotantis, moralem diuini Verbi inediam periculosam Saluator noster mentem referens, in deserti solitudine, triduò commoratus, eius misericordiæ oculos in turbam, quę eum secuta fuerat, tridui inedia maceratā, conijciens, veritus ne, ieiuna dimissa in via deficeret, ait, Marc. 8: *Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinet me, nec habent, quod manducent: Et si dimisero eos ieiunos in domum suā, deficient in via*; quare quinque panum, & duorum piscium benedictione præmissa, his euidenti miraculo ad cibum multiplicatis, turbā ieiunam, quinque millia hominum copiosè exsaturauit. Panis iste, Verbum, Dei & diuinus sermo est, animam spirituali cibo esurientē abundè reficiens, & mentes viatorum ad patriam tendentiū roborās, sicut de illo Eliæ cibo dictū est, 3. reg. 19: *Et ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usq; ad montē Dei Horeb*; quo deficiēte, siue subtracto, periculum nobis imminet, ne in mūdi huius, qua ad Deū tendimus, & salutis deficiamus, via, diuini Verbi cibo nos recreare disponit; vt Gregor. p. mor. ait: *Non vult autem eos ieiunos dimittere, ne deficiant in via, oportet enim, quod in prædicatione Verbum consolationis accipiant, ne à veritatis pabulo ieiuni remanentes, in huius vitæ labore succūbant*.

Ne in hac mundi ad cœlum deficiamus via, cœlesti diuini Verbi pane pascimur.

Greg.

7 Quare Angelus Eliæ, Iezabelis insidias furentis, fugienti, vt 3. reg. 19. vt diximus, panem obtulit, & ministrauit, vt cœlestis panis, diuini Verbi virtutem, ad animæ vires refocillandas, in erumnoso mortalis huius vitæ cursu, ad æternam patriam iter peragendum, exprimeret, ideo à somno Angelus excitans Eliā ait: *Surge, & comede; respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ, comedit ergo, & bibit, & rursus obdormiuit. Reuersusque est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque illi: surge comede, grandis enim tibi restat via, qui cum surrexisset comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb*. Sed dicam ego cur bis eum ad comedendum, eodem ferè tempore inuitat Angelus? nonne vnica simplicique comestione sufficienter refectus, & somno recreatus, satis commodè poterat

Angelus Eliæ autugienti, panē ministrans, symbolū diuini Verbi, nos ad patriam tendentes, reficientis.

Cur bis refici eodem ferè tempore Eliã, præcipit Angelus.

poterat se Elias viæ committere, ad reliquum itineris facilè peragendum? maximè verò cum panis esset angelorum de cœlo proueniens, & à Deo missus, & magnæ substantiæ miræq; virtutis, siquidem virtute huius cibi quadraginta diebus indesinenter ambulauit, vsq; ad vltimum terminum Horeb montis? non ne satius erat, vt pane, & aqua semel refectus, iter carperet, de in parte itineris confecta, secum pane allato, inde esuriens secundo in via refici? cur igitur antequam discederet, bis refici præcepit? Si intimius huius cęlestis mysterij arcana perscrutabimur, alta speculatione ad cœlestia conuolantes, hoc ad nostræ naturæ infirmitatem exprimendam factum expressè comperiemus, nam vti Aphorismus ait, cum in longis morbis semper tenuis victus sit periculosus, cum natura nostra ad malum, vtpotè prona, debilis ad culpam existat, & fragilis in proximis peccati occasionibus facilè succumbat, ideo non semel diuini Verbi sufficit recreanda cibo, nisi iterum ad vires animæ tuendas, & roborandas, huiusmodi spiritali reficiatur pabulo, vt fortis in erumnoso mortalis huiusce vitæ cale, ad cœlestis gloriæ mysticum Horeb valeat peregrinus conscendere; nõ enim minus diuinum Verbum animam refouet, quam terrena substãtia, fragile hoc nutriat, & sustentet corpus. Audi Rabanum à Lir. 3. reg. 19. citatum, qui ait: *Elias bis pastus exprimit nostræ naturæ infirmitatem, cui non sufficit simplex pastus, sed duplex, quatenus ad superna valeamus ascendere. Sicut enim corpus sine alimento corporali subsistere nequit, ita nec anima viuere potest sine Verbo Dei.*

Ad nostræ naturę fragilitatẽ sustentãdam, assiduo diuini Verbi cibo opus est.

Raban.

Victus tenuis, atq; exquisitus, &c. tex.

§. II. Æger culpa, à Sacræ Scripturæ, & diuinorum præceptorum victu, mentis palatum auertens, huius animæ læthale periculum.

1 PRO spirituali victu, sacram Scripturam, & diuina præcepta animam nostram nutrientia, hic modo liceat exponere; qui quidem victus in eadem diuini Verbi coquina, eodem ferè sensus sale aspersus, & à nostræ mentis palatu ad animæ salutem degustandus proponitur, modo conficitur, & præparatur: hic nobis necessarius, sicut diuini Verbi panis victus, quem etiam quotidiè, sicut appetimus, ità petimus, dicentes Domino, Matth. 6. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; vt D. Aug. de sermon. Dom. ait: *Quotidiè panem accipimus spiritualem, præcepta scilicet diuina, quæ quotidiè oportet meditari, & operari.* Hunc diuinorũ præceptorum cœlestẽ panem mẽtis dente terere debemus, vt Ambr. in Ps. 118. *Et tu ede scripturarum cœlestiũ cibos*, hæc diuina pręcepta in veteris legis tabulis, diuino exarata digito, Moysi legislatori tradita, nobis ad obseruandum promulgata sunt; quæ in cordis nostri tabulis, imprimenda proponuntur, vt prou. 7. *Serua legem meam, quasi pupillã occuli tui, & liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.* Tenui igitur hoc morali victu vtens, à diuinis præceptis scilicet mentis palatum auertens, vel nauseans cibũ, huius spiritualis sanè periculosa salus, quod ex fundamento doctrinæ Interpretis diuinæ voluntatis delucidari

Sacra scriptura, & pręcepta diuina, victus noster.

August.

Ambr.

D.Thom.

uidari potest, ait igitur D. Th. 1. 2. quæst. 72. a. 5. *Quod in speculatiuis errans circa principia, impersuasibilis est; qui autē errat saluatis principijs, per ipsa principia reuocari potest*: quod etiam in deordinatione humanæ naturæ dignosci potest, quando deordinatio humorum in animali, fit vitali saluato principio, tunc ægritudo est, quæ per eadem principia vitalia subsistentia, tolli potest, & animalis reparari salus; verum iisdem principijs vitalibus destructis, quando fit deordinatio humorum, tunc irreparabilis sequitur animalis interitus. Quod dicimus in speculatiuis, & naturalibus, hoc itidem in moralibus proportionaliter verificari posse videtur: *Principium actus totius ordinis in moralibus, est vltimus finis, sicut principium indemonstrabile, est in speculatiuis*, sic ait D. Th. loc cit. modo dicamus nos, diuina lex, & præcepta sunt finis noster, cum ab his nostra dependeat salus, vt ad Rom. 1. *Non erubesco Euangelium; virtus enim Dei est, in salutem omni credenti*; tum etiam cum finis legis sit beatitudo æterna, vt ex D. Th. 1. 2. quæst. 98. a. 1. sunt etiam principia prima indemonstrabilia. *Eadem*, n. ait Hug. Card. ad Rom. 12. *est lex naturalis, ac scripta*; si quis igitur dicamus, ex fragilitate; vt homo, ex nihilo vt potè eductus, vel de terra formatus, & ad malum pronus, & qui semper ad deficere tendit, Dęmonis calliditate deceptus, in peccati morbum lapsus sit, si hæc sensualium humorum moralis deordinatio, aliqualiter rationem suppeditans, recedit à Deo salutari suo, Dei scilicet præcepta contemnēdo, quasi quantū est in se destruendo hęc prima principia, vt Ps. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, & Thren. 2. *Non est lex*, huius profectò periculosa est censenda salus, & æternæ vitæ, & animæ irreparabilis interitus; quia ad vitam diuinæ gratiæ, non potest amplius reuocari per prima principia diuinorum præceptorum, quæ non admittit; nam ait Philosophus: *Destructis primis substantijs, impossibile est aliquid remanere*; cum igitur peccator se à Deo, & à Diuina Lege auertat, quæ primum principium est, per quod posset reuocari ad animæ salutem, vt Ps. 18. *Lex Domini imaculata conuertens animas*; si diuinæ legis, hoc tollat ex sua malitia principium, meritò in æternū irremissibiliter, corruet interitum; quia non curat per pœnitentiam, quam leges suadent, ad Deum redire; sic parum diuinarum scripturarum reficitur cibo: periculosum ergo &c. nam si per præuaricatores legis non est lex, nec est moderatio legis, quæ lex est, vt mortaliter peccans, æterna puniatur morte; sic nec misericordiam consequetur, quę est moderatio legis in pænitēte. Quod si in peccati morbum, casu ex fragilitate lapsus, diuinæ legis animas conuertentis principia saluat, & præceptorum Dei, ad quæ mentem dirigit, peccata, & culpas suas pœnitentia agnoscit, potest iterum per pœnitentiæ pharmacum ad pristinam salutis animę incolumitatem reuocari, eadem seruando diuina mandata, vt Ecclesiast. 15. *Si volueris mandata seruare conseruabunt te*. Et Ezech. 18. *Si peccator conuersus iustitiam fecerit, vita viuet, & non morietur*; cum à Diuina Lege se non auertat, venialis culpæ ægritudo tantum erit, & per diuinæ legis rursus principia facilè à lapsu poterit reuocari.

A diuina lege, sicut à principijs deuiās, ad pęnitētiam videtur irreuocabilis.

D.Thom.

D.Thom.

Hug. Card.

Diuina lex, sicut prima principia.

Threń.

Diuinam legem admittens, per hāc reuocari potest, à culpa sicut è contra &c.

2 Dicebat Saluator noster Io: 8. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum*; & quis nam profectò erit iste prætiosus sermo, quo prælibato mortē fugabit

æternam

Quomodo diuinū sermonem seruans nō gustabit mortem.

æternam? dæmonis deludet artes, insidias demolietur, stratagemata dissoluet, astus deridebit, ab æterno proculiteritu? iste sermo, diuina sunt præcepta, & lex, quæ præcipiunt nobis in decalogo, ne peccemus, vt ab omni vitiorum fœditate, mentem auertamus, & opere declinemus; ait enim diuinus sermo: Deut. 5. c. *Non occides, neque mœchaberis furtumq; non facies*, & similia &c. quare Saluator noster illi adolescenti viam salutis quærenti, respondit Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Si quis igitur sermonem hunc seruabit, mortē non gustabit in æternum*. Verum quia rebellis caro, & procax sensus, diuino persæpè diaboli calliditate, reluctatur imperio, diuinæ, culpa obsistens legi, & pręceptis, sermonem hunc transgreditur Saluatoris, quid agendum? nunquid huius tūc animę desperata erit salus? nam dicitur Ps. 36. *Quia peccatores peribunt*, & Exech. 18. *anima, quæ peccauerit ipsa morietur*; non profectò: si Petro à Christo quærenti, quoties peccatori pœnitenti absolutionis impartiri deberet beneficium, dicens Matth. 18. *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* respondit Iesus: *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies*; & si ipse Saluator non venit animas perdere, sed saluare, nunquid ergo ex huius diuini transgressione sermonis, amplius ad salutem non poterit reuocari? quomodo salutis remedium denegabitur? ecce diuinus denuò sermo, quem obseruādo mortem non gustabit in æternū, & ad pristinā animę reuocabitur salutē. Et quinā erit hic sermo? ecce lex diuina conuertens animas pereuntes: ecce, quod dicitur Act. 3: *Pænitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra*. Lex est, non Iudicis condemnantis, sed patris veniam condonantis culparum; non persecutoris animas perdere quęrentis, sed Saluatoris ad vitam reuocare cupientis; non iniqui Tyranni, sed Redemptoris, qui non venit animas perdere, sed saluare; non impij seueritate Neronis, sed pij clementia, & charitate pastoris, qui animam suam ponit pro ouibus suis: quare si peccator etiam peccati longa iam decumbens ægritudine, diuinæ legis, & præceptorum Sanctorum pascetur cibo, pœnitētię ebibet potionem, ad pristinam procul dubio; diuinæ gratiæ rursus reuocabitur incolumitatem, & etiam mortuus culpa per pęnitentiam ad vitam reuiuiscet, & mortem non gustabit æternam. Ideo ait Deus Ezechiel. 18. c: *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, vita viuet, & non morietur*. Verum si in peccatis obduratus in eadem vitiorum ægritudine voluntarius æger persistens, tenui diuinæ legis, & sermonis, cum ad vitam, & pœnitentiam vocantis, victu reficitur; quia aures habet, & non audit, oculos habet, & diuina præcepta non videt, intellectu pollet, & non percipit, quæ Dei sunt, & ad propriam salutē vtilia, huius animæ maximè periculosa salus. Ideo dicitur Luc. 13. a. *Nisi pænitentiam habueritis, omnes simul peribitis*.

3 Hinc est, quod ad diuinorum præceptorum cognitionem, eleuari ad animæ salutem, petebat Dauid, dicens Psalm. 118. *Da mihi intellectum, & viuam*, ne diuinæ legis præuaricator, in horum inde obseruantia, obedientiaque pigresceret mandatorum, & in æternum, inde animę prolaberetur interitum; sed dicam, quid nam profectò sibi vult hęc petitio: *Da mihi intellectū, & ui-*

Quomodo Dauid à Domino petit intellectum, ad viuendū.

& viuam? an intellectui tanta vis inerat, vt mortuum ad vitam excitare posset? an fortassis orator erat vita functus, vt ad vitam peteret reuocari? si petit, hoc viuentis operatio est, ergo petens viuebat, quid ergo viuere petebat, si iam quod petebat possidebat? si huius difficultatis nodum soluere cupimus, necesse est, id quod priùs in eodem Psalm. 118. dixerat recolamus, hoc est: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, vt custodiam illam in toto corde meo*; sed & adhuc dubitationis locus esse videtur in hoc, ait: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*; & quid sibi vult da mihi intellectum? si intellectum postulat, ergo intellectu caret, & quomodo hunc quærere potest? si intellectum petit, iam cognoscit bonum esse, quod sibi petit; hoc cognoscere, intellectus est opus, ergo iam intellectũ, vt homo habebat, ad quid igitur hũc petebat? Pro intelligẽtia difficultatis obseruandum, quod Deus solus ipse, nostræ vita est, animæ, vt Chrysol. ser. 19. *Fratres*, ipse dixit, *Ego sum vita, quod est anima corpori, hoc est anima Christus, siue anima corpus non viuit, non viuit anima sine Christo*; & diuinorum obseruantia præceptorum, animæ nostræ, victus est quotidianus, vt supra n. p. diximus cum D. Augustino; inobseruantia igitur, & diuinorum transgressio mandatorum, à spirituali, quæ est Deus, animam facit deficere, vita, & ad mortem infœlicem, miseram, culpa, pertrahit animam; vt Ezech. 18. a.: *Anima, quæ peccauerit ipsa morietur*, & corpus animali tantum non rationali vita viuit, ratio enim in tenebroso culpæ demortua, latitat sepulchro; & sic in peccatore sensuali, tantum dominante carne, & natura, verè iumenti figuram, & formam induit, vt Ps. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* A Deo igitur, vt carnalis homo, & vt gratiæ, & Deo demortuus, intellectũ petit, quem iumenti naturam induẽs, culpa amiserat, vt diuina pósit perscrutari mãdata, quę sunt iniquos perdẽdi, & pœnitentẽ saluandi; vt miserũ suum peccati agnoscat statum, culpã defleat, pœnitentiam agat, vt iterũ viuat Deo, nec in ęternũ finaliter prolabatur interitũ; ideò ait: *Intellectum da mihi, & viuam*, Ps. 118. Quare D. Aug. in hunc Ps. ait: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, ac si diceret* (inquit) *præbe mihi Domine lucem, ac intelligentiam, vt intelligere valeam mandata tua, intelligendo seruare, seruando viuere in æternum, & non gustare mortem secundam.* Intellectum igitur habebat, non tamen eo modo quo petebat, ideò Lir. hic: *Da mihi intellectum perfectè cognoscendi*, ait, *quod non possum, nisi tuo auxilio, & quia talis cognitio ordinatur ad opus, ideò subditur, vt custodiã illã*, scilicet legẽ, vbi Euthim. *Legis custodia esse dicitur, quando adimplet legis mandata.*

4 Quod si modum diuina ad salutem animæ, quo perscrutari debemus mandata, ne delinquamus culpa, vel à commissa recipiscere, inuestigare cupimus; quid proponat nobis, audiamus Regium Prophetam, Ps. eod. 118. b. in quo ait: *In corde meo abscondi eloquia tua; vt non peccem tibi*; ecce victus in animæ, & cordis sui ingestus stomachum ad spiritualis vitæ sustentationem; sed quomodo hunc diuini eloquij, siuè legis cibum assumit? intellectus dente terrendo, & contemplatione ruminando; ideò Euth. in hunc eundem psalmum: *Scrutabor quidem*, inquit, *magno studio, & diligenter considerans, serua-*

Chrysol.

Diuinorum inobseruantia præceptorũ, à vita deficit peccator.

In peccatore, vt mortua præsupponitur ratio.

August.

Intellectum si habebat, Dauid, quare hũc à Deo petebat?

Lir.

Euthim.

Euthim.

seruabo. Quod si diuinæ legis perscrutandæ studium dilatare cupimus ad veniam consequendam delictorum. Prodeat in medium peccator, qui sui miseri status, & culparum conscius, propriam redarguens conscientiam ad diuinam pro venia consequenda, confugiat misericordiam, suam deplorans miseriam, ad Dominum conuersus dicat. Callidi serpentis Infernalis hostis arte delusus, tentationum suarum appetitus insidijs, te Deum meum offendi, quem toto corde, totis animæ meæ debebã diligere visceribus, pudet me, ante tuæ diuinæ maiestatis prodire conspectum, culparum meatum rubore suffusum; verum si me à te, meus retrahit pudor, & timor; me tamen ad te, tuę diuinę misericordiæ spes trahit; non diffido de venia, qui de tua sum pietate securus: Te modo Dominum meum voco, quem peccando negaui: ad te venio, à quo culpa recessi: Ad te humilis accedo pœnitentia, in quem superbus, iniquitatis armis munitus, insilij, insurrexi. Tibi qui omnium cordium, & mentis intima scrutaris, meam confessione peccatorum conscientiam contritus detego, aperio secreta, quæ nosti. Ecce homo, sed qualis ab humo fragilis eductus, ad humum defectu sum redactus; ad terram, vnde debilis exiui ad terrã mortalitatis redij. Qualis sim, mea testentur delicta, quę me à diuina gratia, angelorum consortio ablegarũt: quę in mè impressam Trinitatis Sanctissimæ imaginem deturparunt, & à rationali dominante natura, in miseram, & sordidam pecudum, peccando, conditionem transtulerunt, deuoluerunt statum, inferni supplicijs addictum: Ad te tamen venio, Iesu Saluator meus, in me nomen tuum factis exprime; tuæ pietatis, quam expeto, declara virtutem: Ad te venio, tanquam infirmus ad medicum vitæ, tanquam immundus ad fontem misericordiæ, vt cæcus ad lumen claritatis æternæ, vt pauper, & egenus ad te Dominum cæli, & terræ, in quo absconditi sunt infiniti thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei. Te igitur, & tuam infinitam deprecor bonitatem, vt meam curare digneris animæ infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare mentis meæ cæcitatem, & meam ditare paupertatem, vt tuo diuino innixus auxilio, imposterum nunquam spirituali amplius morbo langueam, in vitiorum sordescam cœno, veritatis, & diuinæ iustitię lumen amittam, & ne ad extremã diuinæ gratiæ amissione, reducar inopiam. Ecce modum diuina perscrutandi mandata, quibus ad peccatorum nostrorum veniam peruenimus, vt Bruno Carthus. in Psalm. 118. ait: *Christus est via, per quam venitur ad iustificationes suas, videlicet per quem fideles veniunt ad remissionem peccatorum.* Intellectum igitur da mihi, vt sic diuina scrutando mandata, Deo viuam.

Peccator, qualiter diuina scrutari debeat mãdata, ad peccatorũ suorum veniam consequendam.

Apostophe ad Christũ.

Peccatoris ad Deũ accessus, & cõfessio culparum.

Brun. Carth.

5 Diuina pręcepta, quibus ad nostrorum remissionem peccatorum deuenimus, in scala Iacob adumbrari posse crediderim, vt Gen. 28. hęc à terra vsque ad cælum pertingebat, quia mandata, quæ hic in terris obseruamus, ad cęlum nos pertrahunt, vt Matth. 19. c. dicit: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata;* Duo habet latera, quæ sunt duo testamenta, vt ait Hug. Card. hic, scilicet vetus, & nouum; huius scalę tres esse gradus censeo, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ pœnitentiæ partes sunt, quia ad pœnitentiam peccatores Deus expectat, vt Es. cap. 30.: *Expectat Dominus, vt mise-*

Diuina pręcepta à peccatore perscrutanda, in scala Iacob adumbrantur.

Hug. Card.

misereatur vestri. Angeli ascendentes, & descendentes sunt pœnitentium cogitationes, quæ ad infernum descendunt in Gehenna pœnarum apprehensione, vt Es. 38. *Dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi*, vt à diuinorum terreantur transgressione mandatorum; ascendunt ad cęlum, cum spe ad cælestem gloriam, & ad æterna mente rapiuntur prœmia, vt Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; cum igitur diuina meditantur peccatores mādata, scrutantur leges, descendunt in infernum viuentes, ne descendāt morientes, sua abiurantes delicta, propriam redarguentes conscientiam sceleris, se diuinæ vltionis reos statuunt, vt diuinæ iustitię euitent sententiam, reatus pęnas effugiant, vt p. Cor. 11.: *Si nos metipsos diiudicaremus non vtique iudicaremur*. Reuocant deindè mentis pedem ad cælum ascendentes, primum contritionis gradum conscendunt, dum dolentes ad Christi pedes prouoluti suas detestantur iniquitates, eorum peruersę voluntatis duritiem, doloris malleo conterunt, & contriti inde cordis Deo offerunt sacrificium; secundum inde ascendunt, confessionis videlicet gradum, dum suas, quæ Deum non latent, prodendo peccata, conscientias Deo sacramentaliter dolentes aperiunt, vt absolutionis indulgentiam mereantur, & tandem vltimum gradum satisfactionis, dū eorum lacrymis culparum maculas abstergunt, ieiunij igne purgant, & eleemosynarum, & pœnitentiæ prætio suas redimunt animas, sic per hanc scalam ad cælum conscēdunt. Quare Ps. 83. dicebat Dauid: *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in Valle lacrymarum; etenim benedictionem dabit legislator, ibūt de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Sion*. Benè igitur per diuinorum mandatorum ponderationem, ad vitam peruenitur æternam. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*, Psal. 118. vt Aug. hic: *prabe mihi Domine lucē, & intelligentiam, vt intelligere valeam mandata tua, intelligendo seruare, seruando, viuere in aeternum, & non gustare mortem secundam*.

August.

6 Omnes diaboli conatus eò tendunt, vt à diuinarum scripturarum cibo nostrę mentis auertat palatum, ne à peccatis declinantes ad pœnitentiam prouocemur; hinc est, vt p. reg. cap. 5. & 6. habetur; quod Philistæi captam arcam dimittere decreuerant, eo quod continuò super eos esset manus Domini, multis eosdem plagis afficiens, quod vt exequerentur, (inito priùs inter eos consilio) hāc plaustro imposuerunt, & duas vaccas fœtas, quibus nunquam impositum erat iugum, in plaustro iunxerunt, vt absque alio duce, vaccæ arcam ducerent, quæ licet vitulos, quos domi habebant mugientes reliquissent, recta tamen via, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantes, eò duxerunt arcam, quò ducenda erat. Sed inquiet quis, quomodo possibile est, quod indomitę vaccæ, habentes vitulos, absque alio auriga, & præuio duce rectè traherent arcam, nec à recta deuiarent via? vnde hoc miraculum? Diabolus huius plaustri auriga fuit, ipse dux, qui vaccas regebat, plaustrum ducebat, ne Philisthæi diuinę legis tabulas, quæ in arca continebantur, fortè inspicerent, & ad horū diuinorum obseruantiam mandatorum, mentem appellerent; quare, vt omnem ab his occasionem conuersionis ad Deum amoueret, arcam in plaustro

Diaboli conatus, vt diuina precepta, à peccatoris mente amoueat; ideò Philisthæi arcam Dei dimittere statuūt.

Diabolus auriga plaustri, super quo erat arca.

foras duci illis consilium dedit, & deficiente humano duce, diabolicus auriga insilijt ad ducendum plaustrum. Quare Orig. *Non à Deo,* ait, *id operante, sed permittente; à Dæmone autem, hoc opus fuit, quia noluit arcam Dei apud Philisthæos manere, ille consilium satrapis Philisthinorum dedit, ipsoq; duce ibant in directum vaccæ.* Cur igitur noluit arcam apud Philisthęos amicos eius manere, cum id victoriæ trophæum esset Philisthinorum, aduersus populum Dei, cui Dæmon infestissimus hostis erat? nimirum, quia in arca illa, tabulę diuinę legis continebantur, in quibus digito Dei diuina erant conscripta mandata: Erat quidem Diabolus princeps Philisthinorum, & eos secum omnes ad tartara ducebat, quia contra Dei mandata, cuncta illos facere facilè suadebat, ideò noluit Dei mandata ibi remanere, ne fortè legentes, & legis veritatem considerantes, ei adhærere vellent: *Abeat,* inquit Orig., *arca, cum sua lege, ne maneat apud meos.*

Orig.

Orig.

Noluit diabolus arcã Dei apud Philisthæos manere, qa in hac diuinæ legis tabulę erãt, ne has legerẽt, & eis adhærerent.

7 Et dæmonis verè sectatores, & tenebrarum filij vocari possunt, qui à diuina lege mentem auertũt; vnde meritò in se maledictionis sententiam, pœnamq; inflectunt; & ipsa diuina lex, quæ hanc obseruantibus, ad cælum eosdem transferens, fit scala Iacob, aduersantibus vertitur in maledictionem, quæ in Inferni detrudit voraginem. Zachar. 5. ait Propheta: *Conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum: & dixit ad me* (scilicet Angelus) *hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ.* In quæ verba D. Greg. 15. mor. c. 8. ait: *Quid est volumen, nisi sacra scriptura, quæ dum de cælestibus loquitur, ad superna mentis nostræ intentionem leuat, quia dum illam super nos esse aspicimus, vana attendere, idest concupiscere deuitamus.* Sed dicam ego, quomodo D. Gregorius sacram scripturam appellat, quod angelus maledictionẽ vocat? numquid res sacra maledictionis nomẽ subibit? quod ad nostris salutem ordinatur, vt Matth. 19. c.: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* dicebat Saluator, in animarũ conuertetur, & verget exterminium? quomodo diuinæ legis volumen volans, ad cęli regionem tendens, ad tartara aperiet viam? difficultatis huius nodum soluemus, ex verbis sequentibus eiusdem textus, vbi dicitur: *Quia omnis fur, sicut scriptum est, iudicabitur, & omnis ex hoc similiter iudicabitur:* ecce nomen causę, tribuit effectui: dicitur sacra scriptura maledictio, ex effectu in improbos, quia dum sacram scripturam cõtemnunt, diuinas parui pendunt leges, diuina exequi pręcepta minimè curant, peccatis contradicẽdo; necesse est, vt super hos irruat maledictio; secundum illud Matth. 25.: *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* sic hęc res sacra ad animę salutem pœnitentibus tradita, obstinatis, & obduratis peccatoribus diuinę legi contradicentibus, vertitur in maledictionem, ideò idem Greg. apud Lir. subdit: *Sed quia hæc ipsa sacra eloquia, ad æternam damnationem sunt eis, qui illa, vel scire nolunt, vel certè sciendo contemnunt, rectè de hoc volumine dicitur hæc est maledictio, & cur maledictio dicatur adiungit, quia omnis fur, sicut scriptum est, iudicabitur.* Quare dicitur Petr. 2. d.: *Melius erat illis non agnoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Idem S. Ephr. de pœnit. ait:

Diuina lex obseruantibus hanc est scala Iacob, aduersantibus fit maledictio.

Greg.

Sacra scriptura, quę salus est penitentib⁹, obduratis peccatoribus in maledictionẽ vertitur.

Greg.

S. Ephr. ait: *Si scienti bonum, & non facienti peccatum est illi, quanto magis malum scienti, & illud facienti?* qui igitur diuinæ legis, & Sacræ Scripturæ, scientiam habet, & non exequitur peccatū maximum committit, vt S. Cyrill. Alexandrin. lib. 9. cap. 9. ait: *Non magnum est virtutem agnoscere, sed studiosè agere certè maximū est; ego autem existimo melius, modo quodā esse nescire, quam quod scias per ignauiam negligere, & quod bonum esse credideris, ea desidia præterire.* Quare D. Hieronim. super caput 10. Esa. ad illa verba: *Dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia.* *Suscepit*, inquit, *duplicia supplicia Ierusalē, pro peccatis suis, semel à Babilonijs, secundò à Romanis.* Quod si quæramus causam, cur duplicia susceperit, respondet idem Hieronymus: *Quia scit voluntatem Domini, & peccat, vapulabit multis:* sic qui peccat, pœnā meretur, & qui post peccatum scit diuinæ pietatis leges, & scripturas, eum ad pœnitentiam vocantes, & nihilominùs his non vtitur, duplicia supplicia recipere de manu Domini dignus est; quare Eccles. 1. *In multa sapientia, dicitur, multa est indignatio;* Vbi paraphrasis Caldea, sic habet: *Vir qui multiplicat sapientiam, quando peccat, & non conuertitur ad sapientiam, multiplicat indignationem à Domino.* Duplici igitur contritione à Domino conterendus esset; si quidem in diuinæ legis transgressione temerarius præuaricator non timuit, tum etiam, quia delinquens, & transgressus Dei præcepta, ad hæc per conuersionem, & pœnitentiam redire non curauit.

Cyrill. Alex.

Hieron.

Hieron.

Paraphr. Caldea.

Victus tenuis, atque exquisitus, &c. tex.

§. III. Continuò peccati languens morbo, opportunum pœnitentiæ cibum reijciens, maximè huius animæ periclitatur salus.

1 Victum animæ peculiarem, diximus esse pœnitentiæ opera, maximè verò in lacrymarum potione considerata. Victus enim ex cibo, & potu constat, lacrymę igitur pœnitentium, cum cibi, & potus rationem sortiamur, vt Ps. 79. dicebat Propheta: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura,* meritò victus nomen, & denominationem sibi poterunt vendicare. Hoc igitur lacrymarum pane, sicut materiali corpus, peccatrix anima ad spiritualis vitæ sustentationem, pasci opus est, vti Cassiod. super Ps. 41. ait: *Fletus est cibus animarum, corroboratio sensuum, & absolutiò peccatorum, refectio mentium, lauacrum culparum.* Quare Regius Propheta Ps. 41. dicebat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi, vbi est Deus tuus.* Sed quomodo inquiet quis, lacrymæ panis denominationem sortientur, cum sint diuersæ formę, quæ diuersos quoque effectus producunt? lacrymæ enim liquidum humorem præferunt, qui ex cordis venis persepè erumpens, præ doloris angustia, ex oculis defluit; panis solida ad nutritionē corporis substantia est; illæ ad potum, iste ad cibum, illę ad extinguendam sitim congruentiùs, iste ad expellendā famem potiùs ordinantur; quomodo ergo, qui potus est, cibus dicetur?

Pœnitentiū lacrymę panis, & potus rationē sortiuntur.

Cassiod.

Qualiter lacrymę panis denominationē recipiant.

satiùs

Prima expositio.

satiùs erat dicere, fuerunt mihi lacrymæ meæ aquæ potus, quam panis. Possemus dicere primò, quod lacrymis pro pane vtebatur, sicut de Anna dicitur p. reg. p. *Quæ flebat, & non capiebat cibum*. Quia ex doloris angustia, non comedebat, sed tantùm plorabat, vt Lir. hic: *Lacrymæ ex tedio procedentes, auferebant mihi appetitum comedendi*. Secundo denominat lacrymas panem; nam sicut iste non extinguit, sed potiùs sitim accrescit, sic cum desiderio ardenti teneretur fruendi Deo, quod deducitur ex eo quod ait Ps. 41.: *Quando veniã, & apparebo ante faciem Dei mei*; cum suo non potiretur desiderio, nam vt dicitur Prou. 23. b. *Spes quæ differtur, affligit animam*, sic plorabat, sed lacrymæ eius non extinguebant, sed potiùs, veluti panis, sitim augebant. Quare Hug. Card. ait: *Ego ploraui pro irriguo superiori, & inferiori pro dilatione patriæ, & pro incolatu huius miseriæ*. Sed meliùs ad rem nostram dicamus, cum D. Hieronymo, vocat lacrymas panem; nam sicut corpus pane nutritur, & satiatur, sic anima lacrymis exsaturatur, quas præ cõtritione effundens, peccatorum veniam consequitur; ideò D. Hieronymus ait: *Quomodo potest de lacrymis panis fieri? potest, quia sicut corpus satiatur pane, ita anima lacrymis, quibus sperat remissionem peccatorum habere*. Qui igitur hoc lacrymarum competenti victu, nõ vtitur, huius animæ periculosa salus.

Lir.

Secunda expositio.

Hug. Card.

Tertia expositio.

Hieron.

2 Peccator, qui in lacrymarum imbrem pœnitentia non erumpit, diuinæ iustitiæ fulmina reformidet. Experientia cernimus, cum densatis caligine nubibus obducitur cælum, sibilat aer, ventorum obstrepunt turbines, mugiunt tonitrua, fulgura corruscant, & per aera stridentia percurrunt fulmina, & nostris ab oculis solis claritas eripitur, & à nocte nõ dicernitur dies, non est, qui tunc insolito nõ afficiatur timore, ne tonitrua, & fulgura domos demoliantur, tempestas, & grãdo deuastet agros, sementes obruat, segetes sternat, animalia necet; Verum si hæ nubes in pluuiã soluuntur, obnubilatum clarescit Cælum, benigna Solis facies conspicitur, venti silent, tonitruum, fulgurum, grandinum, & temporalium damnorum, omnis timor abscedit; imò imber terram fęcundat, plantas nutrit, segetes souet, animalia recreat, & infinita præstat viuentibus beneficia. Quid enim horribiliùs, & detestabiliùs peccatore, cuius conscientiæ cælum inumeris vitiorum nubibus contegitur, obnubilatur sceleribus, vt Ps. 54. *Et contexerunt me tenebræ*; cuius mentis venti, vehementibus, & instabilibus noxiarum cogitationum flatibus sibilant, quapropter Solis iustitiæ diuinæ gratię claritas abscedit, lumen deest, cælicus splẽdor abest vt Psal. 48. *Et vsque in æternum non videbit lumen*, hinc est quod diuinæ indignationis mugientia in peccatorem ad pœnam audiuntur tonitrua, Es. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*. Diuinæ iustitiæ corruscant fulmina, vt Sophon. 3. *Effundam super eos indignationem meam*. In summo enim tunc peccator corporis, & animæ discrimine versatur; quis enim peccator tam fortis, & constans est, qui non concidat animo, quodnam adeò intrepidum cor, quod tanto non concutiatur periculo? quis tam generosus, qui timore non exanimetur, animus, qui diuinæ indignationis non perhorrescat tonitrua; & diuinæ iustitiæ, imminentis non perterreatur fulmine? Verum si hæ peccatoris, & peccatricis conscientiæ, & scelerum,

Obnubilato cælo, cõparatur peccator, & sereno pœnitẽs.

Nubes, quæ in pluuiam resoluuntur expellũt timorem, & maxima incolis prę̃stãt beneficia.

Peccatori, & pœnitẽti comparatur obnubilatũ cælum; & dũ in pluuiam nubes resoluuntur.

lerum nubes, in lacrymarum pluuiam pœnitentia resoluuntur; omnis omninò à peccatore abscedit timor; aufugit metus, cessat pauor, consurgit lætitia; Quia vt ait D. Anselm. in epist. ad Cor. *Conscientia impiorum magna pœna est, pioru verò gaudium magnum*; culparum fugantur obscuritates, & conscientiæ cęlum peccatorum clarescit venia: Solis iustitiæ diuinæ gratiæ claritas redit, vt in act. 12. a.: *Et lumen refulsit in habitaculo carceris*: venti silent mæroris, & tristitię; diuinæ comminationis cessant tonitrua; & pęnæ euanescunt fulgura; quinimò ex lacrymarum irriguo, animæ nostræ ager ad vberes pœnitentiæ fructus proferendos, fęcundatur; arentia mortificatorum bonorum operum arbusta reuiuiscunt ad meritum; sensuũ animantia recreantur, & nox perditionis in prosperum salutis æternæ conuertitur, & resoluitur diem, & tota periculorum, & timoris caligo in tranquillam mentis, & spei refunditur serenitatem. Quare Chrif. hom. 8. in Marcum, ait: *Sicut post vehementes imbres, mundus, aer, ac purus efficitur, ità post lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas omnisque illa de peccatorum tenebris offusa caligo, dissoluitur, & sicut ex aqua, & spiritu, sic rursus ex lacrymis, & confessione purgamur*. Quare verè de se affirmare potest anima peccatrix ad Deum cõuersa, id quod Esai. 12. dicitur: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me*: quasi diceret ex furore iræ tuæ pro meis culpis irritatæ, quibus diuinæ iustitiæ flagella promerui ex lacrymarum mearum pœnitentia motus, conuersus es ad misericordiam peccatorum meorum, mihi veniam præbens, & spem tribuens salutis, vt D. Hyeronimus hic ait: *Confitebor tibi Domine quoniam qui irammerui, & furorem tuum, misericordiam consecutus sum*.

Anselm.

Chrif.

Hieron.

3 Iam huius periculi peccatoris in vitiorum habitu degentis, & bona opera non peragentis præcedũt diuinæ iustitię comminationes, vt Is. 5. vbi dicitur: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri, peccatũ*: quibus verbis, primò peccator insinuatur, & innotescit: trahere enim proprium est irrationabilium, & iumentorum; & ecce peccator, qui iumenti naturam induit, quia in hoc magis sensus, quam ratio præualet, & dominatur, ideò per Psalmistam comparatus est iumentis insipientibus &c. quia ductum sensus, & naturę pronæ ad malum sequens, in sordidorum culpa iumentorum deuolutus est conditionem; hic igitur peccator, seu morale iumentum trahere dicitur iniquitatem; hęc maximum onus, & pondus graue est animæ, vt Sap. 9.: *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, & Ps. 37. a. dicebat Dauid: *Sicut onus graue grauatum est super me*, & quia ait Philosophus: *Omne graue tendit deorsum*; sic peccatum, vt graue onus animam ad Inferni deprimit, & deijcit centrum vt Ps. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in Infernum viuentes*; trahit igitur peccator iniquitatem, hoc graue pondus, plurium actuum gradibus peccando, ex quibus passibus damnosum iter habitus vitiosi conficitur, contra quod, ait Dauid, Ps. p. a. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorũ, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*; ex quibus apparet, scilicet ex his particulis, abijt, stetit, sedit, habitus peccati, quomodo resultat

Quomodo peccator dicitur trahere iniquitatem.

Peccator, vt iumentum onus peccati trahit.

Peccatum in principio quomodo dicit. funiculus, funis in progressu, & vinculum plaustri per habitum.

ex actibus; ideò subdit Propheta: *Quis trahitis in funiculis vanitatis*. Peccatum dicitur funiculus in ingressu, quia de facili potest rũpi, funis dicitur in progressu, quia tunc fortiùs stringit, vt Psal. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*, & Prou. 5. *Funibus peccatorum suorũ constringitur; vinculum plaustri*, dicitur deindè, quod est fortiùs, legunt septuaginta, *quasi corrigiam plaustri*, quasi dicat ait Hug. Card. hic: *Peccata nobis adhærent, sicut vincula, sunt annexa plaustro*, vt vinculum plaustri dicitur peccatũ, ductum in consuetudinem, quia tunc difficillimè rumpitur, vnde meritò ait D. Hieronimus: *In funiculis vanitatis iniquitas trahitur, quia peccata peccatis connectuntur, & inania sunt in principio, vt fila aranearum, sed si exire voluerimus tanquam solidissimis vinculis tenemur*; hæc est morbi longitudo, de qua in aphorismo moraliter loquimur, vt Aug. in Psal. 108. etiam ait: *In modum funis, qui ex pluribus minimis crescit in multum, peccata semper tanquam longo fune tenduntur*, huius funis longitudinem declarat D. Basilius qui ait: *Exemplum huius sententiæ, sit aliquis propensus ad lubricitatem explendam, obserua per quot sibi asciscit peccatũ luxuriæ; primò corpus suum componit, crines hoc modo circumtondentur, taliter verò veste amicitur, deinde suppeditat pecunias, vt redimat fruitionem pulchritudinis scorti, verba adornat, compositiones, & conuiuia his omnibus sibi accersit, flagitium prostitutæ pudicitiæ; hic est qui attrahit peccatum in funiculo longo*: Et sicut iumẽtum, qui longo tractu laborat, defatigatur, sic peccator, qui trahit iniquitatem, quam sibi restem habitus construit, vt Hug. Card. in Is. 5. *Iniquitatem iniquitati, quasi funiculum funiculo connectitur, & sic trahitis longum restem*, fatigatur secundum illud Sap. 5.: *Lassati sumus in via iniquitatis*; vt igitur hoc morale iumentũ Deo viuat, debet pœnitens pœnitentiæ cibo refici, lacrymarum potu recreari; vt Ps. 79.: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura*. Sic in morbis longis tenuis victus periculosus.

Hug. Card.

Hieron.

August.

Basil.

Exponitur quomodo peccator, lõgam restem peccati, qua deuincitur, sibi conficit.

Hug. Card.

4 Ex Sauonarola in Mich. cap. 6. habetur, sic ait: memini iuuenẽ fuisse Ferrariæ prosperæ valetudinis viriumque præstantium, subito egisse animam; consilio medicorum aperta sunt eius viscera, & compertum est vermen inesse illi ad cor; abstractus est vermis, & multis rebus periculum factum est, multæque medicinæ adhibitæ sunt, ad extinguendum vermem illum; nihil repertum est, quo interire posset, præter vnum succum cepæ, & eo pacto cognita est antidotus illius morbi. Ita ille. Vermis est mala conscientia, quæ morsibus suis cor peccatoris cõtinuò exedit, vt Iob. 13. *Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea*; & est velut ille vermis, qui rodebat hederam Ionæ, quæ vna die aruit, vt Ion. 4. c. vel veluti illa aquila, quæ cor Promethei exedebat, huius animæ antidotus est succus cepæ: hic, vt apud omnes constat, lacrymari facit, vndè meritò pœnitentiæ, & contritionis symbolum est: qui vult ergo à verme peccati liberari, ne repentinam animæ æternam incutiat mortem cepæ succũ lacrymarum scilicet, & pœnitentiæ remedium adhibeat, ad illius extinctionem.

Sauonarola.

Casus adolescẽtis, qui repẽtè mortuus est, verme, qui vno succo cepæ est extinctus

Lacrymarũ, & pœnitentiæ succus cepæ est, ad vermen peccati extinguendum.

5 Sed inquiet quis, quomodo spiritualis æger, qui diuinæ gratiæ est demortuus, secundum illud Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit*

ipsa

Quomodo Peccator, cuius op.a mortua sūt, possit ad animę salutē opera meritoria efficere.

ipsa morietur, potest, aut debet pænitentiæ lacrymarum, & bonorum operum victu ad spiritualem animæ nutritionem resoueri; sic iste victus nullius virtutis roboris est, & meritorum? cum omnia opera à peccatore facta sint mortua, nec ad æternæ vitæ salutem valeant promerendam, nedum consequēdam, vt clarè D. Th. 3. p. quæst. 89. art. 6. qui ait: *Quod opera, quæ sine charitate fiunt, dicuntur mortua, in quantum scilicet non procedunt ex principio vitæ*. Quare Apost. 1. Cor. 13. ait: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; idest vt ait D. Th. *Ad vitam æternam*. Tum etiam, vt ex eodē Angelico Doctore 2. sent. d. 4. q. 27. art. 4. patet: *Qui omnis, qui meretur exigitur*, quod actus eius sit proportionatus, ad id, quod meretur, & cum nullus mereri possit, nisi id quod secundum suam conditionem potest contingere; cum gratia, humanæ naturæ conditionem excedat, vt patet ex effectu eius, qui est ad vitam æternam perducere animas; sequitur, quod nullo modo possit cadere sub merito eius, qui est in puris naturalibus, & ratio generalis est, vt ex D. Th. 3. p. q. 14. a. 4. quia cum prima ratio dantis sit amor, impossibile est; quod aliquis sibi debitum faciat eius, cuius amicitia caret; quare nemo, sine charitate per quamcunque operationem moraliter bonam in se, poterit apud Deum, nec gratiam, nec æternam gloriam, nec quidem bona temporalia promereri; ideò D. Aug. ait: *Quod peccator non est dignus pane, quo vescitur*, & etiam alibi ait: *Quis autem dicat Deum præmio bonorum temporalium remunerare peccata?* Verū quia nullum bonum relinquitur iremuneratum, sicut nec malum impunitum: *Ideo Diuinā decet bonitatem*, (ait D. Th. loc. cit.) *vt vbicunque Deus dispositionem inuenit, perfectionem adijciat, ideò ex meritò congrui, dicitur aliquid mereri bonum, per opera extra charitatem facta; & secundum hoc opera huiusmodi valent ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam, & ad assuefactionem bonorum operum*; nisi addere etiam vellemus cum Corrado in respons. cas. consc. quæsito 89.: quod opera moraliter bona in se peccatoris, conducant ad euitandam transgressionem præceptorū; vt in ieiunio ex præcepto, & missa in diebus festiuis ex præcepto, tunc enim non fit reus transgressionis, & pœnam euitat. Eleemosynæ etiam plurimum conferunt, quia recipientes suis orationibus interdum merentur, vt Deus sua misericordia eorum corda moueat ad conuersionem ad Deum; & multa alia emolumenta succedunt ex bonis operibus extra charitatem factis; sic Corrad. vt sup. Quare D. Hieronymus ait: *Quod Deus iustus operum bonorum peccatoris non obliuiscitur in remuneratione*, & hoc idem confirmat D. Greg. Quare & si non meretur de condigno peccator de bonis operibus, neque de congruo, nisi secundum decentiā diuinæ bonitatis, vt diximus, ad diuinam tamen misericordiam, & gratiam remotè saltem disponit, maximè verò ex eleemosynarum pauperibus erogatione, vt Tob. 4. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. Et hoc idem inferre videtur D. Ambr. p. ad Timoth. 4. super illud: *Pietas ad omnia valet*, ait: *Pietatem autem sequens, si lubricum carnis patiatur vapulabit quidem, sed non peribit*. Quorum verborum sensus

D. Thom. | D. Thom. | August. | D. Thom. | Corrad. | Hieron. | Greg. | Ambr.

Qualiter aliquis dicatur aliquid mereri per opera extra charitatem facta.

Peccatoris opa moraliter bona, ad euitandum transgressionem diuinorum præceptorū conducunt.

Opera bona moralia peccatoris ad diuinā gratiam saltem remotè disponunt, patet hoc in eleemosyna.

D.Thom. secundum doctrinam D. Thom. 4. sent. dist. 15. qu. 2. a. 2. ad primum, intelligendus est sic, quod eleemosyna liberat hominem in statu viæ adhuc existentem dupliciter, vel impediendo futurum peccatum, sicut alia opera meritoria hominem in gratia cōfirmant, vel à præterito liberando, in quantum disponit peccatorem miserentem ad gratiam recuperandam, sicut alia opera de genere bonorum recta intentione facta. hæc doctrina est D. Thom. qui in Genesim cap. 4. ait etiam: *Deus non acceptat dona malorum, unde si uis eleemosynas, & quæuis bona non perdere, Deum tibi propitium, & amicū prius habere satage, alias non ualent ad meritum, uel gloriam de condigno, licet ualeāt, & prosint ad impetrandam gratiam de congruo.*

Quomodo eleemosyna liberat hominē à peccato.

6 Ex cuius doctrinæ cognitione dicere possumus, quod si eleemosyna dici potest opus meritoriū, non tamen propriè, sed similitudinariè à peccatore facta, non est tale de condigno, sed de congruo, quia non exigitur ex debito diuinæ bonitatis, sed potius ex decentia diuinæ pietatis, quæ ex sua merè gratia complacet peccatori subuenire, ne rursus in peccatum cadat, secūdum illud D. Greg. in 3. Exechiel. & 15. moral. *Peccatum quod per pænitentiam non deletur, suo pondere mox ad aliud trahit.* Et per ta'e opus bonum disponatur ad gratiā, modo dicto. Peccator igitur, qui in longa vitiorum ęgritudine existēs, nullatenus pietatis pęnitentiæ, pręcipuè verò eleemosynarum opera exercet, huius æternæ vitæ profectò periclitatur salus, quare Nabucodonosori dictum est, Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* Anima enim peccatoris, sicut milites ab hostibus, à Turcis Christiani, à prędonibus ciues capti, qui non nisi magnæ soluendæ pecuniæ prætio redimuntur, eleemosynarū & aliorum pietatis operum prætio, ab iminenti æternæ mortis periculo eripitur, & capta peccatorumq; nexibus constricta ab Inferni carceribus, & diaboli potestate, in pręsenti seculo, in pristinā diuinæ gratiæ asseritur libertatem; vt prou. 15. *Redemptio animæ viri diuitiæ suæ*, idest vt explicat D. Hieron. *Qui animam suam vult redimi à futura ira congreget diuitias operum bonorum.* Quare in nouissimo die de eleemosynarum elargitione, vel de earundem omissione, vel præmia collaturus, vel pœnas irrogaturus, supplicia inflicturus ęternus quæret Iudex. Vt D. Aug. ser. 33. qui ait: *Scriptum est Ecclesiast. 3. sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Item 29. Include eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa pro te deprecabitur Dominū. Item scriptum est Dan. 4. Consilium meum audi Rex; peccata tua eleemosynis redime, & alia multa, sunt eloquij diuini documenta, quibus ostenditur multum valere eleemosynam, ad extinguenda, & diluenda peccata, proinde illis, quos damnaturus, vel coronaturus est, solas eleemosynas imputabit.*

Peccatoris eleemosyna dicit. opus meritoriū, nō propriè, sed similitudinariè, & de congruo ex decentiā diuinæ bonitatis.

Gregor.

Anima peccatoris eleemosynarū, & bonorum operū prætio, à mortis periculo eripitur.

Hieron.

August.

7 Et quod ad peccatorum expiationem eleemosynæ factæ à peccatore, apud Deum promerantur, & peccatrici prosint animæ; audiamus D. Chris. hom. 2. in Matth. qui de supradicto Rege loquens, sic ait: *Si ille Rex idolorū cultor poterat eleemosynis peccata redimere, cui non proderunt eleemosynæ? sed audi mysterium, quod Petrus apud Clemētem exposuit: si fidelis fecerit opus bonum, & hic ei prodest liberans eum à malis, & in illo seculo ad percipiēdum regnū cæleste, magis*

Chris.

autem

Quod eleemosynæ à peccatore factę ad peccatorũ expiationem conducant, in Niniuitis, & in Nabucodonosore Rege probatur.

autem ibi, quam hic: Quare Niniuitæ, vt diuinæ indignationis pœnam, à se ipsis auerterent, prædicationis Ionæ timore perculsi, ad pietatis opera, ad eleemosynarum, & ieiunij remedium confugerunt, & sic liberi euaserunt; licet iam ore Ionæ ciuium dessolationis, & euersuræ ciuitatis, quadraginta dierum termino, diuina promulgata esset sententia, vt Ion. 3. *Adhuc quadraginta dies Niniuem subuertetur*; quare Chrysol. serm. 8. ait: *Misericordia nō solum causam præuenit, anticipat cognitorem, sed etiam sententiam reuocat, absoluit addictos: quod Niniuitæ probant, quos iam sententiæ subiectos, pœnæ traditos, ad victimam stantes, morti deditos, misericordia sic rapuit, sic tenuit, sic præuenit; vt maluerit Deus deduci sententiam, ne misericordia quid negaret.* Sicut ex aduerso concludere possumus de Nabucodonosore Rege vti diximus; qui Danielis consilio non obtemperante eleemosynis peccata sua redimendo, diuinę vltionis non potuit euitare sententiam, quam obediens effugisset, vt ait D. Cyprian. de eleemosyna, qui ait. *Danieli Rex non obtemperans aduersa quæ viderat, & infesta perpessus est, quæ euadere, & effugere potuisset, si peccata sua redimere eleemosynis voluisset*: Ecce periculũ in quod incurritur: peccati morbo languens, tenui bonorum operum cibo se reficiens.

Chrysol.

Cyprian.

Sterilis Sarra, eleemosyna, diuinitus ad prolem fœcundata.

8 Ex Gen. 18. colligimus, quod cum sancti coniuges Abram, & Sarra, ad senectam vegetam annos produxissent, & tempus generationis excessisset, & nullos sterilis liberos vxor suscepisset; ob panis buccellam pauperibus eleemosyna exhibitam, sterilitate in fœcunditatem commutata, desideratam prolem, quam humanitus habere, & obtinere non potuit, diuinitus est assecuta: peccatrix anima diaboli vxor dici potest, quæ peruersæ voluntatis annulo eidem copulata coniugio, maximè verò cum ad senectam vitiosi habitus peruenit ætatem, Deo sterilis culpa, nullum meritorum prolem edere potest; quia ait Apostolus 2. Cor. 3. 6. *Nostra sufficientia ex Deo est*; verum si cœlesti sponso per fidem coniuncta, vt Os. 2. *Desponsabo te mihi in fide.* Eleemosynarum fœcundabitur semine, vitiorum sterilitate fugata, diuinæ misericordiæ adspirante sidere, cœlestem meritorum proculdubio gignet prolem, vt Ps. 112. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Vel si, vt terra sterilis, est anima nostra, vtpotè diuinæ gratiæ destituta fluentis, vt Ps. 141. 6. *Anima mea, quasi terra sine aqua tibi*, quocirca nullum meritorij operis valet edere fructum, si bonorum tamen operum, maximè verò eleemosynarum irriguo fouebitur; pauperes pascendo, qui orant pro nobis, diuinam implorantes misericordiam, non est dubium, quin fertilescat, ad veniam peccatorum, efflorescat ad gratiam, frutescat ad meritum, maturescat ad prœmium. Vt August. serm. 25. *Fœcundus*, inquit, *est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum: via cœli est, per quam venit ad patrem; incipe ergo erogare, si non vis errare.* Et D. Ambr. lib. ad Virg. lapsi c. 8. ait: *Magna est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, vt quamuis offensus Deus, quamuis criminibus prouocatus, cogitur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis.*

Anima peccatrix diaboli vxor.

D. August.

D. Ambr.

9 Tenuis igitur lacrymarum pœnitentiæ, & bonorum operum

Nn 2 victus

victus in culpa languenti, ad eiusdẽ animę salutẽ valde periculosus, ne in peccatis obdurescat; nã diabolus cordis peccatoris portas obstruit, ne supernarum illuminationũ auxilia admittat. Ideo bene Psal. 54. dicitur: *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia.* Quidam sic exponunt: *Iniquitas super muros: habitatores eius circumdati sunt iniquitatibus plusquam muris.* Muris circundantur ciuitates, ne in has hostis irrumpat, ad ciuium desolationem, & rerum, & facultatum direptionem, qua igitur ratione iniquitas muris comparatur; quid enim iniquitati cum muris? muri sunt ad nostri protectionem, ad ciuium defensionem, iniquitas ad nostri ruinam, & desolationem. hoc profectò verum est, sed in hoc currit iniquitatis, cum muris comparatio; nam sicut muri ciuitatum, impediunt, ne hostibus ad has pateat, sed potius præcludatur aditus, sic etiam iniquitates obstant, ne virtutes, diuina auxilia ad nos ad salutis animæ nostræ subsidiũ ingrediantur. Peccatores enim, vt tales, virtutum sunt, & donorum spiritualiũ aduersarij, quinimo, & ipsius Dei; quare sicut muri obstant hostium ingressibus, sic peccata, quæ diù hominem possident, diuinis illuminationibus, supernis auxilijs, & salutis nostræ remedijs aditum præcludunt: inde fit, vt nec Concionatorum reprehensiones timeant, non admonitiones superiorum audiant; non diuinæ manus pro peccatis inflicta flagella agnoscant, non mortis horror eos inuadat; non iudicij, & inferni timor perterreat, vnde prou. 18. meritò dicitur: *Impius cum in profundum venerit peccatorum cõtemnit.* Quid est contemnit? respondet Iansenius ibidem dicens: *Contemnit iura, & homines, ita vt nullo ei, vel timore, vel pudore à malo retrahatur, nullisque benè consulentium rationibus moneatur.*

Quomodo iniquitas muris comparatur.

Sicut muri ciuitatum hostibus aditum præcludunt, sic peccata diuinis illuminationibus obsistunt.

Iansen.

In acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus. tex.

§. IV. In initio acuti morbi erumpentis culpæ, tenuis, pœnitentiæ victus, animæ saluti valdè obnoxius.

1 Diximus in medicina corporali cum Galeno, & alijs medicorum placitis, in principio morborum acutorum, ægrum non statim tenui, & exquisito victu esse attenuandum; quia medicus semper debet dare operam, vt vires si non augere, saltem tueri possit. Quare in initio morbi acuti, dum vis morbi nundum vrget, victus competens ad virium ægri conseruationem, est adhibendus; ideo tenuis, & exquisitus, qui in vigore eiusdem morbi requiritur, tunc ægro in principio morbi periculosus euaderet. Sic moraliter, & nos dicamus dum læthalis culpæ acutus morbus in animã insurgit, victus sufficiens pœnitentiæ statim est adhibendus, vt diximus, ad animæ vires tuendas, vt inde ad futuras diabolicarum tentationum accessiones repellendas, & euincendas, fortis valeat subsistere, quia vt ait D. August. lib. de pœnit.: *Pœnitentia vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit, & roborat.* In initio igitur erumpentis culpæ pœnitentiæ tepiditas valde perniciosa animæ, ideo statim in culpæ eiusdem remedium adhibenda. Iusserat Deus in lege veteri, vt si quis viso mortuo polluatur illicò eadem die

Medicus ad cõseruationem virium ægrorũ, incũbere debet.

August.

In lege veteri pollutio à mortuo, statim erat expianda.

die scilicet, expiaretur, vt Num. 6. optimum quidem documentũ; sed modo ad nos: si in pollutione legali, nulla cunctatio adhibenda, nulla mora protrahenda ad illius expiationem, & quare in animæ pollutione, dum peccati mortalis morbus acutus insurgit, dum culpæ deformitas erumpit in animã, ad pœnitentiæ sufficiens remedium non accurrimus, ad eiusdem expiationem illicò non festinamus? Ad citam moralis huius pollutionis animæ expiationem, nos inuitans S. Ambrosius in Psalm. p. duplicem nobis apponit similitudinem ignis, & luti. Quod si quis in ignem incidit, statim subsilit, ne à flamma pœnitus deuoretur, vel à calore, siue ardore summo concremetur: similiter, qui in lutũ prolapsus est; non videmus, qualiter festinus exilit, assurgit, ne totus polluatur, ecce omnes, vt ab his malis eripiantur, quomodo festinant. Quod si pro corpore, ne plus ardeat, & vestimentum, ne amplius cœno polluatur, ita soliciti sumus, & quare pro anima, quæ corpore longè præstantior est, vtpotè huius forma, & Dei imago, non ita de huius salute satagimus, dum in culpam corruit, ab hac eripere statim pœnitentia non præstolamur? maximè cum non tẽporalis ignis ardor, sed inferni ille intensissimus impendeat; nec vestium, seu corporis fęditas, seu pollutio consideretur luti, sed mortalis culpæ deformitas, quæ animam æternis supplicijs addictam deturpat: quare D. Ambrosius loco vt supra ait: *Posuisti vestigiũ super voraginem culpæ; citò aufer pedem; ne supra plantam tibi ascendat pollutio: & lapsu faciliore deceptus, supra lutum resideas. cauenda ergo prima sunt vitia, ne plura inde grauiora proserpent.*

Duplici ignis, & luti similitudine, docemur à culpæ lapsu, statim pęnitentia assurgendũ.

Ambr.

2 Dum peccatum erumpit, pęnitẽtiæ tepiditas, & peccatoris negligentia malum non auertendo, maximum in animæ vergit præiudicium. Is. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Et qui erũt isti funiculi vanitatis, quibus trahitur peccatum? crediderim ego esse peccata in quæ corruit primò peccator; hæc enim primo aspectu, vt leuia contemnuntur, & vt vanitates, quasi nihil reputantur, vnde fit, vt in grauiora, & maiora inde scelera prolabãtur, vt Iob. 15. 6. *Bibit quasi aquam iniquitatẽ*. Ista igitur peccata, quæ primò erũpunt faciunt restem peccati mortalis, si pęnitentiæ gladio non scindũtur venialium peccatorum funiculi. Vel restem, seu funem plurium peccatorum, qua vinctus inde peccator habitu in carcerem truditur diaboli, à quo liberari haud facile valet, vt D. Hieron. in hunc locum ait: *Meritò in funiculis vanitatis trahitur iniquitas, quia peccata peccatis connectuntur, & inania sunt in principio, vt fila aranearũ, sed si exire uoluerimus, tanquam solidissimis uinculis tenemur:* Sed notandum, quod peccata in principio siue leuia, & venialia comparantur aranearum telis, quæ facili flatu ingressus v.g. Ecclesię cõsecratę, vt D. Th. 3. q. 83. 3. ad 3. habet, vel simplici tactu aquæ benedictæ, & sacrarum vestiũ, quatenus fiunt per motum quendam reuerentiæ in Deum, possunt dissolui; verum hi funiculi leuium peccatorum in solidissima inde vincula persæpe cõuertuntur, dum à veniali in mortale manuducimur, & labimur, vt per D. Thom. 1. 2. qu. 8. a. 3. & 4. hæc maxime animę perniciosa, quam tenaciter in æternæ mortis vinculis miserrimè constringunt. Meritò igitur qui in funiculis huiusmodi vanitatum trahunt peccatum per dispositionem venialium

Peccata leuia, vti funiculi sunt, quibus trahitur inde iniquitas lęthalis culpæ.

D. Hieron.

D. Thom.

D. Thom.

ad

ad mortale à diuina iustitia procedunt in eosdem pœnæ imminentis comminationes: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*. Is. 5. ecce periculum.

3 Olim Regius Propheta à multitudine culparum suarum se grauatum, & de harum qualitate, & effectu in se ipso, conquærebatur dicens Psalm. 37. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*. Et inde rationem reddens à quo originem duxerint, subdit. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*; quasi diceret, quia insipiens fui, incipienti culparum mearum morbo, erumpentibus vulneribus animæ meæ, pœnitentiæ remedio statim non occurrere, medicamenta opportuna non apponere, ideo ingrauescente morbo vitiorum sanie habitus, & inueteratæ consuetudinis contabuerunt vulnera animæ meæ. Quare D. Hieron. hic: *Mihi fœtent*, ait, *& computrescunt vulnera peccatorum, desideranterq; expecto medicum. Et cur inquis cõputruerunt? à facie insipiẽtiæ meæ quia nolebam agere pœnitentiam*. Ex quo erudimur, vt cum peccati morbus erumpit, statim debita remedia ad salutem quæramus, adhibeamus. Quare non erit mirum si de multitudine iniquitatum suarum conqueratur Dauid; & de harum effectu, vtpotè, vt ait D. Hieronimus *inualuerunt enim mihi*, & sicut onus graue præmebant me: *Sicut pondus grande* subdit idem Hieronymus: *Sic peccata mea super me*. Quia pœnitentiæ remedio, illis erumpentibus præsto nõ fuit. Quare D. Ambrosius in hunc Ps. 37. ait: *Meritò ergo sub iniquitatibus positus (& quod peius est) suas corruptas esse, & computruisse cicatrices, à facie insipientiæ suæ, quia leuantem onera iniquitatum tardius remedia sequebantur*.

In initio erumpentis culpæ, pęnitẽtiæ remedio occurrendum, ne habitu ingrauescat.

Hieron.

Hieron.

Ambr.

4 Si enascenti peccato, statim pœnitentiæ non occurremus remedio, in alia plurima, & grauiora quoque incidemus. Est enim trita propositio Philosophi lib. p. de cœlo, & mundo, quod *paruus error in principio magnus est in fine*; vt patet in principio biuij, in quo modica deuiatio, ad magnam distantiam inde deducit in processu; sic leuia peccata contempta ad grauiora, animam persępe pertrahunt, vt Ecclesiast. 19. ait Sapiens: *Qui spernit modica, paulatim decidet*. De leuibus enim peccatis in ordine ad mortalia, verificari potest de his, quod de fama dicitur: *Vires aquirit eundo*; quibus si non intercidatur cursus, pœnitentiæ obice, ad læthalia percurrunt: motus enim lapidis, dum in principio descendit paruus isq; debilis videtur motus, verum in descensu ad centrum celerius properans maiorem aquirit motum. Et hæc moraliter testimonio D. Gregorij 21. moral. cap. 5. nostra fulcitur sententia, his verbis Iob. 31. *Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus*. Ordinem horum verborum quæso parumper consideremus, primò enim duo verba hic, quæ motum innectunt in hac concludũtur sententia; videlicet ambulare, & festinare, quod intelligitur debili, & fortiori motu fieri: Vanitas, peccatum leue dici potest, quod facilè euanescit, & deletur; à quo nullus licet iustus eximitur, vt prou. 24. 6. dicitur: *Septies in die cadet iustus, & resurget*: Dolus verò, quod ad malitiã spectat peccatum grauius iudicari potest, quod voluntariè, & ex malitia perpetratur, ex quibus deducere possumus, quod ambulans in vanitate, est qui leuiter peccat; sicut, qui dolosè festinat, est

Arist.

Leuia peccata ad mortalia, animã pertrahunt.

D. Greg.

Quid sit ambulare in vanitate, & festinare in dolo.

Ambulat in vanitate venialiter delinques, festinat in dolo, malitiosè peccans.

malitiosè addere peccata peccatis, hæc quæ maiora perpetrare. Ambulat enim ille, qui vt cunque se mouet, festinat verò, qui gradu cõcitato, & celeri cursu mouetur, sic qui per iniquitatis viam ambulat futurum est, vt subinde diabolicæ tentationis stimulis, velut irrationale iumentum excitatus, nedum ambulet, venialiter delinquens, aut ex fragilitate corruens, sed in latæ perditionis via dolosè, & malitiosè peccando festinet. Quare Gregor. vt supra ait: *Rectus vero ordo seruatur, si quis prius in vanitate ambulare, & postmodum festinasse dicatur. Vanitas enim ad leuitatem, dolus verò ad malitiã pertinet; & nonnulli plerumque ad quadam post malitiosa veniunt, qui prius à leuitate non declinant.*

Greg.

5 Periculi plena res est, non statim, irruente culpa, qua anima, diaboli seruus efficitur, secundum illud Io: 8. d.: *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, seruitutis iugum excutere, & pœnitentiæ ferro peccati vincula abscindere, tum quia anima tenacius in cordis prauitate deuincitur, tum quia magis vitiorum in dies semper exardescit siti, vt Iob 18. dicitur: *Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis*. Duplex hic innuitur similitudo, quæ multum proposito, & intentui nostro suffragatur. Prima ducta est à laqueo, quo capitur auicula, quæ dum in casses, seu in viscum inciderit, potest quidem facile in principio periculum subterfugere; verum si diù visco, vel retibus, seu laqueo inhæserit, & detenta fuerit, ita implicatur, vt nullus inde fugæ locus supersit: ideo dicitur: *Tenebitur planta eius laqueo*. Sic moraliter ad rem nostram dicamus, quod si anima, quæ fraudulenti infernalis aucupis, tentationum suarum laqueo irretitur,

Auicula, quæ visco, diù inhæserit, difficilè, sicut in initio facilè eripi potest, sic peccator

culpa, secundum illud Psalm. 123. *Anima nostra, sicut passer erepta est de laqueo venantium*, à quo liberari ex petebat Regius propheta Psal. 90. *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium*; potest in principio captiuitatis, ardenti lacrymarum, & pœnitentiæ aqua contritionis, vim adhibens, laqueum duræ diabolicæ seruitutis facilè infringere, & sic ab eodem eripi, ideo eodem Psalm. 123. subdit Propheta: *Laqueus*, dicens, *contritus est, & nos liberati sumus*; Verum si in hunc, sensualium voluptatum grano allectus, & deceptus, spontè incidens, diù visco delectatione morosa, vel culpas repetendo inhæserit, & vitiorum laqueo adhæserit; nulla statim pœnitentiæ adhibita vi, venator ille, qui insidiatur calcaneo, idest fini nostro, plantam tenet animæ tenacissimo, & forti cæcitatis vinculo, & consuetudinis laqueo, à quo non ita facilè eripi inde potest; ideo ait Iob. 18. *Planta illius tenebitur laqueo*, & in æternæ perditionis caueam adducetur, vt Ecclesiast. 9.: *Sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo*. Secunda verò similitudo deducitur ex illis, qui salsum humorem hauserunt, hi enim tãtum abest, vt bibendo sitim sedant, vt potius siti exardescentes, magis sitiant; & hoc ex D. Gregor. lib. 14. mor. cap. 5. deducitur, qui ad huius probationem adducit illud Luc. 14. de hydropico. *Et ecce homo hydropicus erat ante illũ.* Qui enim hydrope laborat ad potum inflamatur, nec tamen etiam si plenos crateres, & coronata pocula hauriat, sitim sedat, sed quo magis bibit, eo magis sitit; vt D. Aug. etiam de qu. Euang., de hydropico ait: *Quanto magis abundat humore inordinato, tãto amplius sitit*;

Peccator sicut hydropicus bibẽs iniquitatẽ, magis culpæ exardescit siti.

August.

sitit; & exardescit potu hoc nimirum in salsum humorem mutato. Hydropicus est omnis qui peccat, nec repetendo culpas, pecandi libidinẽ abijcit, sed incendit. Quare D. Greg. ait: *In eius quippe animo contra eum sitis exardescet, quia quo agere peruersa consueuit, eo ad adhibenda mala vehementer accẽditur; Impium quippe sitire, est huius mundi bona concupiscere.*

Gregor.

6 Curiosa quædam mihi occurrit dubitatio; quapropter scire vellim cur diabolus primos nostros parentes tentatione aggressurus serpentis assumpsit formam, quæ terrifica est, sexum fragilem, vti mulierem, quæ timida est, valens potius in fugam conuertere, & huic timorem incutere, quam eiusdem, voti vt compos fieret, beneuolentiam conciliare? cur potius columbæ, aut cygni, vel alterius pulchri, & beneuoli animalis speciem non induit, formam non sumpsit, vt Euam seduceret, ad se alliceret, & in sui inde sententiam traheret? D. August. lib. 6. de Genes. ad lit. cap. 3. ait: *Non est censendum, quod diabolus serpentem, per quem tentaret, eligeret; sed cum decipere cuperet, non potuit, nisi per quod animal posset, permissus est. Nocendi enim voluntas inest cuique à se, potestas vero à Deo est*; cum igitur astu, & dolo protoparentes nostros decipere, & circumuenire optaret, hoc melius consequi non poterat, nisi per serpentem, qui cæteris animantibus calliditate præstabat, vt Gen. 3. a: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, sic cum nõ posset vi eos euincere, calliditate superauit, vt Rup. Abb. in Gen. lib. 3. cap. 3. *Serpens dicitur* (scilicet diabolus) *quia videlicet non per vim, sed per caliditatem effectum nostræ mortis est adeptus*. Et paulo post infra etiam subdit, *non impugnando coegit, sed blandiendo primum hominem ad peccatum illexit, exinde serpens antiquus, siue serpens tortuosus dicitur*; Sed melius ad rem nostram dicamus per serpentem permisit Deus hominem tentari, vt per serpentis qualitates dęmonis astus, & malitiam dignosceremus. Inter alias proprietates serpentis, seu qualitates hæc præcipuè obseruanda; hic facilem habet ingressum, schamas enim adaptat, vt facilius ingrediatur: at si quis eũ inde per caudam educere, & extrahere vellet, schamis ipsis veluti manibus, in oppositum aptis, egressionem repugnat. Sic serpens infernalis, varijs astubus, & tentationibus tortuosus, vbi aditum sibi patere videt ad animas decipiendas, facilè ingreditur, ad peccatum pertrahit; difficulter verò, cum semel in cor hominis ingressus fuerit, ab eodem egreditur, quare in tentationis initio abigendus, aliter ingressus per culpæ assensum, toto inde corpore per repetita peccata, & malum habitum ingreditur, vt D. Hieron. qui ait: *Lubricus est serpens antiquus, & nisi capite teneatur, statim totus illabitur*. Ingredienti igitur per culpam aditum pęnitentiæ repagulis præcludamus, & vt hospitem primò excludamus, ne vt Rex in nobis pacificè dominetur vt ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*.

Cur diabolus serpentis formã Euam decepturus assumpserit.

D. August.

D. Augustini placitũ.

Rup. Abb.

Serpens facilè ingreditur, difficulter verò extrahitur; sic diabolus, cũ in cor hominis irrepserit.

Hieron.

7 Sed nec adhuc à dubitationibus liber euado, noua enim mihi occurrit difficultas. Cur Sacra Scriptura agens de serpente, qui Euam tentationibus inuasit, ait textus, Gen. 3. a: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. Quidnam* (ait Rup. Abb. hic c. p.) *hoc sibi vult, quod non solum modo dixit: sed serpens erat callidior, sed coniunctiunculam interposuit, & dicendo, sed & serpens erat*

Pulchra obiectio cur in principio textus Gen. 3. apponitur particula, & sed. & serpens &c. Rup. Abb.

erat callidior cunctis animantibus terræ? quid nam profectò ista dictio, *&*, coniunctiua copulat? quid opus erat Moysi hanc copulatiuam addere particulam, maximè verò in principio textus, vbi de nullo alio prius mētionem fecerat? quid prius intelligendum ad istam copulationem in Euæ passiua tentatione, & serpentis allocutione? Serpens ne est qui loquebatur, iste ne decipere intendebat? & vbi dolus, vbi malitia non vrget? Quid contra hominem serpens, qui hominis subiacet imperio, vt Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; quod imperium est serpētes calcādi; & quomodo tentare poterat, qui ratione carebat? si loquebatur, cuius erat sermo, qui dicitur mentis conceptus? & quo cōceptu pollebat, qui mente, & ratione expers erat? & quomodo loquebatur, qui instrumentis ad locutionem carebat? Huius difficultatis nodum soluit Rup. Abb. loc. cit. ad rem nostram, qui ait, quod non fuit primus ipse serpens, qui mulierē alloqueretur, qui tentatione hanc decipere intendebat ad culpam, sed ipse diabolus primò in mente Euæ intus tentatione operatus est, qui cum non à muliere obsistente repelleretur, hæc eidem serpēti aperuit aditum ad validiores insidias tentationum, quare serpentis formam assumens, liberius ad eam decipiendam accessit, vt ad peccatū facilius pertraheret: verba Rup. Abb.: *Hoc vtique intendit, & ad hoc auditorem trahit, vt non putet initium peccati, siue tentationis Adæ, vel vxoris eius cœpisse ab exteriori persuasione serpentis, prius namq; intus ad cor hominis per semetipsum locutus est spiritus diaboli, vt superbiret Deumq; præceptorem ferre, vel mādatum eius portare despectui haberet.* Cum igitur intus loquenti diabolico spiritui in corde Euæ, hęc cōsensus aures prębuisset, nō est mirum, si inde serpētis forma assumpta dolo mulierem colloquio circumuenit, quò miserrimè inde in culpam corruit, quare idem Rup. Abb. vt supra ait: *Nisi enim intus superbiā prius tumuisset, foris tentatus, tam facile non cederet.*

Solutio quia primò diabolus tētauit, deinde ob consensum Euæ serpētis formā assumpsit sic additur particula, & hæc, &c.

Rup. Abb.

Rup. Abb.

8 Dum mente Petri peccatum recolo, mihi ad quærendum sese modò occasio offert; cur ad tertiam ipse negationis Christi culpā processerit, quam meritò, & galli cantus accusauit, & Christi oculus reprehendit. Quomodo, qui tam ardenter, Christum amabat, ter hunc negādo ita grauiter deliquit? Qui ad vocem primam Christi, ad huius sequelam continuò accurrit, à Christi sequela simplici vilis fœminæ interrogatione aufugit? Qui mare, & retia dereliquit, vt peccatores piscaretur, ternæ negationis deprehenditur hamo, & in culpæ mari piscator sūmus mergitur animarum? Dux Verbi, aliò à fide, aliorum ducitur, & seducitur verbo? qui petra solida erat supra quā Ecclesiastici edificij structura summa erat consurgenda, vt Matth. 16. c. *Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam*, soliditatem amittens fidei, debili tentationis percussa malleo tertio fœmineæ interrogationis negando Christum dissoluitur ictu? Quem præ cæteris Christum, filium Dei fuerat cōfessus nunc magistrum, vecors discipulus abnegat? vt Bed. in Marc. c. 14. ait: *Inter infideles hominem negauit se nosse, quem inter discipulos Deum fuerat confessus.* Ille qui vincula carceres, & mortem nō exhorrere fuerat protestatus, dicēs, Matth. 26. *Si oportuerit me mori tecum non te negabo,* modo negando Christū, timoris vincitur vinculo,

Cur Petrus ad tertiam negationem Christi processerit.

Bed.

à fœmina deuictus, vt D. Hieronymus ait: *Petrus sine spiritu voci ancillæ cessit, cum spiritu nec Principibus, nec Regibus cedit?* Quis fecit, vt hic Ecclesię Sanctæ Summus Præsul, qui humano generi principabatur, seruus fieret peccati? qui cæli Ianitor erat, sibi mortis aditum culpa aperiret? quomodo tam miserabiliter Ecclesiæ fundamentum corruit? quæ fuit causa, vt qui peccatorum vincula soluebat, ternæ negationis innodaretur laqueo? illa prima negatio, quæ pęnitentię non est obliterata calamo, ad secundam, & tertiam pertraxit negationem, ait enim D. Gregor. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur mox suo pondere ad aliud trahit*; negauit primò, & deindè egressus est foras, & quia hanc primam negationem pœnitentia non deleuit, quia secundo reuerti voluit in atrium, vbi primo ceciderat; ideò in culpa negationis secundò, & tertio corruit, ideò D. Aug. de cons. Euang. ait: *Hoc loco inuenimus, non ante ianuam, sed ad focum stantem secundò negasse Petrũ, quod fieri non posset, nisi rediisset, postquam foras exierat*; quare Hippocratis sentẽtiam sequi debemus, qui lib. 2. aph. 29. ait: *Cũ morbi inchoant, si quid videtur mouendum moue*; cum igitur peccati morbus assurgit, statim pœnitentiæ medicina est adhibenda, ait enim Galenus: *Omnis comprahẽdinatio mala, potissimum verò in arte medica*: sic in animæ medendis morbis, pœnitentiæ remedio citò perueniendũ. *Furentem equum* (ait D. Chris. in Ps. 6.) *nisi quis citò repressèrit, citò peribit, medici venenum serpens, & emanans, maxima celeritate, ne vlterius progrediatur sistunt, eius vitium incidentes. Hoc autem nos quoque faciamus, & quod in nobis est, vitium maxima celeritate reprimamus, ne vlterius progrediens, morbum augeat: neglecta enim peccatorum vulnera, sæpè maiora euadunt.*

D.Greg. D. August. Hippocrat. Galen. Chris.

In acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus.
tex.

§ V. Cum acutus auaritiæ enascitur morbus, tenuis eleemosynarum victus, animæ periculosus.

1 VIctus nomine, hic intelligo eleemosynam, qua pauperes Christi pascendo nostram depascimus animam, ad sempiternã æternæ vitę nutritionem, vt Eccles. 11. dicitur: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inueniens illum*, quod præcipuè de materiali pane exponitur, qui datur pauperibus, *Qui ad modum seminis*, (ait Hug. Card. hic) *mittitur in terrã fertilem, & irriguã, cũ pauperi erogatur*, à quo semine eleemosynæ, fructum recipiemus cẽtuplum, æternæ beatitudinis, videlicet præmij, vt dicere possumus secũdum illud Luc. 8. *Et ortum fecit fructum centuplum*; in cęlesti horreo reponendũ, vt Matth. 13. d. dicitur: *Triticum autem congregate in horreum meũ*; ad perpetuam animæ saturitatem; ideò post multa tempora, idest in die iudicij, quando de operibus misericordię rationem erimus reddituri, inueniemus illum, scilicet panem: *Quem nobis reddet cum fœnore*, ait Hug. Card. *æterna retributionis*; secundum illud Matth. 19. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*; imò panis pauperi datus, est panis, & cibus Dei, in cælo, vt Chrysol. serm. 42. qui ait: *Man-*

Eleemosyna misericordes pascit. Hug. Card. Hug. Card. Chrysol.

Manducat Deus in cælo panem, quẽ percipit pauper in terra. Hic igitur tenuis victus, & exquisitus, scilicet ad rem nostram extrema parcitas eleemosynarum in principio exurgentis auaritiæ, quæ verè acutus morbus dici potest, vt latè hic, in medicina spirituali, est animę periculosus; ideò Ambr. in quodam serm. ait: *Non minoris est criminis habenti tollere, quam cum possis, & habes indigentibus denegare*; dum igitur auaritia mentem stimulat ad aquisitionem diuitiarum, in quibus cor reponitur auari: iuxta illud Matth. 6.: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*, in huius principio, ad eleemosynæ remedium recurrẽdum, communi enim prouerbio dicitur: *Principijs obsta*, & quia contraria contrarijs curantur, sic auaritiæ morbo acuto, liberalitatis in egenos, remedium erit apponendum; vt Es. 58. 6. dicitur: *Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos*. Hunc sermonem ad auarum meo iudicio pro sensu nostro dirigere possumus; quare ad horum verborum omnimodam intelligentiam, pro captu meo accedam. Huiusmodi igitur colligationes dicamus diuitias esse, quas auarus rapaci auiditatis manu sibi colligit, iuxta illud Aug. Psal. 9. qui ait: *Auarus dum colligit, colligitur; dum vult esse prædo fit præda*; opportet igitur has colligationes dissoluere, & quid est dissoluere? est id quod ligatum erat soluere, & quis est ille, qui ligatus dicitur? seruus, & mancipium, talis est auarus, qui est pecuniæ seruus, vt Chris. super Matth. hom. 29. qui ait: *Pecuniæ seruus non auscultat*, & Seneca in Epis.: *Si pecunia vti scias, ancilla est, si nescis, Domina*; iste igitur est ligatus, validissimis auaritiæ vinculis, & habet custodem carceris sæuissimum, qui est amor pecuniarum, & auiditas coaceruãdi diuitias, qui custos semel à se captum, & tenacibus suis deuinctum nexibus non patitur à peccati exire, & liberari carcere, vt D. Chrisost. in Matth. hom. 14.: *Præter illa siquidem vincula*, inquit, *habet custodẽ carceris sæuiorem amorem pecuniarum, qui semel à se vinctum, nunquam de hoc carcere exire permittit; sed mille illi imponit catenas, & ostia, & seras, atque custodias, in interiorem illum conijciens carcerem*; quomodo ergo poterit dissolui? eleemosyna, quare D. Ambr. serm. 30.: *Miseri homines*, inquit, *qui in mortem peccatis ruerant, ad vitam eleemosynis reuiuiscunt, sitque illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incẽdium*.

Ambr.

Diuitię sunt colligationes, quibus auarus vti diaboli seruus deuincitur.

August.

Chris.

Seneca.

Chris.

Ambr.

2 Sed quæso notemus hoc verbum, *dissolue*, quod ait Esaias, quid est dissoluere? est hæc dictio reduplicatiua, & idem est, ac iterum soluere; non enim ita facilè soluitur auaritiæ vinculum, non ne satis erat dicere solue colligationes sicut de fasciculis dixit, *solue fasciculos deprimentes*; quid est quod dissoluendum suadet? colligationes, & quę sunt istæ colligationes? si grammaticè speculemur: colligatio est nomen compositum, cuius simplex est lego, quod est hinc, atque illinc carpere, vt de flores decerpentibus dicitur à Poeta Virgil. Eclo. 2. Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur, colligere igitur est simul legere, sæpè, atque sæpiùs hinc, atque illinc carpere, quod suum non est, quod proprium est auari; iniquum mammona congregando, diuitias coaceruando, ecce colligationes auaritię, vt verè dicere possimus cum D. August. vt supra; *Auarus dum colligit colligitur*, & quia tot actibus contrarijs debet

Quid sit dissoluere colligationes hæc sententia explicatur.

Virgil.

malus habitus si possibile est dissolui, quibus fuit contractus; sic auaritiæ habitus, qui per multos rapacitatis, auiditatis, & iniquitatis actus est congestus, quibus colligationes iniquitatis conflatæ sunt, per multos actus charitatis, pietatis, & eleemosynarum est soluendus: dicitur igitur dissolue colligationes impietatis, vel per aliquem maximum actum, qui pluribus æquipolleat, imò excedat, vt Zachæus, qui dicebat Luc. cap. 19. *Ecce Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum.* Non modo id quod rapuit restituere, & reddere decernit, sed in quadruplum; ea enim est vis auaritiæ, vt oporteat animum in contrariam partem inflectere, nam si tenuis victus, vt diximus sobriè eleemosynam erogando, tantumodò hanc viam tenere sibi in animum induxerit, facile in auaritiam declinabit, & semper in peius ruet; ideo D. Chris. hom. 38. ad pop. ait: *Qui namque rapinam vult exuere, non è multis pauca erogat, sed raptis multò plura, & rapere destitit. Audi enim quid Zachaus dicat, & omnium, quæ rapui quadruplum reddo. Tu vero decies millia rapiens talenta, si paucas reddidisti dracmas, te totum reddidisse putasti; & quasi plura dederis ita te geris.* Vt igitur ab amore pecuniarum, quò specialiter auaritiæ vitium conflatur mentem retrahas, animum abducas, dum habendi cupiditas cor tuum inuadit eleemosynarum remedio sufficienti, & opportuno occurrere debes.

Chris.

Auaritia veluti quoddã veneficium, eleemosyna veluti res sacra dissoluitur.

3 Auaritia est veluti quoddam veneficium, quò diabolus diuitiarum iniquarum laqueis animam innectit, quare Apost. 1. Timoth. 6. ait: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*; ecce impietatis colligationes, ad has diabolicas colligationes dissoluendas, quid opus est? res sacræ, veneficia dissoluunt. Eleemosynæ igitur cum sint res veluti sacræ, quæ Deo dantur, dum pauperi eas erogamus, vt Christus dicebat Matth. 25. *Quandiù fecistis vni de his fratribus meis minimis mihi fecistis*, sic cum sint Deo dicatæ, eleemosynæ sacræ dici possunt, imò sacrificio præstare videntur, vt Os. 6. c. *Misericordiam volui, non sacrificium*, & ad huiusmodi impietatum auaritiæ scilicet dissolutionem, aptæ, hoc est remedium singulare, vt ab his auaritiæ liberemur, maleficijs, eruamur incantationibus, eripiamus veneficijs, quare Ecclesiast. 3. dicitur: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Sicut enim aqua serpentem facit sistere ignem, & extinguit; eadem ratione eleemosyna dissoluit peccata, & per consequens auaritiam, dum fauorem diuinum nobis propitium implorat, vt futura caueamus, & præterita defleamus peccata. Et Lir. hic: *Resistit peccatis*, ait, *pœnam pro eis debitam auertendo*, secundum illud Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Græca exemplaria hanc partem, hac ratione habent: *Eleemosyna expiat peccatum.* Cyprian. lib. 3. ad Quirin. *Eleemosyna extinguit peccatum.* Tigurina hunc locum hoc modo exponit: *Ita peccatum expiat misericors benignitas.* Ex quibus clarè deducitur, qualiter medicina eleemosynæ, auaritiæ, sicut, & aliorum peccatorum veneficia dissoluat, & animas sanet, vt Chrysol. ser. 32. *Sanari nescit, qui nescit pauperi fænerari.* Imò diuinæ iustitiæ furorem à nobis auertit, & à periculo quocunque eximit. Non ne hoc clarè perspicimus in Loth, qui elee-

Quomodo eleemosyna resistat peccatis diuersæ expositiones.

Lir.

Græc. exempl.

Cyprian.

Tigurina.

Chrysol.

elemosynarum aqua furētem è cęlis ignem cōpescuit, imò extinxit, cum ab hoc exemptus, hac sola eleemosyna exemptus fuit, & eodem cæteri eius conciues igne cōcremati, & incendio conflagrati miserrimè perierunt: Adstipulatur Orig. hom. 5. in Genes. his verbis. *Audite hac, qui peregrinis clauditis domos, audite hac, qui hospitem, velut hostem vitatis. Loth in Sodomis habitat, alia eius benè gesta non legimus, hospitalitas sola in eo ex vsu veniens memoratur, euadit ignes, euadit incendia, ob hoc solum, quod domum suam patefecit hospitibus, hospitalem domum angeli ingressi sunt, clausas hospitibus domos ignis ingressus est.*

Orig.

4 Et quod eleemosyna auaritiæ erumpentes flammas extinguat, & vitia dissoluat quæq;, diximus hoc secundum similitudinem aquæ in ordine ad ignem, quæ duplici pollet virtute, sicut enim aqua arenti solo, & siccæ glebæ humorem ministrat, quo fructus proferat, eadem prorsus ratione proportionaliter eleemosyna omnem virtutis segetem, in animo miserentis facit pullulare. Præterea etiam sicut aqua ignis vim reprimit, & domat, sic eleemosyna ardentes vitiorū flammas opprimit, & suffocat; & hoc ad confirmationem in muliere Samaritana videri potest, cum Christus in hac impudicitiæ ignem extinguere optaret, eleemosynā aquæ petit, dicens Io. c. 4. *Mulier da mihi bibere.* Idest à te eleemosynam aquæ efflagito, vt scias, quod *sicut*, (ait Ambr.) *Aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Hoc est miseri homines, qui in mortem peccati aruerāt ad vitam eleemosynis reuiuiscunt, sitq; illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium, vt flammas, quas sibi peccando accenderant largiendo restinguant. Aquā ergo saluator à muliere postulat, & sitire se simulat, vt sitiētibus æternam gratiam largiatur.*

Eleemosyna velut aqua sterilitatem fugat, & vitia extinguit.

Ambr.

5 Et vt percipiamus melius, sicuti flammæ auaritiæ aqua eleemosynę pro remedio occurrere debeamus, veritatis huius confirmationem, ex gestis Christi possumus desumere argumentum. Marc. 3. habetur, quod ingrediens Saluator Synagogam, vidit quendam manum habentem aridam, cuius pietate commotus ille, cui proprium est misereri, & qui omnes nostros curat languores, & sanat infirmitates, vt Chrysol. serm. 32. ait: *Perfecta salus*, inquit, *nobis reseruatur in Christo*, huic ariditate laboranti, suam præcipit extendere manū, dicens Marc. 3. *Extende manum tuam; extendit, & restituta est manus illius.* Sed quæso cur Christus ad salutem, gratia, & liberationē præuenit? cur ante supplicationē, decretum gratiæ subscribit? cur ab ariditate affecto non expectat prius rogari, vt in Centurione patet, vt Matth. 8. *Accessit ad eum Centurio rogans eum &c.* Cur illius consensum non quærit? voluntatem non explorat, vt in languido, cui dixit Io. 5. b: *Vis sanus fieri?* Cur non suam sinit prius aperire ariditatem, petere sanitatem, implorare auxilium, vt de Principe ad Christum accedente refertur, Matth. 9. c. dicente: *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam, & viuet?* sed statim nulla interposita mora, nullis interuenietibus præcibus, nulla infirmi voluntate explorata, consensu petito, nulla infirmi pro gratia prçeunte supplicatione, præsto est, ad auxilium accurrit, infirmo præcipit coarctatam extendere manum, redire salutem, recipere sanitatem? sic à manu ariditatē ablegat, fugat sicsita-

Christus manum aridā sanat.

Chrysol.

Cur Christus manum aridam sanat absque infirmi supplicatione.

ſiccitatem, conſtrictos ſtupore ſoluit nodos, & priſtinæ manum incolumitati reſtituit; quare ſubdit textus, Marc. 3.: *Dicit homini: Extende manum tuam, & extendit, & reſtituta eſt manus illius*; ſic liberè, liberam ad vocem Chriſti, ab areſactione infirmus manum extẽdit, ad præceptum Saluatoris ſalus rediјt, ad cæleſtis medici iuſſionem morbus obtemperat, abſedit ariditas, ſalutis effectum æger conſequitur. Si huius cæleſtis medici facti myſteria ſcrutamur, perpetrati miraculi penetremus intima; hoc ad rem noſtram maximè conducit: manus arida, & areſacta, auari Symbolum eſt: hic enim contractam rapina manum habet, nam, vt ait D. Auguſt. ſerm. 25. de verb. Dom. *Inſatiabilis eſt auaritia diuitum ſemper rapit, & nunquam ſatiatur*; contracta, quę in pauperum charitatem non relaxatur, ad miſericordiam non extenditur; cum igitur primum hanc Chriſtus ſic aſpicit, non patitur, ſic contractam videre, tale auaritiæ obiectũ non tolerat, nõ huius fert aſpectum, qui totus miſericordiæ eſt adglutinatus, quare vltrò nõ exoratus præcipit ſanitatem, fugat auaritiæ ariditatem, vt pecuniarum, & diuitiarum inexplebilem à nobis tolleret auiditatẽ. Sic ſtatim, vt vidit, inquit: *Extende manum tuam*; &c., vt ſciremus in principio enaſcentis auaritiæ, hanc abominabilem iniquitatis venam, ne diffundatur, ſtatim forè eleemoſynæ tomento obſtruendam, & manum ad miſericordiam pauperum incunctanter relaxandam. Quare Chryſol. ſer. 32. ait: *Non ſit aliquis in Eccleſia, cuius manum areſaciat cupiditas, contrahat auaritia, rapina debilitet, tenacitas ægrotam conſtringat; ſed ſi acciderit id ipſum audiat Dominum, & cito eam in opere pietatis extendat, relaxet, & in miſericordia, in eleemoſynis porrigat.*

Manus contracta Symbolum eſt auaritiæ, quã Chriſtus vltro ſanat.

Chryſol.

6 Sed tamen adhuc Eſaiæ ſententiam ad rem noſtram ſequamur ad explicationem. Eſ. 58. *Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes*; & qui nam erunt iſti faſces, ſiuè faſciculi? iſti ſunt auarorum diuitiæ, quibus toto mẽtis affectu ex animo hi inhiant, anhelant, & toris viribus incumbunt, quæ inquam diuitiæ ſuo onere animam culpa corpus labore deprimunt, vt Aug. tom. 10. de verb. Apoſt. ſer. 24. ait: *Vide hominem oneratum ſarcina auaritiæ: vide illum ſub hac ſarcina ſudantem, anhelantem, ſitientem, & laborando ſarcinam addentem*; vel iſtos faſciculos intellligere poſſumus iniuſta fœneratorum lucra, quæ ſunt chirographa, & cartulæ, quibus decipiũtur pauperes ad iniuſtas ſolutiones; vt ait D. Hieronymus hic: *Significat autem chartarum faſciculos, in quibus fœneratorum calumniæ continentur, & opprimuntur pauperes ære alieno*, ſicut colligationes impietatis vertunt Septuaginta: *Obligationes violentarum cautionum*, iſti enim faſciculi iniquitatum animam peccatoris, vt onus graue deprimunt, ſecundum illud Pſal. 37. a.: *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*; hos igitur faſciculos ſoluere debemus, fraudulenta ſcindendo chirographa, pro iniuſtis cautionibus comburẽdo, delendo chartulas iniuſtas, diſſoluendo ſcripturas; quare Hieronymus ſecundum Septuaginta ait: *Solue omnem colligaturam iniquitatis, diſſolue obligationes violentarum cautionum*; vel ſolue per reſtitutionem; ſolue per eleemoſynarum elargitionem: diuitiæ enim malè aquiſitæ, vel auidè retentæ maximum peccatori onus ſunt.

Faſciculi deprimentes ad culpam animas, ſunt auarorũ diuitię, lucra fœneratorum, & Syngraphæ.

D. Auguſt.

Hieron.

Septuag.

Diſſoluuntur colligationes, iniuſtas chartulas delendo.

D. Hieron. Septuag.

7 Sed vt etiam clariùs intentum

noſtrum

nostrum concludamus, verborum Es. 58. *Solue fasciculos deprimētes*, intimius mysteria perscrutemur sensum speculemur, difficultatem enucleamus. Quomodo intelligere possumus hoc verbum *Solue?* qui nimis ponderosum, & grauem baiulantis vires excedentem sustinere, aut deferre non valet fascem, hunc si soluit, disperguntur ligna, v. g., & super excedens onus relinquens, congruens, & proportionatum tantum viribus assumens, & baiulans, non grauatur, hoc non deprimitur, oneri non succumbit; imò qui grauis nimis erat, facilis ad deferendum, & leuis humeris sustinētis redditur fascis: sic fasces iniqui mammonæ, vel diuitiarum fasciculos iniquitatis, qui auari, & peccatorum animam deprimūt ad inferos, ad æternæ perditionis centrum pertrahunt, nostræ conditionis, & status valdè impares viribus, & super excedētes humeris deferre volumus, diuitias rapaciter coaceruando auidè, & impiè retinendo, oneri æternæ perditionis succumbemus. Si verò hos soluemus fasciculos, pauperibus partem diuitiarum eleemosynis relinquēdo, vel malè ablatum restituendo, viribus nostris pro nostra conditione, & statu diuitiarum tantum fascem ferendo, hic facilis reddetur, hunc benè feremus, qui non nobis oneri, sed ad vtilitatem corporis, & animæ redundabit salutem; quare Theoph. super his verbis: *Difficile est diuitem intrare &c.* vt Marc. 10. ait: *Nō hoc dicit, quod diuitiæ malæ sint, sed habentes ipsas, vt custodiant: docet enim non ipsas habere, idest retinere, & custodire, sed eis in necessarijs vti, & in seruitio hominis esse.* Solue igitur, quasi dicat propheta fasciculos deprimentes, superflua relinquamus pauperibus, statum nostrum excedentia; quæ tantum nobis necessaria sunt retineamus, sic enim bene pro vitæ nostræ sustentatione feremus fascem, in hoc seculo. Solue igitur, per absolutionem passiuā à peccatis; solue per restitutionem malè ablati, fasciculos deprimentes, diuitiarum animam tuam, quos secundum cōscientiam ferre non vales.

Soluimus fascem superflua diuitiarū relinquendo nobis tantū necessaria retinendo ad vitæ sustentationē.

Theoph.

8 Mihi videtur posse affirmare de his iniquis auaritiæ deditis, qui manum tenacitate in pauperes cōtrahunt, quam eleemosynis relaxare deberent, id quod de iustis intulit Patientissimus, Iob. 9. qui ait: *Sub quo curuantur, qui portant orbē*; idest vt ait D. Hieronymus hic: *Qui portant mundum, dum eum ne ruat, ac pereat orationum fortitudine sustinent.* Proportionaliter è contra de auaris dicere possumus, qui cupiditate habendi, auiditate in corde, desiderio in mente propriæ voluntatis humeris portant orbem, nec vnus sufficeret si alius, vel plures mundi inuenirentur, hos quoque affectu possidendi amplecterentur: dicitur enim, *insatiabilis auaritia diuitum*. Diues enim auarus semper in facultatibus summis pauperescit, in diuitijs esurit, in auri diluuio semper sitit, contra quos insurgens Saluator Matth. 16. ait: *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* portant mente, & corpore diuitiarum fasciculos, animam in profundum inferni deprimentes. *Sub quo curuantur* auari istum, qui portant orbem. Curuantur vsque ad extremam curuam senectam in hoc vitio perdurantes; curuantur continuis laboribus, sudoribus, & ærumnis, quas ob pecuniæ lucrum, ob diuitiarum coaceruationem vltrò ferunt, & patiuntur. Ideo August. tom. 10. de verb. Apost. ser. 24. ait: *Vide hominem oneratum sarcina auari-*

Hieron.

Auari sub onere diuitiarū, quasi sub orbe curuantur, & quomodo.

August.

auaritiæ, vide illum sub hac sarcina sudantem, anhelantem, sitientem, laborantem sarcinam addentem. Sub quo curuantur, aurum, vt è terra effodiant, vt diuitiarum onera portent, & harum fasciculos à terra sibi tollant: curuantur alijs, ad honorem, vt auri beneficia ab eis recipiant, pecunias ab horum manibus eripiant: curuantur diuitiarum onere prægrauati gemētes: curuantur tandem in morte ad pœnam ad inferni centrum tendentes, (quia omne graue tendit deorsum) qui veluti pecus ad terram terrena, & temporalia tantum spectantes, mentem semper ad ima renuere depressam. *Sub quo curuantur, qui portant orbem*. Quare in fine vitæ eorum, suam deplorantes miseriā, & ineptiam dicent sine fructu, vt Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis?* solue igitur fasciculos deprimentes.

9 Sed quomodo debemus, nostrum hoc quod diximus deponere onus, siue fasciculos deprimentes, si tali nos onere peccatorum grauatos ad se, vt reficiendos, & recreandos vocat, Christus, vt Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Imò, & ipse Christus suum nos ferre iugum, & onus suadet, dicens. Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos*; quod iugum, quale sit subdit post pauca, dicens: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Iugum enim duorum onus est, animæ igitur erit cum Christo charitatis iugum; quare cum Christo, hoc iugum ferre, nos non tædeat; quod enim à nostrarum virium tenuitate deficit, hoc diuinæ in nobis vis supplebit misericordiæ: Vel iugum Christi, quod ipse tulit, nos eiusdem vestigijs inhęrentes libenter etiam ferre debemus. Sed quomodo dicitur hoc iugū onus leue? si onus quomodo leue, si leue quomodo onus? quod leue est sursum tendit, quod graue est, vt onus, deorsum vergit; quomodo ergo onus leue, est iugum Christi? Sed dicamus, quod aliud est iugum, siue onus Christi, aliud est onus diaboli, aliud onus peccati, aliud onus charitatis: illud onus nos deprimit ad infernum, istud nos tollit ad cęlum, onus ergo diaboli à nobis abijciamus, onus Christi assumamus: illud onus, siue sarcinæ peccati dissoluendæ, Is. 58. vt diximus: *Solue fasciculos deprimētes: dissolue colligationes*: diuitiarum fasciculos, auaritiæ vinculo colligatos, eleemosynarum ferro debemus dissoluere, iniquitatis coaceruatas diuitias, sarcinas discindere, & in pauperes dispergere, secundum illud Psalm. 111.: *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi*: sic etiā vitiorum onus, quo onerati, & grauati sumus ad Christum, gressibus contritionis viam confessionis incedentes, deferre debemus, vt ipse petit Matth. 11. vt diximus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Sua nos reficiat misericordia peccatorum nostrorū veniam largiendo, vt August. tom. 10. de verb. Apostol. serm. 24. ait: *Quomodo reficit peccatis oneratos, nisi indulgentia peccatorum?* onus autem Christi est misericordia in pauperes; hoc onus leue est, quod alas habet, quas animæ nostræ humeris inserentes, & adiungentes ad cœlum meritò conuolamus. Quare August. vt supra: *Hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ volaturi*. Hoc onus non habet pondus, & si onus leuissimum, & nobis perutile ad salutem. Dat similitudinem D. August. loco citato de auiculis, quæ

Obiectio: quomodo debemus onus deponere, si oneratos nos ad se Christus vocat.

Quomodo iugū Christi dicitur onus, & quod leue sit.

August. Onus peccati graue, onus Christi leue.

August.

D. August.

quæ plummarum onere sunt oneratæ; illud, quod existimatis onus has ne deprimit aues? tãtum abest, vt deprimantur,& grauentur,vt his ablatis ad cœlum minimè valeant eleuari. Sic misericordiæ,& Christi onus leue, plummæ sunt nobis ad cœlum conuolandi. Quare audite quem adduco Auctorẽ D. Augustinum loc. cit. qui ait: *Habent enim,& aues pēnarum suarum sarcinas. Et quid dicimus portant illas, & portantur: portant illas in terra, portantur ab illis in Cœlo. Tu si misericordiam velis præbere aui, præsertim æstate, & dicas, miseram istam auiculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subuenire voluisti. Porta ergo pennas pacis, alas accipe charitatis; hæc est sarcina, sic adimplebitur lex Christi.*

Pulchra similitudo de auicula plumis onerata, quibus ad cœlum eleuatur.

August.

10 Rursus noua mihi occurrit difficultas. Quomodo dicit Christus, vt onus suum portemus, vt Matth. 11. vt diximus: *Tollite iugum meum super vos*; si vnusquisq; proprium habet onus, quod portet, vt Apost. ad Galat. 5. *Vnusquisque onus suum portabit?* si hæc onera, nedum diuersa, sed inter se opposita sunt; onus Christi est charitatis, onus nostrum est iniquitatis, illud leue, vt ait Matth. 11. *Onus meum leue.* Hoc, scilicet nostrum graue, ideo dicitur, *soluite fasciculos deprimentes*, quomodo à nobis præcipitur esse ferenda? rursus si iugum Christi erit onus, quod ferre debemus, ergo non nostrum erit onus, sed alienum, puta Christi erit illud, quod portabimus, quomodo ergo dicit Apost. Gal. 5. vnusquisq; onus suum portabit? sed, & adhuc sententia suam quoque videtur inuoluere difficultatem, nam idem Apostolus eodem Capite ad Galat. 5. ait: *Alter alterius onera portate, sic adimplebitis legem Christi.* Si

Quomodo onus Christi ferre debemus, si vnusquisq; onus suum portare tenetur.

vnusquisque suum tenetur portare, quomodo cũ altero portabit, onus? quomodo onus alterius, quod portat alter, hoc onus illius erit? & si onus illius, quomodo feretur ab iste? Iam diximus, quid sit sarcina Christi, quæ est onus suaue charitatis videlicet, quæ, vt ait Apost. 1. Cor. 13. *Non quærit, quæ sua sunt*, sed quæ Iesu Christi, vt Christi legem adimpleat illam in pauperes exercendo fidelis Christi. Modo videamus quale sit vniuscuiusq; onus proprium, quod quisq; portare debet, & onus quod inuicem nos portare debemus, ait igitur D. Aug. tom. 10. de Verb Apost. ser. 24.: *Onera quæ vnusquisque sua portat, peccata sunt*; quæ super suæ conscientiæ sibi humeros imposuit, & de quibus ante Iudicem supremum rationem reddere certe tenetur, vt D. Athanas. in Symbolo fidei ait: *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem*: subdit deindè pœnam, vel prẽmium, quod impij, & iusti consequentur dicens: *Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum*; sed meliùs audiamus Apostolum 2. ad Cor. 5. 6. qui ait: *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siuè bonum, siuè malum.* Ait præterea idẽ Apostolus, eodem cap. 5. ad Galat. *Alter alteriùs onera portate, sic adimplebitis legem Christi*; vt arguat eos, qui se immunes existimant euadere à pœna, fraternam post habentes correctionem, idem Aug. ait loc. cit.: *Contra eos, quibus per hoc possit negligentia subintrare, vt quasi securi facti, quod non contaminarentur peccatis alienis, neminem curarent corrigere: inuicem onera vestra portare, breuiter dictum,*

Et quomodo vnusquisque onus suum portabit, si alter alterius onus portare debet.

August.

D. Athanas.

Vnusquisq; onus suum portabit, in factorũ suorum ratione reddenda.

D. August.

In correctione fraterna, inuicem onera portamus.

ctum est. Vt igitur Christi iugum, quod suaue est onus dignè feramus, diaboli, & mundi, auaritiæ præcipuè, de qua loquimur, onus deponamus (hęc enim inter se minimè onera conueniunt,) nostrũ est, quod abijcere debemus onus peccatorum; Christi, est charitatis onus, quod ferre debemus, illam in delinquentes correctione, & eleemosyna in pauperes exercendo. Tollit quidem à nobis onus peccati, sed absque onere nos minimè dimittit, suas charitatis sarcinas nobis imponit: onus quod nos deprimit, & ad infernum demittit, à nobis aufert: onus quod ad cęlum nos eleuat veluti alas charitatis nobis imponit: ideò Aug. loc. cit.: *Tollam quidem sarcinas, sed inanes à sarcinis non dimittam. Tollam sarcinas malas, & imponam bonas: malè te subiugauerat cupiditas, salubriter te subiuget charitas*; hoc igitur onus nobis est ferendum, diuitias pauperibus communicando, sic alter alterius onera portabit, & inter nos inuicem onera portabimus; sic terrenos thesauros, charitate contemnentes, eleemosynas egenis dispergentes, incorruptibiles ad æternam vitam consequemur in cælis. Quare Aug. vt supra: *Diuites sint*, ait, *in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizẽt sibi fundamentum bonum, in futurum, vt apprehendant veram vitam*.

August.

August.

11 Sed, & adhuc quomodo inuicem onera ferre possimus, vel debeamus, quæso parumper diligenter inquiramus. Iugum Christi onus leue est, quod charitatis est; & dicitur iugum, quod duorum onus est inuicem ergo onera portanda. Et quę erunt ista onera? diuitiæ diuiti sarcinæ eius sunt, paupertas pauperi, & vtrisque quidem graues: quomodo hæc onera leuia reddenda erunt, vt quisque, & diues, & pauper, portare, & suũ ferre valeat onus? virtute iustitiæ opus est, vt Psal. 118. dicitur: *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi*; sed quomodo eleemosynam, quæ pietatis, & misericordiæ opus est Propheta virtuti iustitię tribuit? Euthimius hic ait: *Per iustitiam hoc in loco eam intelligit, quæ à misericordia proficiscitur, hoc est ab eleemosyna, & de qua scriptum est: attendite, ne iustitiam vestram faciatis corã hominibus, &c.* sed & adhuc, quomodo misericordia gignet iustitiã, veluti ferè sibi oppositam? nam misericordiæ munus est subleuare aliquẽ à miseria; iustitiæ verò, vt quis debitum reddat; quomodo ergo dicitur quod iustitia à misericordia proficiscitur? Verùm dicamus, quod cum iustitia hic sumatur, vt generalis quędam virtus, omnibus alijs moralibus virtutibus inseritur, veluti forma harum omnium; ideò Arist. lib. 5. Ethic. ait: *Iustitia est habitus, per quem iustorum operationes fiunt*; & clariùs D. Th. p. 2. quæst. 60. art. 3. ait: *Quod omnes virtutes morales, quæ sunt circa operationes, conueniunt in quadam ratione generali iustitiæ, quæ attenditur secundum debitum ad alterum*: cum igitur misericordia, siuè eleemosyna sit moralis virtus, quæ respicit debitum nostrum, Christo in paupere persoluẽdũ, vt Chrysol. ser. 14. super illud Matth. 25. *Esuriui, & dedistis mihi mãducare*, ait, *sibi datum clamat, quod pauper accepit*; meritò in se rationem iustitiæ includet, & quod eleemosyna sit debitũ nostrum, habeo Patronũ D. Hieronymum super Epist. 13. ad Rom., qui ait: *Potest etiam eleemosyna debitum appellari*, hoc debitum reddere tenemur; vt ex Ecclesiast. 4. *Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum*. Qualiter

Diuitię diuiti; paupertas pauperi, horum onera leuia redduntur.

Euthim.

Quomodo eleemosyna quę opus est misericordiæ, iustitiã in se continebit?

Arist.

D. Thom.

Chrysol.

Hieron.

Eleemosyna dicitur iustitię opus, quã debitũ nostrum est cũ paupere.

Hieron. liter autem reddẽdum sit explicat idem Hieronymus, qui supra inquiens: *Vectigal nostrum est, vt transeuntibus donemus, vel nos transeuntes sedentibus adiuuam, & inde venientibus largiamur.* Sic ecce quomodo à misericordia iustitia proficiscitur, sicut intulit Euthimius. Sed ad rem nostram dicamus, quod misericordia in se includit iustitiam: hæc enim secundum D. Thom. c.2. quest. 114. a. p. & Philosophum 5. Ethic. *Consistit in quadam æqualitate*; sit igitur æqualitas cum onera nostra inuicem portamus; & quæ erunt onera ista? diximus diuitias diuiti, paupertatem pauperi, vnumquemque propria sarcina, seu onus deprimit; vt igitur benè, & facilè hæc portentur onera, diues diuitias suas communicet pauperi, sic diues à graui diuitiarum pondere, ne deprimatur ad infernum merito sublevabitur, & etiam pauper à miseria, & facilius paupertatis suæ sustinebit onus, sic vterque, & diues, & pauper subleuabitur; ecce iustitiæ æqualitas: ideo ait Apostolus ad Gal. 5. *Alter alterius onera portate, sic adimplebitis legem Christi.* Quare egregiè D. Aug. loc. cit. ait: *Inuicem onera vestra portate. Paupertas non est onus meum, sed onus fratris mei. Vide ne diuitiæ sint maius onus tuum; nam non habes onus paupertatem, sed habes onus diuitias: si bene intendas onus est, ille alterum onus habet, tu alterum, porta cum illo, & porta tecum, vt inuicem onera vestra portetis. Quid est onus paupertatis? non habere: quid est diuitiarum onus? plusquã opus est habere: & ille oneratus est, & tu oneratus es: porta cum illo non habere, portet tecum plus habere, vt fiant æquales sarcinæ vestræ.* Soluẽdi igitur sunt statim diuitiarum, fasciculi animam, cum primo deprimunt. Vt Hippocrates lib. 2. Aph. 23. *Quicunque morbi ex repletione fiunt curat euacuatio.* Sed de his infra.

(Margin: D. Thom. — Arist. — Eleemosyna dicitur iustitia in æqualitate cõsistens, vt pauperis, & diuitis æqualia fiãt onera. — August. — Hippocrat.)

Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis. &c. tex.

§. VI. Spirituali morbo languens, à bonorum operum victu totaliter abhorrens, in maximo æternæ mortis periculo versatur.

1 Victus tenuissimus, qui grauis dicitur, est, quo vasa ferè omnino vacua redduntur; & sicut in nutrimento viribus roboratis, vita consistit; sic tenuissimo victu viribus prostratis, æger habescit, & deficit ad mortem. Victus spiritualis animæ, quo Deo viuimus, qualis sit supra in medicinæ spiritualis declaratione, satis diximus. Victus igitur iste moralis tenuissimus, cum peccator ab omnibus pietatis operibus se retrahit, huius certè animæ periculosa salus, ne in æternum elangueat interitũ; secundum illud Psal. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Ecce æternæ mortis imminens periculum: vbi Hug. Card. ait: *Defectus Verbi Dei mortem inducit animæ, nam Verbum Dei est esca, & cibus animæ.* Verum, quia Propheta ait: *Omnem escam*, cum hæc particula, *omne*, destribuat pro singulis escis, licet possit etiam præcipuè interpretari pro Eucharistiæ Sacramento, quod antonomasticè dicitur, esca, cibus, & manna, omnem spiritualium deliciarum in se delectationem continente; vt Io. 6. *Caro mea vere est cibus.* Extẽdamus

(Margin: Victus tenuissimus, corporalis, & moralis, qualis. — Hug. Card.)

tamen hanc, *omnem escam* ad quæcunque pietatis opera, à quibus se peccator maximè inueteratus abstinet, quorum extrema inedia animæ vires franguntur, sic diuinis destitutus auxilijs, in æternum elanguet interitum. Ideo subditur: *Et appropinquauerunt vsq; ad portas mortis*.

2 Nostram hanc sententiam suo tuetur testimonio Patientissimus, Iob 18., qui ait: *Attenuabitur fame robur eius, & inedia inuadet costas illius*. Vbi D. Gregor. lib. 14. mor. cap. 7. hunc locum exponens, quid sit hoc robur explicat, quod cum homo ex corpore, & anima sit compositus, sic ex robore, & infirmitate constat; ex parte animæ robur habet, ex parte corporis infirmus habetur, vt Saluator noster Matth. 26. d. dicebat: *Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma*; Anima igitur, quæ bonorum operum, cœlestium donorum, diuino præcipue cibo pascitur, & enutritur, dum hoc caret cibo, tunc attenuatur robur illius, verba D. Gregorij: *Huius ergo iniqui robur fame attenuatur, quia eius anima, nulla interni cibi refectione pascitur*. Et vt melius percipiamus, quomodo Diuini Verbi, siue supernarum illuminationum victus tenuissimus animæ grauis sit; obseruemus id quod additur: *Et inedia inuadet costas illius*. Iob 18. sed quomodo costæ, siue ossa, quæ nec pinguescunt, nec macrescunt, nec in adulti corpore crescunt, nec decrescunt, inediam pati possunt, vt dicat Iob: *Et inedia inuadet costas illius*? Per has morales costas, intelligit D. Gregor. loc. cit. mentis, sensus; nam sicut costę sunt illa ossa spinæ coherentia, intestina suo cōplexu coercentia; sic sensus animi, velut costæ, internas cogitationes mentis muniunt, & regunt: Si igitur Diuini Verbi supernarum illuminationum, vel spiritualium donorum, refectione hæ morales costæ non confirmantur, non roborātur, necesse est has deficere, & per consequens, etiam horum cogitationes euanescere, & deperire. Quare Greg. ait: *Costæ ergo vnicuique sunt sensus animi, qui latētes cogitationes muniunt: Inedia igitur inuadit costas, quando omni spirituali refectione subtracta, sensus mentis deficiunt, & cogitationes suas regere, vel tueri non possunt*. Cum igitur spiritualium ciborum inedia, quis conficitur, fame maceratur, tunc in eo sensus mentis extenuantur, vt suas propterea ad Deum, à quo bona cuncta procedūt, nullatenus dirigere valeat cogitationes, quibus diuinæ gratiæ dona promereatur; ideo subdit idē Greg. *Inedia inuadit costas iniqui, quia fames interna sensus mentis extenuat, vt cogitationes suas nullatenus regant*.

3 Vel dicamus, quod robur animę precipuum, sit ieiunium ad diaboli tentationes euincendas; quare S. Antonius Abbas dicebat, vt ex eiusdem lectionib. in Breu. dicitur: *Fratres credite mihi extimescit satanas, piorum vigilias, ieiunium, orationes*. Quare Apost. ad Ephes. 6. nos debitis spiritualibus bellicis armis in diabolum communiri optans, ait: *Induite armaturam Dei, vt possitis stare contra insidias diaboli*. Et quæ est hæc armatura Dei? recolite id quod Matthæus cap. 4. dicit, quando Christus contra diabolum pugnaturus processit, quod solis ieiunij armis cōmunitus Deserti campum ingreditur, sicut ait Euangelista Matth. 4: *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Hæc igitur est armatura Dei, ieiunium ad diaboli artes euincendas, tentationum insidias

Summa interni cibi inedia, attenuatur anima.

Gregor.

Quomodo intelligatur quod inedia inuadat costas.

Costæ sunt sensus animi, quæ deficiunt cum spiritualiter non roborantur.

D. Gregor.

D. Gregor.

S. Ant. Abb.

Animæ robur ieiuniū ad diaboli vires debellandas.

Basil. Magn.

insidias superandas. Ideo D. Basil. Magn. hom. 31. de Ieiun. ait? *Aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, aduersus spiritualem militiam, hos oportet per sobrietatem, & ieiunium ad certamen exerceri.* Quare D. Petrus ad victoriam in inferni hostem reportandam, ad ieiunium nos inuitat, 1. Petr. cap. 5. dicens: *Fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret; cui resistite fortes in fide.* Sed quomodo, dicet quis hortatur, vos sobrij simus, & vigilemus, vt diabolo obsistamus? quomodo paupertate possumus ditescere; infirmitate conualescere; abstinentia vires aquirere; lassitudine roborari? maximè ad diabolum vincendum, de quo, ait scriptura Iob. 41. *Non est potestas in terra, quæ comparetur.* Satius erat dicere requiescite, & comedite, cum ex requie, & cibo, magis ad pugnā roborentur vires, quam ex sobrietate, & vigilantia, qua potius eneruantur. Sed dicamus, quod ieiunium robur sit animæ, sicut esca materialis cibus est corporis, & quod corporis sæpe numero est robur, infirmitas est animæ, hinc est quod dicebat Apostolus 2. Cor. 12. c. *Cum enim infirmor tunc fortior sum.* Non ne Saul, vt victoriā consequeretur aduersus Philisteos ieiuniū præcepit militibus, vt p. reg. 14. d. dicens: *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam donec vlciscar de inimicis meis.* Sic ad victoriā de humani generis hoste reportandum ieiunij arma conducunt. Et quod carni consonum, spiritui disonum videtur, quia caro concupiscit aduersus spiritū. Quare Basil. Magn. de ieiun. ait: *Qui carni se adiungit expugnat spiritū, & qui stat à spiritu carnem in seruitutem redigit.* Ieiunij igitur armis cōmuniti diabolicarum tentationum ictus retundemus, irridebimus. Ideo D. Hieron. ad Cancel. *Ardentes*, ait, *diaboli sagittæ ieiuniorum, & vigiliarum frigore extinguendæ sunt.* Qui igitur ieiuniorum cibo nō reficitur huius periculosa salus animæ, ne hostis infernalis succumbat insultibus.

Quomodo ieiunium, quod corpus eneruat animæ robur erit?

Basil. Magn.

4 Sed ad vniuersalem bonorum operum inediam, quam sit animæ periculosa, mentem reuocamus. De seruo illo, qui vnum talentum à Domino receperat, vt negotiatione multiplicaret, habetur, quod cum otiosus hoc absconderit, & nihil lucratus fuerit, & negotiationi non exposuerit, mirum est, quantam Domino suo indignationem commouerit, eo solo nomine, quod nihil lucratus fuerit, licet totum integrum restituerit, dicens Matth. 25. *Ecce habes, quod tuum est.* Inprimis, verbis asperrimis est affectus, dicens Dominus, Matth. 25: *Serue male, & piger*: deinde talento mulctatus: dicens: *Tollite ab eo talentum*; & ad maiorem eiusdem serui confusionem, & opprobrium, iussit idem talentum ab eo ablatū, in alium diligētem negotiatorem, qui sibi talenta tradita duplicauerat, transferri. *Date ei, qui habet decem talenta*, vt ex propria indigentia, & aliena abundantia, acrius puniretur: & tandem extremo animaduertitur supplicio: *Inutilem seruum*, inquit, *eijcite in tenebras exteriores.* Et quare tam magna indignatione in illum exasperatus, hunc sic conuitijs, & pœna plectit? si non multiplicauit, quod habuit, saltem reddidit integrum, quod recepit; si talentum amisisset, si dilapidasset, si in perniciosos vsus expendisset, & non reddidisset, dignus erat, vt his pœnis subderetur, verum cum nullam iacturam passus sit Dominus in talento dato, quare tot

Comminatio, & pœna in eum, qui talētum acceptum, nō multiplicauit negotio.

tot ſupplicijs deuouet? D. Chriſoſtomus in hunc locum, Matth. 25. hom. 79. huius ſerui incuriam, & negligentiam, tam ſeuerè à Deo punitam animaduertens ait: *Vides quomodo non ſolum rapaces, & qui aliena inuadunt, nec ſoli maleſactores, verum etiam, & qui bona facere negligit, extremo cruciatur ſupplicio.* Audiant igitur, qui ſe ab operibus ſanctis abdicant, conſiderent, quibus pœnis fore ſubiaceant, dum à Deo recepta donorum talenta ſancta negotiatione fœnerando, non duplicant.

Chriſ.

Cur Deus primũ hominẽ e paradiſo eiecit, & Paulum ad tertium cælum euexit.

5 Duo mihi conſideranda obijciuntur diuinæ prouidentiæ facta; ideo curiosè quæro, cur Adamum e Paradiſo terreſtri, Deus eiecerit, & Paulum ad tertium, adhuc in terris ambulãtem, Paradiſum euexerit? non ne Adam primus humani generis Parens, qui à diuina manu primus prodijt, ad ſui imaginẽ, qui omnium ſublunarium Dominus erat, & omnibus his principabatur, quare ſi hunc in deliciarum Paradiſo poſuit, cur ab hoc illum, inde exulare præcepit? & quare Paulum crucis Chriſti acerrimum hoſtem, ad ſe, vt in ſuorum Apoſtolorum Collegiũ cooptaret, vocauit, & ad tertium cęlũ adhuc in humanis degentẽ rapuit? Pro huius difficultatis ſolutione recolamus, ad quid fuerit creatus Adam, & in Paradiſo collocatus, & quid ex altera parte erat Paulus, quando à Chriſto eſt vocatus. Adam poſitus eſt in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, clarus eſt textus, Geneſ. 2: *Tulit ergo Deus hominem, & poſuit illum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* At inquies ad quid hoc? ſi omnia ſpontè terra primo homini opportuna proferebat eo tempore, quare Paradiſum, excolere, & cuſtodire mandauit Adamo? deinde à quibus debeat cuſtodire? à furibus, qui non erant? ab animalibus? quæ nutui Adæ obaudientia præſto erant? ad quid igitur labor, & cuſtodia Paradiſi Adæ præſcribitur? ſed dicamus, ideo Adæ hoc Deum præcepiſſe, vt Paradiſi delicijs has audius laboribus deguſtando, ſua adderet cooperatione complementũ; quare Chriſ. hom. 2. ad pop. *Vt ex illo labore nouam gratiam Paradiſiaca delicia compararent, vt fructus Paradiſi, & diuerſa delicia, quas efferebat, & epula, gratiores eſſent eidem homini:* Illi enim, qui otio torpent, qui ventri, & voluptatibus indulgent, qui cibis ventrem diſtendunt, aut nullam, aut paruam capiunt voluptatem, ex cibo, & potu, qui verò laboribus corpus exercent viliores etiam cibos, vt ſibi delicatiores deguſtant: Cum igitur Adam laboribus pepercerit, & ab operibus vacauerit, meritò diuini præcepti factus præuaricator, & diuinæ menti, & fini obſiſtẽs, à Paradiſo eijcitur: Paulus verò licet non iuſtis, & ſanctis operibus primò vacabat, quia tamen laborioſum vidit, hunc ad ſe vocat Chriſtus, vt praua, in ſancta inde, eius opera, commutaret, ex perſecutore Eccleſiæ, fieret indefeſſus Prædicator, & per totum mundum, vt vas electionis, nomen Chriſti portaret, quod odio proſequebatur; & qui necem in Chriſticolas molliebatur, pro Chriſto, necem ſubire non detrectaret: Hunc igitur Sanctis ſe inde laboribus exercentem, ad tertium inde rapuit cœlum; ſicut Adam labores refugientẽ, à terreſtri Paradiſo eiecit. Quare Chriſ. *Propterea,* ait, *ab initio Deus hominem ad laborem alligauit, non puniens, neque ipſum caſtigans, ſed corrigens, & docens, quando illaborioſam vitam degebat Adam paradiſo excidit. Paulus agebat vitam in labore, & ærumna,*

Chriſ.

Adam otio, Paulus laboribus vacat, ſic ille exul, & iſte ad cęlum rapitur.

Chriſ.

ærumna, noctem, & diem operans, tunc in paradisum actus est, & in tertium cælum ascendit.

6 Qui à sancto igitur bonorum operum victu, vt diximus, quo spiritualem vitam ducunt, desides se abstinent; imò ad extremum tenuitatis deuenerũt, nullatenus pijs exercitationibus vacando, diuinæ iustitiæ rigorem pertimescant. Audiant igitur diuinæ indignationis in primis cõminationem, per Ezechielem c. 13., qui ait: *Væ qui consuũt puluillos, sub omni cubito manus, vt faciant ceruicalia, sub capite vniuersæ ætatis.* Orig. hom. 3. in Ezechielem, paulò aliter legit, & ex illis deducit duo, quibus nostram sententiam confirmet. Puluilli enim isti otium significant, iuxta Originem, quos prius consuunt pro cubitis, postea etiam pro capite; qui enim in puluillo strato iacet, quiescit, nõ laborat, sed à laboribus vacat; sic qui à corporali exercitio sanctorũ operum, se abstinet, & in puluillo sensualium voluptatum requiescit, & otiosus corpore nihil operando, dormitat, necesse est etiam, vt puluillum capiti pro ceruicali admoueat; quia si manus à recta operatione cessat, statim etiam, & mens ipsa, prauis cogitationibus fœdatur; nec potest mens sanctis exercitationibus occupari, dum corpus otio torpet; quid igitur ait Deus istis otio torpentibus, & desidia marcescentibus? *Væ*, inquit, *qui consuunt puluillos*: Væ, enim, est aduerbium comminantis, *consuunt puluillos*, idest à laboribus se retrahunt, & otio distenduntur, solum genio indulgent, sensus voluptatibus adhęrent; quare Orig. loco citato: *Semper sonantia, semper canora componunt, & faciunt ceruicalia, non in quibus capita reclinent, sed in quibus cubitum, idest manus eorum non sint in labore, nec opere lassescant, sed sint in requie, sint in otio, sint in his gestis, quæ voluptatibus inseruiunt*; quare indignatus Deus, infra loco citato Ezechielis, horum puluillorum dirruptionem, & ceruicalium dissolutionem minatur: Ezech. 13. d. *Ecce ego ad puluillos vestros &c. dirumpam eos, dirumpam ceruicalia vestra &c.* vbi Orig. ait: *Non iubebo, sed ipse dirumpam ceruicalia: Dei opus est omnem arguere texturam, & dissoluere omnem fictionem pessimam, quæ nocet his qui nolunt manibus operari, sed otiosè eis vti, & cognoscetis, quia ego Dominus.*

In, otia sibi præscribentes, comminationes.

Orig.

Orig.

Orig. Consuunt sibi puluillos à laboribus refugiẽtes.

7 Cur Deus cum primum terram creauit, non de hac sicut de luce, & alijs creaturis intulit: Gen. p. *Vidit Deus quod esset bonum.* Non ne quæ à Deo promanant omnia opera perfecta sunt, cum dicatur, Deut 32.: *Dei perfecta sunt opera*? ergo, vt bona erant commendanda, & approbanda. Et si terræ, creationis primitias dedit inter sublunaria, vt Genes. p.: *In principio creauit Deus Cælum, & terram*, deinde creauit lucem, de qua dixit Gen. p. *Vidit Deus quod esset bonum*; & quare hoc non etiam intulit de terra? cum vtraque, tam terra quã lux, bonitatis in se formam haberent? Ad hęc respondet D. Ambrosius, ob id ait, quia terra inanis esset, & vacua, vel vt Septuagĩta *iners, & incomposita*, in sua prima creatione; nec enim inquit erat herbosa riparum, nec opaca nemoribus, nec læta segetibus, nec odora floribus, nec grata vinetis: Lux verò à sui principio mundum illuminare, & omnia fouere cępit; Quare meritò, bonam, lucem, tunc Deus asseruit, non verò terram. Idem de homine dicendum videtur, quod ille qui terra est, & in quam etiam, sicut de hac eductus, est

Cur in creatione terrę & lucis huius nõ illius bonitas cõmendatur à Deo.

Septuag.

est resoluendus, inanis, & vacuus operibus bonis, bonitatis minimè sibi nomen potest asiscere, & vendicare; Ille verò bonus, qui bonis operibus vacat, non verò, qui his vacuus est, & inanis. Imò idem dicendum est de hominis creatione. In reliquis creaturis ab homine, hanc protulit de ipsis laudem dicens: *Vidit Deus quod esset bonum*, non tamen hoc intulit in hominis creatione, imò simul cum cæteris creaturis, singularum bonitatem videtur diminuisse, dicens Gen. p. d. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Sed dicam ego si singulæ creaturæ, sigillatim bonitatis nomen attingũt, & merentur, & quare simul collectæ eandem, imò maiorem bonitatis laudem non assequũtur? si peculiares bonitates singularium creaturarum probantur, multò magis hominis creationis bonitas erat prędicanda, maximè cum omnibus alijs sublunaribus creaturis homo antecelleret, & vniuersis principaretur, imò hæ omnes ad ipsum ordinentur, vt ipsi homini deseruiant, vt Ps. 8. b.: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; & talem quoque dominationis dignitatem, patenti priuilegio contulit eidẽ Deus, dicens. Gen. p. d. *Dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & bestijs terræ*. Non dixit Deus de homine absolutè in huius creatione. *Vidit Deus, quod esset bonum*, quia vt ait D. August. in Genes. p. *Forte præuidebat Deus, eum peccaturum*. Vel cum D. Ambrosio lib. 6. de instit. Virg. c. 3. qui ait: *Cæteræ creaturæ cũ essent sanctitatis expertes, nõ possent ex diuina laudatione superbire; at vero homo singulari imbutus sanctimonia, si insuper à Deo laudaretur exponeretur periculo incredibili, intumescendi*. Vel possumus dicere cum eodem D. Ambr.

Quare aliæ creaturæ in creatione laudantur, non homo à Deo.

Resolutio difficultatis.

D. August.

D. Ambr.

D. Ambr.

Quia aliorum gratia foris erat, huius intus, quia poterat benè, & malè suo libero vti arbitrio: Et quia bonitas hominis, ex eius operibus pendet, illum enim dicimus bonũ hominem, qui benè operatur, malum verò, qui malè agit: Ille igitur, qui ab omnibus operibus bonis vacat, meritò inanis terra animata censenda, nec laude digna, sed reprobanda potius à diuina videtur iustitia. Exod. 4. habetur, quod Deus, vt Moysem in miraculorum fide statueret, dixit ei: *Mitte manum tuam in sinum tuum; quam cũ misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam, in sinum tuum; retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ*. Quid est quod manus in sinu redditur leprosa? manus in sinu hieroglyphicum est hominis otiosi, sic enim otiosi manum intra sinum mittere solent; qui verò laborant manus operi apponunt: leprosam igitur manum ex sinu habere, quid aliud est, quam ex otio lepram contrahere? lepra symbolũ est peccati, sic qui manum in sinu habent, ab omni opere bono se retrahentes, non solum lepram peccati contrahunt, sed in plurima mala, & vitia inde corruunt, vt Ecclesiast. 33. *Multam malitiam docuit otiositas*. Quare D. Chris. orat. de anima tom. 5. ait: *Vt terra nisi plantetur, & seminetur, herbas malas profert, ita & anima, vbi quid rerum necessariarum, quod agat, non habet, cũ enim nihil agere prorsus non possit, agendi cupida, prauis negotijs sese dedit*.

Manus in sinu leprosa redditur, symbolum otiosæ animæ.

Chris.

9 Videmus enim, quod omnia corporalia, quæ vacant, & otiantur deficiunt, & pereunt: ignis si caret in quo agat, extinguitur: aer, aqua si quiescunt, & non moueatur corrumpuntur: Terra si non colitur non proscinditur, tribulos, spinas generat;

Omnia otio corrumpũtur.

generat; ferrunt si non tractatur, ærugine consumitur, vestes si non defenduntur à tinea corroduntur: Equi si in stabulo semper quiescũt, eneruantur, sic de homine, seu anima, quæ à sanctis operibus vacare sibi in animum induxit, multa mala, & incommoda necesse est ipsam pati.

Nam, & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt. tex.

§. VII. Extremæ diuitiarum, & sensualium voluptatum repletiones, animæ stomachum ad mortem aggrauant.

Arist. 1 INsurgit in primis Philosophus, qui sua sententia nostræ arridere videtur menti, dicens, 2. de anim. tex. 103. *Excellens sensibile corrumpit sensum.* Nam cum illud, sit improportionatum potentiæ, alterat organum sensus, à sua naturali dispositione, & potentiæ sensitiuæ proportionem soluit: Vel quia imprimit formam secundum esse materiale, quæ organo sensus est discõueniens, & proportionata, debitamq; organi complexionem abijcit, vt patet de excellenti calido, ratione tactus, & solis radiorũ, respectu oculi nostri; sic proportionaliter dicamus, cum superfluæ diuitiarum, siue quarumcumque sensualium voluptatum repletiones, sint naturæ statui hominis, & conditioni improportionatæ, & discõuenientes, sequitur, quod in eiusdem hominis, corporis, & animæ damnum, & detrimentum vergãt: quare in auaros insurgit comminatio diuitijs inhiantes; Esai. 28. *Væ qui coniungitis domum, ad domum: agrum, agro copulatis, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ.* Vel quod corrumpatur, vt ita dicã mentis sensus ex imoderatarum sensualium voluptatum repletione, clarè resonat D. Chris. hom. 13. qui ait: *Anima quoties nimis delicijs oppressa fuerit, perturbatur omnis ratio.* Et horum omnium rationem ab Angelici Doctoris 2. 2. qu. 118. a. p. doctrina petere possumus, qui ait: *Quod in quibuscunque rebus bonum consistit in mensura debita.* Quare ex excessu, vel defectu illius mensuræ, necesse est malum prouenire. Et Arist. prob. p. *Immoderatus,* inquit, *cibus excessum efficit, causans saturitatem, defectus, famem;* cum igitur diuitiæ rationem boni habeant, debent statui naturæ, & conditioni habentis commensurari, sic enim bonum; excessus verò malum: ideo *repletiones etiam morales dicere possumus cum Hippocrate, quæ ad extremum deueniũt,* animæ, nedum corpori, *graues sunt.*

Ex Philosophi sententia probatur superfluas repletiones animæ, & corpori perniciosas.

Chris.

D. Thom.

Arist.

2 Huius doctrinæ confirmationem ex ipso Hippocratis fonte haurire possumus, qui 2. lib. Aphor. 17. ait: *Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit.* Et huius Aphorismi clarè patet ratio, nam cum omne nimium sit naturæ inimicum, cum assumitur plus cibus, quam natura postulat, cum hęc illum excedentem cibum concoquere, & in nutrimentum resoluere nequeat, necesse est morbum generare; Hic cibus potest sumi non solum physice de crapulis, & ebrietatibus; de quibus satis in Paragropho vltimo tertij Aphorismi diximus; sed etiam moraliter de diuitijs, vt p. Cor. 4. b: *Iam saturati estis; iam diuites facti estis;* has plus debito, & eo quod necesse est homini, recipiendo, vel retinendo, vel pro immoderato affectu, quo quis diuitias appetit, & his nimis

Hippocrat.

Plus cibus præter naturam ingestus morbũ facit.

Hieron. auidè delectatur, vt D. Hieronymus in Ecclesiast. cap. 4. ait: *Conuersus sum ad alios, & vidi eos plus quam necesse est laborare, congregare per fas, & nefas opes, & non vti congregatis, habere omnia, incubare diuitijs, & seruare alteri, & labore non perfrui*; sic de voluptatibus sensualibus, & de honoribus, & officijs, quæ meritum, naturam, & conditionem sui status excedũt, hæ enim excedentes cibi, morbum culpę generant; *Hic morbum facit*, hæ repletiones graues sunt animæ stomacho.

Aurum, vt graue, auari cor ad inferni ima deprimit.

3 Graues quidem dici possunt hæ repletiones, quæ ad infernum auarum deprimunt. De auro dicitur, *quod nascitur in terra profunda, & sectatur ipsa montium fundamenta*; sic Chrysol. ser. 29. cum autem quis aurum quærit, necesse est, vt profundiùs terram fodiat, sic affectu ad centrum tendit, & cum in centro terræ sit Infernus, ecce quod diuitias præter modum appetentes ad Inferna affectũ, & opere properant, & declinant: *Vbi est thesaurus tuus*, dicitur Matth. 6. c. *Ibi est cor tuum*, & quia omne graue tendit deorsum, cum deorsum tendat aurum, & hoc sequatur cor auari, ecce ad ima inferni, ipsum asserere possumus properare; quare Chrysol. ser. 29. loquens de auro ait: *Calestes animos ad Inferna deponit: obscurat sensus semper: alta mentium semper in terram demergit*; quare ab hoc onere diuitiarum dorsum mentis nostræ auertamus, ne ad æterni interitus ima deprimamur, vt benè Poeta quidam cecinit:

Poeta quidã

Diuitias fugito, pondus graue celsa petenti:
Impediunt animum, nec bene velle sinunt.

Cur populus Israeliticus per profunda maris, & Petrus per altũ progressi sunt.

4 Duo mihi curiosè mente recolenda veteris, & noui testamenti miracula obijciuntur; & quæro primò, cur prçuio Duce Moyse, qui tactu virgæ, rubri maris aquas diuisit, quæ protinus in muros cõsolidatæ sunt, sic Deus maris profunda nudauerit, & vrente vento, Israelitico populo ad terram promissionis iter aperuerit, vt Exod. 14.: *Filij Israel perrexerunt per medium sicci maris*. Quæro ex alia parte, cur Petrum super mare, veluti solidum pauimentum, diuina virtute firmatum Christus progredi voluerit; vnde horum diuersitas petenda? Cur Israelitis per maris profunda, & Petro per altum præbuit iter? & vterque sicco processit vestigio? cur sicut Petrus, per maris altum, non ita est progressus Israel? vel Petro, cur sicut Israeli profũda maris ad iter agendum non aperuit? Hanc miraculi diuersitatem, & causam ego censerem, quia Israeliticus populus auro, & argento onustus progrediebatur, vt Ps. 104. *Et eduxit eos cum argento, & auro*; & quia aurum semper, vt graue tendit deorsum, sicut, & eius amãtes, & deferentes ad ima trahit, vt

Chrysol.

Chrysol. ser. 29. Ait: *Aurum plus deprimit habentem, quam ferentem, & vehementiùs aggrauat corda, quam corpora*: sic vt has ab Ægypto asportatas tueri, & seruare possent, ne mergerentur per profunda maris viam aperuit. Petrus verò qui relictis retibus, & naui, & omnibus bonis renunciauerat ad Christi sequelam, vt pauper sicut ipse dicebat, Matth. 19. c.: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, faciliùs, & nullo pondere prægrauatus poterat, vt pauper agilis diuinitus æquoris siccis vestigijs alta calcare, ex quibus erudimur diuitiarum pondus ad ima ita amantẽ harum amentem trahere, vt ad cælum eleuari, haud possibile videatur, vt ipsa diuina testatur veritas, Matth.

Hebræi auro, & argento onerati fugiũt à Pharaone. Petrus verò vt pauper secutus est Christum.

Matth. 19. *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.*

Naui nimis oneratę, quę inde mergitur comparatur auarus.

5 Videmus enim, quod nauis nimis onerata, mercium v. g. pondere prægrauata ad naufragium facilè tendit, verum si moderato pondere vehitur, non ita facilè submersioni patet. Sic homo veluti nauis, mare huius mundi enauigans, ad æternæ salutis litus perueniet, si sufficienti facultatum, & diuitiarum pondere fuerit ad vitæ sustentationem, pro eius statu, & conditione, onusta, nec à ventis diabolicarum tentationum ad libidines, & vitia distrahetur, à rationis nauclero ducta; verum si nimis diuitiarum superfluarum, & cupiditatis, seu auiditatis maximas habendi, & retinendi fuerit grauata pondere, summo æternæ perditionis subiacet naufragio: & hoc apertè patet in diuite illo Epulone, qui veluti nauis exuberātium diuitiarum copia superflua referta, vt Luc. 16. *Homo quidam erat diues*; omnibus redundans delicijs, in hoc spatioso licet fallaci mundi mari, velis prosperitatis expansis, secundo vento nauigabat, quare subdit textus Luc. 161.: *Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè*, verum quia à pondere diuitiarum per eleemosynam, quæ emendicāti ad portam infirmo Lazaro, fuit negata: *Et nemo ei dabat.* Luc. 16. non fuit subleuata, mirum non est si ad naufragium declinauit; ideo concludit idem Euang. Luc. 16: *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Quare Chris. conc. p. de Lazaro ait. *Diuiti nauis erat plena mercium, & secundo nauigabat vēto, verum ne quid mireris ad naufragium festinabat.*

Nauis ad naufragium tendēs, fuit ille diues epulo, qui sepultus est in inferno.

Chris.

6 Neque solum pondus, & onus animæ sunt diuitiæ, sed catenæ, & vincula, quæ in tenebris peccati animam deuinciunt, & in diaboli seruitutem redigūt: Talem se seruum prodit ille diues, qui à Deo liber creatus, catenis aureis ad collum suspensus, vt diuitiarum seruus incedit, & vt rerum culpa se ipsum condemnans. Hinc est quod Ps. 75. dicitur: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarū in manibus suis.* Sed inaturalis hic meo iudicio videtur ordo seruatus, quomodo appellat diuitijs deditos, viros diuitiarum, cum has ipsi possideant; congruentius enim dicuntur diuitiæ virorum, quam viri diuitiarum: sed benè viri diuitiarum, immoderatè diuitias amantes, dici debent, nam ait D. Hieronymus in Matth. *Qui diuitiarum seruus est, diuitias custodit, vt seruus; qui autem seruitutis discusserit iugum, distribuit eas, vt dominus.* Cum tribus igitur catenis vinctus sit pecuniarum seruus, primò catena, seu fune cupiditatis aquirendi diuitias; secundo fune auaritiæ tenaciter eas retinendo; tertio fune laboris eas solicitè custodiendo, meritò, vt seruus, diuitiarum, eo quod à suis diuitijs magis ipse possideatur, quam eas possidere videatur; nuncupari potest; nam ait Seneca: *Pecunia si vti scias, ancilla est, si nescis, domina*: cum igitur diuitiæ dominium in auaros exercere videantur meritò his diuitiarū viri dicentur, quam diuitiæ virorum, ideo egregiè D. Ambr. lib. de Nob. Israelita cap. 15. ait: *Bene viros diuitiarum appellauit, non diuitias virorum, vt ostenderet eos non possessores diuitiarum esse, sed à suis diuitijs possideri.*

Diuitiæ catenæ sunt, quæ auarū, vti diaboli seruum deuinciunt.

Hieron.

Viri diuitiarum auari, quia à diuitijs possidētur, quam è contra.

Ambr.

7 Adeo enim tenaciter animas diuitiarum catena deuincit, vt nullus ferè ad libertatem amplius aditus patere, nulla amplius spes salutis superesse videatur, ideo Apostolus 1. Timot. 6. ait: *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem,*

Quomodo solus auaritiæ laqueus, inextricabilis dicantur diaboli.

Chrif. *& in laqueum diaboli.* Vbi Chrisostomus hic lect. 2. animaduertit dicens: *Non dixit diuites, sed qui volunt diuites fieri, cupiditas accusatur, non aurum, non argentum, non diuitiæ.* Sed ad rem nostram quomodo Apostolus inquit: *Incidunt in laqueum diaboli*, nunquid vnus tantum diaboli laqueus est? si multos perhibet Dauid esse laqueos, vt Psalm. 17. a. *Praeoccupauerunt me laquei mortis.* S. Antonius in extasim raptus, mundum laqueis plenum animaduertit. D. August. in soliloq. cap. 16. ait: *Laqueos posuit in diuitijs, laqueos in paupertate, laqueos in cibo; in potu, in voluptate, in somno, in vigilia; laqueos posuit, in verbo, in opere, in omni vita nostra.* Rursus S. Ambr. tract. 8. num. 83. ait: *Laquei quocunque progredimur, laquei in corpore, laquei in lege, laqueus in pecunia, laqueus in religione: laqueus in studio castitatis.* Si tot igitur laquei numerantur, cur tantum vnum laqueum diaboli Apostolus assignat? Verum quidem est quod multi sũt diaboli laquei, sed aliquo modo pœnitentiæ vi facilè alij omnes dissolui possunt; at auaritiæ laqueus ita tenax, & fortis esse videtur, vt disrumpi, vel infringi, haud possibile videatur, quod vt clarius pateat ad probationem accedamus. Omnes Christi discipuli in aliquem aliquo modo diuersarum culparũ laqueum inciderunt, vnus Iudas in auaritiæ laqueum incidit; cœteri omnes ab eorum laqueis euaserunt, ab illo autem auaritiæ laqueo Iudas non euasit, sed potius illo suspensus, interijt. Petrus Apostolorum Princeps, in magnum illum negationis laqueum incurrit, qui triplici simplicis negationis periurij, & anathematis nodo contortus erat, vt Matth. 18. g. *Cœpit anathematizare, & iurare; quia nescio hominem istum, quem dicis.* ò magnum certe laqueum, verum ad Christi aspectum, ad galli cantum, à somno culpæ expergefactus, simplici contritionis excussione, lacrymarum ardẽti aqua, culpæ fractis vinculis, liber resilijt, vt Ps. 123. a. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Alij in ambitionis laqueum inciderunt, vt Marc. 9.: *Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset*; laqueus iste profectò validus, qui illis superbiæ funiculis, quibus Lucifer innodatus fuit etiam contortus videtur; verbi tamen Christi gladio, vt ad hebr. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, dum dixit Marc. 10. g.: *Quicumque voluerit fieri maior, erit minister vester*; laqueus dicisus est; & omnes in pristinam humilitatis semitam, rediere. Quidam etiam in inuidiæ laqueum incurrerũt, dum de D. Ioanne agebatur, qui præ cœteris dilectus, speciali priuilegio honorandus, diuulgabatur Io. 21. *Exit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur*, verbis tamen Christi dicentis. Io: 21: *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Ecce laqueus confractus &c. In maximum infidelitatis laqueum, lapsus est Thomas, dum de resurrectione dubitauit, dicens, vt Io: 20. g. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Verbi tamẽ Christi dicentis Io. 21. *Infer digitum tuum huc, & noli esse incredulus, sed fidelis*; ecce laqueus in fidelitatis recisus, & solutus, Io. 21. *Dominus meus, & Deus meus.* Modo ad laqueum auaritiæ, quo innodatus fuit Iudas, deueniamus: iste ait Io. 12. *Fur erat, & loculos habens, & quæ mittebantur portabat*, quare ardore pecuniarum, triginta

S. Anton.

D. August.

Ambr.

Omnes ferè Apostoli in aliquẽ culpæ laqueum incurrerũt, à quo euaserunt; non Iudas, & quare.

argen-

argenteis vendidit Christum, prodidit Dominum, & Magistrum. Ab hoc laqueo euasit ne? Diuini Verbi gladium adhibuit Christus eum corrigendo, humilitatis admouit manũ, dum ei lauit pedes, corporis sui sanctissimi thesauros communicauit, omnipotentiæ suæ ostendit virtutem, dum turbas ad eius capturam missas, strauit. Hæc tamen omnia nihil ad Iudæ laqueum infringendum auaritiæ, contulerunt, quinimo desperationis se strangulauit laqueo, non ab hoc
Chris. euasit, sed in hoc interijt. Quare Chris. hom. 8. in Matth. ait: *Tantus certè, tanque incredibilis auaritiæ furor est, quæ illum proditorem nequissimum, & sacrilegum nefandissimum fecit*. Ecce qualiter auaritiæ solus laqueus indissolubilis, quare merito ait Apost. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*; & sicut reum morti adiudicatum, laqueus pendulum tenet, & suffocat, sic opes, curis diuites, suspendunt,
& suspensos assidua cupiditate auaritia strangulant; ideo Ambros. in Ps. 118. *Ac ne mediocrem hunc laqueum putes; hic laqueus Iudam Apostolum strangulauit.* Ambr.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS

LIBER PRIMVS.

Aphorismus quintus.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quam in paulo pleniori victu: propterea etiam sanis periculosus, existit valdè tenuis constitutus, & exquisitus victus, quoniam errores grauius ferunt; ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus eo, qui fit paulo plenior, magis, vt in pluribus periculosus. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

IN superiore immediatè aphorismo, egit Hippocrates de tenui, & exquisito victu, qualiter ægris maximè verò in morbis longis, & in principio acutorum, sit periculosus; & quomodo etiam repletiones, quæ modum excedunt graues sint; in præsenti autem aphorismo, reddit rationem, quare talis victus sic tenuis, sit periculosus, quia: *In tenui victu ægri delinquunt*. Et quod ægri delinquunt, potest considerari, siue quia dum victus talis tenuis, & exquisitus à medicis præscribitur ægris, quod isti clam cogantur capescere cibos: *Quo fit vt magis lædantur*; siuè quia propter talem debilitatem, ob huiusmodi inediã, plus cibi inde capiant, quam par est, sic grauiter delinquunt, siuè generaliter intelligatur, hæc sententia, vt placuit Galeno, de omni errato, siuè volentibus, siuè nolentibus ægrotis id accidat; qui ait: *Quodcunque peccatum fuerit eorũ, qui ita tam tenui victu vtuntur, id tum propter vires per talem dietam debilitatas, tum propter insolentem in eam mutationem grauius esse solere*: & cæteris paribus, cum error magnus, qui in tali victu tenui committitur semper maior is est, quam ille, qui committi possit in paulo pleniori victu, quod intelligendum est, respectu virium debilium, non respectu morbi, & hoc etiam in sanis probat, quibus tenuis victus, & exquisitus, periculosus iudicatur; isti enim grauiùs

Medicina corporalis.

Galen.

ferunt

ferunt huiusmodi errata; quare conclusio huius Aphorismi talis est vt dicta nimis tenuis ægris non præscribatur à medicis, nè lædantur; qui enim à communi dieta ad inediam mouentur, ad perniciem tendunt; aliquid autem exhibere conseruat naturam.

Ordo medicinæ spiritualis. Egimus, & nos moraliter in supradicto aphorismo de victu tenui diuini Verbi, sacræ scripturæ, diuinorum præceptorum, & bonorũ operum, & præcipuè in principio erumpentis culpæ, siuè exurgentis auaritiæ in longis culpę morbis, quantum ægro peccatori ille tenuis moralis victus sit animæ periculosus, sicut etiam diuitiarum auaritię, & sensualium voluptatum superfluæ repletiones, nunc rationem reddimus, quare huiusmodi moralis victus tenuis sit animabus periculosus, & dicimus, quia: *In tenui victu ægri delinquunt*. De hoc tenui victu satis in antecedenti aph. diximus. *Delinquere est à bono deficere*, vt ait, Orig. super Leuit. hom. 5. & super Rom. 11. solet enim delictum dici, cum non fiunt, quæ fieri debent: peccatum cum fiunt, quæ fieri non debent: culpa autem videtur esse eius, qui nesciẽs aliquem lęsit, sed nos ad quodcũque peccatum, siuè commissionis, siuè omissionis, siuè faciendo, generaliter extendemus hoc delinquere, his igitur terminis pro explicatione aliquali prelibatis dicamus, primò quo ad literam: *In tenui victu &c.*, scilicet spirituales ægri, qui nimis ieiuniorum dieta, immoderatè, & indiscretè, pœnitentia, atterunt corpus, *delinquunt*, idest peccant, vnde ait Hippocrates: *Quo fit vt magis lædantur*, quia & corpus debilitant, & à proprio munere opera pietatis, & virtutum exercendi, deficiunt, vt Isid. lib. de sum. bon. ait: *Corporis debilitas nimia, vires animi frangit, mentis ieiunium marcescere facit, nec valet quidquam boni per imbecillitatem perficere*; secundo possumus interpretari hunc victum esse orationem, quæ spiritualis cibus est animam nostram nutriens, vt D. Aug. in quod. serm. qui ait: *Sicut sine potu, non est plena refectio, sic, & ieiunium sine refectione orationis non potest animam perfectè nutrire*, *In victu*, igitur animæ per orationem, *tenui* per voluntariã euagationem, *ægri delinquunt*; idest sic orantes peccant, vt D. Th. 2. 2. q. 83. a. 13. ad tertium qui ait: *Si quis ex proposito in oratione mente euagatur hoc peccatũ est, & impedit orationis fructum*: & ratio est, quia cum oramus, siue ex præcepto, siuè supererogatiuè, debemus orationis essentiæ nos conformari, quæ est mentis in Deum eleuatio, sic ait Caietanus hic. Ideo D. August. in Reg. ait: *Cum Psalmis, & Hymnis oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore*; quare cum ex voluntaria mentis distractione aliter sequatur, hinc subdit Hippocrates: *Quo fit, vt magis lædantur* quia: *Vagari* (ait Caietanus hic) *ex proposito in oratione peccatũ est ex genere suo, non solum in oratione necessaria ex præcepto, sed etiam in oratione spontanea, tenetur orans attendere; ita quod licet non teneatur orare, tenetur tamen si orat attentè quantum est ex parte propositi orare*. Quare: *quicunq; error committitur &c.* melius, ergo est sine culpa ab oratione supererogationis desistere, quam sic voluntarie vagando, peccando orare. *Vel in tenui victu ægri delinquunt*: videlicet, cum peccator suarum, vel aliorum orationum cibo ad diuinæ misericordiæ consecutionem, non reficitur, vt D. Ambrosius lib. 5. in cap. 5. Luc. *Disce*, ait, *qui æger es* impe-

Medicina spiritualis.

Orig.

Differentia inter delictum peccatum, & culpam.

Tenuis victus ieiuniũ.

Isid.

Victus tenuis, orationum tepiditas, & voluntaria euagatio.

August.

Voluntaria orationis euagatio peccatum.

D. Thom.

August.

Caietanus.

Etiã in oratione supererogationis, spontanea euagatio peccatum est.

Ambr.

Peccator, qui suarum, vel aliorum orationibus nó adiuuatur, delinquit.

impetrare; si grauium peccatorum diffidis veniam adhibe pracatores; adhibe Ecclesiam, cuius contemplatione, quod tibi Dominus negare posset, ignoscat. Tertio victus iste potest sumi pro correctione fraterna, qua anima ad vitam gratiæ spiritualiter enutritur, vt Greg. qui ait: *Plus esse animam in æternũ victuram pabulo verbi reficere, quam vẽtrem moritura carnis terreno pane satiare.* Victus igitur iste correctionis tenuis dici potest actiuè respectu Superioris correctionem subtrahentis, vel passiuè respectu delinquentis corrigendi, qui correctionem non recipit, non admittit. *In tenui* igitur huiusmodi tũ actiuæ, tum passiuæ correctionis, vel hanc negando, vel non admittendo, *victu agri dilinquunt.* Superior peccat, qui non corrigit delinquentem, vt Leuit. 19. 17. dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue, ne habeas super illum peccatum.* Delinquens peccat non correctionem admittens. *Quo fit, vt magis lædantur,* quia non recipiscit à præterita culpa, sed in maiora scelera prolabitur, sic pœna dignus, vt Chrysol. *Mori meruit, qui medicum contempsit.* Vtriusq; igitur peccatum manifestans Propheta ait Ezech. 3. *Si non annunciaueris ei, ipse in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram:* Ideo ex sẽtentia Hippocratis melius iudicarem corrigentem in paulo planiori victu, excessus, vt sic, correctionis, delinquere, quam à tota correctionis substantia deficere, quia: *Quicunque error committitur magnus maior in hoc fit, quam in paulo pleniori victu.* Confirmatur etiam tota hæc doctrina in iustis, & sanctis, quibus huiusmodi victus tenuis bonorum scilicet operum tepiditas, est etiam periculosa. Ideo

Greg.

Victus tenuis est, correctionis fraternæ à delinquente subtractio.

Chrysol.

subditur. *Propterea etiam sanis periculosus exsistit valde tenuis constitutus, & exquisitus victus.* Moraliter sani dici possunt iusti, & sancti, qui perfecta diuinæ gratiæ sanitate fruuntur, nam si peccatores spiritualiter sunt ægri, vt propterea diceret Dauid Ps. 40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi,* meritò iusti, vt à peccato immunes, spiritualiter sani dici possunt. Istis igitur videlicet iustis, & sãctis victus moralis bonorũ operum nimis tenuis, est periculosus: non enim debent simpliciter in eorum iustitia, & sanctitate nimis fidere, vt à bonorum operum, & pœnitentiæ sufficienti victu tepescant, nam ait D. Bern. *In via Dei non progredi retrogredi est;* quod sane periculum animaduertens D. Paschasius lib. de sacr. c. 21. inquit: *Sicut in hac vita nihil fælicius bono Christiano; ita nihil periculosius, si desertus à tanta gratia, fiat membrum meretricis.* Quare iusti debent bonis operibus semper insistere. *Quoniam errores grauius ferunt;* potest sumi error pro tentatione diabolica per metonymiam, effectum pro causa, nam isti præcipue inter alios à diaboli tentationibus impetuntur, vt Chris. hom. p. ad pop. qui ait: *Diabolus his maximè instat, qui spiritualia negotia attingunt; ibi multa insidiæ, vbi est virtus.* quare bonorum operum armis destituti, facilè hostis infernalis insidijs succumbent. Vel errores grauius ferunt, vt à Deo mulctãte, vel à seipsis pœnas acriùs exigentes, vt Orig. hom. 10. in nu. *Qui sancti sunt pro peccatis pœnitudinem gerunt; requirunt Sacerdotem, sanctitatem deposcunt, purificationem per Pontificem quærunt.* Vt Chrisost. homil. pop. qui ait: *Quoniam cum ceciderit, magnam ruinam, & iacturam facit, non tantum, quia ex alto cecidit,*

Iustorũ status à bonorum operũ munere tepescentium, periculosus.

D. Ber.

Paschas.

Chris.

Iusti, diaboli tentationibus maximè impetũtur.

Orig.

Chris.

quia, & alijs multis scandali materia est in ipsum respicientibus. Ideo ait Salomon sap. 6. *Iudicium durissimum his, qui præsunt fiet: potẽtes autẽ potenter tormenta patiẽtur.* Vel denique, *errores grauius ferunt*; propterea afflictionem spiritus, quam post culpam patiuntur in apprehensione boni, quod amiserunt diuinæ gratiæ, & mali, in quod incurrerunt æterni reatus, ideo seuerioris pœnitentiæ à se ipsis pœnas exigunt. Ex quibus omnibus, opportunos paragrophos ad discursum eliciemus.

Iusti delinquẽtes, culpa excruciantur, & seueriori se ipsos castigatione coercent.

In tenui victu, ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. tex.

§. I. Ieiunijs, & pœnitentijs præter vires corpus attenuantes, delinquunt: ad propria salutis munera obeunda, inde inhabiles.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. tex.

§. II. Peccator, qui suarum orationum non sufficienti reficitur victu, delinquit, vnde fit, vt in maiora inde crimina prolabatur.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. tex.

§. III. Peccator, qui iustorum, siuè Sanctorum intercessionum cibo non roboratur, facilè in culpam, & pœnas corruet.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. tex.

§. IV. Debitę disciplinæ, & fraternę correctionis à delinquente subtractio, non corrigentis, & corrigendi culpa, & pænа timenda.

Propterea etiam sanis periculosus existit, valdè tenuis constitutus, & exquisitus victus. tex.

§. V. Sancti, & iusti non debent nimium eorum sanctitati credere, ab assueto bonorum operum studio declinantes.

Quoniam errores grauius ferunt. tex.

§. VI. Sancti, & iusti pręcipuè, diaboli tentationibus subiacent, & eiusdem insultibus acriùs impetuntur.

Quoniam errores grauius ferunt. tex.

§. VII. Iusti, dum culpa delinquunt, grauiores pænas, vel à Deo inflictas, vel à se ipsis duriùs exactas, sustinent.

In tenui victu, ægri delinquunt, quo fit, vt magis lædantur. tex.

§. I. Ieiunijs, & pœnitentijs præter vires corpus attenuantes, delinquunt, ad propria salutis munera obeunda, inde inhabiles.

1 PAtronus in primis in nostri tutelam pro nostra sententia accurrit, Sanctus Monachorum Legislator Augustinus in Reg.; qui de corporis mortificatione agens, & ad Monachos conuersus, ait: *Carnem vestram domate ieiunijs, & abstinentia esca, & potus, quantum valetudo permittit*. Ecce ieiuniorũ moderatio; ex qua deduci licet sẽtentia, qualiter rebellis caro, ieiunijs, & mortificationibus reprimẽda sit, ne in rationẽ insolescat, non tamen ita deprimenda est, vt à salute, omninò deficiat, vt D. Greg. in mor. qui ait: *Per abstinentiam vitia extinguenda sunt, non caro*. Ille enim qui nobis vitam tribuit, vt Creator in nobis spiritum filiationis indidit, vt Pater misericors; multa, ac propemodum infinita dona è cælis infudit, vt Redemptor vitam à nobis conseruari cupit, qua seruitutis nostræ eidem tributa reddamus, orationum nostrarum debitum persoluamus; honoris obsequia præstemus; non auferri immoderatis mortificationibus, quibus inhabiles reddimur ad nostra munera obeunda: vt Greg. in hom. & 30. mor. habet: *Plerumq; inquit, dum plus iusto caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis eneruatur, vt ad orationem, vel prædicationem non sufficiat, dum incentiua vitiorum in se funditus suffocare festinat*.

[Margin: August. — Gregor. — Mala ex nimia mortificatione prodeuntia. — Greg.]

2 Quod si rationum suarum fundamento, dicti veritatem fulcire cupimus, ad Angelici Doctoris doctrinam recurramus. Ait igitur D. Th. 2. 2. quæst. 133. a. p. in c. *Quod omne illud, quod contrariatur naturali inclinationi, est peccatum; quia naturæ legi contrariatur: inclinatio autem naturalis vnicuique rei inest ad exequendam actionem commensuratam suæ potentiæ*; cum igitur præter vires ieiunijs, & abstinentijs corpus domans, quibus vires naturales corporis maximè eneruantur, & ob id à proprio munere, ad quod ex officio tenetur exequendo homo deficiat, & inhabilis reddatur, naturali inclinationi, quæ vnicuique inest proprium conseruandi suppositum repugnet, & propriæ non commẽsurentur facultati patiẽtis, siuè agentis, vtpotè hanc excedẽtia, huiusmodi pœnitentiæ opera assumpta, meritò hęc erunt vitio adscribenda, & culpa damnanda, hinc est, quod D. Isid. lib. Sinod. ait: *Quid quid boni cũ discretione feceris virtus est, quid quid sine discretione gesseris, vitiũ est, virtus enim indiscreta pro vitio deputatur*.

[Margin: D.Thom. — Vna quęque actio virtuti naturalis potentiæ, conformanda. — Isid.]

3 Et quod virtus ieiunij, siuè abstinentiæ, dum modum excedit in vitium vertatur, facilè patere potest; quia cum virtus, vt sua iura seruet in medio consistat, dum ad extrema declinat, quæ sunt vitiosa, meritò vitio adglutinabitur, & vitij nomen consequetur, & formam; sic virtus in vitium vertetur. Ieiunium enim dum moderatæ castigationis corporis viam carpit, benè ad virtutis coronam, ad meriti gloriam, & præmij brauium procedit: quia D. Aug. in ser. de ieiunio ait: *Ieiunium purgat, mẽtem subleuat, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ*

[Margin: August.]

Ieiunij virtus, si hoc moderatū, at excedēs in vitium vertitur.

piscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit; Verum si in excessu immoderatæ castigationis corpus domans indiscretè percurrit, tunc in lubricam vitij viam facit ieiunantem deflectere; ideò postquam dixit Hippocrates: *In tenui victu ægri delinquunt*; subdit: *Quò fit vt magis lædantur*; nam à debito seruitutis obsequio in Deū, per nimiam carnis repressionem, pietatis opera minimè exercendo, declinat; quare D. Hieronymus in Epist. ad Demetriad. ait: *Sic debes ieiunare, vt non palpites, vt respirare vix possis, & comitum tuorū, vel porteris, vel traharis manibus, sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigilijs solito quid minus facias.* Et pulchrè etiam B. Vmbertus in Reg. D. Aug. cap. 52. ait: *Licet abstinentiæ districta sint obseruanda, tamen semper cauenda est in istis indiscretio, & hoc ratione societatis, paupertatis, & officijs, cum enim quis affligit carnem indiscretè incurrit, interdum infirmitatem, & impotentiam, per quam redditur alijs onerosus: prudentis autem est, ab huiusmodi cauere, iuxta illud 2. Cor. 11. Sine onere me vobis obseruaui, & seruabo.*

Hippocrat.

Hieron.

B. Vmber.

4 Omnes tum corporis, tum animi vires, nostras Dei mancipare tenemur obsequio, quod vnusquisque secundum professionis suæ statum, Deum, vel mente, vel opere laudando exequi debet; vt p. Cor. 10.g.: *Quod facitis omnia in gloriam Dei facite*; cum igitur ob indiscreta ieiunia, tale obsequiū Deo impendere non possimus, talis defectus nobis videtur imputandus, & culpa adscribenda; ait enim Philosophus: *Quod est causa causæ, est causa causati*, si nobis talia immoderata ieiunia voluntaria corporis castigatione, quibus vires corporis franguntur, & salus deperditur, eligimus: *Quò fit vt magis lædantur*, vt seruitutis nostræ obsequia, vt par est, & ex officio tenemur, Deo reddere non valemus, vt putè orationibus insistere, Ecclesiā frequentare, pietatis opera exercere, propria munera obire, meritò talem volentes causam, talem quoque effectum ex eadem causa emanantem per consequens, volumus; sic tales defectus ex ieiuniorum excessu procedentes nobis ad culpam erunt imputandi.

Arist.

Mala, quæ ex nimia corporis castigatione promanant.

5 Sed dicet quis dum infirmus sum, non mihi imputāda defectus, & omissionis meæ culpa, si pietatis, & officij mei munera, quibus sanus teneor, non persoluo; quomodò ergo mihi culpa adscribenda erit, si à debito seruitutis meę obsequio in Deum æger desistam? A simili respondeo, quod nec ebrius, ebrietate sopitus, vti mentis impos, & rationis vsus tunc expers, defectus quoscunque committendo, peccat, attamen sciens mala, quæ ex sua ebrietate promanant, si ebrietatem sectatur in eadem, & similia vitia inde rursus corruit, hæc ei imputantur ad culpam, isti enim defectus in causa includūtur, vt de Noè patet, qui primò factus ebrius, vinum immoderatè bibēs huius vim, & effectum ignorans, non peccauit in defectu suo, dum ebrius erat: peccauit verò secundo, dum ebrietatis cognita causa, in defectus ad ebrietatem consequentem, iterum ebrius inde incurrit. Quare sicut à nimia ciborum, & vini repletione, ex qua crapulę, & ebrietates generantur declinandum, quia, vt ait Chrysol. ser. 26.: *Ebrietatem, qui habet peccatum non facit, sed est ipse peccatum*; sic ab immoderata abstinentia, qua vires franguntur, & salus deperditur, & inhabilis ad Dei cultum redditur

Obiectio de infirmo, quomodo à culpa omissionis suæ eximitur.

Chrysol.

Sicut à nimia replectione, sic ab immoderato ieiunio cauendum.

homo, omninò cauendum; quare D. Hieronymus ad Nepotia ait: *Tantum tibi ieiuniorum impone modum, quantum ferre potes.*

Hieron.

6 Homo veluti cithara multis, & diuersis sensuum, & potentiarum chordis disponitur, vt diuinæ laudis resonet sonum, vt Sancta canit Ecclesia in horarum cannonicarum hymnis: *Os, lingua, mens, sensus, vigor, confessionem personet*; sicut igitur in cithara, si minus intenduntur chordæ, vel remissę fuerint, silent, nec vllum edunt sonum, sicut è contra, si nimis quàm par est, intenduntur, rumpuntur; sic si sensuum, & potentiarum nostrarum chordas, nimia crapularum, & ebrietatum remissione, vel repletione laxamus, non ad diuinas laudes resonant, sed potiùs in vitia dissolutiones, & culpas eructant, vt Aug. ad Sacr. Virg. ait: *Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumq; materia, radix criminum, origo vitiorum*; sicut etiam si indiscreti ieiunij, & exquisitæ nimis dietæ, pœnitentiæ clauiculis durius, & nimis intenduntur, salutis corporalis infringuntur chordæ, virium naturalium dissoluuntur nerui ad debilitatem, sic nullus diuinæ laudis, & meriti bonorum operum sonus edi potest; quare cithara nostra dici potest quod vertatur in luctum mœroris vt Greg. 15. mor. super illa verba: *Versa est in luctum cithara nostra*, ait, *Chorda in cithara, si minus tendatur non sonat, quia nimirum tantum quis sibimet debet moderamine præesse, vt ad culpam caro non superbiat, vt inde ad effectum rectitudinis in opere subsistat*. De hac materia vide aph. 3. §. 4. & 5. fol. 238. & 246.

S. Eccles.

Homo citharæ in nimia intentione, & remissione chordarum, cōparatus.

August.

Gregor.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. tex.

§. II. Peccator, qui suarum orationum sufficienti non reficitur victu, delinquit, vnde fit, vt in maiora inde crimina prolabatur.

1 IAm patet, orationem animæ nostræ esse cibum, vt Aug. in quod. ser. ait: *Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic & ieiunium sine refectione orationis, non potest animam perfectè nutrire*; quā sententiam etiam Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 83. a. 13. c. optimè comprobat dicens: *Effectus orationis est quædam spiritalis refectio mentis*; quare si hoc cibo nostram non enutriemus animam, profectò ieiuni meritò ad cælestem patriam iter capescētes, debiles deficiemus in via, viatores, vt dicebat Christus Marc. 8. a.: *Si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via*. Hæc igitur animæ nostræ refectio potest esse à cibo nostrarū, vel aliorum orationum: A nobis in peccati ægritudine decumbentibus potest esse orationis victus, vt Ecclesiast. 38. a.: *Fili in infirmitate tua, ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te*, quod potest intelligi non solum de corporali, sed etiam de spirituali infirmitate animæ, vt Dauid Ps. 6. dicebat: *Miserere mei, quoniam infirmus sum*: sed qua infirmitate laborabat? audite Ps. 40. a. *Sana animam meam, quia peccaui tibi*: non debet igitur spiritualis æger se ipsum, vel medicinam morbo opportunam, vel salutem desperādo despicere: *Sed ora* (ait) *Dominum*, quo-

D. August.

D. Thom.

Peccator sui vel aliorum orationibus debet ad animę salutē adiuuari.

Ore, & opere debet peccator orare, & quomodo.

quomodo? ore, vt Ps. 3. *Voce mea ad Dominũ clamaui, & exaudiuit me, de monte Sãcto suo*: corde vt Ps. 119. *Clamaui in toto corde, exaudi me Domine*: opere, vt Saluator dicebat Matth. 7. a. *Pulsate, & aperietur vobis*, & secundum illud Ps. 76. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus, & non sum deceptus*; & quid est Deum manibus quærere? nũquid Deus corporeus, vel Dauid cæcus, vt Deus ei manibus quærendus esset? sed ad hæc D. Hieronymus, hic: *Deum exquisiui manibus, opera coniungens orationi, quia sic clamaui, & opere clamaui, consecutus sum, quod volebam*; ideò subditur, *ora Dominũ, & ipse curabit te*. Vel potest esse victus noster, ab aliorum orationum cibo proueniens nostram refouente, & corroborante animam, vt Ps. 31. a.: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*; quod de ægro peccatore intelligitur, pro animæ salute recuperanda; vt in hac particula explicatur, quando dicitur: *Pro hac orabit*, vt explicat Hug. Card. & Lir. hic: *Pro hac, scilicet iustificatione peccatoris, & huius peccatorum remissione*. Vel secundum Incognitum hic: *Pro hac scilicet indulgentia habenda*, & subdit idem Auctor: *Debes orare Sanctos, vt pro te Sancti orent*.

Hieron.

Hug. Card. Lir.

Incognit.

Obiectio quomodo peccator pro se orare valeat.

2 Sed occurrit difficultas, quomodo æger peccator ad suam animæ ægritudinem curandam, potest orationum suarum remedia ad diuinam misericordiam implorandam, & consequendam, adhibere, cum inefficacia, vt nullius virtutis roboris, valoris ad peccati morbum tollendum existant? clarè patet meritorium nostrum radicem esse charitatam vt per D. Th. 2. 2. quæst. 83. 15. c. cœterorumque omnium Ecclesiæ Sanctæ Doctorum aperta lectio, & inuincibilis veritas est, sine charitate inania, & nullius momenti opera quæcunque apud Deum existere, vt per longum discursum tradit Apost. 1. Cor. 13.: *Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, vel cymbalum tinniens, &c.* Item ait: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; siquidem in peccato mortali existens homo æterni supplicij reus est, & nihil nisi æternas meretur pœnas, & opera eius licet ex suo genere bona, mortua dicuntur, charitatis, vt potè spiritu priuata, vt D. Th. 3. quæst. 89. a. 6. in resp. ad secundum ait: *Opera de genere bonorum, sine charitate facta dicuntur mortua, propter defectum charitatis, & gratiæ, sicut principij*; & plura alia Sacræ Scripturæ referri possent testimonia, vt Io: 9. *Scimus, quod peccatores Deus non audit*, & prou. 28.: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*: quomodo igitur facienda, & exaudienda erit peccatoris oratio? Verum licet peccator quis sit, nullatenus debet ab orationum suarum victu ieiunare; quare Ber. ait: *Nemo nostrum paruipendat orationem suam: dico enim vobis, quod ipse ad quem oramus, non paruipendit eam*; ex quibus verbis patet, D. Bernardi sententia, quod non solum iustus, sed etiam peccator suam non debet spernere orationem; quæ si ex contriti cordis stipite germinat, suæ petitionis fructum ex diuina misericordia emanantem proferre non differt, vt Cassiod. super Psal. 109. *Dominus nescit differre, quem compuncto corde senserit supplicare*. Deus enim ait D. Th. 2. 2. quæst. 83. a. 16. culpam odit peccatoris, vt potè

D. Thom.

D. Thom.

Opera moraliter bona in peccato facta mortua dicuntur.

Bern.

Cassiod.

D. Thom.

Deus odit peccatum, non peccatoris naturam; & quomodo ex misericordia Deus audit, & exaudit, orationes.

vt potè diuinam offensam resonantem deformitatem præseferentem, quæ diuinę imaginis pulchritudinem, ac venustatem deturpat, non peccatoris naturam, quæ ab ipso Deo, vti natura naturante procedit, vt diuinæ manus opus, quod misericordiæ suæ dextera reparare deberet, vt Iob. 14.: *Operi manuum tuarum poriges dexteram*; sic peccatoris vt peccator est, non exauditur oratio, ait enim Chris.: *Nihil enim, nisi digna culpis æterna suis, peccator supplicia meretur*, maximè verò si secundum desiderium peccati petit, in hoc non exauditur, sed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem in maiora amplius ruere peccata: *Deus enim* (ait D. Aug. tract. 73. in Io: tom. 9.) *quædam negat propitius, quæ concedit iratus*. Verùm si peccatoris, vt in miseria peccati consistentis, qua maior excogitari non potest, statum pensemus, hæc inquā miseria est, quæ diuinam facit elucescere misericordiam: *Decet enim*, ait D. Hieronymus, *summam miseriam, magnam misericordiam prouocare*; sic si orationem ex bono naturę desiderio procedentem attendamus, hanc audit Deus, non quasi ex iustitia, quia omnia peccatoris opera mortua sunt, sed ex diuina misericordia, ait D. Th. obseruatis tamen quatuor conditionibus, vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & percunctanter.

Chris. — August. — Hieron. — D. Thom.

3 Ad huius veritatis confirmationem, scilicet, quod ex misericordia, Deus audiat peccatoris orationes; assurgit Regius Propheta, Ps. 38. dicens: *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me*, vbi D. Th. ait: quod oratio petentis liberari à peccato tripliciter est commendabilis, ratione petiti necessarij, quod est liberari à peccato, secundò qui non meritis proprijs, sed diuinæ misericordiæ innititur fundamēto, à Deo scilicet petens liberari, vt Is. 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me*, tertiò quia non ab vno, sed ab omnibus petit peccatis liberari, nam vnum sine alio peccatum remitti non potest, Ideò Io: 6. *Totum hominem sanum feci in sabbato*. Ecce igitur, quomodo peccatoris orationes à Deo possunt audiri, & exaudiri; quare August. tract. 44. in Io: ait: *Si peccatores non exaudiret Deus, frustra Publicanus dixisset, Deus propitius esto mihi peccatori*, & D. Chris. in hom. 18. in opere imperfecto sup. Matth. ait: *Omnis, qui petit accipit, idest siue iustus sit, siue peccator*. Nullatenus igitur peccator ab orationum suarum supplicationibus pro eiusdem culparum remissione ad Deum effundendis debet desistere, imò vt ait D. Greg. in hom. *Quanto grauiori tumultu carnalium rerum premimur, tanto orationi insistere ardentiùs debemus*, & S. Isid. de sum. bon. lib. 3. c. ait: *Hoc est remedium eius, qui vitiorum tentamentis æstuat, vt quoties quolibet vitio tangitur, toties orationem subdat, quia frequens oratio impugnationem vitiorum extinguit*.

D. Tho. — Qualiter oratio petētis à peccato liberari, sit commendabilis. — August. — Chris. — D. Gregor. — Isid.

4 Vel dicamus supposito, peccatorum orationes nullius esse virtutis, & valoris secundum se, vt potè charitatis expertes, quæ radix merendi est, nihilominus, in Diuina misericordia confisi, ad animarum nostrarum medicum, pro spiritualium ægritudinum nostrarum sanitate consequenda, orationum nostrarum gressibus accurrere, & contendere debemus, vt langoribus culparum nostrarum commiserans diuinæ pietatis remedio subuenire dignetur, vt Beda in Comment. in Luc. 4. ait: *Hæc omnia* (loquendo de quibusdā vitijs,

Licet peccatoris oratio nullius meriti in se sit nō tamen desistere debemus ab hac, & quare.

& his

& his similia, febrem humanæ naturæ, vel illecebræ carnis intellige, à quibus quandiù animæ fideliũ tenẽtur, tanta ægritudine oppressæ sũt, vt nequaquam dignè Deo, quid boni operis valeant Deo exhibere; Vnde necesse est, vt ad verum medicũ confugiant animarum Christum Dominum; sic enim fecit Regius Propheta Psal. 29. ad Deum pro eiusdem animæ salutem accurrens, à quo statim sanitatem est assecutus dicens: *Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me*; & quo morbo languebat, nisi peccati? vt ipse iam testatus est Ps. 40. a. *Sana animam meam, quia peccaui tibi*: vbi Basilius ait: *Nihil medium, nullũque interuallum fuit inter meam vocem, & tuam gratiam, sed simul atque clamaui, sanitas prodijt*.

Basil.

5 Necessarius est igitur peccatori ægro, non tenuis, sed sufficiens, & cõpetens iste orationis victus, ne ab æterna vita totaliter deficiat. Peccatum enim iam diximus, quod morbus, & ægritudo est animæ, quò à salute æterna, & à Deo, qui vera vita est, elongamur: iste morbus spiritualis lęthalis, est animæ periculosus ad ęternę salutis interitum, vt Ps. 71. d. *Quoniam qui elongant se à te peribunt*; quid igitur agendum, vt Deo appropinquemus, vt salutem consequamur, & à morte declinemus æterna? Victus orationis, ne deficiat anima totaliter in interitũ necessarius est: per orationem enim ad Deũ eleuamur: vt ex ipsius essentia patet, dicitur enim *Oratio mentis in Deum eleuatio*: per hanc eandem vnimur Deo, sed quomodo? oratio est actus intellectus, orando quis intelligit Deum; modò quia omnes Philosophi dicũt, quod intellectus fit intelligẽdo res intellecta in esse intelligibili, & fit magis vnum, quam ex materia, & forma, ergo orando, cum non

Per culpam elongatur peccator à Deo, & oratione, vt actus intellectus est, Deo vnitur.

repellatur à Deo oratio, etiam peccatoris, vt diximus, ex diuina misericordia, huius anima vnum quodammodo cum ipso Deo fiet, vnietur ipsi æternæ vitę sanitatem consequetur, peccatorum inde ægritudine fugata; sic iste spiritualis orationis victus ad salutem animæ, & nutritionem conducet; nam sicut cibus conuertitur in substantiam aliti, sic orationis cibus in vtilitatem salutis animæ orantis redundabit, vt Psal. 34. 6. *Et oratio mea, in sinu meo conuertetur*.

6 Et tam salutis peccatoris Deus cupidus zelator existit, vt nobis, ne vt spirituales ægri peccati morbo languentes totaliter à vita deficiamus ęterna, ad animæ sustentationem, & vitæ reparationem, competentem orationis victum præscribat assumendum; quare Matth. 6. ait Saluator: *Vos autem, Sic orabitis, Pater noster, &c.* & quare in oratione vult vocari, & inuocari Deus magis Pater, quam Deus, aut Dominus, maximè cum ex eius inuocatione Domini orationis fructum ad animæ salutem in nobis experiamur, vt Psalm. 19. dicebat Dauid: *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me*? & Ps. pariter 29. dixit: *Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me*, cur consimilem nobis orationis modum, modò non indixit? Et quare orare debemus dicendo: *Pater noster*? nunquid Filium, & Spiritum Sanctum, qui cum Patre communem habent essentiam, indiuisam substantiam, coęqualem potentiam, simplicem vnitatem, vt ait D. Athanasius in Symbolo fid. *Vna est diuinitas, æqualis gloria coæterna maiestas*, non exorabimus? cum ab omnibus his tribus personis diuinis salutis nostræ, & omnium donorum indiscriminatim beneficia recipiamus,

Quare Deus in oratione vult magis vocari pater, quam Deus.

Athanas.

vt aiunt

vt aiunt Theologi: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa? Sed dicamus, quod Deus in oratione vult inuocari, *Pater*, vt magna spe, & certa fiducia ad eum, vt filij recurramus; non *Deus*, non Dominus, ne vt Iudicem impœnitentes pœna experiamur, vt Ps. 7.: *Deus iudex iustus, fortis &c.* & Psal. 93. *Deus vltionum Dominus: Deus vltionum*; qui se venia, misericordiarum Patrem prodit: vt p. Cor. 1. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra:* nec vt Dominus vult vocari; ne nos vt seruos culpa reprobet, quos vt filios per gratiam approbat, vt p. Io: 3. a. *Vt filij Dei nominemur, & simus.* Pater igitur vult inuocari, vt agnosceremus eum gratiarum largitorem, vt Iacob. 2.: *Omne donum perfectum desursum est descendēs à Patre luminum*: quare D. Chrisostomus in Matth. 6. *Patrem se magis, quam Deum voluit dici, vt nobis magnam fiduciam daret, ad petendum, & spem largam ad impetrandum, quia serui non semper impetrant, quod petunt*; nostram igitur dignitatem perpendentes, quod genus Dei sumus, vt Ps. 81. a: *Dixi vos Dij estis, & filij excelsi omnes*, hunc Patrem adeamus, hunc Patrem agnoscamus, Patrem inuocemus, Patrem nostrum oremus pœnitentes, vt nos filij eundem Patrem ad gratiam, & ad nostrorum veniam peccatorum exoremus; quare Caietanus noster, ingenio, plusquam dignitate Eminentissimus, in hunc locum Matth. 5. ait: *Magna dignitas cuiuslibet orantis habere Patrem in cælo: recurrere enim iuberis ad Deum, non vt seruus ad Dominum, sed vt filius ad Patrem, filiali affectu, filiali fiducia, imò securitate.*

Vult Deus inuocari pater, vt nos, vt filij summa fiducia ad eum recurramus.

Chris.

Caiet.

7 Hujus fiduciæ, & orationis vim, vocādi Deum Patrem, nostrorum ad veniam peccatorum ad explicandā, locus aptus videtur ille de filio prodigo, vt Luc. 15. qui post habitis patris salutaribus monitis, quęsito, accepto, & vendito patrimonio, & prętio recepto, à patria, & paternis legibus, mente, corde, & corpore voluntarius exul, in longinquas secessit partes; vbi in carnis lenocinijs tota eius substantia consumpta, aliorum se seruituti, sic suadente fame, quæ in illa tota regione dominabatur subegit, & porcorum custos factus, istis commensalis conuiuebat, qui conuiuia impudica sectabatur; His igitur curis, & molestijs excruciatus egenus ad patrem, & patriam remeare decernit, & qui dominationis filij ius amiserat, in mercenarium se patri mancipare statuerat; quare dixit Luc. 15.: *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Sed quomodo ibis ad patrem à quò per inobedientiam recessisti? quomodo patrem appellabis, qui te genuit, à cuius genere peruersis tuis ipse degenerasti moribus? quomodo vocabis patrem tuum, quem non vt tuum, sed vt extraneum habuisti? Ibo ad patrem meum; ecce filij oratio: *Sed*, ait Chrysol. ser. 2.: *Qua spe? qua fiducia? qua conscientia? Qua spe, illa qua pater est: Ego perdidi quod erat filij, ille, quod patris est, non amisit.* Sed quomodo exaudietur ille, qui paternas non audiuit leges? quomodo patrem, ad tot vitiorum veniam ille, qui in lupanaribus patrimonium decoxit, totam suam substantiam prodegit, suis propitiū inclinabit, & inflectet votis? & tu pater quid ages? hunc ad te redeuntem non adspicias, qui tua despexit monita: non recipias filium,

Magna fiducia filij prodigi apud patrem, à quo ille rediens receptus est.

Chrysol.

qui

qui tua te inobedięntia patrem non nouit: huic claude ostium, à quò eius culpa, vt hostis à te eliminatus, emancipatus exiuit: domus tuæ huic non pateat aditus, qui ad tot flagitia vsque modo sibi aditum aperuit, qui domum tuam peruersis suis deturpauit moribus: relinque ad mendicitatem in pęnã, qui culpa, suum patrimonium luxuriosè prodegit: aliorum seruituti mancipetur, qui dominationis suæ decus gentilitium non respexit. Ita ne in filium pater? absit, quare

Chrysol. Chrysol. ser. 3.: *Non dixit vnde venis? fuisti vbi? vbi sunt quæ tulisti? quare tantam gloriam, tanta turpitudine commutasti? sed citò proferte stolam primam, & induit illum: Videtis, quia delicta non videt vis amoris.* Dixit, orauit filius: *Pater peccaui in Cælum, & coram te &c.* Quid non potest hoc nomen pater? *Vrgentur*, ait D.

D. Chrysol. Chrysol. serm. 2. *Patris viscera, iterum filium genitura per veniam:* Ecce huius orationis vis, filium licet indignum pater redeuntem amplexatur, quem reiecerat, osculo amoris excepit, quem culpa amiserat, induit stola prima, qui nõ

Vocando Patrem filius prodigus illum ad veniam, & misericordiam inflexit; quare sic nos &c

sustinet filij nuditatem: annulo ditauit, ne inglorius appareret, opiparo, eum excepit conuiuio, qui siliquis saturari expetebat; ecce quam spem, quam fiduciam ad veniam consequendam, hæc inuocatio, qua orando dicimus *Pater noster*, nobis præstat: quare

Chrysol. Chrysol. serm. 2. hic ait: *Apud Patrem non intercedit extraneus; intus est in patris pectore, ipse qui interuenit, & exorat affectus*; &

Chrysol. serm 4. ait: *O quid facit vis amoris, quamuis malo filio, non esse nescit, non esse non potest, pater: videt filium degenerasse animo, videt paternæ pietatis, paterni generis nil habere. & tamen nuncupat filium.* Sic nos dum oramus dicendo Pater noster, Deum nobis ad peccatorum nostrorum veniam reddimus beneuolum, vt propitiũ votis nostris inclinamus; quare idẽ

Chrysol. ser. 3. *Apud cælestem Patrem filius plus surgit de venia, quam corruit de reatu.* Sed hæc omnia breui orationis periodo perstringere videtur, D. Ambr. super Chrysol.

Matth. 6. super *Pater noster, qui es in cælis*, sic ait: *Vide quam breuis est oratio, & omnium plena virtutibus, ò homo non audebas faciem tuam ad cælum attollere oculos tuos in terram dirigebas, & subito accepisti gratiam Christi; omnia peccata dimissa sunt, ex malo seruo, factus es bonus filius; ideo præsume, non de operatione tua, sed de gratia Dei.* Ambr.

8 Nec solum Deus peccatori, vt pro se oret, aditum præbet ad suorum veniam peccatorum, quinimò eundem ad orandum inuitat pro eiusdem conuersione, cum ad hoc de cælis nobis vt Pastor aduenerit, vt perditam, & errantem, rationalem quæreret ouem, & ab infernalium luporum ingluuie eripiens, ad cælestis gloriæ caulam Sacratissimi Sanguinis sui viribus reduceret; dicitur igitur Zachar. p. *Conuertimini ad me ait Dominus exercituum, & ego conuertar ad vos*; ad peccatores hunc dirigit sermonem, nam quos ad se conuertendos vocare potest, nisi culpa auersos? si enim peccatum est auersio à Deo, & conuersio ad creaturas; quia ait Philosophus: *Oppositorum eadem est disciplina*; ergo pœnitentia, & conuersio erit dum peccator mentis suæ affectum à creaturis auertit, & eundem ad Deum conuertit; ideò ait: *Conuertimini ad me*; ecce præuenientis gratiæ diuinum auxilium, quod peccatoribus præbet: sed quomodo

Ipse Deus peccatores, vt pro suarum venia culparum orent, inuitat.

erit, & fiet iſta conuerſio peccatoris ad Deum ? oratione, vt ab hoc remiſſionem noſtrorum conſequamur peccatorum; quare Matth. 7. a. inquit ipſe Saluator: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis*; ſic enim fit conuerſio: quare Hug. Card. ait: *Oratio eſt pia mentis, & humilis in Deum conuerſio; fide, ſpe, & charitate ſubnixa*; ſic ad Deum noſtra nos oratione conuertimur, quare orationis fructum, ad veniam peccatorum ab ipſo æternę veritatis ore promiſſum indubiè orando recipiemus, ideò D. Greg. in Pſ. 7. ait: *Deus qui abijcit delinquentem, conuertitur ad pænitentem: vocat etiam auerſos; donat peccata conuerſis: hortatur pigros; conſolatur afflictos: docet ſtudioſos: adiuuat dimicantes: confirmat laborantes, exaudit corde clamantes: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*. Quis igitur eſt tam vecors peccator, qui orationis vim perpendens ad ſuorum veniam peccatorum, oratione non incaleſcat.

Conuerſio peccatoris ad Deum, media oratione prodi- tur.

Greg.

9 Ecce Publicanus ille Luc. 18. c. qui peccatorum ſuorum maximo liuore ſuffuſus, oculos non audebat ad cælum leuare, orationis ſuæ humilitate, ad diuinæ gratiæ cælum, iuſtificatus à Deo reſpirauit. Luc. 18.: *Deſcendit hic in domum ſuam iuſtificatus ab illo*. Ecce Dauid, qui in magno illo adulterij, & homicidij obuolutus ſcelere, à Deo deprehenſus, à Propheta Nathan reprehenſus, duorum tantum verborum perfunctoria oratione, ſummam, cordis contritionem redolente, dicens: *Peccaui Domino*, 2. reg. 12. c. diuinam miſericordiam ad peccatorum ſuorum veniam inflexit; & ſibi relaxata delictorum pæna, è diuinæ iuſtitiæ libro, doloris calamo in eum exaratam deleuit, & obliterauit ſententiam; *Dominus*, ait Propheta 2. reg. 12. d. *tranſtulit peccatum tuum*. Ecce quomodo ille graui decem millia talentorum alieni æris onere prægrauatus, in reddenda ſuæ adminiſtrationis ratione, cuius omnia bona etiam perſonalia, & familiæ ſuæ erant proſcripta, ad venundationem, pro Domini completa ſatisfactione ad Domini ſui pedes prouolutus, breui, & humili oratione dicens: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*, Matth. 18. plenariam debitorum ſuorum conſecutus eſt abſolutionẽ: *Miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei*. Ecce omnium ſceleſtiſſimus ille latro, qui tot enormia ſcelera perpetrauit in crucis ligno ad pænam affixus, in caluariæ loco, Chriſtũ aſſocians, humili orationis voce, Matth. 24.: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum*, diuinam implorans pietatem, tot vitiorum ſordibus, diuinæ miſericordiæ, & Sanguinis ſacratiſſimi vnda perfuſus eſt, ablutus, & innocentiæ, & charitatis veſte indutus, ad regale Paradiſi conuiuium euocatus, cæleſtium ciuium conſortio adſcriptus: *Amen dico tibi hodie mecum aris in paradiſo*. Luc. 23. f. ſi peccatori igitur datur campus, anſa, & aditus ad orandum, imò promiſſio venię modo dicto, cur orationibus humiliatus diuinam miſericordiam pro peccatorũ ſuorum remiſſione peccator pænitens, non interpellabit? Quare dum ęgri in peccati infirmitate decumbimus, vel noſtrarum, vel Sanctorum remedijs orationum apud Deum ſanari curemus, vt quod poſſibilitas noſtra non obtinere poteſt, Sanctorum ſaltem interceſſionibus adiuuemur. Vt Venerab. Beda in hom. comment in Luc. 4.: *Si quis te moleſtia*

Peccatores ex ſe orãtes exauditi, Publicani exemplum.

Dauid breui oratione à culpa mũdatus.

Debitor decem millia talẽtorum, orando à debito abſolutus.

Latro in cruce orans à Chriſto exauditur.

se molestia huius ægritudinis (scilicet peccati) *fatigari cognoscit, recurrat ad Ecclesiam, ostendat ægritudinem medico, id est confiteatur Domino peccata sua, pœnitentiam agat malorum, quæ fecit, petat à Domino indulgentiam, roget sibi patrocinio esse Sanctos, & iustos viros in Ecclesia, vt veram à Domino percipere animæ sanitatem mereatur.*

Bed.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. tex.

§. III. Peccator, qui iustorum, siuè Sanctorum intercessionum cibo non roboratur; facilè in culpam, & pœnas corruet.

1 SAnctorum suppetias præcum, & piorum orationum victum ad ægri peccatoris animæ vitam sustentandam apud Deum necessarias esse, nulli dubium esse debet; cum Ecclesia ipsa in Sanctorũ orationibus, hoc sæpè protestetur, dicẽdo sæpe: *Vt eius intercedentibus meritis ab omnibus nos absoluas peccatis*, in oratione simplicis confessoris. *Item in oratione martyris, & pontificis* ait: *vt qui eius solemnia colimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur.* Item in oratione Beatæ Mariæ semper Virginis: *Hac intercedẽte cum omnibus sanctis ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas*, & in oratione omnium Sanctorum dicitur: *Quæsumus vt desideratam nobis suæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris*; & ad hoc etiã Litaniarum preces ad Sanctorum suffragia imploranda ab Ecclesia Sancta adinuentæ, & institutę sunt, quæ in omnium Sanctorum solemnitate etiam canit: *Adiuuent nos eorum merita, quos propria impediunt scelera &c.* Iustos, & sanctos orare pro nobis indubiè credendũ, nam ait Chris. in Matt. 6.: *Pro se orare naturæ est, pro altero autem gratiæ: pro se orare necessitas rei cogit, pro altero autem fraternitatis charitas hortatur: dulcior autem est, ante Deum non quam necessitas rei transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat*; cum igitur sancti magna polleant charitate, & dulciores apud Deum, reddere suas exoptent orationes, procul dubio eas pro peccatoribus apud Deum copiosè effundere incessanter crediderim, vt D. Th. 2. 2. q. 8. 7. docet.

S. Eccles.

Necessaria est Sanctorum pro nobis, apud Deum intercessio.

Chris.

D. Thom.

2 Iustorum intercessiones pro peccatoribus adhiberi, & ipse Christus apperit, & petit, vt in Chananeæ historia clarè patet. Hæc ad salutis nostræ Auctorem, & Redemptorem pro filiæ sanitate impetranda accedit, genitæ suæ diabolicam exagerando, & inclamando vexationem misericordiam humiliter implorat, vt Matth. 15. *Clamabat dicens: miserere mei Domine fili Dauid, filia mea male à Demonio vexatur.* Ad hæc tamen Christus nihil respondet; vnde dicitur: *Qui non respondit ei verbum*, & quomodo verbum se ipsum negare potest? illud etiam quod summè bonum, propterea communicabile existit, cur non respondit? si dixit Matth. 7.: *Omnis, qui petit, accipit, qui quærit inuenit*, & quare hęc, oratione, quod petit non recipit? eius non exauditur oratio? sed tantum abest, vt salutis quæsitæ, gratiam accipiat, vt nec petitionis tuæ responsum recipiat: cur Verbum illud diuinum quod infirmitates nostras curat, vt Psal. 106.

Exemplo Chananeæ à Christo suffragia Sanctorum deposcenda.

Misit verbum suum, & sanauit eos, quæ tenti, contra promissa, gratias, veritas ipsa negat? sed dicamus quod negatio responsionis Saluatoris, erat virtualis tacita mysteriosa petitio intercessionis discipulorum, hos, negando Chananeæ responsionem, interpellans, vt pro illa ipsi rogarent; quare Gloss. sic habet: *Ideò non respondit, vt discipuli pro ea rogarent; ostendens per hoc, necessarias esse preces Sanctorum ad aliquid impetrandũ, &c.* vt alijs subinde relinqueret exemplũ, qualiter eorũ firmitate orationum, proximorum infirmitati, ne deficerent peccatis, ipsi præsidio forent, vt S. Leo Pap. ser. p. de S. Petro, & Paulo ait: *Ad obtinendam misericordiam Dei supernos specialium patronorum orationibus adiuuando, vt quanto proprijs peccatis deprimimur, tantis eorum meritis erigamur.*

Negat Christus Chananeæ gratiam, vt pro hanc Apostoli Christũ orent.

Gloss.

Leo Papa.

3 Considerat Apostolus, & orationis vim, & intercessionis suæ apud Deum pro populo necessitatem, ne tali, hic suffragij sui victu priuatus, & ieiunius in pœnas, & alia mala delinqueret, quare dicebat Rom. 10. a. *Fratres voluntas quidẽ cordis mei, & obsecratio apud Deum fit pro illis in salutem*: vbi Theophilactus ait: *Preces meæ pro vobis, maximè connitũtur, non solum vt tormenta illa futura euadatis innoxij, sed vt salutem etiam consequamini.*

D. Pauli oratio, & intercessio pro populo.

Theophyl.

4 Quod preces, & intercessiones Sanctorum, siuè iustorum robur sint ad sustinendas animas, ne in pœnas ruant, & corruant, ex diuina iustitia. Hanc ex sacris paginis veritatem desumere possumus. Exod. 32. b. *Locutus est Dominus ad Moysem*, dicens, *vade, & descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, recesserunt citò de via, quam ostendisti eis, feceruntq; sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt &c.: cerno quod populus iste dura ceruicis sit: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, vt deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum &c. Placatus* (addit textus,) *est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat, aduersus populum suum*; quare subiungit Propheta Psal. 105. *Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Et clariùs etiam ad rem nostram Hug. Card. hic: *Et disperdidisset* (ait) *eos si Moyses electus eius non stetisset in conspectu eius orans, & hoc in confractione, idest in plaga, qua Dominus comminabatur eos confringendos.* Hoc quod de Moyse dicimus, de Prælatis pro eorum subditis, causas gerentibus pro horum defensione, & tutela affirmare itidem possumus. Vel de religiosis, & viris iustis, qui veluti Moyses ex aquis mũdialium curarum erepti, & à diuitijs, & delicijs huius mundi secreti, & abdicati sunt. Hi sunt (illi electi de quibus Io: 15, 7. dicitur): *Quos elegit de mundo*, vt eant, & fructũ afferant, vt stent in confractione iræ Dei, vt hanc auertant à peccatoribus disperdendis, vt Hierem. 18. d.: *Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & vt auerterem iram tuam ab eis* Vel tertiò possumus dicere cum Hug. Card. in Ps. 105. quod Moyses noster, est Sacerdos, qui in conspectu Dei, stat in confractione corporis Christi in altari, quod in tres partes confringitur, & hoc vt auertat iram Dei à populo peccãte. Vel demum cum eod. Hug. Card. dicere possumus de Christo, qui est verus Moyses, qui stetit in conspectu Patris in confractione sui corporis,

Iratus Dominus in Israelitas, & Moyses pro his Dominũ orat.

Hug. Card.

Quomodo Moyses steterit in confractione, expositio p. Hugonis.

Moyses pro Prælatis.

Hug. Card.

Moyses, pro Sacerdotibus, in altari.

Moyſes pro Christo ſumitur.

ris, quod fregit in cæna, quod confractioni expoſuit in cruce, vt frangeret irã Patris, & auerteret eam à nobis. Iſte enim eſt Aduocatus noſter, vt Io. 2. *Habemus aduocatum apud Patrem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.*

5 Aliud etiam teſtimonium habemus Hier. 7. quod vehemẽter iratus Dominus, in Iudeos, hos de eorum peccatorũ peruerſitate, & nequitia accuſat, ait: *Et nunc quia feciſtis omnia haec dicit Dominus, & locutus ſum ad vos mane conſurgẽs, & loquẽs, & non audiſtis, & vocaui vos, & non reſpondiſtis, faciã domui huic, in qua inuocatum eſt nomen meum, in qua vos habetis fiduciam, & in loco quem dedi vobis, & patribus veſtris, ſicut fecit Silo, & proÿciam vos à facie mea, ſicut proÿeci omnes fratres veſtros, vniuerſum ſemem Ephraim*: & poſt hæc ad Hieremiam conuerſus, ait: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Notate quæſo verba, ait Deus: *Locutus ſum ad uos mane, & loquens non audiſtis me*, ecce diuini verbi tenuis victus, vt ſupra diximus, in quo quia ægri delinquunt; ideò ſequitur, *faciam domui huic &c.* ecce periculum ex huius ſacri cibi, & victus omnuiſſione, *Faciam inquit ſicut feci Silo, & proÿciam uos à facie mea &c.* Et vt etiam oſtendat, quam potens ſit cibus Sanctorum interceſſionum ſubdit: *Tu autem noli orare pro populo hoc*; ſed quod maius eſt, ſequitur dicens: *Et ne obſiſtas mihi*; & quis adeò tam validis viribus pollet, vt diuinæ poſſit obſiſtere potentiæ, vt Iob. 9. 6. dicitur: *Deus cuius ira nullus poteſt reſiſtere?* Sed ait D. Hieronymus: *Sanctorum preces iræ Dei ſæpe obſiſtunt, ut preces Moyſi furori Domini obſtiterunt, uolenti perdere populum, & preces illius, eius furorem tenuerunt*: Imò ex hoc quod dicit, ne roget, vult intelligi ipſius voluntatem eſſe, vt rogetur, & comminationes, quas fecit, eſſe ad terrorem, vt peccantes reſipiſcerent. Chriſ. hom. 14. ad Rom. *Non quod illum à precibus ceſſare, ſalutem enim noſtrã magnopere deſiderat, ſed quia illos terrere vellet; quod quidem cũ intelligeret propheta à precibus non abſtinuit. Hoc pacto etiam cum loqueretur cum Moyſe dixit: dimitte me, & delebo eos, vt illam quidem adduceret ad ſuſcipiendam pro nobis ſupplicationem.*

Deus iratus in Iudeos, hos minatur pœna.

Quomodo irę Dei obſiſtere valeãt Sancti.

Hieron.

Chriſ.

6 Quod Sanctorum preces ſint nobis ſpiritualis victus, nos corroborans, ne in diuinæ iuſtitiæ pænas delinquamus, dicitur Sap. 18. d. *Properans enim homo ſine querela deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum, orationem, & per incenſum, deprecationem allegans, reſiſtit iræ, & finẽ imponit neceſſitati*; iſte eſt famulus Dei Aaron, qui audacter inter mortuos, & viuos opponens ſe incendio pro populo, ſic ait Hug. Card. Sap. 18. *Sic famulus verus Dei agnitus iuxta illud*, Io. 10. b. *Bonus paſtor animam ſuã dat pro ouibus ſuis*, & ideò Num. 16. g. expreſſe dicitur: *Quod cum Aaron cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium obtulit thymiama, & ſtans inter mortuos, & viuentes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit*, vnde Pſal. 105.: *Stetit Phines, & placauit, ceſſauit quaſſatio.*

Preces ſanctorum, diuinam iuſtitiam detinent, vt in Sancto Arone patet.

Hug. Card.

7 Dominus, vti miſericors pater, & piiſſimus animæ noſtrę medicus, cupit per Sanctæ Eccleſiæ iuſtorum, & ſanctorum aſſidentes, orationum, & ſuarum interceſſionum cibo apud Diuinam miſericordiã, ægros peccatores roborare, ne

ne deficiant in nouas culpas, & diuina flagella incurrāt, ideò Ezech. 22. dixit: *Quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam, & non inueni, & effudi super eos indignationē meam in igne iræ meæ consumpsi eos*, quapropter cum isti victum orationum suarum subtraxerint, non est mirùm si in diuinæ iustitię inde supplicia corruerint, vt D. Hieronymus hic: *Inter tanta autem vitia, & scelerum multitudinem, quæsiui de eis virum, qui iræ meæ posset resistere, & instar Moysi, & Aaron, & Samuelis igni meo, & incendio se opponeret, & non potui reperire*; vt Es. 64. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te*. Sed quæso notate quod ait Deus; quærit inter ipsum, & terram siue delinquentes peccatores, apponi sepem: S. Hieronymus legit pro sepe: *maceriam*: sed vtrumque apponatur, quid inde? nunquid maceria diuinam iustitiam retinebit, huius infirmabit virtutem, retardabit potentiam, irreparabilia diuini flagelli tela retundet? nunquid sepes aspectum tollit, ne diuina Sapientia delicta videat, quæ visa sepe non videre, ne puniat, dissimulat? si omnia nuda, & aperta oculis eius, & si eius potentiæ non est potestas, quæ possit resistere? Sed dicamus, quod Deus quærit sepem, & maceriam, apponi, vt parcendi, & miserendi occasionem habeat eorum, quos fore puniendos delicta proclamant, & diuinam interpellant iustitiam: Quęrit Deus Sanctos, & iustos fieri sepem, inter ipsum, & peccatores; aut maceriam, vt ille qui dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, perdendi eos, occasionem minimè inueniat, & vt pœnas effugiant, & pœnitentia ad ipsum confugiant, vt culpas ommittant, ne æternam vitā ammittant: quærit sibi sepem, vel vmbraculum fieri Sanctos, ne peccatores ab igne diuini furoris, vel à sole diuinæ iustitiæ, veluti cera liquefacti pœna, quæ peccati frigore constricta fuerat, in æternum dissoluerentur interitum, iuxta illud Ps. 76. a.: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*. Petit sanctos esse sepem, vt sub vmbra horum protectionis, peccatores pœnitentia delitescerent, quos delicta nudos patefecerant, Gen. 3.: *Cognouerunt se esse nudos*. Quærit piorum orationes, esse maceriam, siuè sepem ad temperandum diuinę iustitię ardorem, ad occulandum diuinæ misericordiæ oculis delinquentes, vt ipsi daretur locus, occasionem præstarent, quærendi perditas oues, vt pastor; æternaliter ægrotos omninò sanandi, vt cælestis medicus, & iam culpa damnatos ad pænam absoluendi paternus, qui Redemptor. Hos Sanctos, siuè iustos suis precibus peccatorum causas apud diuinam misericordiam agentes, sub nomine Consiliariorum Dei vocat D. Petrus Damian. ser. in festis omnium Sanctorum, de quibus ait: *Consiliarij sunt regis nostri, & ipsius iræ sæpe resistunt* (scilicet Sancti) *nec nos deserunt in tempore malo: sciunt enim vbi nos reliquerint, quantis hostium insidijs pateamus*.

Deus per Sanctorum orationes quærit sustinere peccatores, ne deficiant.

Hieron.

Quid est, quod Deus inter ipsum, & peccatores quæri t apponi sepem.

Quomodo Sanctorum orationes, dicantur sepes, siuè maceria, & qui harum effectus.

D. Petr. Damian.

Patroni Sancti, nostrorū causas agētes.

8 De Atlante fertur, vt Diod. lib. 4. hunc Mauritanię Regem adeò Astrologiæ claruisse peritia, vt cum primus inter mortales cursum, Solis, Lunæ, & siderum omnium versationum rationes, vigore animi solertia deprehenderit, ac de sphera primus disputauerit, meritò suis humeris cælum substinuisse fuerit acclamatus. Iusti, &

Diod.

Atlas quomodo cælū dicatur sustinere.

sancti

Sancti in hoc mundo, qui pro peccatoribus fundunt preces,& Deum pro mundi culpis orant, quem suis tuentur suffragijs, & vt tutelares suarum orationum præsidio patrocinantur, Atlantes dici possunt,& Reges sunt, Dei seruitio mancipati, quia dicitur: *Seruire Deo regnare est*, hic Astrologiæ, prophetiæ videlicet, & aliarum virtutum, & donorum peritia calent, vt Paulus 1. Cor. 12.: *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientia: alij autem sermo sciētia secundum eundem spiritum: alteri fides: alij gratia sanitatum: alij operatio virtutum: alij prophetia; alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum &c.* Hi inquam Iusti, Solis, & Lunæ, & stellarum hoc est Christi, qui dicitur Sol iustitiæ, & B. Virginis Mariæ, quæ dicitur Luna, vt Cant. 6. d. *Pulchra, vt Luna, electa, vt Sol*; & stellarum, hoc est sāctorum, de quibus dicitur 1. Cor. 15. *Stella differt à stella in claritate*, hoc est Sanctus ab alio, in diuerso graduum gloriæ, & meritorum splendore corruscans, cursū calent, horum potentiæ virtutum, influxus protectionis, miraculorum, & apud Deū intercessionis; quare Atlantes, qui suis orationū humeris Cœlū sustinēt, & mundū, ne huius culpis in æternum ruat interitum, merito dici possunt: vt Iob. 9. b: *Sub quo curuantur, qui portant orbem*. Incurcuruantur ante Dei thronum, ob eorum cordis humilitatem, diuinam misericordiam ad peccatorū veniam pro eorundem delictis implorandam, sic mundum ne ruat, sustinent suis meritorum, & orationum humeris; vt bene D. Hieronymus super hunc locum ait: *Portantes orbem, sancti rectè intelliguntur, qui gloria meritorum suorum, magni, & potentes sunt apud Deum; hi ergo cordis humilitate ad interueniendum pro peccatoribus, in conspectu eius sunt incuruati; ita sancti portant mundum, dum, cum ne ruat, ac pereat fortitudine sustinēt*.

Atlantes, sunt iusti, qui eorum orationibus mūdum, ne ruat in interitum, sustinent.

D. Hieron.

9 Cœlicum Atlantem in terris adhuc degentem conspicere posse mihi videtur Patrem, & Patriarcham nostrum D. Dominicum, quē vt ex Theodorico, & D. Antonino, & alijs habetur, cum Summus Pōtifex Innocentius tertius, ordinis sui confirmationem postulantem, repulisset, nocte sequenti inter somni silentia degenti, per soporem eidem Summo Pōtifici visum est Lateranensem Basilicam fabricę compage soluta, grauem minari ruinā, & ad casum præcipitem declinare; cui accurrens vir Dei Dominicus, suppositis humeris (ecce Atlas) casuram mox illam molem validè sustinuit, qua visione cognouit, Ecclesiam Christi, hoc exoriente, Ordine egregiè forè subnixam nullosq; casus, & ruinas forè pertimescentem. Quare manę accito, & accersito D. Dominico, hunc hilari vultu excepit, & huius votis, pro Ordinis confirmatione annuens, vltrò aquieuit.

D. Antonin.

D. Dominicus, qualiter Atlas, visus est Lateranensem Basilicam casuram sustinere.

10 Quod si & adhuc maiorem dictorum confirmationem in D. P. nostro Dominico exoptamus. Recolamus id quod ex ijsdem Auctoribus Theodorico, & Antonino nobis traditur; quod cum Pater noster idem S. Dominicus nocturnis orationum vigilijs apud Deum pro sui Ordinis confirmatione insisteret, vidit Christum aduersus hominum scelera diuini furoris flāma vehementer accensum, tres lāceas, quibus mundum deleret vindice dextra vibrantem, Beatam Virginem matrem accurrisse, quæ ad filij pedes supplex prouoluta, hos amplexa hunc humiliter est depre-

cata

Tres lanceas in peccatores vibrātem B. Virgo detinet filium spe conuersionis per B. Dominicū, & Franciscum.

çata, ne tanta exasperatus ira, extrema morte filios perderet, quos tanto amore condidit, & proprio cruore redemit; ad quæ filius, & quomodo in diuinæ iustitiæ præiudicium tot perditorum scelera indies magis succrescentia, sine fructu dissimulabo? in me culparum suarū inflicta vulnera patiar? dimmitte dimmitte me, vt irascatur furor meus, vt hos deleam, vt qui me misericordem pœnitentia nolunt agnoscere, impęnitentes ad eorum cordis duritiam cōtundendam Iudicem experiantur pœna. Ad hæc mater Ehu Ehu fili mi, desine ab ira, relinque furorem, parce parce populo tuo, ne des hunc in perditionē mortis; habeo enim ego duos seruos meos, qui eorum studio labore, & prædicatione peccatores hos, per viam salutis dirigent, qui huc vsque per viam mortis perditis cucurrerunt moribus; tunc filius petens hos fortes sibi ostendi Athletas, Beatum Dominicum, & Beatum Franciscum Sanctissima Virgo obijecit, quibus visis, matris aquieuit precibus, & à vindictæ furore manum auertit armatam, placatus. Ecce Sanctum Dominicum athletam Atlantem suis orationum humeris orbem validè sustinentem.

Mundus iste racemus, in quo bona iustorum, & fracida impiorum, grana comiscētur.

11 Mundum hunc vuæ racemo sanis fracidisque granis referto assimilare posse crediderim. Dum enim quis grana sana, & bona, quæ ad esum carpit in racemo, quem præ manibus tenet, inuenit racemū sustinet, verum sanis detractis racemum cum corruptis granis conculcandum, & ab animalibus descerpendum, & depascendum proijcit. Sic mundus iste veluti racemus bonis malisque permixtus, sicut area, in qua granum, & zizania, sicut sagena, in qua boni, & mali sunt pisces. Hic racemus in manu Dei est, cuius potentia conditi sumus, & prouidentia gubernamur. Ideo Ecclesiast. 10. a. *In manu Dei potestas terræ*, dum enim in hoc morali racemo, sana iustorum pro peccatoribus intercedentium, grana inueniuntur, mundus cum peccatoribus sustinetur ad vitam, ne cum impijs iusti puniantur, vt orabat Dauid Psalm. 25. c. *Ne perdas cum impijs animam meā; & cum viris sanguinum vitam meam.* Iusti enim in manu Dei, vt in tutissima diuinæ omnipotentiæ arce seruantur, ad quā bellica diabolicæ potestatis tormenta, ad illorum expugnationem, non perueniunt, vt Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, nec tanget illos tormentum mortis:* Verum deficientibus sanis iustorum, & sanctorum granis diuinam iustitiam in peccatores detinentium, racemus mundi peccatorum, ad pœnam proijcitur, qui tantum emarcuit in culpa, vt Deut. 32. d. *Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi*, ex quibus vinum illud myrrhinum effluit, quod Saluatoris ori in cruce, fuit oblatum, ideo foras racemus iste mittitur ad æternum interitum peccatorum, vt Matth. 5. b. *Ad nihilum valet vltra nisi, vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*, à dęmonum feris diripitur, & depascitur, vt Ps. 79. b. *Exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eā.* Et à diuinæ iustitiæ in inferno ad æternæ mortis pœnam conculcatur pedibus: *Et conculcetur ab hominibus*, idest, vt explicat Hug. Card. *Subtus omnes alios in profundum inferni proijciatur.*

Propter iustos peccatores à pænis seruantur.

12 Huius rei veritatem ex sacris paginis ad confirmationem haurire possumus, dictorum; Gen. 18. habetur, quod cum maximis scelestiū peccatorum illarum Sodomæ, & Gommohorræ ciuitatum corruptis granis scatēs inueniretur racemus;

Diuersis Abram conditionibus, detinet Deum, ne peccatores, vltimo animaduertat supplicio.

Abraham

Abraham diuersis capitulis pactis, & conditionibus detinebat Deum, qui magno indignationis suæ furore succensus racemum hunc proijcere disponebat, diuinam videlicet iustitiam, in illas infames vrbes vltimo euomere eructabat supplicio. Abraham orationis rcubarbarum ad diuini rigoris bilem attemperandum, & demulcendam apponebat, quare ad Deum conuersus, dicebat: *Nunquid perdes iustum cum impio?* Gen. 18., quasi diceret ad rem nostram; nunquid totum harum ciuitatum, bonorum, & malorum, iustorum, & iniquorum granis commixtum, racemum ad mortem proijcies? nunquid vnus horum omnium erit interitus? ergo iustos cum impijs simul damnabis? quare ad peculiares descēdens cōditiones, petit Abraham: *Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul, & non parces loco propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo?* Gen. 18. his cōditionibus aquieuit Dominus, quod si inuenerit quinquaginta iustos, non perdet huiusmodi ciuitates: Gen. 18. *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatum dimittam omni loco propter eos.* Rursus Abrahā minuit numerum ad quadraginta quinque iustos descendens ad quadraginta ad triginta, ad viginti, ad decem tandem deuenit, & propter decem iustos, diuinæ iustitiæ manum auersurum adhuc à ciuitatibus illis flagitiosissimis promittit Deus, Genes. 18. *Dixit non delebo propter decem*, quasi diceret, propter decem grana iustorum adhuc sustinebo tot ciuitatum impiarum racemum à diuinis flagellorum pedibus illęsum. Quare D. Ambr. lib. 2. de Abram cap. 6. ait: *Discimus ex hoc quantus murus sit patriæ vir iustus, quemadmodum non debemus inuidere sanctis, nec temere derogare. Illorum etenim nos fides seruat, illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoque si habuißet Viros decem iustos potuit non perire.* Cum igitur inter tot gentes vnus tantum iustus inuentus esset Lot, vt hunc à communi ciuitatum incendio eriperet cum familia sua exire præcepit, quo egresso, demptis iustorum granis, ecce racemus proiectus, à diuinæ iustitiæ conculcatus pede, Ecce ciuitates istæ sulphuris, & ignis incendio de Cœlo descendentis penitus concrematę, in cinerem redactæ Genes. 18. *Pluit super Sodomam, & Gommorrham sulphur, & ignem de Cælo, & subuertit ciuitates has, & omnes circa regionem vniuersos habitatores Vrbium, & cuncta terra virentia.*

Ambr.

Iustis non existētibus, in peccatores diuina sæuit iustitia.

13 Sed, & adhuc subtilius huius historiæ mysteria rimemur. Lot ad sui saluationē petit à Domino gratiam petendi ciuitatem, dicens: *Est ciuitas hic prope, ad quam possum fugere parua, & saluabor in ea*, Genes. 19. cui Dominus: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es, festina, & saluare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illam.* Sed quæso ad hæc parumper attendamus verba: non inquit nolo facere, sed non potero facere: Non ne iste est Deus, qui omnia potest, de quo Propheta Psalm. 134, omnia quæcunque voluit fecit in Cœlo, & in terra. Quis potentiam diminuit omnipotētis? impotens creatura? quomodo non potest facere, quod vult non est ablata potestas, nec mutata voluntas. Tanta est iusti apud Deum potentia, & eiusdem orationis efficacia, vt ferè diuinæ omnipotentiæ obsistere videatur, vt Hieronymus: *Sanctorum preces*, inquit, *iræ Dei sæpe obsistunt.* Sed quid dicam, quod si Deus inuenisset decē iustos

Propter solum Lot Ciuitas Segor saluatur à Deo.

Hieron.

 ciuita-

ciuitatibus illis fortassis pepercisset; vnus iustus etiam ad diuinam attemperandum furorem, & retardandam iustitiam sufficiens videtur. Quare D. Petr. Damianus ait: *Dum Moyses fuit in Ægypto propter Moysem pepercit Dominus Pharaoni, & exercitum eius proiecit in mare*: Et quod quando peccatorum omnia grana fracida sunt, nec iusti vllum sanum cernitur ad æternum interitum proijciatur racemus, hoc habemus Gen. 6. tempore iusti Noè videns Deus tot peccatorum grana culpis tabida, & continuò malitia magis marcescere in Dei offensam: Gen. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, omnis quippe caro corruperat viam suam*, tunc proiecit racemum, cum asseruato Noe cum filiabus suis in arca, misit vniuersale diluuium super terram, quo omnes illos scelestissimos peccatores perdidit, & à tanta peccatorum fece purgauit mundum. Chrif. hom. 42. *Sæpe*, ait, *solet Deus, propter paucos, multis dare salutem*.

Petr. Dam.

In arca seruato Noe, vniuersale in peccatores è cælo iruit diluuium.

Chrif.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. tex.

§. IV. Debitę disciplinæ, & fraternę correctionis à delinquente subtractio, non corrigentis, & corrigendi culpa, & pæna timenda.

1 Victus iste moralis, seu spiritualis cibus diuini Verbi, disciplinæ, seu fraternæ correctionis modo sale præparatus, peccatricis, seu delinquentis animæ stomacho dispositus, ad hanc diuinæ gratiæ fame diù laborantem, & charitatis inedia confectam, reficiendam, maximè est necessarius; & magis quam cibus corporalis, famescenti corpori; vt Greg. qui ait: *Plus esse animam in æternum victuram pabulo verbi reficere, quam ventrem moritura carnis, terreno pane satiare*. Et sicut materialis cibi à corpore subtractio, est causa mortis, sic disciplinæ, & fraternæ correctionis à delinquente anima, huic à vitijs non recipiscenti, & semper in malum ruenti, æternæ mortis generat periculum, quod correctione poterat præcaueri, quia vt dicitur Ezech. 3. *Impius in iniquitate sua morietur*: Verum non tantum ipsius non correctis delinquêtibus ęternę mortis imminet periculum, sed etiam ipsis Superioribus à debito correctionis, & animaduersionis munere desistentibus eadem pœna præscribitur, & statuitur, vt ad Rom. p. *Quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solum, qui faciunt, sed etiam qui cōsentiunt facientibus*, vbi Glos. ait: *Consentire, est tacere cum possis arguere*. Dicitur. n. per legem: Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur. Quare D. Augustinus in Reg. eosdem culpa, & ipse damnat, & pœnæ consequenter adiudicat qui fratris culpam correctionis negatione dissimulant, vt propterea in æternæ mortis præcipitium ipsum ruere patiatur; verba D. August. *Magis quippe nocentes estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis*. Quod etiam diffusè declarat in aliquo vlcus, vel vulnus habente, quod nollet detegere, timore ignis, vel ferri, quod pro remedio à medico existimaret esse adhibendum, si quis huius vlceris, vel vulneris conscius esset, & mentis, seu animi infirmi, non ne crudelis

Animæ cibus, corporis refectione maxime præstat. Greg.

Sicut negatio cibi corpori sic fraternæ correctionis animæ interitus.

Glos.

D. August.

August.

delis iudicaretur tacendo, qui beneficus esset iudicando? ita profectò; Et quare peccatum, quod est vulnus animæ non corporis, non temporalem sed æternam inferens mortem, non erit ad correctionem, & animæ salutem manifestandum, vt correctionis remedio, & disciplinæ, pro vt opus est, animaduersione sanetur? quare August. vt supra in Regula Clericor. ait: *Cum enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet secari, non ne à te crudeliter sileretur, & misericorditer indicaretur? quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde?* August.

2 Communis vtrique, & delinquenti, & non corrigenti pœna statuitur diuina lege cernitur sancitũ, quod si Dominus bouis hominem occidentis admonitus, vt periculo tanto prouideret, illum recludendo, vel cornibus, vt ita dicam truncando, solutum iterum remiserit, qui virum, seu mulierem occiderit, quod & ipse Dominus cum boue pariter esset occidendus. Exod. 21. *Si bos cornupeta fuerit, ab heri, & nudius tertius, & contestati sunt Dominum eius, nec recluserit eum, occideritque virum, aut mulierem; & bos lapidibus obruetur, & Dominum eius occident.* Sed quomodo rationalis pro irrationali stabit ad pœnam? quomodo culpa bouis in pœnam refundetur Domini? Hanc legem diuinam S. Augustinus qu. 81. in Exod. interpretatur bouem, pro quolibet animali per Synecdoche partem pro toto, damnum seu mortem proximo inferenti, cuius si admonitus, & conscius Dominus eius, bouem, siue illud animal coercere, religare, & cohibere neglexerit, mortem, quam bos intulit, sua expiabit morte. Sic mala, quæ à subditis patrantur veluti puris animalibus, secundum illud Psal. 48. d. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quia Superiores conniuentes in subditorum defectu, disciplinarum coertione, correctionis animaduersione eosdem non reprimunt delinquentes, sed effrenes abire permittunt, & indomitos in malo ferocire, eadem pœna, quam merentur, & incurrent ijdem peccantes, & ipsis quoque negligentibus correctionem subtrahentibus superioribus infligetur, vti culpæ participibus; sicut Greg. 33. mor. ait: *Qui potest emendare, & negligit participem procul dubio se constituit; qui alterius bonum iuuat, suum facit.* Greg.

Bos cornupeta occidẽs virum, negligentia Domini, q. ię pęna vtriq. statuatur.

3 Ex lege habemus, quod qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, vt ff. ad l. Aquil. qui occidit, §. penult. & ff. ad l. Cornel. de Sicar. cum igitur Superior à delinquente subdito rigoris manum subtrahit, disciplinam auertit, huius negatione, correctionis occasionem præbet, vt subditus propriam culpam non animaduertens, vel nõ agnoscens, vt Ambr. super epist. p. ad Corinth. 5. ait: *Non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur.* Vel contemnens in maiora inde vitia prolabatur, quæ in Superioris negligentiam, & culpam refunduntur, vt potè tãti damni causam, quia vt ait Philosophus: *Quod est causa causæ, est causa causati.* Cum igitur, qui præest in obiurgatione vitiorum subditi conniuet, & videre dissimulat, ne eadem vitia pęna animaduertat, meritò horum causa est, ac propterea in eundem, pœna quoque eorundem peccatorum intorquenda, tanquam eiusdem participem sceleris, Vt Greg. in Regi. ait: *Qui non corrigit resecanda, committit, & facientis culpam habet, qui quod potest corrigere,*

Ex lege ciuili occasionem damni dans, damnum dicitur dare.

Ambr.

Greg.

quod populus in luxuriæ voraginẽ labitur, & in horum præpositos vẽdicatur. Subditi delinquunt, & Principes in patibulis suspẽduntur; vnus est, qui peccat, & alius est, qui vapulat? quomodo Principes, pro quorum salute subditi vitam si opus est profundere tenentur, pro istis illi suspẽdio infami peribunt? Sunt nonnulli, qui hunc locum *Tolle* interpretantur, *congrega, & consule*; vt sit sensus, vt ipsi Principes consulerentur pro pœna, qua delinquentes subditi animaduertendi essent, non autem, quod suspendij pœna ipsi Principes essent plectendi, inter quos accurrit Oleaster, qui etiam rationem addens, ait: *Quoniam non est credibile, viros ad regimẽ populi electos tale facinus perpetrasse*, ac si maximè alienum à Principis dignitate, his luxuriæ, & idolatriæ vitijs coinquinari. Sed si mentem Theodoreti inuestigabimus in hunc locum clarè comperiemus, & nobis innotescet, ideo Principes iussos fuisse suspendi, tãquam illos, qui populi luxuriæ inquinamenta, & idolatriæ sũma crimina audierant, viderant, & agnouerant, non tamen arguerant, non correxerant subditos delinquentes, ideo pro his maxima supplicij pœna illi affecti sunt; ideo ait Theodoretus: *Cũ populus peccasset; suspensi sunt Principes, vt qui malum ab ipsis non depulissent*: Et horum omnium ratio est, quia subditorum cura, Superioribus, & Prælatis demandata est, ideo ne delinquant, quantum in ipsis est, vigilare tenẽtur, & in hoc deficiendo, rationem reddere, & pro ipsis subditis pęnæ subijciuntur, quare Orig. hom. 20. in Nu. ait. *Populus peccat, & Principes suspenduntur: pro populo enim coguntur Principes reddere rationem, ne fortè non docuerint, non monuerint, non solicitè arguerint eos, qui primum peccauerunt*. Sed quare contra solem.

Oleast.

Oleastri expositio.

Theod.

Ob defectũ correctionis in subditos, suspenduntur horum Principes.

Orig.

6 Reus iudicatur mortis per legem communiter, qui alium occidit l. p. §. præterea ff. ad leg. Cornel. de sicar. Tali igitur pęnæ subiacebit negligens Prælatus, vel Superior, qui delinquentes potest corrigere subditos, disciplina, vel verbo ad bonam peccantes reducere frugẽ, & negligit; vnde fit, vt laxatis peruersorum morum ex superiorum indulgentia, habenis, ex impunita culpa, effrenati euadentes, in omnia scelerũ, & mortis abrupta, præcipites abeant peccatores, vt Marcus Tull. ait: *Impunitas enim magna esse solet illecebra peccandi*; & clarius etiam D. Ber. lib. 3. de cõsiderat. ait: *Impunitas, iniuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudicitiæ, transgressionum nutrix*. Quare meritò trangressores sapiens comparat indomito equo, dicens Ecclesiast. 30. *Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps*. Filius enim, qui fręno obedientiæ, & correctionis non circumducitur, & disciplinæ calcaribus, in virtutum, & progressuum bonorum operum via non dirigitur liberis sẽsus loris relictis per vastissimos concupiscentiarum, & omnium vitiorum campos excurrens, diuinorum obliuiosus factus præceptorum, superfluis culparum escis depastus, noxijs mali habitus impinguatus cibis, velut indomitus equus euasus in parentes, & superiores contumax insurgit, obedietiæ stimulis recalcitrat, vt Deut. 32. c. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*; nec Deum timet, nec homines veretur; & tandem multorum conscius, & reus criminum in æternæ mortis labitur præcipitium. Ecce quomodo immoderata lenitas, & nimia superiorum indulgentia ad mortem pertrahit delinquentes,

Marc. Tull.

D. Ber.

Non corrigens delinquentem, cũ hic in mortẽ corruet, & ipse mortis quoq; reus.

Peccator, equus indomitus effrenis, ad præcipitium tẽdens.

quentes, à qua poterant corrigendo seruare, vnde meritò, & ipsi negligentes in correctione, mortis rei dijudicandi sunt, vt Ezech. 3. dicitur: *Si non annunciaueris ei, neq; locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Gregor. vbi Gregor. *Super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem, quotidiè ire, tepidi, & tacentes videmus.* Quod si scire vultis quomodo occidant audite Ps. 56. *Lingua eorum gladius acutus.* Nam sicut sapiens Prou. 18. d. ait: *Mors, & vita in manibus linguæ*; sic vitam, quam dare poterat delinquenti Superior correctionis cibo, hunc negans, illam eidem adimit, non positiuè, sed negatiuè, Greg. vti idem Gregor. ait: *Ipse eum occidit, qui tacendo morti tradit.*

7 Huiusmodi igitur correctionis fraternæ trangressores, ad quos spectat subditorum, seu aliorum inferiorum cura, pereuntium animarum, quæ illorum culpa negligentia, & incuria, correctionem negãtiũ, in culpam corruere, rationem Deo reddere exactè tenentur, vt Gen. 31. habetur, quod Iacob socero suo Labam, cuius pastor erat de ouibus curæ suæ commissis rationem reddebat: *Ego* (dicebat Iacob) *damnum omne reddebam, & quid quid furto peribat à me exigebas*; sic Prælatus, & quilibet Superior, est pastor, ideo talis à pascendo dicitur, quia gregem sibi à Deo commissum animarum, quoquo modo siue verbo, siue auxilio, siue exemplo pascere tenetur, & à lupo infernali, & à suarum tentationum insidijs, & periculis quantum in se est eripere, & indemnẽ seruare, vt humani generis diuinus Pastor dicebat Io. 10. c. *Et animam meam pono pro ouibus meis*: quod si à dæmone arte, & astu, ipsius Superioris negligentia illæ dirreptæ peribunt, rationem Deo exactam Superior reddet, & damnum, & pœnam ab ipso Deus exiget pastore, vt Sap. 6. a. *Quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt fiet.* Ideo ait Ezech. 3. vt supra: *Sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Quem locum explicans D. Gregor. Greg. p. Cor. 3. ait: *Sanguine peccatum designatur, quod culpæ præpositi, si tacuerit imputatur.* Vnde Psal. 50. dicitur. *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ.* Deo igitur rationem reddet negligens Superior, vt Hierem. 33. *Adhuc transibunt greges ad manus numerantis.* Et Hug. Card. super Ezech. 3. hoc Hug. Card. explicat inquiens: *Dominus enim animas, quas committit ad numerum exiget à Prælatis.*

Vt Iacob de ouibus Labã, sic Prælatus Deo de subditis rationẽ reddet.

8 Sed parumper quæso diuinæ comminationis notemus verba. Dicit enim Ezech. 3. *Si non annunciaueris ei*, scilicet corrigẽdo defectus &c. *ipse in iniquitate sua morietur: Sanguinẽ autẽ illius de manu tua requirã.* Obseruo hoc verbũ *requiram*, quod est compositum ex *re*, & *quærere*, hæc dictio *re* dicit reduplicationem, quasi quod sit bis, vel iterum, seu denuò quærere. Secunda etiam mihi occurrit dubitatio, & est, circa illud dictum: *de manu tua requiram*: cur si defectus est ex ore, vt supponitur, dum dicitur: *si non annunciaueris ei*, non dicit se quæsiturum de ore, quod deficit, sed de manu tua, ait? quomodo, quod os defecit, in culpam manus, quæ innocens à sanguine est, idest à peccato ad pœnã refundetur, & adiudicabitur? sed ad hanc difficultatem egregiè Hugo Victorinus respondet, inferens, quod superior tenetur, nedũ verbo, sed, & manu hoc est exemplo, & opere

Quare dicitur requirã de manu tua, cũ defectus corrigentis non sit de manu, sed de ore.

opere suos instruere subditos, & vt pastor auxilij cibo, secundum, quod opus fuerit, in suis depascere necessitatibus: quare si Deus, de oris defectu quæsiuit ab eo, qui correctionis actiuæ negauit debitum, iterũ, quæret de manu, de exemplo, ope & auxilio, si erga proximum defecerimus. Verba Hugon. de S. Vict. *Imò, & de manu, quia manu debebat annunciare: melius enim loquitur exemplum, quam verbum prolatum, & ope etiam tenetur auxilium Prælatus subditis impendere: requiram, iterum scilicet, quæram de manu, quod prius de ore quæsiui.*

Solutio quæstionis.

Hug. Vict.

9 Quis igitur non videt quanta in Prælatis necessaria sit seueritas, ne si ignaua erga subditos indulgẽtia vtantur, ex illa tanquam è fonte, duo illa peccatorum, & suppliciorum flumina erumpant, quibus Prælati pariter, & subditi inuoluãtur? Vtrisque enim, in pluribus solet esse perniciosa nimia regiminis indulgentia; quare Philo Hebræus lib. de agricoltura, postquam egit de seueritate tyrannica, subdit: *Officiunt* (inquit) *non hæ solæ dominationes: verum, & nimis æquanimes principatus præfecturæque. Benignitas enim res est contemptibilis vtrisque, tum principibus, tum subditis noxia: illis dum contempti, nec priuatim, nec publicè valent aliquid rectè constituere: interdum etiam principatu se abdicare coguntur: his verò dum ex continuò magistratuum contemptu, negligentiores facti, magnum morbũ, arrogantiam sibi contrahunt.* Ex quibus patet qualiter remissa lenitas, vt potè noxia sit amputanda, & seuera integritas adhibenda, vt tantorum malorum vena obstruatur, ne in subditos scelerum colluuio inundet. Hinc est, quod solo Petro inter Apostolos hamum mittere iubetur; alijs vero retia laxare, vt Luc. 5., & Matth. 17. nisi quia Petrus Apostolorum Princeps, & summus Ecclesiæ Præses, cui tradita erat potestas ligandi, & soluẽdi, hamo seueritatis pęna pungendo peccatorum pisces etiam cruentatos apprehenderet; reliquos verò Apostolos retia adhibere, quia homines, & peccatores ad Christum suauiter allicere debebant. Quare D. Ambr. lib. 4. in Luc. c. 5. *Bene*, inquit, *Apostolica instrumenta retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reseruant*; Petrum vero vti primum post Christum in Ecclesia exẽplar hamo vti conueniens erat: Quo genere ait Ambr. *solum Petrũ piscari Dominus iubet*. Quare solus Petrus in horto gladium euaginauit, & auriculam impij satellitis abscidit: Quo facto disceremus ad Ecclesiæ Principem spectare, non solum verbo, sed, & gladio subditos in officio continere, & rigoris fræno à vitio coercere debere.

Qualiter in prælatis necessaria sit seueritas.

Philo hebr.

Cur Petro præcipitur mittere hamum, alijs vero Apostolis, retia laxare.

Ambr.

Propterea etiam sanis periculosus existit, valdè tenuis constitutus, & exquisitus victus. tex.

§. V. Sancti, & iusti non debent nimium eorum sanctitati credere, ab assueto bonorum operum studio declinantes.

1 Non debẽt iusti, licet bonorum operum aggeribus communiti, etiam si sanctitatis culmen sibi videantur attingere, ita sibi fidere, quin à vera sanctitatis semita per bonorum operum præcipue torporem, & desidiam declinare, & decidere posse pertimescãt. Hoc in B. Apostolo Petro videre licet,

licet, qui ad beatitudinis culmen euolaſſe videbatur, dum huic Chriſtus dixit Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona*; attamen paulò poſt vocatur Satanas, ad ſatanæ nomen corruit: *Vade poſt me Satanas*, Matth. 16. ſic dixit Saluator Petro, & quare hoc? ſubdit rationem: *Quia non ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*; ecce ſi ab imis terræ ad Cœli faſtigium, ſcilicet beatitudinis titulū eleuatus erat, modo, ab alta beatitudinis arce, ad ima nominis Satanæ præcipitat; quia à bono immutabili ad commutabile bonum declinaſſe videbatur, quod ad læthalem animæ lapſum, periculum eſt &c. Nemò enim ſibi certū, licet pluribus operibus bonis perfunctis innixus, vindicare debet in humanis adhuc cōſtitutus beatitudinis honorem, ideo Chriſtus non de præſenti, ſed de futuro promiſſam benedictionem, beatitudinem, & poteſtatem inſinuauit Petro, quia in hac mortali vita exiſtēs, poteſt homo per ſuam libertatem ad malum, ſicut propēſus, ita peccando declinare. Quare D. Hieronymus ſuper Matth. 16. ait: *Prudens lector inquirat, quomodo poſt tantā beatitudinem: Beatus es Simon Bariona: Et tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meā, & tibi dabo claues regni Cælorum, & quodcunque ligaueris, vel ſolueris ſuper terram, erit ligatum. vel ſolutum in Cælo, nunc audiat: Vade retrò me Satana, ſcandalum mihi es. Et aut, quæ ſit tam repentina conuerſio, vt poſt tanta præmia Satanas appelletur? Sed ſi cōſideretur, illam benedictionem, beatitudinem, & poteſtatem in futuro promiſſam, non in præſenti datam, intelliget, quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo prauæ cōfeſſionis error inueniſſet locum.* Hæc Hieronymus, & licet quis ad aliquod ſupernaturale opus, diuinæ gratiæ munere eleuetur, non tamē eſt certus de eiuſdem diuinæ gratiæ ſemper aſſiſtentia, vt in eodem Apoſtolo patet, dum decidit, vt diximus, quare Caietanus hic Matth. 16. ait: *Non ſuffragari præcepta diuinæ gratiæ dona, ſi poſtea non perſeueret aſſiſtentia eiuſdem diuinæ gratiæ.*

Cur Petrus, qui beatitudinis titulo primo inſignitus Satanas inde vocatur à Chriſto.

Hieron.

Nemo in hac vita, certam ſibi beatitudinē poteſt vendicare.

Caiet.

2 Quare quilibet licet multis virtutum faſtigijs, & bonorum operum cumulis ſit eleuatus, rectè timere poteſt, ne ſuarum virium imbecillitate, & fragilitate decidat, & ipſo diabolo peior euadat; vt de Iuda Apoſtolo dictum eſt Io. 6. g. *Vnus ex vobis diabolus eſt.* Quapropter non multum ab eodem Saluatore ęſtimari videntur in hac vita ſanctitatis culmina attingētes propter caſus periculum imminens. Hinc eſt, quod de ſuo Præcurſore loquens Saluator noſter Matth. 11. b. intulit: *Amen dico vobis non ſurrexit inter natos mulierum, maior Ioanne Baptiſta, qui autem minor eſt, in regno Cælorum, maior eſt illo.* Sed quomodo minimus in regno Cœlorum maior eſſe poteſt Ioanne Baptiſta? In regno Cœlorum ſunt infantes, qui nullis meritis proprijs innixi, ſed tātum Saluatoris noſtri, coronam gloriæ conſecuti ſunt, Io. vero innumeris decoratus virtutum facinoribus, adeo fulgebat, vt meritorum ſanctorumq; operum ſplēdore etiā Sanctiſſimos Patriarchas, qui antea obierant, longè ſuperaret; quomodo ergo horum minimus erit Ioānes? *Multi* (ait D. Hieron. hic) *de Saluatore hoc intelligi volunt, quod qui minor eſt tempore maior eſt dignitate.* Sed ad rē noſtram melius dicamus, quod tanta eſt humanæ conditionis fragilitas, vt licet pluribus ſanctitatis donis

Quomodo minor in Regno Cœlorum poterat dici maior Ioanne Baptiſtæ.

D. Hieron.

Prima reſponſio.

polleat

polleat quis, in hoc mundo, quia tamen mutationi, & casui valdè, diaboli suasionibus maximè instantibus, est obnoxius, ideo maior in hoc sęculo, minor minimo in regno cęlorum securitate, & in gratia confirmato, consumata, à qua non potest amplius decidere, censeri potest. Quare D. Hieronymus, vt supra: *Nos autem* (inquit) *simpliciter intelligamus, quod omnis sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo, qui adhuc consistit in prælio. Aliud est n. coronam victoriæ possidere, aliud in acie pugnare.*

Hieron.

Secunda responsio, quia minimus in regno cęlorū, est securus de beatitudine, non in terra, licet sanctus.

3 Et verè maximè periclitari censendus est iustus, cum à bonorū operum via torpet, & spiritualiter elanguet, Secundum illud Ps. 30. *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Si quis, demus casum, pollens robore, & virtute corporis, extrema vexaretur paupertate, cōflictaretur inedia, qua huius maximè attenuarentur vires, vt vix subsistere posset, proprium consonum viribus suis, opus, sicut prius, tunc exercere minime valeret; & dicere verè posset, cum Psal. 30. *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Sicut enim cibus corporalis auget vires, roborat corpus, pascit, ac nutrit; sic spiritualis cibus, victus, & robur est animę, vt Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; quare sicut deficiente illo cibo corporali, terreni deficiunt artus, & elanguent vires, & debilitatur corpus, sic spirituali deficiente cibo, animæ attenuabitur virtus: quare iustus, & sanctus, qui diuinæ gratiæ summa salute fruitur, qui meritorum, & virtutum pollet viribus, quia Deo per charitatem vnitur, qui est fortitudo nostra, vt Psal. 42. *Tu es Deus fortitudo mea*, si à bonorum operum victu declinat, ipsius infringentur animę vires, à charitate deficiēs, & à Deo,

Sicut in forti per ediā debilitātur vires, sic in iusto, si à bonorum operum victu se abstinet.

qui nostra salus animę est, recedens, poterit dicere, cum Psal. 30. *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Quæ autem sit illa animæ paupertas, quia, ait Philosophus, quod *opposita iuxta se posita magis elucescunt*; sic ex animæ diuitijs, oppositum paupertatis, nobis clarescet. Animæ diuitiæ sunt cœlestia dona, charitatis, gratiæ, & virtutū, vt Apost. 1. Cor. 1. *In omnibus diuites facti estis in illo: In omni verbo, & in omni scientia: omni gratia tunc ditatos*, ait D. Hieron. hic; quibus, quis priuatus, pauper erit.

Hieron.

4 Gratia igitur, & opera meritoria, & virtutes sunt spirituales diuitiæ, quæ mentis nostræ inopiā expellunt, vt Greg. hom. 15. in Euāg. qui ait: *Sola diuitiæ veræ sunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt*: qui igitur his bonorum operum opibus carent, vel in illis tepescunt, vt Matth. 24. *Refrigescet multorum charitas*, verè pauperes sunt reputandi, quia, cum charitas sit animæ nostræ thesaurus, quo Cœlorū nobis regnum comparamus, meritò, hac, in anima refrigescente charitate, vel per tepiditatem bonorum operum, quibus pascimur cibis, & roboramur, ad cœlestis regni expugnationem, hoc deficiente victu, & charitate, pauperes dici possumus Psal. 30. *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Ideo Hug. Card. hic ait: *Et bene vocat, refrigerationem charitatis, paupertatem, quia charitas, est diuitia, qua emitur cœlestis gloria, quia secundum quantitatem charitatis, attenditur quantitas meriti.* Sic tenuis bonorum operum victus, etiam sanis, hoc est sanctis, & iustis, nedum peccatoribus, periculosus censendus.

Greg.

Hug. Card.

5 Quare iustus ex eo quod non accrescit in virtutum robore, in bonorum operum spirituali victu, de-

crescere dicitur, & deficere per tepiditatem, & torporem in Dei famulatu vt Bern. *In via Dei*, ait, *non progredi, retrogredi est*; ideò iustis, iste nimis tenuis spiritualis victus, periculosus, vt Hieronymus super Is. 51.: *Qui inter vitia, & virtutes*, (ait) *medius fluctuat, & duplici corde accedit ad seruitutem Dei, iste rectissimè vocatur beta semicocta*, ad quem Io. in Apoc. 3. c. *Vtinam calidus, aut frigidus esses; Sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere de ore meo, quia dicis, quod diues sum, locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. Quæ verba iuxta sensum nostrum, aptari possunt ei, qui virtutum, & bonorum operum, & meritorum culmen attigit, in quibus non debet cōfidere præcisè, si ab his cessare cogitat. Extollat se itaque ille, qui multis, & bonis operibus iam profunctis, abundat, dilatet phylacteria sua magnificet fimbrias, vt Matth. 23.: *Idest gloriam captans ab hominibus*, vt D. Hieronymus hic, dicens, diues sum meritis, locupleratus sum, diuinæ gratiæ donis, nullius egeo, ideo à bonis operibus vacare prætendis? nescis si hoc tibi persuades, quod es miser, & miserabilis pauper, quia infirmatur in paupertate virtus tua, cum in bonis operibus torpes, & clangues, ideo quia, vt beta semicocta factus es, quia nec calidus, nec frigidus; incipiā te euomere de ore meo. Vbi Ambr. *Frigidus non erat, quia quāuis charitas illi deerat*: Quare ex hoc sequitur: *Incipiam te euomere, quia tepidus es, idest*, vt ait Lir. *tardus ad bonum, accidiosus, & otiosus, incipiam te euomere, idest à me te ejcere, sicut quid abominabile, nam otiositas omnium virtutum est sentina, quia dicis, falsò te iactando de meritis, quod diues es scietia, & virtute. Incipiam te euomere: de ore euomitur*, ait Hug. Card. *qui in deteriora præcipitatur*.

Ber.

Hieron.

Tepidus in Dei seruitio, betæ semicoctæ comparatur.

Hieron.

Ambr.

Lir.

Hug. Card.

6 Possemus secundò explicare: *Infirmata est in paupertate virtus mea*. Psalm. 30. ad ignauos, & in seruitio Dei desides arguendos, cōuertendo sermonem. Ad cuius veritatem astruendam huc vocare possumus, illud Matth. 12. *Et ecce homo manum aridam habens*; per manus intelligi possunt opera, sic Orig. in lib. Regnorū c. p. & 2. hom. vnica. Sumendo causam efficientem pro effectu, per metonymiam. *Manum aridam habens*. Aridum dicitur illud, quod naturalem amisit humorem, sic qui à consueto bonorum operum studio vacat, manū aridam habere, dicere possumus. vult ergo inferre, illius dexteram dici posse aridam, qui contentus, quod à malo declinauerit, vel aliqua bona fecerit, ab his modo vacare, dissimulat. Quare Liranus hic ait: *Hæc manus arida significat genus humanum, in fecunditate boni operis arefactam*. Periculosè igitur certè viuit, qui si totam dexteram patitur arere; quare sicut aqua, quę non mouetur, corrumpitur, vestis, quæ non curatur, à tinea quæritur, & corroditur; ferreum, & arma, quæ non tractantur, rubigine consumuntur. Ouid p. Pont. 6. *Cernis, vt ignauum corrumpunt otia corpus, vt capiūt vitiū, ni moueatur aqua?* sic ab assueto bonorum operum studio, manum otio retrahere, periculosum. Torpor enim, & accidia cōcontrariatur charitati, quæ est gaudere de bono diuino, & delectari in Domino, non tristari, vt ex D. Th. 2. 2. quest. 35. Et charitas in mandatorum diuinorum custodia, consistit, vt 1. Io. 5. *Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus*. Custodia enim in bonorum

Orig.

Manus arida, eius, qui à bonis operibus vacat, Symbolum.

Lir.

Ouid.

D. Thom.

operum

operum vigilantia non desidia statuitur, sic Adam in Paradiso terrestri positus fuit, vt operaretur, & custodiret illum, vt Gen. cap. 2. nam ait Poeta: *Non minor est virtus, quam quærere parta tueri.*

Cur Christus noluerit sibi viuens, in latus vulnus infigi, sed post mortem tantù.

7 Et quid est, quod Christus viuens noluit in cruce sibi in dextrum latus, vulnus infigi, quod post mortem excepit; si pati venerat, si morti lætus occurrebat, si doloribus, & pœnis lætabatur, quare dicebat discipulis suis. Matth. 26. *Surgite eamus*, Vbi D. Hieronymus: *Vltro pergamus ad mortem, vt confidentiam, & gaudium passuri videant.* Si impatiens mortis, huius moras egrè sustinebat, quare proditori Iudæ dixit Io. 13. c *Quod facis, fac citius*: loquendo de desiderio mortis; quam ait Chrisostomus: *Non amplius tardari, nec protrahi, sed pro posse maturari volebat*, Cur igitur viuens vulneri in latus eius, locũ non dedit, vt dolorem, quem optabat posset percipere? Sed dicamus, ideo noluisse Christum viuentem sibi latus vulnerari, vt doceret nos in virtutum, & bonorum operum vigilantia minimè fore desides: latus enim dextrum virtutum, & bonorum operum locus est, Quare Chrysol. ser. 9. ait: *Sicut sunt nobis in dextera parte virtutes, ita nobis pars vitiorum in sinistra*; Noluit igitur Christus, viuens in dextro latere vulnus excipere, ne infirmata virtus in bonorum operum paupertate, velut mortua aresceret, sed vt viuentes semper in harum vigilantia, & fœcunditate virtutum, & sãctitatis, sanitate, benè operãdo gloriaremur, quare D. Ber. ser. 7. in Ps. *Qui habitat*, ait: *neq; enim lateris vulnus excipere voluit, nisi iam soporatus, in morte, vt moneret te quandiù viuis, in huius semper lateris vigilare custodia: sed, & mortuam censeri eam animam oportere, quæ quidem perniciosa insensibilitate dissimulat sibi vulnus infligi.* Sic cum bonorum operum dextera arescit, vt diximus, virtutem animæ in paupertate infirmari verificatur, & quasi mortua censenda; ideo Dauid talem, quasi in se pœnam inflectens, dicebat Psalm. 136. *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea.* Et quid est hoc? Vult inferre, quod dextera vacans ab operibus bonis, est quasi arida, & mãca, & veluti mortua, quasi non sit, quia, ait Philosophus. *Ad esse sequitur operari.* Quare D. Hylarius: *Et magni periculi est, si dextera nostra fiat obliuio.* Ecce quomodo victus nimis tenuis bonorum operum, etiam sanis, hoc est iustis, periculosus.

Hieron.

Chris.

Latus dextrum, virtutum locum denotat.

D. Ber.

In latus post mortem tãtum vulnus Christus excepit, in cõtinua bonorum operũ vigilantia denotanda.

Hylar.

Vel tertio dicere possumus: *Infirmata est in paupertate virtus mea* Psalm. 30. Ad æternæ beatitudinis conuiuium, sensum referendo; ad quod vocati sumus: vt Luc. 14.: *Homo quidam fecit cœnam magnã, & vocauit multos*; Quæ cœna de cœlestis illius gloriæ dulcedine, intelligitur, vt Gregor. in hom. *Fecit cœnam magnam*, inquit, *quia satietatem nobis dulcedinis æternæ præparauit.* Ad hoc igitur solemne conuiuium dignè, vt accedamus, nuptiali charitatis veste in primis indui debemus, ne cum illo, vt indigni reprobemur, vti dictum est, Matth. 33. *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialẽ? Ligatis manibus, & pedibus, eius mittite eum in tenebras exteriores.* Secundo vnusquisq; bonorum suorum operum cibos, secum deferre debet ad manducandum, in illo cœlestis gloriæ Cœnaculo; quare dicitur Psal. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Sed quomodo nobis à Deo abundè hoc præparatur cœleste conuiuium, ad quod

Greg.

Ad æternæ gloriæ conuiuium, vnusquisque bonorum operum, & meritorum cibos deferre debet.

vocamur, sicut dicitur, Luc. 14. *Misit seruum suum hora cenæ, dicere inuitatis, vt venirent; quia iam parata sunt omnia*; si nobis de cibo ad esum prouidendum erit? quomodo vocamur ad aliorum cõuiuium, si noster est, quem in eodem conuiuio comedemus, cibus? Ad huius difficultatis enodationẽ, primò considerandum est, nos nullo modo ad tam permagnificum, æternæ beatitudinis conuiuium, nisi per arctam laborum viam posse peruenire; vnde prouerbio dicitur: *Qui non laborat, non manducat*: Et D. Chris. *Qui non operatur in hoc seculo, non manducat in futuro*. Qualis autẽ sit hic labor, siue operatio, & quã mercedem consequatur, hoc exponit, D. Hieronymus in Psalm. 127. dicens: *Sed hic labor æternis fructibus adimpletur, cum homo pane illo cælesti locupletatur*; ad hoc igitur conuiuium per semitas virtutum, & meritorum peruenire necesse est, sicut ait idem Hieronymus loc. cit.: *Per has Dei vias inceditur, sicut ipse, ait Matth. 6. Arcta, & ærumnosa via est, quæ ducit ad vitam*; sicut enim per hanc Christus incessit, vt ad conuiuium gloriæ suæ veniret, sic nobis incedendum, præscribit, dicens, Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno Patris mei*: Sed quomodo filium suum Pater disposuit ad hoc regni celestis regale conuiuium peruenire? per labores, Ps. 126. *Ecce hæreditas Domini fili, merces*, quare D. Hieron. *Hæreditas est, inquit, quam non pater moriẽs filio reliquit, sed Christus proprio sanguine aquisiuit*. Ista est hæreditas, ecce cõuiuium, sed merces, ecce labor: sic nos manducabimus fructum laborum nostrorũ in æternæ gloriæ conuiuio, quare Incognit. in Psalm. 127. *In futuro ergo manducatur fructus laborum nostrorum, dum secũdum labores præsentes, mens postea fruitur Deo, & fruendo satiatur, & vocatur illa satietatis fruitio, comestio, quia sicut, quod comeditur incorporatur, & appetitum naturalem satiat, sic visio, & fruitio Dei, nobis Deum summè vnit, & mentem satiat beati*: Sicut igitur, qui non laborat non manducat, vt 2. Thes. 3. b. sic, qui in bonorum operum exercitio, & via pigrescit, ad illud æternæ beatitudinis non perueniet, conuiuium; à consueto enim bonorum operum victu anima non roborata deficiet, vt Psalm. 30. *Infirmata est in paupertate virtus mea*, quare D. Paulinus epis. 5. ad Sulpicium Seuerum ait: *Vnde præscriptum arbitror, vt piger operarius, non edat panem, non videlicet istum pereuntis cibi panem, sed illum, quo viuitur in veram vitam, quia vnusquisque de fructibus suis manducabit, & in operibus suis viuet, at proinde suũ vnicuiq; opus panis est, & panis verus, & viuus Christus est, quẽ nõ potest manducare operarius piger*.

Quomodo ad cæleste conuiuium vocati, nobiscum cibos ferre debemus.

Chris.

Hieron.

Hieron.

Hieron.

Incognit.

9 *Vel infirmata est in paupertate virtus mea*, dum peccator Deo, qui est nostra vera vita, & salus se elongat, & qui est ille, in quo repositi sunt thesauri scientiæ, & sapiẽtiæ Dei, & in quo nos diuites facti sumus, tunc enim à Deo seiuncti, infirmatur in paupertate virtus nostra ad bona opera peragenda. Infimum elementum obseruo, quod duplici nomine in sacris paginis vocatur; hac tamen differentia, quando simul, cum cœlo associatũ profertur, vocatur, terra, vt Gen. p. *In principio creauit Deus Cælum, & terra*; quãdo vero hęc à cęlo secreta, & ab aquis suffocata, arida, nuncupatur, vt in eodem capite, Gen. p. *Congregentur aquæ, quæ sub cælo* sunt

Quomodo infirmatur paupertas, à bonis operibus anima vacans.

D. Paulin.

Infimum elementum, quomodo cælo associatum, terra, à cælo secretũ vocetur arida.

sunt in locum vnum, & appareat arida; & vnde circa eandem rem varietas diuersorum oritur vocabulorum? quare cœlo associata, terrę, hęc vocatur nomine; separata vero, & ab aquis suffocata, arida nũcupatur? sed ista terra homo est; quippe qui de humo formatus, sic ethymologicè homo dicitur: dum cœlo mente, & affectu iungitur, terra fertilis vocatur, quæ iuxta primã benedictionem fructus meritorũ germinat, vt Gen. p. *Germinet terra herbam virentem*; idest anima, vt explicat Hug. Card. hic; *bona desideria, & sanctas meditationes, & lignum pomiferum, idest bona opera*; cum vero à Cœlo distat, & ab aquis suffocatur peccatorum, vt Iob. 15; *Bibit, quasi aquam iniquitatem*, & hoc solum, animatum elementum dicitur aridum, & emortuum, nullos fructus, æterna vita dignos proferẽs, Anastasius Synaita in Exaem. lib. p. *Quando* (ait) *cum Cœlo Deus fecit terram, non appellabatur arida, frugiferum enim, & fertilem Deus fecit hominem, & non aridũ; quando autem fuit suffocata à tenebris, quæ supra eam erant, & aquis, tunc facta est arida, & emortua.*

Hug. Card.

Anastas. Synai.

Homo, quomodo terra fertilis, & arida dicatur.

10 Non debet igitur quilibet licet iustus, à sanctitatis semita ad cœlum tendens per tepiditatem, & bonorum operum remissionem declinare, ne in mortis æternæ præcipitium labatur, quare D. Chrisost. hom. 6. de pęnit. tom. 5. ait. *Tametsi sæpe bene officiosèque gesseris te ipsum corrobora, ne cadas*; sic, & Apost. dicit. 1. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*. Hinc est, quod Sãctissima Virgo, in Angelica salutatione, nec propriæ sanctitati fidens, extimuit, turbatur, & Angeli legationem timens, inter se discutit, vt Luc. p. *Turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio*. Sed quid timẽdum erat Virgini, quod ab Angelo salutatur, qui à Sanctissimo Trinitatis Consistorio mittitur, qui desiderabilia super omne aurum, & lapidem pretiosum diuinæ gratiæ priuilegia deportat? *Aue gratia plena Dominus tecum*. Luc. 1. &c. *Quod turbata est verecundia fuit virginalis*, ait D. Ber. 2. super missus est. Et vt ait Chrysol. *Trepidare virginũ est, & ad viri ingressus timere, omnes viri affatus vereri*. Sed si Angelum pacis agnouerat, cur timore concutitur? quę cęlestia audit, cur terrena timet? si ab Angelo veritatis, & securitatis inuisitur, & salutatur, quid turbatur? *Et cogitabat qualis esset ista salutatio*, ait tex. Luc. p. Quid animo timida reuoluit? quid intra se discutit? Sed dicamus, quod ideo timet, trepidat Virgo, turbatur ad Angeli aspectum, ad salutationem cœlestem, quia nullus in hac vita, licet sanctus sibi fidere debet, quin occasiones etiam securas aliquo modo habeat suspectas: tunc enim securius viuit, cum in ipsa securitate etiam timet pericula. Ber. apud Oleastr. in cap. 19. Genes. in moral. *Legimus* (inquit) *Virginem etiam Angelos timuisse, & cogitasse qualis foret Angeli salutatio: nullos enim securius uiuere deprehendimus, quam qui, quæ secura sunt suspecta habent.*

Chris.

Quare B. Virgo ab Angelo salutata turbatur.

Ber.

Chrysol.

Iusti securius viuunt, cum in ipsa securitate etiam pericula timent

Ber.

Quo-

Quoniam errores grauius ferunt. tex.

§. VI. Sancti, & iusti pręcipuè, diaboli tentationibus subiacent, & eiusdem insultibus acriùs impetuntur.

1 NVnc redditur ratio, quare periculosum sit iustis à bonis operibus manum retrahere: *Quoniam errores grauius ferunt*, quia iusti præcæteris, diaboli tentationum insultibus impetuntur, vt D. Hylarius super Matth. can. 3. qui ait: *In sanctificatis nobis, maximè diaboli tentamẽta grassantur, quia victoria ei magis est exoptata de sãctis*. Multa possent ad probationem similia à Sanctis Patribus adducta, hic exempla afferri. D. Chris. hom. p. ad pop. comparat dæmonem latroni, qui ingreditur domum, vbi est aurum, & argentum, non stipula, & palea, sic igitur ait: *Sicut latrones, non vbi fœnum, & palea, sed vbi aurum, & argentum est, vigilãt, & aggrediuntur, sic diabolus his maxime instat, qui spiritualia negotia attingunt, ibi multæ insidiæ, vbi est virtus*. Diuus Gregor. comparat hosti, siue tyranno, qui in genus humanum sibi dominium arripere prætendit, in illos igitur maximè tentationum suarum armis sæuit, quos sanctitate, & pietate conspicuos, & à se auersos conspicit, ideo ait: *Hostis noster, quanto magis sibi nos rebellare conspicit, tanto magis expugnare contendit*. Sicut è contra eos non tentationibus vexat, quos suos in culpa, & cordis obduratos agnoscit; ideo idem Gregor. 24. moral. cap. 7. ait. *Eos pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit*. Clare patet, quod diabolus sicut Dei hostis est, sic cum iustorum animæ, vnum cum Deo charitate efficiantur, secundũ illud p. Io. 4. c. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, sic contra eas, Dei seruitio mancipatas, tentationum suarum castra mouet, vt illas è cęlo reuocet, quas Deus ad cœlum aduocat animas, ne illas æternæ fœlicitatis consequatur, sedes, à quibus ipse rebellis expulsus fuit, vt sancta canit Ecclesia in festo S. Angeli Custodis. *Ardens inuidia pellere nititur, quos cœlo Deus aduocat*. Ideo iustos, tentationum armis impugnat, vt consensu expugnet; quare prudens anima iusti, debet fidei orationum, & bonorum operum armis sic ad obsistendum esse præmunitus, quantum ille ad expugnandum semper est paratus.

Hylar.

Quomodo Diabolos latroni cõparatur.

Chris.

Diabolus hostis, & tyrannus.

Greg.

Greg.

2 Hunc spiritualis belli apparatum necessarium nobis innuit Dominus exercituum, Ezechiel. 4. a. dicens: *Tu fili hominis, sume tibi laterẽ, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro*. Et quando Propheta iste, Apelles euasit, in pingendi arte peritus, vel Phidias in celando, vt tantũ descriptionis munus possit obire? & quomodo eum, qui ad spectandum cœlum natus est, in vilissimum laterem præcipit Deus defigere oculos? & quomodo in tam breui, & angusta simplicis lateris, pagina, tam amplam, & magnam Iudeæ metropolim, quæ erat Hierusalem, poterit describere ciuitatem? & cur in latere, qui crudus, & luteus est, secundum Liranum, qui modico aquæ pulsu facilè dissoluitur, describere iubet? & cur non potius in lamina aliqua argentea, vel

Cur Ezechieli pręcipit Deus, in latere describere Hierusalem, & ad quid.

Lir.

vel aurea, vt nobiliori, vel saltem ærea, quæ temporum iniurias irridet, nec ab edaci vetustatis dente ita corroditur? vel cur non amplã aliquam tabulam assignat Prophetæ, vti ad talem descriptionem, aptiorem? Summum profectò hoc diuinum mandatum, cœlestis mysterij redolet sacramentum. Later iste, in quo debet describere ciuitatem Hierusalem, est cor humanum, ait Gregor. hom. 12. in Ezechielem: *Sume tibi laterem videlicet*, ait, *proximi cor terrenum*; in hoc igitur mistico latere præcipitur Ezechieli describere, omni mentis studio, prædicationis sanctæ stilo, æternæ beatitudinis sanctam Hierusalem, de qua in Dedicat. Ecclesf. dicitur. *Vrbs Hierusalem beata; dicta pacis visio &c. Vt ei*, ait Greg. vt supra, *quæ sint superna gaudia innotescas*. Illam inquã sãctam in corde humano delineare præcipit ciuitatẽ viuis ex sãctarũ animatũ lapidibus cõdictã, vt in Ded. Eccl. subditur: *Quæ cõstruitur in cœlis viuis ex lapidibus*, firmissimis beatę ęternitatis circũcinctam menibus, diuinæ omnipotentię propugnaculis obfirmatã, gratiæ consumatę aggeribus vallatam, diuinæ visionis fluminibus redundantem, charitatis fossis septam, beatorum ciuium multitudine aggregatam, Angelorum pręsidio tutatam, supernarum contemplationum turribus exornatam, sanctorum, & iustorum mansionum palatijs dispositam, æterni Solis indeficienti collustratam splendore; vbi Rex Gloriæ imperat Deus, diuina gubernatrix assidet prouidentia, vbi supernæ misericordię portę patent, & denique omnium desiderabilium bonorum incorruptibiles inueniũtur thesauri; quia ait, Boet. in 4. de consolat. *Beatitudo est status omnium bonorum, aggregatione perfectus*. Hanc igitur sanctam ciuitatem debet in humani cordis latere, prædicationis stilo describere, vt ad illius amorem animas attrahat, ad Cœlum alliciat, ecce cœlestis Hierusalem in cordis humani latere descriptio. Sed hoc non sufficit, subdit enim: Ezech. 4. *Ordinabis cõtra eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem*. Sed hoc ad quid contra hanc castra admouere militum, obsidione circumcingere, tot hostium exercitus, armorum, & belli apparatus, si ciuitas est pacis? *Dicta pacis est visio*, sed demus contra hanc armatos insurgere hostes, quid tandem? quid contra hanc, hostium phalanges, armati exercitus oppugnationes? & quæ nam creata vis, licet in summo potens, huic diuinæ omnipotẽtiæ menibus circumcinctæ ciuitati obsistet? quis timor in securitate? quod naufragium in portu extimescendum? quænam nubes ad Olimpi sumitatem poterit pertingere? Quis in alta montiũ turri cõsistens, tumentes maris pertimescet fluctus? Ad quid igitur contra hanc ciuitatem castra, arma, hostes? Dicamus tamen, quod statim, ac quis in cordis sui tabula, seu latere descriptam recipit sanctam Hierusalem, ad cęlestium contemplationem se tota mente colligit, & totum se Deo dedicat, statim cõtra hũc antiquus hostis tentationũ suarum arma mouet, insidias mollitur, & eundem totis viribus ad expugnandum acrius insurgit; vt 1. Pet. c. 5. *Quia aduersarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret*. Ideo necesse est, vt debitis præmuniatur armis, diuinorum præceptorum circumuallatus menibus, sacramẽtorum propugnaculis tuteatur, in disciplinarum, & ieiuniorum vigilet statione, pontes attollat orationum,

Gregor.

Later descriptionis ciuitatis Hierusalem, est hominis cor.

In Dedicat. Ecclesf.

Greg.

Hierusalem, cęlęstis gloriæ typus, & quomodo.

Boet.

Qui se Deo dicat, ad pugnam cum diabolo se disponere debet.

Quomodo ad pugnam Deo dicatus, se debeat præparare, ad defensionem.

num, & præ manibus scutum fidei teneat, vt diaboli tentationum tela retundat. Quare subdit, D. Petr. 5. *Cui resistite fortes in fide*; hinc meritò sapiens, Ecclesiast. 2. ait: *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & in timore, & prapara animam tuam ad tentationē*; egregiè D. Gregor. hom. 12. in Ezech. ait: *Mox, vt animus amare cælestia cæperit, mox, vt ad visionem pacis intima tota se intētione collegerit, antiquus ille aduersarius, qui de cælo lapsus est, inuidet, & insidiari amplius cupit, & acriores tentationes admouet.* Qui ergo Deo seruit, hostis est diaboli, qui ad pacis æternæ visionem, se disponit, ad bellum se præparet tentationum, & qui ad cœlum mente eleuatur, diligens sit, ne diaboli versutijs circumueniatur, ad culpam. Quare D. Cypr. lib. 3. epist. 1. *Non impugnat*, ait, *aduersarius nisi milites Christi*.

Greg.

D. Cyprian.

Diabolus ab hoc nomine serui Dei, abhorret, vt in Sācto Iobo patet.

3 Sanctæ intentionis lineas de cœlesti gloria, quas iustus in cordis sui pagina exarat, tentationis suæ calamo obliterare contendit Satā; cuius aures à serui Dei nomine, maximè abhorrent; quod in patientissimo Iobo declaratur Iob. 1. *Quadam die cum venissēt filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan*: Sanctorum enim hic se admiscet societati, vt si possibile foret, eos deciperet; hunc Deus interrogat, Iob. p. *Vnde venis, & quo vadis?* respondet Satan, *Circuiui terram, & perambulaui eam*, idest vt exponit Liranus hic: *Homines terrenos, quia hominum discutit curas*; ad hæc subdit Deus: *Nunquid cōsiderasti seruum meum Iob?* sed ad quid hæc interrogatio? si hominum naturas inclinationes, & corda quantum in se est, perscrutatur Satan, Iobi quoque personam cēsendum est considerasse, ad quid igitur dicere Deum, *Nunquid con-*

Lir.

Quid sibi vult interrogatio à Deo, facta Satanæ de S. Iob.

siderasti seruum meum Iob? possemus dicere, quod diabolus hominis naturam, quoad naturalia perspicere, & considerare potest, non tamen cordis intima perscrutari, quod solius Dei est, quare Orig. in comment. p. lib. in Iob. ait: *Circuit circuitionibus iniquitatis, & speculans transitu subito, quæ tractantur in corde, & intra animam nesciens*: Sed dicamus melius, sic Satan Deus interrogat, vt Sanctum Iob prodat seruum suum, qui in suo corde sanctam æternæ gloriæ descripsit ciuitatem, debitis bonorum operum, & iustitiæ propugnaculis præmunitam, ipsi Satanæ inexpugnabilem, imo eiusdem Satanæ expugnatricem, ideo ait, Gloss. interlinealis: Nunquid considerasti &c. *Quasi diceret, talem constitui, in quo oportet te vinci.* Vel dicamus, quod nominat Deus Iob seruum suum, & multis titulis, & encomijs eum celebrans, vt sicut sancto viro dedit fortitudinem obsistendi Diabolo, sic huic campum suppeteret ad eum tentandum, sicut expetebat, quia nomen serui Dei abhorret, & sanctos iustosq; acrius persequitur; quare Apost. 2. Timoth. 3. ait: *Qui piè viuere uolunt in Christo, persecutionem patientur*; vt etiā D. Gregor. in Num. 6. *Maligni spiritus, tunc aduersus fideles subditos grauiores tentationes commouēt, cum contra se stare instantius pastores uident.*

Prima responsio.

Orig.

Secunda responsio.

Gloss. interlin.

Tertia responsio.

Gregor.

4 Serui Dei, hoc audito præconio à diuino ore, Satan, de Sancto Iob, statim ad huius cordis, & iustitiæ arcem expugnandam, consurgit, & pro posse insidiarum suarum castra mouet; quare si Deus ait de Sancto Iobo; *Quod non sit huic similis in terra, homo simplex rectus, & timens Deum, & recedens à malo*; ecce, quod huius sanctitatis lineas, in corde Iobi descriptas,

Diabolus, vt aliquem iustum audit, in hunc statim, vt hostis insurgit, ad debellandum.

malitiæ

Hug. Card. malitiæ suæ calamo, Satan oblite- rare contendit, vt Hug. Card. hic.: *Audita autem commendatione*, scilicet Satan, *vult ostendere, quod non est commẽdabilis Iob.* Ideo respõdet Satan Iob. p. b.: *Nunquid Iob frustra timet Deum, non ne tu vallasti eum, & domum eius vniuersamque substantiam per circuitum?* Quasi dicere vellet, quod Iob sit arx timoris Domini, & innocentiæ benè munita præsidijs videatur, quid mirum? tibi referat gratias, qui eũ sic vallasti, non ideo per hoc est cõmendabilis, vt Hug. Card. hic exponit: *Non ex propria virtute habet, ait, quod stat, sed ex tua vallatione, & ideo nõ laudabilis, qui protegitur, sed tu qui regis.* Si timet, q. d. Deum, hic timor eò tendit, ne bona, quæ dedisti ab eo surripias, sic exponit D. Gregor. 1. c. 5. *Qui tot bona in terra recipit, pro his se innocenter gerit, sed innocens non esset, si inter aduersa staret.* Si enim in aduersitatum descendet campũ, ablatis terrenæ substantiæ propugnaculis, à timoris Domini fortitudine, & innocentia, & simplicitate deficiens, videbis, quod expugnabitur, vt Hug. Card. hic: *Quem inclusum in tua protectione tenes, expone tribulationi; dum est in prosperitate, videtur bonus, & simplex: sed non est, sed recedente prosperitate maledicet tibi, & ita non est simplex, sed duplex, & varius.* Ideo quasi diceret Diabolus, fiat experimentum, expone hanc arcem Iobi expugnationi; sic Deus hanc exposuit; vt magis Iobi sanctitas, & fortitudo ex huius patientia clarescerent, & veri timoris Domini simplicitatis, & innocentiæ in ipso existentis, pateret veritas; Ideo Chris. ait: *Deus habet egregium Athletam Iobum, tentari voluit, & crudelitatis, quam exercet Dæmon, eum accusatorem constituit.* Ecce quo-

Hug. Card.

Greg.

Hug. Card.

Chris.

modo iusti, & sancti diaboli tentationibus præcipue subduntur, & eos maximè tentationibus, & aduersitatibus vrget diabolus, quos sanctitatis, & honoris gloria à Deo insignitos, & virtutum splendore pollere conspexerit; quare Chris. super Matth. ait: *Neque enim diabolus superueniret tibi ad tentandũ, nisi te in maiori honore affectũ videret.* Satan igitur, libera oppugnandi hanc arcem sanctam, obtenta à Deo facultate, peruersam in sanctos sæuiendi aperit voluntatẽ: & ecce per campos diabolicus prędo, quærens prædã excurrit; quingẽtas asinas Iobi ad pasqua ductas, vagantes diripit; quingenta iuga bouum arantium, etiam custodum nece, deprędatur; ecce incendio septem millia ouium, pastorumque morte, consumit. Ecce trium millium camelorum deperditionem, & tandem filiorum vnicum solatiũ repente ruente domo, morte ademit; quinimò ad expugnationem arcis, mœnia corporis sancti viri incurabili infirmitate diruendo, accedit, vt Iob. p. *Percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis usque ad uerticem eius, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio:* Quare omnes artes, omnem conatum adhibebat Satan, vt vnum Iobum, vtpotè præcipua sanctitate præclarũ, deijceret culpa, impatientem prosterneret. Ideo Didym. ait: *Cum terrena, & aerea subegerim, solus Iob mihi aduersatur, quem deposco.*

5 Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet, si autem fortior eo superuenerit, & uicerit eum uniuersa arma eius auferet &c.* Iste fortis dicere possumus, quod sit diabolus, de quo ait, Iob 41. *Non est potestas super terram, quæ ei possit comparari*, armatus, quia continuò ad debellandas animas suarũ

Chris.

Vt crudelis prædo, quæ mala in Sãctum Iobum agat diabolus.

Didym.

tentationum armis, in seruos Christi bellum gerit; vt D. Ambr. *Quo magis est iustus quisquam, eo magis illi insidiatur inimicus*, Dum igitur eius imperio subditas tenet animas, & in harum ditione principatur, in pace sunt ea, quæ possidet, non has tentationum suarum insultibus præmit, nam ait, D. Chrysol. serm. 96. *Diabolus non peccatores quærit capere quos possidet subiugatos, sed ut iustos capiat, sic laborat.* Verum si fortior eo, qui est Dominus exercituum, superueniens in auxilium peccatoris diabolicum tyrannũ, ab arce animæ expulerit, per pœnitentiam peccatoris, vt Bed. *Fortiori potentia Christus victor: omnes homines liberãdo, ipsum eiecit*; tunc, quid agit aduersarius infernalis? furoris sui bucina clangit, immũdorum spirituum copias colligit: in Luc. 11. *Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, & tunc uadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se*, tunc tentationum arma mouet, artium suarũ insidias adhibet, potentiæ suæ explodit tormẽta, iacula tentationum intorquet, consensu, vt cor feriat, denuò culpa, vt expugnet; quare Gregor. lib. 4. moral. cap. 14. ait. *Cum uniuscuiusq; spiritus ad conditoris sui desiderium recalescit, hostis mox ad certamen mouetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat, ut tentationum iacula intorquendo, confodiat cor, quod dudum quieto iure possidebat*; ait Euangelista Luc. 11., quod tunc, *assumit secum septem alios spiritus nequiores se*, quãdo inuenit domum hoc est animã, in qua pacifica prius culpa diabolus dominatione degebat, scopis videlicet pœnitentiæ mundatam, vt August. epist. 105. ait: *Post remissionem peccatorum, nisi mundatã domum habitet Spiritus Sanctus, non ne cum alijs septem redit spiritus immundus?*

Ambr.
Dum dæmõ in arce peccatoris manet, hunc nõ vexat, at cũ se Deo dedit, tunc in hunc arma mouet suarum artium.
Chrysol.
Bed.
Greg.
August.

6 Olim in singulis templi gradibus, singuli quoque psalmi canebantur, vnde Psalmi Graduales, à quindecim templi gradibus dicebantur; in primo igitur gradu, à quo incipiebat assensus, ille Psalm. 119. canebatur, qui incipit: *Ad Dominum cum tribularer, clamaui &c.* In cuius secundo versiculo dicitur: *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa*; sed cur David, in primo assensu a labijs iniquorum liberari petit, quid enim ad assensum corporalem, labia dolosa, & iniquorum linguæ obesse possunt? ad hoc optimè ad rem nostram respondet D. Basilius citat. in Gloss., quod cum quis ex valle culparum, ad Deum ascendere, per pœnitentiæ gradus cogitat, vt Psal. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*, & ab hoc fallaci declinare seculo, qui nos decipit, & Deo, qui nos recreat ad vitã adhærere, se disponit, statim in eum aduersantium linguæ insurgunt, vt à bono proposito auertant; Verba Basilij: *Cum incipit homo ascendere, idest cogitat proficere, contempto seculo, soli hærens Deo, incipit pati linguas aduersantium; has qui non patitur, nundum proficere conatur.*

7 Piratæ, qui maria infestant, & litora circumcursitant, non indebiles, & veteres naues, vt deprędentur insiliunt, sed illas mercibus, & diuitijs oneratas insequuntur ad prædam; sic Diabolus, vt pirata, sicut ait Chrisost. homil. 3. in illud: *Vidi Dominum, ait: Ille magnus pirata*, non naues animarum, peccatorum vetustate consumptas, in vitiorum habitu marcescentes, vt deprædetur, inuadit: sed illas sanctorum, & iustorum naues insequitur, sibi, vt diripiat, quæ fidei malo con-

Psalmi Graduales, in quindecim templi gradibus instituti.
Incipiens Deo seruire, in se malignantiũ linguas excitat.
Basil.
Chris.
Diabolus Pirata, insequitur naues animarum sanctarum.

constructæ, charitatis velis expansis, bonorum operum, qui innituntur remis, huius mundi mare enauigant, & ad æternæ beatitudinis, portũ cęlestium virtutum, & donorũ thesauris oneratæ, diuinæ gratiæ aspirante sydere, pertumentes tribulationum fluctus, tutò properant. Vt Chris. homil. 31. in Genes. ait: *Quemadmodum piratæ, quando vident nauem, multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem diuitias, tunc potissimum varijs moliuntur insidijs, vt possint mercibus omnibus nauigantes illos spoliare; ita sanè, & diabolus, cum viderit spirituales diuitias coaceruatas, alacritatem feruidam, mentem vigilem, & quotidie diuitias augeri, cruciatur, & dentibus frendet, & quasi pirata circuit, & innumeras excogitat artes, ut si quid, uel parũ inueniat aditum, quidquid nobis est spiritualium diuitiarum, deprædetur.* Hoc totum cernere possumus in vna Magdalena, quæ dum, velut nauis culparum habitu, & vetustate annosa, sine auro charitatis, sine argento pietatis, diuini timoris malo confracto virtutum, & cœlestium donorum carens velis, & bonorum operum mercibus expoliata, solum sensualium vanitatum im̃unditijs, repleta, vt Luc. 7. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*, huius mundi mare enauigabat; nullus, hanc, pirata insequebatur, nullas à mundo patiebatur molestias, nullis dæmonis appetebatur insultibus; vexabatur insidijs; Verum cum vela Spiritus Sancti afflatibus expandens, ad Iudicas pœnitentiæ plagas peruenit, dum ad desideratum Sanctorum Christi pedum litus appulit, in cordis sui puppi Cœli Regem euehens, diuini amoris affluens thesauris, & cœlestium donorum margaritis, tunc ecce quot in ipsam piratę insurgũt; Pharisæus, de hac obmurmurat, vt Luc. 7. *Hic si esset propheta, sciret profectò, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Iudas sanctæ vnctionis huius opus, in Christum, ineptia damnat: Marc. 14. *Vt quid perditio ista vnguenti facta est?* Dæmones insidiantur, ad prædam, vt Matth. 26. *Quidã indignati sunt*, hoc est dæmones, vt ait Chrisostomus, quia, qui diaboli iugum, à seipsis excutere contendunt, necesse est, vt molestias ab eo patiantur, sicut qui illi deseruiũt, cum ipso, pace fruuntur, ideo D. Cypr. lib. 3. epist. 11. *Non impugnat*, inquit, *aduersarius, nisi milites Christi, hæreticos prostratos semel, & suos factos contemnit, & præterit, eos quærit deijcere, quos videt stare.*

Chris.

Magdalena, vt nauis mũdi, & Christi, quomodo relinquitur, & insequitur.

Chrysol.

Cyprian.

8 Refert S. Athanasius in vita S. Antonij Abbatis, quod hic, nocte quadam, audiuit vocem magnam quandam, in auribus suis insonantem, vt de sua exiret cella; sic vix extra limen ostij pedem posuit, vidit Dæmonem, veluti gigantem, adeo deformem, & staturæ elatæ, vt eius caput ad cęlum pertingere videretur, & omnes eius conatus eò tendebant, vt aues, quæ ad Cęlum conuolabant, diuerteret, & totis viribus abigeret; eas vero, quæ ad ima declinabant, & humi iacebãt, non vexabat; qua visione datur intelligi, aues hoc est animas iustorũ, quæ alis mentis, orationum volatu, ad cęlum contendunt, ipsum diabolum, gigantem superbia, ad cœlum pertingentem, eas abigere, ne ad Cœlum perueniant; eas vero aues, videlicet hæreticos, siue peccatores, quæ in terra mente, sicut corpore semper manent, sensualiũ delectationum grana colligentes, non vexat, his suarũ tentationũ, non retia tendit, qui iam culpa, suo subduntur dominio. Ideo Chrysol. ser. 96. ait:

Historia S. Antonij Abbatis.

Athanas.

Diabolus gigas, ad cœlum conuolãtes persequitur, nõ humi degẽtes, peccati.

Chrysol. 96. ait: *Diabolus non peccatores, quærit capere, quos possidet subiugatos, sed vt iustos capiat, sic laborat.*

9 Proprium est diaboli Sanctis, & horum operibus bonis, se inserere, vt inchoata bona corrumpat, & disperdat. Ideo Matth. 13. dicitur: *De illo, qui bonum semen seminauit in agro suo.* Hic est Christus, qui in humani cordis, & mentis nostræ agro, sanctarum inspirationum semina serit, & bonorum operum triticum, quod, per sanctam intentionem germinās, & exequtione pullulāns; ecce diabolus ad bonos fructus eludendos, sanctorum operum, vt disperdat, & destruat totis viribus nititur suis, ideo subdit textus, Matth. 13. *Venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici*: ecce dicitur superseminasse, non seminasse; eius enim artes, & diaboli doli ad bona inchoata destruenda, diriguntur. Sed cur dicitur, quod superseminauerit in medio tritici, & quare non inter spinas? quid est hoc triticum, quod seminatur, & quod supetseminatur, zizania? triticum sunt fideles, zizania hæreses; triticū sunt Sancti, zizania peccatum; triticum pacifici, zizania lites; triticum simplices, zizania doli; triticum sunt innocentes, zizania nequitiæ super seminat igitur zizania horum malorum, vt sementem bonorum operum virtutum, & Iustorum corrūpat, & destruat; quare D. Chrysologus ser. 96. ait: *Superseminauit zizania in medio tritici, quia diabolus hæreses inter fideles, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes, nequitiam gratis serere consueuit; non vt aquirat zizania, sed vt triticum perdat; nec ut reos capiat, sed ut adimat, innocentes.*

Quomodo Christus seminat, & diabolus superseminet.

Quid sit triticum, & quid zizania à Christo, sata, & à diabolo superseminata.

D. Chrysol.

Quoniam errores, grauius ferunt. tex.

§. VII. Iusti, dum culpa delinquunt, grauiores pænas, vel à Deo inflictas, vel à se ipsis duriùs exactas, sustinent.

1 IVsti, & sancti, quales Prælati esse debent, dicuntur lux mūdi, sal terræ, ciuitas supra montem posita, & lucerna super candelabrum, vt Matth. 5. *Lux mundi,* quippe, qui eorum doctrinæ lumine, palpabiles vitiorum tenebras tenentur ab imbecillium mentis Cœlo excutere, & ad æternam diuini indeficientis luminis claritatem, & agnitionem illos perducere; quare D. Hylar. ait: *Mundus extra cognitionem Dei positus, obscurus tenebatur ignorantiæ tenebris; cui per Apostolos scientiæ lumē inuehitur, & cognitiò Dei claret;* quare dicere possumus cum Ps. 35. *Et in lumine tuo videbimus lumen*: dicuntur, *Sal terræ,* quia sicut hoc, corporibus, quibus aspersum fuerit, in corruptionem impartit, sic iusti, Prælati, & Prædicatores. *Meritò,* ait D. Hylarius, *sal terræ nuncupati, quia per virtutem doctrinæ, quasi salientes, æternitati corpora seruant*: Sunt, *Ciuitas supra montem posita,* refugij videlicet, ad quam peccatores Cęli exules confugiunt, vt horum orationibus tueantur: Sunt *Lucernæ* nitoris iustitiæ, & sāctitatis, posita super candelabrum, quæ omnibus bonæ vitæ splendore illucescere debent ad exemplum, pro subditorum imitatione: quare si doctrinæ lux defecerit; si sal hoc vitio euanuerit, si ciuitas huiusmodi defectu corruet, si lucerna culpa extinguetur, quomodo doctrinæ appa-

Prælati, & iusti lux mūdi, sal terræ, ciuitas, & lucerna quomodo dicātur.

Hylar.

Hylar.

Ob defectū Prælatorū, quale damnum in subditis.

apparebit, fulgor? quomodo populorum insipidi condientur mores? quodnam, peccatorum refugium sperandum erit salutis? quare Glossa super Matth. 5. ait: *Postquam ergo illi, qui capita sunt aliorũ, defecerint, nulli vsui apti sunt, nisi ad hoc, vt mittantur foras ab officio docendi.* Quare iusti, qui alijs exemplo prælucere debent, dum delinquunt, in maximum, horum error populorum, subditorum, seu inferiorum vergit detrimentum, nedum ipsorum, graui hac culpa ob scandalum delinquentium, vt D. Chrisost. hom. p. ad pop. loquendo de huiusmodi iustis, & superioribus ait: *Quoniam quando ceciderit, magnam ruinam, & iacturam facit, non tantum, quia ex alto cecidit, quia, & alijs multis scandali materia est in ipsum respicientibus.* Quare à Deo durius pęna afficiuntur, & in hos iam pœna est inflicta, vt Matth. 18. Saluator inquit: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris:* æquum est enim, vt ille Prælatus, qui ita delinquit propter culpæ grauitatem, qui alijs pręerat, sub alijs ponatur, & pessundetur; ideo ait Christus Matth. 5. *Si sal euanuerit in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*; idest, vt explicat Hug. Card. hic, *Simul cum subditis calcetur, vel subtus omnes alios in profundo inferni proijciatur.* Ecce quomodo, *errores sustinent grauiores.*

Glos.

Chris.

Superiores delinquentes, grauiori pœna à Deo plectuntur.

Hug. Card.

Iusti, & oculi Ecclesiæ, & capita, vt Prælati.

2 Iusti, qui præsunt sunt tanquã oculi corporis mistici, Sanctæ Ecclesiæ, vt Iob. 20. *Oculus fui cæco, pes claudo,* Sunt, & capita, à quibus subditorum cætera membra doctrinæ, bonorum morum, & exempli, & sanctarum eruditionum nutrimentum recipiunt, vt Apostolus. 1. Cor. 3. a. *Tanquã paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escã.* Si igitur aliquod membrum minus principale, iacturam aliquam patitur, non in maximum corporis detrimentum vergit; potest enim membrorum principalium adiuutorio, illud conualescere, & ad debitam sanitatis temperiem reuocari; verum si oculus fuerit læsus, vel caput contritum, à quo alia membra reguntur, tunc magnum certè damnum, & detrimentum est corpori talis defectus, vnde tritũ prouerbium est: *Cum caput dolet cætera membra languent.* Sic in Sanctæ Ecclesiæ corpore, si aliquod peculiare non tamen principale membrum, vt puta priuatus homo peccati maculam contraxerit, magnũ damnum quidem, ratione culpæ, Superiorum tamen auxilio correctionis, & pœnitentiæ remedio potest ad salutem, & vitam gratię pristinam reformari, vt ad Galat. 5. *Fratres si præocupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis;* Verum si iustus, & Superior vti oculus, vel Ecclesiæ principale membrum, & caput, vt Prælatus, culpa deliquerit, hoc in maximum populi, & subditorum scandalum, & detrimentum vergit, quare Chrisostomus, vt supra ait: *Sicut in corpore alio quidem membro corrupto, non magnum est damnum, oculis verò læsis, vel capite cõtrito totum corpus inutile redditur; sic, & in sanctis, & magna emeritis dicendum est, quando illi extincti fuerint, cum maculam quampiã admiserint, totum, & reliquum corpus intolerabile detrimentum patitur,* quare maxima his pœna statuitur, vt dicere possimus cum Saluatore Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizet te, erue eum abs te;* sic

Iusti, vt mẽbrum principale Ecclesiæ, subditi mẽbra minima, quare illorum defectos, vt grauissimi damnantur.

Chris.

ſic iuſtus, & Superior, ſcandalo populis, ab Eccleſiæ corpore eruendus erit, & extremo plectẽdus ſupplicio, quare Chriſoſt. homil. 15. in Matth. ait: *Alij enim, & ſi ſæpe delinquunt, poſſunt tamen ad veniam peruenire; ſi verò hoc, magiſter ipſe patiatur, omni ſatisfactione priuabitur, & ſupplicia extrema perſoluet.* Chriſ.

3 Commune omnium Philoſophorum reſonat prouerbium. *Contra negantes principia, non eſt diſputandum*; nam, qui ſaluis primis principijs, errat, poteſt per eadem prima principia ab errore reuocari, verum ſi prima non admittit principia, hic imperſuaſibilis eſt. Sic ſubditus errans, & à diuina deuians lege, poteſt per prima principia, quæ ſunt Superiores, ad vnitatis agnitionem, & ad emendationem per correctionis ſemitam, pœnitentia duce, reuocari; verum deſtructis primis principijs, Superioribus videlicet culpa, quæ ſubditis ſcandali materia eſt, delinquentibus, vnde à correctionis munere deficiunt, nulla ſubditorum peccãtium ſpes remanet ſalutis, imperſuabiles, vt ita dicam, redduntur; quare impoſſibile eſt aliquid remanere; ideo perit, qui peccat, & non corrigitur, ſubditus; perit Superior ob culpam, & ſcandalum, inhabilis etiam dũ redditur ad actiuam correctionem, quare vterque pœna plectitur à Deo; Ideo Chriſ. vt ſupra. *Infatuatis, & conculcatis populis, per vos ad ſapientiam redire poſſibile eſt, ſi verò etiam vos id patiamini, vos ipſi vobiſcum perdetis, & reliquos.* Nam ſicut dicitur, quod percuſſo paſtore diſperguntur oues gregis, quas inde lupus liberè rapit, ſic iuſto, & Prælato, diaboli tentantionis iaculo per cõſenſum culpa vulnerato, oues animarum ſubditorum, Chriſti fidelium ad culpam, & ad mortem diſperduntur, & ab infernali dirripiuntur lupo, vt Cardinalis Hug. in Matth. 26. ait: *Percuſſo Prælato, morte peccati, diſperguntur ſubditi, & lupis infernalibus exponuntur.*

Iuſti, & Superiores, veluti prima principia, quibus culpa deſtructis, in ſubditis nulla remanet ſpes ſalutis ad emendationem.

Chriſ.

Hug. Card.

4 Hinc eſt, quod Num. 25. habetur, quod Deus præceperat Moyſi, quia peccauerat populus, vt huius principes in patibulo ſuſpenderentur: *Tolle cunctos Principes, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulo:* Alia translatio ſic habet: *Tolle Principes, & oſtenta eos Domino, contra ſolem, vt auferatur ira furoris Domini ab Iſrael*; & quare hoc? nunquid Principum morte populorum ſalus quærenda; cum potius è contra, Principum ſalus, ſubditorum perſæpe periculo, & morte redimatur? & quare ſi populus peccauit, pęna, & ſupplicijs Principes animaduertẽdi? ſed dato etiam, quod mortis ſententia Principibus eſſet decernenda, cur in patibuli ignominioſa cruce exequenda, & cur contra ſolem? non ne melius erat, vt in aliquo oculto loco pœna capitis plecterentur, quam ſic turpiter, nobilitatem Principum ignominia opprobroſæ mortis patibulo afficere? Sed hoc præcepit Deus, hos licet Principes, vt capita tamen populorum, tali pœna, nobilitatis inſignijs neglectis, affici, qui peruerſis moribus, ab his proprijs natalibus degenerantes ab eorum munere deficientes, vt par eſt ſubditos delinquentes non coarguerint, non debita animaduerſione, coercuerint, & contra ſolem ad aliorum exemplum: quare D. Auguſt. ait: *Patibulo, quod idem eſt oſtentare Domino contra ſolem, quod crucifigi palam in exemplum.* Vnde Græcus habet *Paradigmatizon*, ideſt ad exemplar; paradigma n. exemplum dicitur. Vult eos in altum ad mortis pœnam eleuari in patibulo,

Superiores delinquentes ad aliorum exemplum, ſeuere à Deo pęna plectuntur.

Auguſt.

Græc.

Pro populo peccãte cõtra solẽ iubentur Prĩn. cipes huius in patibulo suspendi, & quare hoc.

Glos.

lo, qui alios sibi subditos, malè viuendo depresserant ad culpam, palam suspendi iubet, vt sicut eorum malo exemplo subditorũ ruina fuerunt, ipsi superstitum propria morte patibuli, ad bene viuendum ambitiosa diligentia fastigia ambientium, exemplar essent, quare Glossa habet: *Hoc si homines attenderent principatum non ambirent*. Contra solem iubet suspendi, quia qui, vt sol nitidi conscientiæ puritate, & candore iustitiæ affulgere debuerant, cum oppositum scandalo præstiterint, contra solem, vt ab eorum munere declinãtes defecisse, patibulo suspensi, dignoscerentur, quare Hug. Card. hic: *Pro populo*, ait, *coguntur Principes reddere rationem ne fortè non docuerint*, *non monuerint*, *non solicitè arguerint eos, qui primò peccauerũt, ne contagio dispergeretur in populo.*

Hug. Card.

5 1. Reg. cap. vltimo habetur, quod cum Philistei aduersus Israelitas damnato prælio manus inserẽt, ab illorũ facie, faciem isti auertentes, se in fugam coniecerunt; quapropter Philistei hoc animaduertentes, illos acrius insecuti, gladijs percutientes occiderunt, & vltra Israelitas, tres filij Saulis morte ceciderunt in eadem clade, quo facto, ait textus: *Totumque pondus prælij versum est in Saul*; & quare toto Israelitarum exercitu confracto, in vnum Saulem superstitem totum conuersum est prælium? ad quid contra vnum tanta inimicorum multitudo irruit? cur in hunc tota hostiũ acies dirigitur? si Saulis vires in suorum militum cadaueribus prostratę iacebãt, & à paucis poterat deuinci, & superari, ad quid totius exercitus arma in vnũ Saulem intendere ad internitionẽ; *Totumque pondus prælij in Saul versum est?* Hoc morale ad nos spectat paradigma, quod cum populos, & subditos alicuius damni, vel scandali malum inuadit, tota mali radix in caput, & in Superiorem, cui regendorum subditorum cura incumbit, refunditur, ideo totum prælium in Saulem dicitur esse conuersum, vt caput, & Regem pro sui populi depopulatione, & interitu, quare pro subditis suis grauiores pęnas sustinent Prælati. Ideo Hug. Card. super hunc locum. *Totumque prælium &c.* ait: *Quia vbi scandalizantur populi, vel subditi, totum imponitur Prælatis. Quoniam grauiores pœnas sustinent*; Nam à boue maiore, discit arare minor: Regis ad exemplum totus componitur orbis; & vbi deficit exemplar, deficit & exemplatum.

Cur Philistinorum exercitus in Saulem versus sit.

Hug. Card.

Moralis eruditio.

6 Vel secũdo dicere possumus, quod iusti, & sancti errores grauius ferunt, dum à se ipsis, pro culpis suis, durius pœnas exigunt, & hoc in Regio Propheta, liceat intueri, cui licet à Deo alieni, violati thori culpa remissa esset, vt per Prophetam Natan nunciatum patet; nam dum ille corã diuina bonitate criminis reum se constituit, dicens: *Peccaui Domino*, hic indulgentiæ contulit diuinæ misericordiæ, veniæ peccati sui priuilegium, dicẽs: 2. Reg. 12. c. *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum*; nihilominus à seuera corporis sui castigatione, non destitit; à salubri lacrymarum suarum pœnitendo pluuia, non abstinuit, donec diuinæ misericordiæ agros irrigaret, ex quibus vberiores diuinæ gratiæ fructus colligeret, pro ampliori suorum venia peccatorum. Agnouerat enim bonum summum, quod peccando amiserat, ideo pœnitentia in peccatum acrius inuehebat, quare die, ac nocte copiosis lacrymis suis rigans stratum, non simpliciter sibi deleri sustinebat peccatũ, quin ad noua pęnitentiæ lamenta, & opera semper

Dauid in culpam suã, licet remissam, acriter, pęnitentia insurgebat.

Sancti in se grauius culpas cõmissas pœnitẽtia puniunt.

semper rediret, ideo dicebat Ps. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*, non obliuioni tradere volebat, sed ante suæ mentis oculos, sibi in conscientiæ suæ tabula depictum statuerat, vt huius imaginis deformitatem adspiciēs acrius detestaretur, vt hanc videns ipse Deus misericors deleret, vt bene, & eleganter D. Gregor. hom. 2. in Psalm. 50. de Dauide ait: *Non est oblitus peccati sui, quamuis concessum sibi fuerit, ille enim in consciētia sua, tanquam in imagine adulterium, & homicidium depictum habebat, & per singulos dies videbat putredinem, & ideo dicebat peccatum meum contra me est semper. Ego illud video, tu ne consideres, ego illud scribo, tu quasi Dominus dele: vide, quid sit, si tu memor sis, Deus non erit memor: fecisti malum, memor esto, vt Dominus Deus tuus illud obliuiscatur.*

Gregor.

7 Peccata nostra in sacculo cordis nostri deferre debemus nobiscum, vt hęc, contriti continuò aspiciendo, dolendo deleamus, ideo Iob. 14. d. dicitur: *Signasti quasi in sacculo delicta mea*; in huiusmodi sacculo obsignata sua tenebat Dauid peccata, secum ea deferens, & cogitatione sæpe reuoluens. Duos sacculos adinuenio, vnū vbi terrena infunditur substantia, & hoc, materiale, alium spiritualem, qui est pœnitentiæ, primus seruis Dei prohibetur, vt Luc. 10. a. *Nolite*, inquit, Christus Discipulis suis, *portare sacculum, neque peram*; spiritualis vero iste portandus est; ille aggrauat corpus, iste exonerat animam, & sic portando, & ea aspiciēdo, delicta, delemus, quare Rabanus Maurus in Sacræ Scripturæ allegorijs, ait: *Sacculus est cor pœnitentis, vt in Iob signasti quasi in sacculo delicta mea, idest inspirasti mihi, vt pœnitendo circumferrem in mentem meam peccata mea*; qui enim ita obsignata delicta defert, in sacculo, ante Dei oculos resignat, & obliterat. Ideo Gregor. lib. 12. mor. cap. 12. ait. *Vel certè peccata nostra signantur in sacculo, cum mala, quæ fecimus, solicito semper corde pensamus. Quidnamque est cor hominis, nisi sacculus Dei, vbi dum studiosè conspicimus, per quanta deliquimus peccata nostra, quasi in Dei sacculo signata portamus. An non peccatum suum Dauid signatum tenebat in sacculo, qui dicebat, iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper?*

Peccata nostra, velut in sacculo signata, deferre debemus, vt hæc pænitentia aspiciamus.

Raban. Maur.

Greg.

8 Sed notemus quęso huius Prophetæ pænitentis verba, ait Ps. 50. *Et peccatū meū, cōtra me est semper*; cur non ponit, vel aspicit peccatum suum ex latere, vel ex vna parte, sed ait, ex aduerso, & contra eum esse peccatū? Quod est ex latere, vel ex aliqua parte, nō semper à nobis aspicitur, quia non semper oculos, ad partem dirigimus; quod autē, contra nos est, semper aspicimus; ideò, ait Dauid: *Peccatū meum contra me est semper*: nō .n. ex latere pono, vel aspicio peccatum, quasi quod alijs quādoq; rebus, intentus, illius obliuiscar, sed ante conspectum, ex opposito meis mentis oculis, vt ad hoc mente, & pænitentia recurram; eleganter Agellius, hic Ps. 50. *Et peccatum cōtra me est semper: Non inquit obiter, & quasi per transitū, & de latere, velut limis oculis peccatū meū aspicio, sed illud contra me est semper, mihi ex aduerso oppositū, & è regione ante oculos meos obuersatur; nam pleriq; peccata sua cōsiderant, sed negligenter, & tanquā de latere, aliud agentes respiciunt; animum .n. alijs rebus intentū habent, & curis secularibus vacant, neq; totum, ac rectū animi obtutum eò dirigūt, vt culpæ suæ magnitudinē planè perspicere, & cognoscere possint.*

Dauid peccatū suum, non ex latere, sed ex aduerso, aspiciebat, & quomodo.

Agell.

APHOR-

APHORISMORVM HIPPOCRATIS

LIBER PRIMVS.

Aphorismus sextus.

Extremis morbis, extrema exquisita remedia, optima sunt. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

OStendit Hippocrates in superioribus Aphorismis, quæ dieta competat ægris, in morbis acutis; & quando nimis exquisitus victus periculosus euadit, & quibus &c. & quia morbi acuti gradus habent, sunt enim quidam acuti, quidam peracuti, & acutissimi alij. Colligitur in Aphorismis superioribus differuerit de dieta in ordine ad morbos acutos, & peracutos, in præsenti Aphorismo, intẽdit de victu tenuissimo tractare, qui morbis extremis cõuenit, qui sunt perperacuti, qui in primo terminare dicuntur quaternione; ait igitur: *Extremis morbis, extrema exquisita remedia optima sunt.*

Agit hic Hippocrates de morbis acutissimis, in ordine ad vasorum inanitionem; dicuntur extremi, ait Galenus, vltra quos alij non sunt maiores; & quod sint extremi possunt multipliciter intelligi, secundum commune medicorum placitum, præcipuè verò peritissimorum Nicolai Leoniceni, Ioannis Marinelli, Commentatorum; tum quia totus morbus talis est, vel pars eius aliqua; vel causa summa, vel symptomata; & talia omnia summa dicuntur, si corporis Principem occupent partem, videlicet pectus, cerebrum, pulmonem, cor, hepar, ventriculum, renes; vel si non sit pars principalis corporis, est pars occulta, vel talis, quæ vix curari potest: dicitur summus morbus, ob causam, quæ magna est, & multa, & praua; & tandem dicitur morbus summus, ratione symptomatũ, si hæc sint summa, vel praua, vel multa, vt cardialagia, delyrium, virtutis vitalis prostratio, animi deliquium, & huiusmodi: Tandem dicitur morbus summus, qui non potest, vel vix à medicamento superari. Morbus igitur iste summus, siue extremus, extrema quoq; remedia exigit. In Græco non legitur, extrema remedia, sed extremæ curationes, Græca enim dictio est *therapia*, quæ significat curationes; remedia verò, sunt instrumenta curationis, vt Sanctorius &c. Ideo benè ait Galenus, quod extrema exquisitè remedia, sint exquisitissima curatio. Et quia contraria con-

Galen. Medicinæ corporalis.

Nic. Leon. Io. Marinel.

Quibus modis, morbi, extremi dicãtur.

Sanctor. Galen.

Extrema exquisita remedia, qualia sint.

trarijs curantur, per extrema exquisitè remedia, intelliguntur illa contraria æqualia in gradu, non in numero: sicuti affectui calido in tertio; remedium æquale in gradu debet esse frigidum in tertio, si exquisitè opposita esse debent. Remedia magna, ait Sanctorius hic, sunt hæc tria purgatio electiua, phlebotomia, & ieiunium; de quo præcipuè intelligit Hippocrates in præsenti aphorismo: dantur etiam alia remedia extrema, quæ non excluduntur ab aphorismo, sicut est adustio, & sectio, quæ fit inter tertiam, & quartam costam, pro extrahẽdo pure in empyemate, quod magnũ remedium proponitur ab Hippocrate lib. 3. de internis affectibus, remedium tamen maximum in morbis maximis, & extremis, est ignis, quare Hippocrates lib. 2. aph. 21. Quæ, medicamenta non sanant, ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ignis sanat, quæ ignis non sanat; sunt immedicabilia. Et hæc pro corporali medicina.

Sanctor.

Hippocr.

Ordo medicinę spiritualis.

Egimus, & nos moraliter in præcedẽtibus, de morbis acutis, & peracutis spiritualibus, & de victu animæ; nunc de extremis eiusdem animæ morbis, quæ sunt peccata, sermonem instituemus, in præsenti aphorismo, & de eorumdem etiam proportionaliter remedijs, quę extrema esse debent, vt infra, ideò dicimus, *Extremis morbis &c.*

Medicina Spiritualis.

Quod de morbis corporis diximus, hoc itidem de morbis spiritualibus animæ, & de eorumdem remedijs appositè philosophandũ; sicut enim morborum diuersæ sunt species, & gradus, scilicet alij sunt acuti, alij peracuti, alij acutissimi, sic diuersæ peccatorum species assignantur, quæ diuersa quoque exigunt spiritualia remedia, quæ à Summo Protophysico diuino ad nostri salutem ordinata, & præ-

Sicut diuersi morbi spirituales, sic diuersa remedia.

scripta sunt, vt clarè Orig. in Ps. 37. hom. p. ait: *Sciebat Creator humanorum corporum Deus, quod talis esset fragilitas humani corporis, quæ languores diuersos posset, recipere, & vulneribus, alijsque debilitatibus esset obnoxia; & ideò medicamenta procreauit ex terra, & medicinæ tradidit disciplinam, vt si accideret, ægritudo corporis, non deesset medela. Ad animam sine dubio reuocatur, quoniam, & ipsam cum Creator omnium condidisset, sciebat, quòd futura esset vitiorum capax, & ob hoc subdita, & onerata peccatis, & ideò sicut corpori, ita & animæ medicamenta præparauit.* Sicut igitur in corporis morbis, vnus alio maior est, sic in animæ languoribus, alius alio ob maiorem peccati grauitatem, maior efficitur, vt benè D. Thomas 1. 2. quæst. 73. a. 3. qui ait: *Grauitas peccatorum differt eo modo, quo vnà ægritudo, est alia grauior.* A graui, & grauiori tandem ad grauissimum deuenitur morbum spiritualem, qui moraliter acutissimus dici potest, vt infra. Primò enim extremum hunc morbum moralem esse peccatum, patet, non solum, vt ait D. Chrisostomus serm. p. de Ieiunio: *In morbo est, qui peccat*, quia vt peccatum, consideratur in communi, quo se peccator, culpa à Deo, qui est vera vita nostra, & salus, elõgat, sed præcipuè quia mortem affert animæ, vt Greg. super Ps. 7. qui ait, *Peccatum igitur mors est, quæ animam separat à Deo, sensuum internorum intercludit officia, diuinam deturpat imaginem, lucis adimit claritatem; denique, qui sic moritur in conscientiæ sepulchro tumulatur.*

Orig.

D. Thom.

Peccatum, quomodo morbus extremus, dicatur.

Chrisl.

Greg.

Quod culpæ mortalis spiritualis morbus animæ, dicatur extremus, ex multis capitibus desumi potest; primò ex parte ipsius morbi in se, qui est peccatum mortale, dicitur

Peccatum extremus morbus, primo ex parte ipsius peccati. D. Thom.

extremus, quia est malum infinitũ in genere mali, vt D. Thom. 3. qu. p. a. 2. ad secundum; qui ait: *Peccatum contra Deum commissum, quandam infinitatem habet, ex infinitate diuinæ maiestatis; tanto enim offensa est grauior, quanto maior est ille, in quem delinquitur*; & Aristotiles etiam in Reth. ait: *Illud est maius malum, cuius contrarium est maius bonum*; cum igitur diuina maiestas, sit bonum infinitum, ergo peccatum, quod eidem maiestati opponitur, erit malum infinitum, sic morbus extremus. Secũdo potest dici peccatum morbus extremus, ratione causæ, quæ est peccatoris voluntas, quæ est causa propria, & per se ipsius peccati, vt ex Angelico Doct. 1. 2. quest. 71. a. 6. *Quæ voluntas comparatur ad actũ peccati, sicut arbor ad fructum, vt dicitur in Glos. super Matth. 7. Non potest arbor bona, malos fructus facere; & quanto voluntas fuerit maior ad peccandum, tanto homo grauius peccat*, sic D. Thom. Cum igitur peruersa peccatoris voluntas, diuinæ misericordiæ, & omnipotentiæ sola obsistat, vt S. Ephrem Sirus, qui ait: *Sola hominis voluntas, diuinum imperium reddit ambiguum*; sic ex parte causæ humanæ videlicet peruersæ voluntatis, ecce peccati morbus extremus. Tertio ratione effectus, morbus extremus dici potest peccatum, quod animam diuina gratia priuat, ex filiatione Dei, ad diaboli filiationem miserrimè transfert, cęlestis fit exul patriæ, superna hæreditate priuatus, æternis gehennæ ignibus addictus. Et denique extremus, quo maior esse, dici, nec cogitari potest, mortẽ n. animæ affert, vt Exech. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*. Quarto dici potest morbus extremus, quia principem partem in corpore humano occupat, cor v. g.

Arist.

Secũdo, ratione causæ eiusdẽ peccati.

D. Tho.

Glos.

D. Thom.

Ephr. Sir.

Tertio ratione effectus.

Quarto, quia peccatum principem partem in homine occupat.

cerebrum, hepar, renes, ventriculum &c. sic peccatum mortale, ex hac parte dici potest morbus extremus; quia occupet cor, quod Deũ excludit, vt Psalm. 13. a. dicitur: *Dixit incipiens in corde suo, non est Deus*, à quo inquam peruerso corde tanquam riuuli cętera emanant peccata, vt Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia* &c., quare meritò morbus extremus nuncupari potest, vt D. Thom. 1. 2. qu. 73. a. 3. qui ait: *Ægritudo, quæ prouenit in corpore humano ex corde, quod est principiũ vitæ, periculosior est*; & adeo malum periculosum, siue extremum, quo maius dari nõ potest, cum à se, cor, diuinam, culpa, excludat vitã, vt Is. 29. c: *Cor autem eius longe est à me*. Cerebrum occupat, hoc est intellectum, qui in cerebro tanquã in proprio centro, sibi sedem collocat, vt ait Caietanus, occupat igitur peccatum intellectum, vt essentialem differentiam hominis, qua à brutis secernitur, dum à dominio sensuum regitur, quo ad pecudum conditionem deuoluitur, vt Psalm. 48. c. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Occupat hepar, qui voluptatis sedes assignatur, secundum Isiodorum, significat carnis delectationem, qui enim ab huiusmodi deprehenditur laqueo, ab hoc difficile eripi potest; Vt Gregor. in mor. qui ait: *Ex quo luxuria semel mentem alicuius occupauerit, vix eum bona cogitare permittit*. Quinto consideratur morbus grauissimus, ratione symptomatum, hoc est ratione maioris intensionis in malitia, & in grauitate peccati, quæ ex multis attenditur, vt ex D. Thom. 2. 2. qu. 148. a. 3. Sexto morbus extremus dicitur, quo maior inueniri non potest, & iste spiritualis morbus

D. Thom.

Caietanus.

Isid.

Greg.

Quinto ratione symptomaticũ spiritualiũ.

D. Thom.

Sexto extremus dicitur, quo maior inueniri nõ potest morbus.

est peccatum particulare, quod est immediatè contra diuinitatem, vt peccatum infidelitatis, & blasphemiæ, vt ex D. Thom. 2.2.q.10.a.3. Vel denique extremus morbus, qui non potest, vel saltem vix potest à medicamento euinci, & superari; & iste spiritualis morbus, peccata sunt in Spiritum Sanctum, de quibus dicitur, Matth. 12. *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctũ, non remittetur, ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Vbi etiam D. August. in lib. de serm. Dom. in monte lib. p. cap. 44. tom. 4., ait: *Quod tanta est labes huius peccati, quod humilitatem deprecandi subire non potest.* Quia igitur *extremis morbis, extrema exquisita remedia optima sunt*; Cum & Deus omnipotens sit, ideo nullum malum inueniri potest, licet maximum, cui diuinæ misericordiæ, vel iustitiæ, remedio occurri non possit, ideo Psalm. 100. a. dicebat Dauid: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*: vbi D. Hieron. ait: *Misericordiã audiãt peccatores, qui desperãt de sua salute: Iudiciũ audiãt cõtẽptores, qui dicũt, misericors est Dominus, peccemus indulgebit nobis.* Extremo igitur peccati mortalis morbo, & quibuscũq; alijs peccatoris, contritione sanabilibus, iuxta illud Psalm. 146. *Qui sanat contritos corde*, diuinæ misericordiæ, & passionis Christi remedium apponitur; quare August. ser. 11. ait: *De nullo desperandum est, quandiu patientia Domini ad pœnitentiam adducit.* Et in Psal. 102. tom. 8. idem August. ait: *Omnipotenti medico, nullus insanabilis languor occurrit*; sicut nec vllum malum, si peccatoris peruicacia, irremissibile redditur, quin gehennalium pœnarum extremo remedio, non animaduertatur, vt Psalm. 30. g. *Retribuet abundanter facientibus superbiam.* Et vt Deut. 25. a. *Pro mensura peccati, erit, & plagarum modus.* Ex quibus omnibus, aliquos breuiter, tantum ad discursum Paragrophos depromemus.

D. Thom.

Vltimo. Extremus morbus, spiritualis, qui à medicamẽtis non potest superari, vt peccata in Spiritũ Sanctum.

August.

Hieron.

Nullum malum, cui vel misericordiæ, vel iustitię diuinę, remedio nõ occurratur.

August.

August.

Extremis morbis, & tex.

§. I. Qualiter peccatum, dici possit, extremus animæ morbus.

Extrema exquisita remedia, optima sunt. tex.

§. II. Diuinæ misericordiæ, & passionis Christi remediũ, peccati extremus morbus expostulat.

Extremis morbis, extrema exquisita remedia optima sunt. tex.

§. III. Extremo, diuina misericordia incurabili, peccati morbo, inferni pœna quoque extrema, pro remedio apponitur.

Extremis morbis, & tex.

§. I. Qualiter peccatum, dici possit, extremus animæ morbus.

1 PEccatum mortale, animæ morbum esse expendimus, sicut etiam D. Chris., qui serm. p. de Ieiun. ait; *In morbo est, qui peccat:* nunc verò, qualiter sit extremus, exponendum: primo igitur ratione ipsius morbi spiritualis, idest læthalis

Chris.

Peccatum malum infinitum, quia Deum offendit.

læthalis culpæ, & deformitatis, dicimus esse extremum, nam cum peccatum mortale sit offensiuum diuinæ maiestatis, si in humanis crimen lesæ maiestatis est maximũ, multò magis in lege diuina, diuinæ maiestatis offensa, erit summa, quia grauitatē, & malitiam habet in se infinitam, ideo Philo hebr. lib. de profug. ait: *Impietas est malum infinitum, quod semel accensum nũquam extingui potest*. Peccatum enim mortale, quantum est ex affectu peccantis, est destructiuum diuinæ maiestatis, vt Psalm. 13. a: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, Deum perimit, hunc è suo deijcere regno, & loco eius, alium Deum subrogare contendit, vt Ber. ser. 3. de resurrect. Dom. peccatoris peruersæ voluntatis, malitiam expendens, ait: *Vtinam, vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum (horribile dictu) desæuisset Auctorem, hunc autem, & ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria: Omnino enim vellet Deum peccata sua, aut vendicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut insipientem; crudelis planè, & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, & iustitiam perire desiderat.*

Philo hebr.

D. Ber.

Peccatum extremum malum ratione voluntatis peruersæ.

2 Secundo posset dici peccatũ morbus extremus ratione voluntatis peruersæ, quæ est per se, & propria causa peccati, vt ex D. Thom. 1.2. qu. 73. a. 6. Qua voluntate miserrimus redditur peccator, quare D. August. de verb. Apost. Petri, & Pauli ait: *Sola voluntate miser quisque efficitur, sed miserior, cum desiderium malæ voluntatis impletur*, sed de hoc alibi.

D. August.

3 Tertiò præcipuè, ratione effectus, morbus extremus dici potest, peccatũ, boni scilicet, quo homo priuatur, & mali, in quod ex se incurrit. Ratione boni, quo priuatur, hoc cõsidera ex priuilegio, & fastigio honoris, ad quod in innocentiæ statu fuerat à Deo euectus, à quo miserrimè, culpa inde decidit. Homo enim, quo ad formam erat Dei imago. vt Gen. p.: *Faciemus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: quo ad locum, Terrestris deliciarum Paradisus ei fuerat deputatus, vt ad cœlestem, se inde mente, spiritu, & contemplatione, dirigeret: quo ad honorem, in terris super omnia terrestria animalia, dominium receperat; In aquis super omnes pisces, in æthere super volatilia, vt in huius priuilegio clarè legitur, Gen. p. *Dominamini piscibus maris, volatilibus cæli, & bestijs terræ*, quinimò angelicæ ferè naturæ coæquauit, vt Ps. 8. a. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*; quid dicam? imò, & ipsis Angelis eundem prætulit hominẽ, cum ipsos Angelos, veluti seruos, hominis mancipauerit obsequio, & custodiæ deputauerit. Vt Ps. 90. c. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*. Quid plura? ad Dei imaginem, & similitudinem conditus, ad diuinæ naturæ participationem est eleuatus, quare S. Leo Pap. serm. de Nat. Domini, ait: *Agnosce ò christiane dignitatem tuam, & diuinæ factus consors naturæ, noli in veterem vilitatem, degeneri conuersatione redire*. Quare ad Dei filiationem nos euocati, vt Psalm. 81. d: *Ego dixi vos dij estis, & filij excelsi omnes*, cœlestis gloriæ heredes quoque instituit, vt Apostolus ad Rom. 8. c. *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Insuper animam nostram sibi sponsam delegit, vt Os. 2: *Desponsabo te mihi in fide*; & sicut matrimonium contrahentes vnũ inter

Mala, quæ ex culpa prodeunt, ex opposito bonorum demonstrãtur.

Summa hominis dignitas, quo ad sublunaria, quo ad Angelos, & etiã in ordine ad ipsum Deũ, explicatur.

Leo Pap.

se corpore efficiuntur, secundum illud Marc. 10. a. *Erunt duo in carne vna*, ecce quod Eucharistico nos pasti cibo, vnum corpus cum Christo sponso efficimur, vt clarè D. Chrisostomus hom. 60. ad pop. Antioch. *Hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus, & vna caro*; quare meritò admiratione suspensus, Dauid dicebat Psalm. 8. a.: *Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? minuisti eum paulominus ab angelis gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*: Verum peccando imaginem Dei deturpauit, à terrestri paradiso expulsus, cæli exul factus, æternæ gloriæ hæreditate priuatus, nedum terrestri dominio omniū sublunarium, in miseram iumentorū conditionem insipiētium deflexit, vt dicere possent animalia, vt Gen. 3.: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis*; quare Dauid peccatoris enarrans infœlicitatem, Psalm. 48. ait: *Homo cum in honore esset non intellexit comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* & Hug. Card. in Gen. p. ait: *Factus est homo ad imaginem Dei, vt imitetur eum, in innocentia, & assimiletur ei in iustitia; perdidit innocentiam, declinauit à iustitia, ergo Dei amisit imaginem.* Et quod in miseram pecudum naturam declinauerit, audi D. Th. 2. 2. quæst. 64. a. 2. ad tertium: *Homo peccando ab ordine rationis recedit, & ideo decidit à dignitate humana, prout scilicet homo est naturaliter liber, & propter se ipsum existens, & incidit quodāmodo in seruitutē bestiarum*; & benè etiam D. Bern. serm. 35. in cant. ait: *Per peccatum mutauit istam gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum.*

Chris. — Per peccatū à sua dignitate, & gloria decidit homo. — Hug. Card. — D. Thom. — Ber.

4 Nec mirūm videatur, quod intulerit Dauid, hominem culpa in naturam iumētorum deflexisse; peccator n. ferè, hominis, amittit essentiam. Ex Aristotile 6. Topic. habemus, quod, *A quocunque remouetur definitio, remouetur, & definitum*; cum igitur homo secundū suam essentiam, sit rationalis, vtens ratione, cum per peccatum mortale, non ratione vtatur, quia in eo præualet tantum sensus, qui dominatur, non ratio, ergo quodāmodo perdit rationem, quia in peccatore ratio est, ac si non esset; cum esse sit per operationem, quare Commenent. 7. metaph. ait: *Qui tollit à rebus, proprias operationes, tollit proprias essentias*, nam vt idem, ibidē, ait: *Vnumquodque entium, vtitur operatione sibi propria*; cum igitur peccator, hominis, vt hominis est, propria operatione minimè vtatur, quæ à ratione est dirigenda, meritò hominis essentiam sibi vendicare non poterit; nam sicut à septenario ablata vnitate, non est amplius septenarium, sed senarium, & mutat speciem; sic ablata per peccatū ratione, veluti hominis differentia specifica, hanc hominis, in iumenti aliam commutabit speciem, sic nō amplius censendus erit homo, sed bellua, in qua sensus tantum, non ratio dominatur; quare Aristot. 7. Ethy. ait: *Homo prauus, est deterior bestia.* Et Seneca ait: *Non ne tibi videtur bestialior bestia, rationem habens, & ratione non vtens*: & etiam ad rem nostram pulchrè Boetius lib. 4. de consol. pros. 3. *Euenit*, ait, *vt quem transformatum vitijs videas, hominem æstimare non possis, sed belluam*; quare superbus dicitur Leo; auarus, vulpes rapax; luxuriosus, sus, carnis inuoluta cœno; iracundus canis, qui facilè latrat, & insultat; Gulosus Lupus vorax; Inuidus Hydra. Quare animalia dicere poterant, Gen. 3. *Ecce Adam*,

Arist. — Peccator, per culpam, hominis amittit essētiam probatur. — Comment. — Arist. — Senec. — Boet.

Adam, quasi vnus ex nobis. Et quod sit extremum malum peccatum, in hoc crediderim, quasi omnipotens in genere mali, vt substantiam hominis anihilare videatur, probari potest, quod non sit homo, peccator; quia homo est animal rationale, abstrahamus modo à rationali, quod est differētia cōstitutiua, & distinctiua hominis, dicam nec eum esse in genere animalis per peccatū: animal enim est substantia animata, sensibilis, peccator non est substantia, quia culpa annihilatur, vt August. in Io. 6. *Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, dum peccant*; sic non potest esse substantia, ideo Psalm. 14. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*, & per consequens non est animata, quia ait Philosophus: *Non entis, nullæ sunt qualitates*, si ergo non est substantia, per consequēs nec erit animata, tum etiā quia vera vita, quæ Deus est animæ nostræ priuatur: Nec est substantia sensibilis, vt de peccatore. Prou. 23. dicitur: *Verberauerunt me, & non dolui, traxerunt me, & non sensi*: vbi Hug. Cardin. ait: *Omnis peccator, quasi ebrius vino voluptatum, palatum cordis omnino, emortuum habet; nec vulnera spiritualia, nec delectationem cordis sentit*; ergo, si nec sensibilis, nec animata, nec substantia, est meritò, vt nihil reputandus erit peccator, culpa.

August.

Hug. Card.

5 Vel extremum dicere possumus morbum esse, peccatum, quod mortem infert animæ, & hoc inferri potest, ex illo Gen. 2. *De ligno scientiæ boni, & mali, ne comedas; in quocūq; enim die ex eo comederis morte morieris*: Ex diuini enim transgressione præcepti, quo in culpam primi corruere parentes, mortem ijsdem Deus est comminatus; quare à vetito hoc cibo, cum se minime abstinuissent, in pęnam culpæ Adam, & Euam, e paradiso eiecit. Et vbi hos inde collocauit? secundum Magistrum historiar. in Gen. c. 24. ait: *In Angulum, vel agrum Damascenum, iuxta quem Adā, & Eua sepulti sunt, in spelunca duplici, & ibi fuerunt facti*; ad eundem locum, vbi fuerunt conditi, & ad eādem terram, ex qua formati fuerunt, reuerti hos iussit Deus: terra enim symbolum est mortis, sic ad terram, vnde originem traxerunt, reuocati per culpam fuere, vt Gen. 3. d. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrā, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*; quare D. Thom. hic ait: *Propter suum demeritum, redactus est ad suum naturale, & originale hospitium, es ministerium, sicut Domini seruos, qui eos offenderunt, deponunt ab honore, & ad priorem statum, & domos suas viles remittunt, & ad officia pristina, vel eis debita*.

Mortē peccatum affert animæ, in Adamo exprimitur.

Magist. hist.

Vbi primi nostri parētes à paradiso expulsi positi fuerint.

D. Thom.

6 Quod si ad funebres animæ peccatricis exequias, mentem referre non dedignamur, theologicè corpus delicti inquiramus. Iam sententiam mortis, in peccatorem prænunciatam audimus, per Ezechielem c. 18., qui ait: *Anima, quæ peccauerit ipsa morietur*, & meritò peccatori mors statuenda est, cum à Deo, qui est vera vita, & vltimo fine recedat, & diuertat, sic enim irreparabilē habet lapsum, Est enim aperta doctrina Angelici Doctoris, 12. qu. 72. a. 5., qui ait: quod quotiescunq; inordinatio complexionis in animali, procedit vsque ad destructionē principij vitalis, mors sequitur, si vero saluo principio vitali, fiat inordinatio in humoribus, tunc est tantum ægritudo; sic quia principium actus totius ordinis in moralibus est vltimus finis, qui ita se habet in operatiuis, sicut principium indemōstrabile in speculatiuis, vt di-

D. Thom.

vt dicitur 7. Eth. c. 8. Sic cum anima deordinet per culpam mortalem ab vltimo fine, siue etiam principio, quod est Deus, vt Apoc. 22. b. *Ego sum alpha, & omega* (est enim peccatum auersio à Deo, & conuersio ad creaturas) negat enim tale principium, vt Ps. 13. a: *Dixit incipiens in corde suo, non est Deus*; tunc ergo mors sequetur animæ; quod si fiet deordinatio, citra auersionem à Deo; tunc tantum venialis culpæ erit, ægritudo spiritualis animæ. Et sicut in speculabilibus errans circa principia, est impersuasibilis, si verò saluis primis principijs errat, potest per eadem prima principia ab errore, ad veritatis agnitionem reuocari, similiter, qui peccando auertit ab vltimo fine, quantum est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem; ecce mors animæ.

Quomodo peccatum, lapsum habeat irreparabilem, ex destructione primi principij

Arist.

7 Peripateticorum princeps, lib. 2. de Cœlo, cap. 7. docet, ex accessu, & recessu Solis in hoc nostro Hemisphærio, generationes, & corruptiones causari; proportionaliter etiam ad rem nostrã mihi videtur moraliter posse inferre, quod misticus Sol noster Deus, qui vt Io. p. *Illuminat omnẽ hominem uenientẽ in hunc mundum*, dum in ortu misericordiæ suæ, ad nos accedit, vt Malach. 4. a. *Vobis timentibus nomen meum* (dicitur) *orietur sol iustitiæ*; dum in animæ nostræ hemisphærium, diuinæ eius gratiæ radios benignus diffundit, vt Matth. 5. *Qui solem suum oriri facie super bonos, & malos*, & ad quem accedere nos hortatur Psalmista, dicens, Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini*; in nobis spiritualis vitæ in Deo, generationem parit; sicut eius recessus à nobis per culpam, spiritualis salutis causat corruptionem, quæ in animæ nostræ inde miserabile vergit interitum, ideo Ose. 9. dicitur: *Væ eis, dum recessero ab eis*. Quare D. Thom. super Iob 14. super illa verba: *Recede ergo paululum ab eo*, ait: *Considerandum est, quod sicut Sol est causa diei, ita & Deus est auctor vitæ; recedente autem sole, dies finitur, & nox venit*; sic abscedẽte sole iustitiæ ab anima, illius diuinæ gratiæ lumine collustrata, obscurata inde culpa, in viuo eadẽ anima demortua corporis latitat sepulchro, quare Saluator noster Io. 8. dum Pharisæis dixit: *Ego vado*, inde subdit, *& in peccato vestro moriemini*.

Recedente Deo ab anima, vt sole iustitiæ, generatur eiusdem animæ interitus.

D.Thom.

8 Quod si intimius huius veritatis claritatem, inspicere exoptamus, ad Saluatoris nostri natiuitatem, & mortem, qui sol iustitiæ dicitur, accurramus. Exoriente n. hoc sanctissimo sole, in huius mundi, & etiã animæ nostræ per gratiã Hemispherio, in eiusdem Natiuitatis sacris solemnijs, ecce animæ nostræ tellus, diuinæ gratiæ fulgore irradiata, culparum discutit tenebras, bonorum operum germina pullulat, ad vberrimos pro æterna gloria meritorum fructus proferendos disposita; quare tot bonorum, & donorum cumulum, & spiritualis generationis lætitiam edicere gestiẽs S. Leo Pap. in serm. Nat. Dom. ad tãtæ Natiu. solis iustitiæ lætitiã nos euocãs, ait: *Saluator noster dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus; neq; fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vita; Vna cunctis communis est ratio: exultet sanctus, quia appropinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia inuitatur ad ueniam: animetur Gentilis, quia uocatur ad uitam*; ecce spirituales tot bonorum, & gratiarum generationes, quas nobis hic sanctissimus iustitiæ sol oriens peperit; verum hoc, à paruo hoc mundo, qui homo est, qui microcosmos dicitur, ob huius culpã abscendente sole, per diuinæ gratiæ

Ex natiuitate, & morte Saluatoris, vita, & mors peccatoris excerpitur.

S.Leo Pap.

gratiæ, luminis subtractionem, in peccatoris cruce, dum ille occidit, culparum, Christus enecatus gladijs; perfidiæ clauis perforatus; infidelitatis lancea transuerberatus; crudeli, & duro obstinationis ligno affixus, vt ad Hebr. 6. *Rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei*; tunc mortis, corruptiones causantur, ideò D. Anselm. ad Hebr. 6. ait: *In se enim crucifigunt filium Dei, & contumeliæ habent, dum gratiam eius vilipendentes, in peccato iacent, & tales nequeunt ad pœnitentiam redire, sed in sua prauitate perdurãtes ad æternam mortem festinant*; ecce quales corruptiones generantur virtutum, vitiorum tenebræ erumpunt, quibus animæ peccatoris tota contegitur terra, vt dicere possit peccator cum Ps. 54. *Et contexerunt me tenebræ*: Ecce rationis Sol, deliquium patitur, peccatoris, dum iustitiæ Sol delinquit in crucis occasu; & tandem omnium malorum, timoris, terremotus, peccatorum corda cõcutiens, ad mortem erumpit, & omnium bonorum salus deperit, & gratiarum lumen abscedit.

D. Anselm.

9 Quod peccatum animam ad mortem pertrahat, & ex eodem mors generetur, hoc clarè exponit D. Iacobus p. qui ait: *Peccatum cũ cõsumatum fuerit generat mortem*: consumatum, ait, Hug. Card. *Per consuetudinem*. Sed quid est hoc, quod peccatum per consuetudinẽ consumatum generat mortem? nunquid actus simplicis voluntatis consensus, à culpa immunis erit, & à morte? cum dicat Matth. 5. d. *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo*. Preterea quomodo peccatum mortem dicitur generare? si generatio est mutatio de non esse, ad esse, quomodo mors, quæ est priuatio vitæ, dici poterit generatio? rursus si generatio est *Origo viuentis à principio viuente coniuncto*, vt ait Philosophus, quomodo pecccatum generare potest mortem, cum peccatum non sit, nec quid viuens, nec quod gignitur, quod est mors, ex suppositione, cum sit priuatio vitæ, sit quid subsistens? Verum aliquo modo possemus dicere peccatum generare mortem: Trita est apud Philosophos, & Theologos propositio, quod: ***Ex nihilo, nihil fit***, naturaliter loquendo, ***Peccatum***, secundũ D. Aug. Io: 16. *est nihil, & nihil homines fiunt dum peccant*, si ergo ex nihilo nihil fit, ergo ex peccato, quod est nihil, nihil fiet, scilicet mors, quæ est priuatio vitæ, sic dici potest quodamodo generatio, cum ex peccato mors succedat, & emanet, quare Hug. Card. hic: *Peccatum*, ait, *consumatũ, scilicet per consuetudinem, generare mortem*, quia ait: *Quando peccatum tractũ est in cõsuetudinem, iam quasi nulla spes, aut parua de reditu, sed in alijs adhuc habet homo signa vitæ, quam plura, quando adhuc latet peccatum in cogitatione, pauciora verò, quando prolatum est in opere*. Verùm si clariùs mortis generationem, ex genitrice culpa dignoscere exoptamus, eiusdem D. Iacobi verba expendamus, ait igitur Iacob. p. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, concupiscentia cũ cõceperit, parit peccatũ, peccatum autem cum cõsumatum fuerit generat mortem*; sciendum igitur est, quod generationem præcedit conceptio, conceptionem copula, copulam autem delectatio, & in obiecto proposito complacentia; sic in mortis generatione, quę ex genitore peccato, videlicet consumato procedit, proportionaliter dicere possumus, primò enim diabolus veluti infamis

D. Iacob.

Hug. Card.

Quomodo dicitur, peccatum consumatum generare mortem, cũ hoc prestet tantum simplex consensus?

Quomodo mors ex peccato generari dicatur.

Ex peccato, quod nihil est, nihil fit, scilicet, generatio mortis, quæ priuatio vitæ est.

August.

Hug. Card.

Quomodo peccatum tractum in consuetudinem, maximè periculosum reddatur.

Descriptio generationis culpæ.

Infernalis leno, peccati, vt delectabile voluntati proponit allicitiuum obiectum, ad quod abstracta accurrit voluntas, ideò dicitur: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua illectus*; verum vsq; modo non concipitur peccatum, vt Liranus hic, qui ait: *Primò insurgit complacentia, & delectatio absque consensu, tunc adhuc stat in terminis peccati venialis*; verùm si intercedit copula cum diabolo, per voluntatis consensum, tunc fit conceptio peccati; quare Cyrill. Alex. 4. in Io: cap. 25. ait: *Voluptas quadam ante omne peccatum pracurrit, & feruens cupiditas ad illicita solet illicere, qua ante peccati actum insidet, & mentis consensum arripit, persuadens facilè, hac via veniendum nobis esse, quo gliscimus*; subindè infert: *Vides quomodo ex voluptatis semine, delicta produntur*; sic concupiscētia cum conceperit parit peccatum, vt Psal. 7.: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*; sic à conceptione peccati per consensum, sequitur inde partus, per opus, & consuetudinem, ex qua inde extremum animæ terribilium, mors gignitur: *Peccatum verò cum consumatum fuerit, in opere exteriori*, ait Liranus hic: *Generat mortem; nam inducit ad reiterationem, & consuetudinem, ad quam sequitur obstinatio, qua est mors anima*, ecce generatio mortis, ex peccato.

Lir.

Cyrill. Alex.

Lir.

10 Sed quomodo ex culpa potest generari mors, seu ex peccato consumato, si id quod partui subest, est peccatum, si conceptio est peccati; quomodo partus mortis, à cōceptione peccati, quæ est dissimilis, esse poterit? ait enim Philosophus. *Omne simile, generat sibi simile*, quomodo ergo ex peccato, generari poterit mors? sed hoc dicitur, vt intelligamus, peccatum opere consumatum, cum morte, eiusdē genealogiæ, existere; quare peruersæ huius generationis seriē, describens D. Isidorus de sum. bon. lib. 2. ait: *Istis fomitibus, quasi quibusdā gradibus coalescit omne peccatum: cogitatio namque praua delectationem parit; delectatio consensionem; cōsensio actionem; actio consuetudinem; consuetudo necessitatem; necessitas mortem*; quare ne hęc turpis, & contagiosa mortis à peccato, generatio, in nobis germinet, D. Augustini consilio adhæreamus, qui lib. 5. homil. 42. ait: *Noli consentire concupiscentia tua; non est vnde concipiat, nisi de te; consensisti? quasi concubuisti in corde tuo; surrexit concupiscentia, parit peccatum; quod generat mortem; ergo ne abstraharis à concupiscentia tua, nega tè illi, noli eam sequi; illicita est, lasciua est, turpis est, alienat te à Deo; noli dare consensionis amplexum; ne plangas partum; quia si consenseris, concipis; nondum times peccatum, time quo producit peccatum, dulce est peccatum, sed amara mors.*

Quomodo mors, quæ peccato dissimilis videtur, ex peccato gignitur.

Arist.

Isid.

August.

Consensus voluntatis, est concubitus, ex quo fit cōceptus, & inde generatio mortis.

11 Et verè peccatum affirmare possumus, quod generat mortem. Luc. 9. Vocat Saluator noster quendam adolescentem, in suam sanctam cupidus adsciscí societatem, dicens: *Sequere me*; hic respondit: *Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum*: Respondit Saluator: *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos*; sed quare Saluator noster, qui iussit nos debitum honorem impendere parentibus, modo sepeliendi eos, disuadet obsequium, detrectat munus? si in sepeliendis mortuis, maximè apud Dominum promeruit Tobias; quare hoc in parentes non erit munus præstādum? sed quid est hoc, quod ait Christus: *Sine, vt mortui sepeliāt*

Quomodo intelligatur, quod mortui sepeliant mortuos.

mortuos

mortuos suos, & quomodo mortuus mortuum sepeliet? quomodo in vita functis, virium vigor viget, vt viuentium opera exerceant? Christus vocat mortuos, ab eius gratia procul viuentes, sic cum peccatores a Christo, qui est vera vita, vt Io: 14. dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*, longè sint, culpa, meritò mortui nuncupari possunt; Vbi .n. Christus est, ibi mors aufugit, ibi funeralis pompa absedit; hinc est, quod ad occursum Saluatoris, filius Viduæ ad sepulturam delatus, resurrexit: Archisinagogæ Principis filia, præsente Christo, à mortis euasit carceribus: & Lazarus à vera vita, ad vitam vocatus, ad vitam resurrexit: qui igitur cum Christo sunt, viuentes verè dici possunt, sicut è contra peccatores, qui se à Deo elongarunt periisse Deo censendi sunt, in proprio corporis sepulchro, anima gratiæ diuinæ, demortua, tumulati, quare Chrysol. serm. 19. ait: *Fratres ipse dixit ego sum vita; quod est anima corpori, hoc est animæ Christus, sine anima corpus non viuit, non viuit anima sine Christo: recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt; discedente Deo, cofestim venit in animam, peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, vermis conscientiæ, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro viuo, funus animæ iam sepultum.*

Qui à Deo elongantur, vt mortui reputandi.

Chrysol.

* * *

Extrema exquisita remedia, optima sunt. tex.

§. II. Diuinæ misericordiæ, & passionis Christi remediũ, peccati extremus morbus expostulat.

1 EXtremum pro animæ salute, infinitæ, videlicet virtutis remedium, est diuina misericordia, hæc enim exuperat omniũ delictorum magnitudinem, quia, vt ait D. Thomas in Opusc. *Plus potest Deus parcere, quam homo peccare; plus ille dimittere, quam peccator committere*: cum igitur passio Christi sit effectus diuinæ misericordiæ, & infiniti valoris, meritò hæc extremum, idest summum remedium erit, ad curam peccati, quod est morbus, siue malum infinitum, in genere mali, vt in paragrapho antecedenti, diximus; quare vt hoc extremum remedium cõtra culpam, exponeret D. Thomas, 3. p. quæst. 69. art. p. ad 2. inquit: *Nullius peccati remissio fieri potest, nisi per virtutem passionis Christi*; debita tamen pœnitentiæ, seu ægri peccatoris contritione, ad Deum obedientia præsuposita, vt Ps. 59. a. *Sana contritiones eius, quia commota est*; vt Psalm. 146. *Qui sanat contritos corde*, ad cuius culpæ malum, & remedium extremũ, quod diximus, attẽdens D. Bernardus ser. 3. in Natali Domini ait: *Ex consideratione remedij, periculi mei æstimo quãtitatem: Ecce mittitur Virginis filius Dei Altissimus, & iubetur occidi, vt vulneribus meis, pretioso sanguinis ipsius balsamo, medeatur. Agnosce ò homo, quam grauia sint vulnera illa, pro quibus necesse fuit Christũ Dominũ uulnerari:*

D.Thom.

D.Thom.

D.Ber.

Peccati remissio per passionem Christi, & quomodo.

Si nõ essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro illius remedio, Dei filius moreretur; sic medicina æstimatio, & doloris, & timoris, mihi exageratio est.

2 Culpæ suę extremum malum esse, sicut agnoscebat, sic fatebatur Regius Propheta, quare extremũ quoque remedium diuinæ misericordiæ efflagitabat, dicens, Ps. 50. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*; sed cur, Dei misericordiã Dauid vocat *magnam?* nunquid in Deo inuenitur aliqua misericordia parua, ad cuius differentiam magnam sibi Dauid misericordiam ad suorum veniam postulet peccatorum? non ne vnica simplex, eaque maxima, & infinita misericordia est, quæ nec augmentum recipit, nec diminutionem patitur? cur igitur ad se magnam inuocat misericordiam Dei? Misericordia, dicitur in ordine ad miseriam; misericordia itaque magna, & parua vocatur respectu magnæ, aut paruæ miseriæ, quam respicit, & tollit; & quia Dauid peccatum suum ponderabat, vt magnum malum, & extremum, & infinitum modo dicto, ideo, quia; *Extremis morbis, extrema exquisita remedia optima sunt*, vt diximus, sic extremo sui peccati morbo, extremum diuinæ misericordiæ adhibendum petebat remedium, ideo subdebat: Psalm. 50. *Et secundum multitudinem miserationũ tuarum dele iniquitatem meam*; quare D. Hieronymus hic, ait: *Confiteor immensam miseriam, ideo peto magnam misericordiam.*

Dauid misericordiam Dei magnã vocat, ex summa eius peccati, miseria.

Hieron.

3 De extremo, imò superexcedenti passionis Christi remedio, ad spiritualem animæ nostræ infirmitatem tollendam, sub nomine prætij in ara crucis, ex diuinæ iustitiæ rigore, à Christo sanguinis sui numismate, persoluti, loquens Apostolus, 1. Cor. 6. ait: *Empti estis prætio magno*, ecce extremum remedium pro iustitia commutatiua. *Magno*, possemus dicere cũ D. Th. 3. p. quæst. 48. a. 2. primò propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur; secundo propter dignitatem patientis, qui Deus erat, & homo. Tertio propter magnitudinem doloris assumpti, de qua magnitudine, loquens idem Doctor Sanctus, 3. p. quæst. 46. a. 6. ait: *Tantam quãtitatem doloris assumpsit, quæ esset proportionata magnitudini fructus, qui inde sequebatur*; Imò, summa hæc, vocatur redemptio, vt Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio*, quia, quod potuit, sãguinis sui gutta, voluit vnda; tum etiam, quia ait Hug. Card. hic: *Cum prætium nostrum sit Christus, qui est verus Deus, & homo in infinitum excedit rem redemptã*; quare si peccatum est extremum in genere mali, etiam extremum est remedium passionis Christi, in genere satisfactionis.

D. Thom. Quomodo passio Christi, dicatur prætiũ magnum, redẽptionis nostræ.

Hug. Card.

4 Extremum remedium dicere possumus, esse passionem Christi, ratione personæ, quæ est Rex Regum, qui ad salutem animarũ nostrarum, vitam cum morte commutauit. Refert M. Tull. lib. 13. de nat. Deor. & in p. Tuscul. Regem Cosroem, aduersus alium Regem pugnaturum, Oraculum quoddam consuluisse, vt sciret quisnam exercituum, esset victoriam consecuturus; Oraculum, fertur, respondisse: Illum exercitum fore victorem, cuius Rex in prelio interfectus fuisset, quod cum inimicus rex resciuisset, præconis voce, iussit militibus suis omnibus, vt Regem Cosroem cautè obseruarent, & seruarent indemnem: Cosroes vero cupidus victorię sui exercitus, nulla propriæ vitæ ratione habita, mentito habitu in hostem

Marc. Tull.

Cosroes cõsulens Oraculum pro futura victoria.

hoſtẽ irruit, à quo vt ignotus, victus, occubuit; quem incolumem ſeruaſſet, ſi Regem Coſroem cognouiſſet. Sic Chriſtus, non alio, quam proprio diuinitatis ſuę Oraculo, pręſciuit, morte ſua, nos ab æterna morte eruendos, vt Iſ. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu Dei dirigetur*; & quænam eſt voluntas Domini? Paulus p. Theſal. 4. *Hac eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*; animam igitur ſuam pro ſalute noſtra, ponendo, in eius Sanctiſſimæ Paſſionis pręlio nos ab æterna ſua eripuit morte, & ad cœleſtis gloriæ victoriam extulit. Si hiſtoriographi, hunc Coſroem Regem, tanti faciunt, eo quod vitam ſuam pro ſubditorum ſuorũ ſalute expoſuerit, & ſanguinẽ fuderit, quid de ſummo Rege Regũ, dicendum erit, qui habitum ſerui ſibi aſſumens, vt ad Piliph. 2. *Formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, ut homo*, pro ſeruis ſuis, cum Dominus eſſet, vitam ſuam tradere, & profundere, non dubitauit ſanguinem? vt Matth. 20. d. *Filius hominis uenit dare animam ſuam in redemptionem pro multis*? Si ibi erat Coſroes, hic Chriſtus; ſi ille Rex terrę, hic Rex etiam Cœli, & Dominus dominantium; ſi ille purus homo, hic Deus, & homo; ſi ille agnitus fuiſſet, à morte euaſiſſet: nec Chriſtus, ſi Deus fuiſſet agnitus ad mortem fuiſſet damnatus, vt Apoſtolus 1. Cor. 2. b. *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Sic igitur, ratione Redemptionis, qui Chriſtus eſt, redemptionis noſtræ prætium, eſt extremum.

Chriſtus vt nos à morte eriperet, ſe morti tradidit ſub ſerui forma.

5 Hoc extremum ſanguinis, & paſſionis ſuæ ſanctiſſimæ remediũ, in peccatorum noſtrorum curam, largè diuina bonitas, exhibuit. Ob ſummam hominum malitiam, & peccatorum grauitatem, exaſperatus Deus, olim tempore Noë, in ſecunda mundi ætate, illos diluuio perdere decreuit; quare iuſto Noë impoſito munere, pro arce conſtructione, ad eius ſalutem, ad ſceleſtiſſimorum peccatorum pœnã, diluuio aſſurgit, & cæli cataractis apertis, quadraginta dierum ſpatio, ſuper terram aquarum alluuione immiſſa, illam nefandam vitiorum ſqualore ſordeſcentem, peccatorũ morte, expiauit; quo facto, Noè ſacrificio, inde placatus Deus, promiſit nunquam impoſterum, quaſi ipſum pœniteret facti, aquis diluuij, terram amplius perditurum: quare Gen. 9. dixit. *Statuam*, inquit, *pactum meum vobiſcum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro, aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium diſſipans terram*. Sed dicam ego, ſi impoſterum inde peccabunt, & pœna digni erunt alij peccatores, cur ſi priores graui hac diluuij animaduerſione, ſunt pœna affecti, quare à ſucceſſoribus ob culpã huiuſmodi diluuij, pœna ſubtrahetur? cur illorum peccatorum extremis morbis, extremum eos delens, diluuij, nouum non apponetur remedium? Sed quaſi diceret Æternus Pater non deerit adhuc pro iſtis peccatoribus diluuiũ, ſed quale? diuerſum omninò à primo erit; illud fuit aquæ, iſtud ſanguinis, illud rigoris, iſtud pietatis, illud iuſtitiæ, hoc clementiæ, illud, aquis ſubmergens peccatores, hoc peccatores ab æternæ mortis naufragio eripiens; mittam igitur, quaſi diceret, filium meum, non vltionum, ſed miſericordiarũ Deum, qui non apertis cataractis cæli, ſed ſui corporis venis, non amplius ad perdendum hominem, aquarum in orbem terrarum innundatione percurret, ſed prætioſi ſanguinis ſui

Diluuium, ad pœnam peccatorũ à Deo miſsũ.

Sanguis Chriſti eſt diluuiũ, non delens, ſed purgans animæ noſtrę terram.

sui alluuione paruum mundum, à culparum fęditate purgabit: ab ira enim Dei, nos eruet Agnus Dei, vt Auguſt. lib. p. de peccato, & meritis, & remiſs. cap. 23.: *Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, non liberat, niſi agnus, qui tollit peccata mundi; non niſi Medicus, qui non venit propter ſanos, ſed propter ægrotos; non niſi Saluator, non niſi Redemptor, cuius ſanguine deletur debitum noſtrum.*

Auguſt.

6 Extremum, quoq; paſſionem Chriſti fuiſſe noſtræ ſalutis, remedium aſſerere poſſumus, non ſolum quo ad ſubſtantiam, ſed etiam quo ad modum. Solent Iudices, vtpotè Inquiſitores, cum reos capere nequeunt, in ſtatua, hanc igni tradēdo, eoſdem delinquentes punire, vt in fugitiuis hæreticis patet. Grauiſſimarum culparum reus peccator erat, ſed diuinæ pietatis ope, diuinæ iuſtitiæ manus effugit; inuentus autem eſt Chriſtus, in ſimilitudinem hominū factus, vt Apoſt. ad Philipp. 2. *Et habitu inuentus, vt homo*; imò in ſimilitudinem carnis peccati, vt ad Rom. 8. Erat igitur filius Dei, vt imago, & ſtatua hominis, qui peccauerat, & à Paradiſo exulauerat, hanc igitur diuina iuſtitia loco peccatoris puniuit, vnde in pęnā manus, quam ad arborē prohibitā ille extēdit, Chriſtus manus ſuas clauis in cruce configendas extendit: Voluit homo edere pomum vetitum, quod ſuaue illi videbatur, & Chriſtus fellis amaritudinem deguſtauit: Voluit homo deitatis coronam prætendere, dum voluit fieri, ſicut Deus ſciens; & Chriſtus coronam ſpineam ſuper caput eius ſuſcepit: Volebat homo vocari Deus, vt videntes eum dicerent, ecce Deus; propterea Chriſto Domino dictum eſt: *Ecce homo*: Voluit tranſgredi homo diuinum præceptum, propter quod pęna mortis erat infligenda, vt Geneſ. 2. *In quacunque hora ex eo comedes, morte morieris*; & ecce Chriſtus mortis ſententia damnatus, pœnam talem ſuſtulit: peccauit ille in ligno; in ligno quoque crucis, eius pęna, illius culpā ſoluit Chriſtus, & pro illo ſatisfecit; quare D. Bern. ſerm. 3. de quinque diebus proceſſionis, ait: *In paſſione, ſicut totum hominem ſaluum fecit, ſic de toto, fecit ſe hoſtiam ſalutarem.*

Extremum remedium, quo ad modum, eſt paſſio Chriſti, ſatisfaciēdo ſicut peccauit Adam.

D. Ber.

7 Crudele, & ſæuiſſimum profectò reputandū illud vulnus, quod Chriſto mortuo in Cruce illatum fuit. Quare Io: 19. *Vnus militum*, inquit, *lancea latus eius aperuit.* Nulla maior ſæuitia, inueniri poteſt, quam in mortuos ſæuire, & quis vnquam inimico mortuo vulnus inflixit? Quid quæſo ſæua haſta quæris in corpore Chriſti? ſi vitam, iam Chriſtus, vita functus eſt; ſi animam, iam à corpore receſſit, & eſt in Limbo; ſi corpus Chriſti vulnerare intendis, iam maximis plenum eſt vulneribus, ſi ſanguinē quæris, iam flagellis, clauis, ſpinis exhauſtus eſt, quid igitur lancea in Chriſti corpore adhuc quæris? ſed dicamus, hoc ideò Deo diſponente factum fuiſſe, vt paſſionem Chriſti extremum ſalutis noſtrę remedium dignoſceremus; nam è latere Chriſti, percuſſo, ſancta emanauit Eccleſia, quæ Chriſti ſanguine ditata, & aqua purificata, nos à maculis peccatorum purgat, & ad cœleſtia regna perducit. Quare Aug. tom. 9. de ſymbolo ad Catechumęnos lib. 2. ait: *Qui natus eſt de Virgine à Pontio Pilato ſuſpendatur in cruce; aſcendat ſponſus noſter thalami ſui lignum; aſcendat ſponſus noſter thalami ſui lectum; dormiat moriēdo, aperiatur eius latus, & Eccleſia prodeat virgo; & quomodo Eua facta eſt, ex latere Adæ dormientis; ita, & Eccleſia formetur, ex latere Chriſti*

Percuſſum eſt Chriſti latus, ex quo emanauit Eccleſia, & ſacramēta, & ſalus noſtra.

Auguſt.

Chriſti in cruce pendentis; percuſſum eſt enim latus eius, & ſtatim manauit ſanguis, & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina ſacramenta; aqua in qua eſt ſponſa purificata; ſanguis, in quo inuenitur eſſe dotata.

8 Et quia extremum dicitur illud, vltra quod non datur maius, ſic extremum remedium, dicamus paſſionem Chriſti fuiſſe, eo quod totus ſanguis Chriſti, qui infiniti valoris eſt exhauſtus eſt. Chriſto mortuo, ait Euangeliſta Matth. 26. *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Sed dicam ego, ad quid iſte terremotus? multæ poſſent afferri rationes; quod ideo contremuit terra, videlicet, vt creatura morięti Creatori ſuo compateretur, & vt *Crucifixum*, ait D. Hieronymus, *Dominum ſuum, Cœlum, terra, & omnia demonſtrarent.* Vel contremuit, quia in ſinu ſuo terra Chriſti corpus, includere debebat, cuius capax non erat; vt D Hylarius: *Mouetur*, inquit, *terra, quia capax huius mortui eſſe non poterat;* Vel mouetur terra, quia aperiebat iter in ſe ipſa, Chriſto ad Limbum eunti; ſed melius dicamus, quod terremotus poſt mortem Chriſti ſecuutus eſt, vt corpus concuſſum, totum ſuum, vſque ad extremam guttam, ſanguinem funderet. Dum enim abluitur pannus poſt lotionē contortus extricatur, exprimitur, vt propterea ſi aliqua adhuc gutta remanſit, foras excutiatur; ſic Chriſti corpus, poſtquam proprio ſanguine, velut pannus noſtrarum culparum fœditate commaculatus, ablutum fuit, funibus contortum, tormentis examinatum, quibus ſanguinem ſuum copioſiſſime fudit, cruci adhuc confixum mortuum, ecce terremotus factus eſt, qui cum corpore Chriſti, crucem excuſsit, vt ſi aliqua adhuc gutta ſanguinis, remaneret, tota ad extremū effunderetur, ideo Aſcanius Martinengus, lib. 2. in Gloſ. magn. ait: *Attendas præcor hoc myſterium, vt cunctum ſanguinem effunderet, factus eſt terremotus, quo crux concuſſa eſt, ac Chriſti corpus, qua concuſſione, totus ſanguis exhauſtus eſt.*

Quare terremotus in morte Chriſti. multę rationes.

Hieron.

Hylar.

Ex terremotu, crux Chriſti, & huius corpus concuſſa ſunt, vt totum ſanguinem funderet.

Aſcan. Martineng.

Extremis morbis, extrema exquiſita remedia, optima ſunt. tex.

§. III. Extremo, diuina miſericordia incurabili, peccati morbo, inferni pęna quoque extrema, pro remedio apponitur.

1 QVia, diuinæ manum omnipotētiæ, nemo poteſt ſubterfugere, ideo ne mala impunita remaneant, peccata, quę ex peruicacia peccatoris diuinæ miſericordiæ remedio non delentur, & animæ, quæ ſaluberrimo paſſionis, & ſanguinis Chriſti balſamo, ſiue vnda non purgantur, neceſſe eſt, vt æternis Inferni ſupplicijs, & ignibus examinanda ſubdantur, vt Pſalm. 108. *Noluit benedictionem elongabitur ab eo, dilexit maledictionem, veniet ſuper eum;* ideo in die Iudicij, æterni ſupplicij ſententia in peccatorem, ſic à ſummo Iudice proferetur, vt Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Poſſet hic Aphoriſmus per illum exponi, qui ait: *Quæ medicamentis non curantur, ferrum curat, quæ ferro non curantur, igne curantur, quæ igne non curantur irremediabilia ſunt:* Humanæ quidem virtuti quidam morbi incurabiles redduntur, diuinæ, verò virtuti, nihil irremediabile redditur; quare ſpirituales animæ culparum morbi, qui diuini verbi paſſionis Chriſti medicamēto non

Peccata, quæ miſericordiæ diuinæ medicamēto, nō purgantur, neceſſe eſt inferni igne animaduerti.

non sanantur, vel pœnæ, & tribulationis ferro, non curantur, necesse est vt extremo gehennalis supplicij igne, ad diuinæ iustitiæ vindictam, curentur; quare Plato in Phedone, ait: *Si qui autem propter magnitudinem peccatorum insanabiles esse comperiuntur, qui sacrilegia multa, & magna, qui cædes nepharias contra leges, qui alia istorum nepharia perpetrati fuerunt, hos quidē omnes conueniens sors in baratrū tartari abijcit, vnde nunquam egrediuntur.*

Plato in Phed.

2 Hoc extremum Inferni, pro damnatis ad esse, supplicium, apud omnes de Catholica Fide rectè sētientes, in confesso est, verum quia respectu quorundam peccatorum, qui ita peruersè viuunt, & per vitiorum semitas, ita liberè percurrūt, ac si pro reddenda ratione delictorum suorum, diuino non subderentur iudicio, hanc catholicam veritatem in dubium reuocare videntur, quia si de inferni pœna cogitarent, non ita liberas, ad currendū in stadio peccati, sensui laxarēt habenas, vt D. Chris. or. 2. in 2. ad Thesal. ait: *Fieri non potest, vt anima de gehenna solicita, citò peccet*, ideo contra hos Christus ad horum falsitatem coarguendam, oculatos testes producit, & ad veritatem comprobandam; quare appropinquans portę ciuitatis Naim, videns tumultuantem turbam, Viduam deflentem, filium demortuum, in feretro ad sepulturam delatum, sistere iussit portitores, & lacrymis motus Viduæ, fons ipse pietatis, tetigit loculum, & iussit mortuum resurgere, dicens Luc. 7. *Adolescens tibi dico aßurge, & resedit, qui erat mortuus & capit loqui*, vt interroganti Christo, de Inferno, ipse oculatus testis, quid vidisset, responderet. Audite D. Chrisostomum conc. 3. de Lazaro, qui ait: *Propterea Christus suscitauit filium Viduæ Naim, vt tanquam testis oculatus, probaret se vidisse diuitem illum in Inferno.* Quibus habitis, dimissus fuit: Luc. 7. *Et dedit illum, matri suæ.*

Chris.

Chris. Christus suscitat filium Viduę, vt testis esset pœnarum Inferni.

3 Et ne quis existimet Infernū esse deliciarum locum, sed vt extremū pœnarum, peccatoribus dispositum, remedium agnoscat, ideo ait Christus in hoc Euangelio, Luc. 17. Loquendo de hoc diuite Epulone: *Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno*: Et qualis sit iste locus subdit: *Cum esset in tormentis:* Sed miror, quod Christus, qui semper parabolarum locutione vtebatur, modo cum de Inferno, & huius tormentis differit, parabolas ommittit. Si de Regno Cœlorum loquebatur, modo thesauro abscondito in agro comparabat, vt Matth. 13. modo prætiosæ margaritæ, vt ibidem; modo nuptijs assimilat, vt Luc. 14. & semper in parabolis, sine quibus, non loquebatur, vt Matth. 13. ait: *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis*; modo de Inferno loquens, his non vtatur parabolis? difficultatem soluit D. Gregorius, dicens: *Aperta voce tormenta peccātium dicta sunt, ne quis ad ignorantiæ suæ excusationem recurrat.*

Cur Christus apertè nominat Infernum, locum tormentorū

Greg.

4 Hoc extremum Inferni supplicium in duplici differentia statuitur, scilicet pœnæ damni, & sēsus, vt proportionetur peccato, quod dicit auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturas, ex parte auersionis, est pęna dāni, ex parte conuersionis ad creaturas est pęna sensus, vt latè apud D. Thom. 1. 2. quæst. 87. a. 4. & 3. p. quęst. 46. a. 6. ad 3. Pœna damni extrema est qua maior, nec inueniri, nec excogitari posse videtur, priuatio scilicet diuinæ visionis, quæ pœna ex culpa oritur: vt Psalm. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui,*

De duplici pœna inferni, sensus, & damni, peccato proportionata.

D. Thom.

potui, vt viderem, quasi dicat peccatrix anima, diuinam essentiam. Mirabile dictu, quod Christus morti proximus in cruce, validã emittens vocem, expirauerit: Si sic clamauit, ergo viribus adhuc pollebat, quare ergo statim moritur? sed quæro, quænam vox erat ista, quã moribundus edidit, quem protulit clamorem diuinũ Verbum? Euangelista Matth: 26. ait: *Circa horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens: Eli Eli lammasabathani, hoc est Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me*. Sed quomodo Christus à Patre dicit se derelictum, cũ quo communem habet essentiam, indiuisam substantiam? si idẽ Christus, dicebat Io: 10. f. *Ego, & Pater vnum sumus*, quomodo quis ab eo potest deseri, à quo separari non valet, vt Io: 14. b. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Rursus peto; vel poterat Christus, à Patre deseri, vt Deus, vel vt homo; non vt Deus, quia in Deo tota reperitur Trinitas personarum, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; quę est indiuisa vnitas, sic vbi est Christus, ibi est Deus, & per cõsequens etiam Pater, & Spiritus Sanctus, ergo non poterat, vt Deus, Christus ab eterno Patre deseri; nec vt homo, quia Christus erat viator simul, & comprehensor, sic Patrem videbat, & semper cum eo erat; Nec vt iustus Christus à Patre poterat derelinqui, nam Sap. 3. a dicitur: *Animæ iustorum in manu Dei sunt*, & D. August. *Pater noster, qui es in Cælis*, ait *in pectoribus iustis*; quare nec sic à Patre poterat deseri, cur igitur, in cruce moriturus, se à Patre derelictum clamat? Sed dicamus, quod Christus assumpto peccatoris habitu; pęnas peccatoribus statutas possibiles omnes etiam suscepit: expertus est igitur primò pœnam sensus, quando à Iuda proditus, à turbis in horto comprehensus, duris fuit nexibus constrictus; columnæ alligatus, nudus flagellis acriter cęsus; quando cruci, clauis affixus, maximis varijsque tormentis eius sanctissimum corpus fuit exaratũ; nullam tamen quærimonię vocem, nec doloris signa edidit, sed omnia tormenta pro culpis nostris æquanimiter sustinebat, vt Esaias, 53. c. ait: *Quasi agnus coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suum*; Voluit etiam Redemptor noster damni pœnam, quam patitur peccator à Deo derelictus experiri, diuinæ visionis, quasi suspendens influxum, ideo dixit: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me*: tunc talem, ac tantam passus est pœnam, quam amplius sustinere non valens, morti cessit, nec potuit vlterius spiritum ducere, & vitam quam non potuit auferre pęna sensus, tantum apprehensa, abstulit pœna damni, ideo ait Euangelista Matth. 26. *Cum clamasset voce magna, emisit spiritum*; quare D. Io: Damasc. de fid. ortodox. cap. 20. ait: *Christus nostram sibi assumens personam, ita orauit, seque dicit derelictũ, quia nos derelicti sumus*.

Quomodo Christus à Patre, se derelictum voce magna clamat cruci affixus.

August.

In cruce Christus, damni pęnã sibi repręsentãs, mortem oppetijt.

Io: Damasc.

5 Hanc extremam damni pœnam, figuraliter ex sacris literis depromere possumus, duo Scripturæ Sacræ loca perpendentes; quando Christus à suis Discipulis, & Elias ab Elisæo recessit, & vterq; ad Cęlum conscendit; Christus in nube, Elias igneo vectus curru, quorum historia prima recensetur in Act. Apost. c. p., secunda verò Eliæ 4. reg. cap. 2. Ascendente Christo, ecce dolore, & mæstitia Apostolorum cor obumbratum, vt dicebat Christus Io: 16. a. *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum*: Elia pariter ad Cœlum conscendente, ecce Elisæus

Cur Apostoli ascendente Christo ad Cœlum tristati tandẽ consolati sunt, non Elisæus in discessu Eliæ ad Cælum.

ita contristatus est, vt inter patientiæ terminos se amplius continere non valens, præ doloris angustia, propria sciderit vestimenta, vt 4. reg. p. *Apprehendit vestimenta sua, & scidit illa in duas partes; Præ dolore absentiæ magistri sui*, vt ait Hug. Card. hic: Apostoli tamen læti, ait textus, discesserūt, ab Oliueto monte, vnde Christus in Cælum cōscenderat, depulsa mæstitiæ trepidatione, vt Luc. 24. *Et ipsi adorantes regressi sunt Ierusalem, cum gaudio magno*. Elisæus verò à mæstitia, & dolore non destitit; vnde horum disparitas? nisi, quia Christo ad Cœlum conscendente, missi sunt duo Angeli, qui promissione futuri aduentus Christi, mæstos eorum Discipulorum subleuauerunt animos, dicentes Act. p. b. *Hic, Iesus, qui assumptus est in Cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eū ascendentem in Cælum*. Ideo huius solatio spei, *cum gaudio magno reuersi sunt in Ierusalem*: At Elisæus, ait D. Chrisostomus: *non enim habuit præsentem Angelum, qui Eliam promittere adueniret*, sic nulla, rursus videndi Eliam, spe recreatus, nullam potuit admittere consolationem. Si Elisæus magistri sui præsentia orbatus, & eum videndi, iterum spe frustratus, ita tristabatur, quæ pœna erit damnatorum, qui non hominis, sed Dei facie priuantur, à quibus Deus per gratiam abscedit, qui est vera vita, solatium nostrum, & in æternum supplicium maledictos abijcit peccatores? quare D. August. ait: *Alienari à regno Dei, carere multitudine dulcedinis Dei, tam grandis pœna est, vt nulla possint tormenta, quæ nouimus, huic comparari*.

Hug. Card.

Chris.

Tristantur damnati, quia frustrantur spe videndi Deum.

D. August.

6 Sed inquiet quis, si modo, qui Deum non aspicio, nulla pœna afficior, quomodo damnati, ex diuinæ visionis priuatione, tanta affligentur pœna? Respondeo disparem esse rationem, de homine in humanis degente, & de anima à corpore secreta, homo enim mortalibus adhuc hisce membris irretitus, nisi materiei concreta, cernere, nec nisi per conuersionem ad phātasmata, intelligere potest obiecta; quia vt ait Philos. p. de anim. *Omnis nostra cognitio, ortum habet à sensu*; quocirca pro præsenti statu, substantias à materia separatas, multo minus ipsum Deum, qui purissimus est actus, haud videre valet; verum à corpore anima separata, quando amplius à phantamatibus, suam non habebit emendicare cognitionem, & erit in statu, substantias intellectuales, & diuino afflata spiritu, confortata lumine, etiam ipsum Deum videndi, si diuinæ visionis expers erit, certè maxima, sicut afficietur miseria, sic cruciabitur pœna. A simili, dici posset, de aliquo conceptu, dum in vtero matris degit, sic non est aptus intueri lucem, verum si hunc in lucem mater parturit, sine luce, cæcum, non aptum lucem videre, tunc amicorum tristitia, parentum dolor, luctusque consurgit; sic anima, dum est in hoc corpore, velut in vtero sanctæ matris Ecclesiæ inclusa, manet; non est apta substantias separatas, multo minus ipsum Deum videre, vt diximus, verum si sancta mater Ecclesia, hanc animam, alio sæculo parturit, per eiusdem à corpore separationē, si Deum tunc non videbit, cum sit eum apta videre, maximo certè afficietur supplicio, & quidem ipsa gehenna acriori, & melius, quam Tobia, dicere poterit, Tob. 5. *Quale gaudiū mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen Cæli non video*: ideo, bene ait Chrisost. homil. 24. in Matth. *Qui enim gehenna vritur, cælorum etiam regnum prorsus amittit; quæ* certè

Differentia, de anima corpori vnita, & ab eodē secreta, quo ad visionem immaterialiū.

Arist.

Exemplum, conceptus, existentis in in vtero, & ab hoc eduċti, non videntis lucē.

Chris.

certè maior pœna est, quam cruciatus ille flammarum.

7 Extremum, est etiam aliud, diuinæ iustitiæ, ex parte inordinatæ conuersionis peccatoris ad commutabile bonum, remedium, quod pœna sensus, dicitur, vt D. Thom. 12. quæst. 87. 4. quæ pœna omnes alias, quæ in hoc mundo pati, & cogitari possunt, longè excedit, vt Gregor. in Sinopsi. *Intende* ait, *anima quascunque seculi pœnas, quascunque tormentorum dolores, quascunque dolorum acerbitates, compara hoc totum gehennæ, & leue est omne, quod pateris.* Et quod omnem malorum molem subeant damnati; colligamus, quidquid laboris, dolorum, pœnarum, ærumnarum tormentorum, in mũdo hoc dispersum est, & quæcumque etiam mente concipi possunt mala, his omnibus in vnum collectis, quasi rudi penicillo, harum pęnarum Inferni, imperfectam adumbrabimus imaginẽ. Olim Dauid timebat, ne cum diabolo, tentationum congressum, & luctã iniens, ab hoc supplantatus culpa deijceretur. Solent Luctatores horum dexteram Aduersarij dexteræ inserentes, sinistro pede alterius tibiam percutientes, manu pectus impellente, ad casum supplãtare, & deijcere: hoc igitur sibi cõtingere timebat Reg. Proph., dicens Psalm. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris, non moueat me; ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*: timebat inquã ne superbiæ pede retroactus, à diabolo, manu callidæ tentationis, impulsus, in peccati cõsensum corruens, in Infernum deijceretur: sed notate qualiter Inferni pœnas manifestat, ait: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem:* & quid significat iste terminus, *ibi*? Vbi cadũt, qui operantur iniquitatem? in Infernum; sic ait D. Athanasius in symb. fidei: *Qui bona egerunt ibũt in vitam æternam*, inquit, *qui verò mala in ignem æternum*; & quare si illud, *ibi*, denotat Infernum, hoc nõ clare exprimit proprio vocabulo, Inferni? sed dicamus, quod dicit; *ibi*; nec nominat Infernum, vt omnibus, & quibuscunque præbeat album, ad scribendum, quidquid pęnarum lingua exprimere, vel intellectus concipere potest, hoc totum in Inferno inueniri; quare Hug. de S. Vict. lib. 4. de an. c. 13. ait: *Ibi omnia genera tormẽtorum, quorum minimum est maius omnibus his tormentis, quæcunque in hoc seculo fieri possunt*; Imò ita grauia, & excedentia sunt Inferni tormẽta, vt omnem exprimendi facultatem, superent, & à nostro conceptu, & cogitatu, longè acerbiora; vt August. lib. de triplici habit. ait: *Mala Inferni, vt sunt, dicere, vel cogitare nemo potest; peiora valde sunt, quà cogitantur.*

Pœna sensus, quam damnati patiuntur.

Gregor.

Quidquid pœnarũ inueniri, & excogitari potest, in Inferno reperitur,

D. Athanas.

Hug. de S. Vict.

August.

8 Sicut omne bonum diuina misericordia assumit ad gloriam beatorum, sic omne malum diuina iustitia in Infernum proijcit, ad pęnam damnatorum; quare D. Th. 4. sent. dist. 47. quæst. 2. a. 3. s. ad tertiam quæstionem ait: *In purgatione mundi quidquid erit turpe, & fœdum, in Infernum cum reprobis retrudetur, quidquid autẽ erit pulchrum, & nobile in superioribus reseruatur ad gloriam electorum.* Vti excellens, & peritissimus Simplicista, seu distillator, Deus, rerum omnium naturas, diuinæ sapientiæ suæ distillatorio, distillabit, & primos perfectionum earũdem naturarum spiritus, asseruabit ad gloriam beatorum, fæcem verò imperfectionum, & malorum in Infernũ proijciet ad pœnam damnatorum. Quod vt clarius pateat, dicamus; Ignis ... in se continet qualitates,

D. Thom.

Creaturarũ perfectiones ad gloriam beatorum; imperfectiones ad pœnã damnatorũ, à diuina iustitia distillantur.

ſplendorem, ſeu lucem, & ardorem; diſtillabit igitur hoc elementum, ſecernens lucem ab ardore, lucem, ſiue ſplendorem aſſumet pro gloria beatorum, de quibus dicitur ab Eccleſia. *Lux perpetua luceat eis*; ardorem verò mittet in Infernum ad ſupplicium damnatorum, vt Io. 15. a. *In ignem mittent, & ardet.* Nix duplicem, & hæc habet qualitatẽ, albedinem, & frigiditatem, niuem igitur diſtillans Deus, accipiet albedinem pro gloria beatorum, ideo Apoc. 7. *Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum*; frigus verò in Infernum proijciet, ad cruciatũ damnatorum, vt Iob 24. *Tranſiet ab aquis niuium, ad calorem nimium*, & vtrumque intolerabile. In homine ſunt duæ paſſiones, riſus, & fletus, riſum diſtillabit ab homine, ad gaudium beatorum, ideo Luc. 6. *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis*; fletum verò relinquet ad pęnam damnatorum, Luc. 13. f. *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Cœli influunt ſanitatem, & morbos; ſalutẽ reſeruabit pro beatis, vt ad Hæbreos p. Apoſtolus ait: *Hæreditatem capient ſalutis*; Infirmitatem, & morbos incurabiles, damnatis relinquet, vt Hier. 30. *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua*; quare D. Baſilius ſuper illud Pſalm. 28. *Vox Domini intercedentis flammam ignis*, ait: *Duo ſunt in igne potiſſima, vſtiua vis, & illuſtratoria; vis prior ignis acerrima quidem, ad pænas irrogandas repoſita eſt; his, qui vſtione ſunt digni; altera ſplendiflui ſui luminis diffuſiua, velut ſortito ſuccedet ijs, qui claritate perfruituri ſunt gaudij perennis; vox itaque Domini intercedentis flammam ignis, ac diuidentis, ita vt obſcurus ſit ignis ſupplicij, vi verò comburendi, caret lux illa refocillationis.* (Baſil.)

9 Extrema erit etiam pęna, ratione æternitatis; de qua loquens, meo iudicio, Dauid, intulit, Pſal. 76. *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt: vox tonitrui tui in rota.* Pęnæ, & flagella, quæ in hoc mundo, Deus peccatori infligit, ſagittæ, vocari poſſunt, quæ tranſeunt, vt Pſalm. 37. *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam: ſagittæ ſunt, pænalites*, ait Hug. Card. *ſcilicet eſuries, frigus, ſitis, calor, laſſitudo, ægritudo, quæ ſicut ſagittæ in arcu intenduntur, & poſtea in obiectum corpus infiguntur, ſic iſtas pænalitates intendit in arcu comminationis*: hæ igitur pęnarum ſagittæ, vel ante mortem hominis terminantur, vel cum ipſius hominis vita, finiunt, ideo dicitur: *ſagittæ tuæ tranſeunt*, videlicet tribulationum in hoc mundo; verum vox tonitrui, ideſt, vt explicat Hug. Cardin. hic: *comminatio æterni ſupplicij*, quæ in die Iudicij ab ęterno audietur Iudice, dicente, vt Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*, quæ quidem tonitrui diuini vox contremiſcere faciet peccatores, vt Pſalm. 103. *A voce tonitrui tui formidabunt, In rota*, quod ad pęnæ continuationem, quæ eſt ęterna, & interminabilis, quæ finem neſcit; & exprimitur per rotam, illius infernalis pęnæ æternitas; nã ſicut rota rotunda eſt, in qua non eſt aſſignare, nec principium, nec finem; ſic illa damnatio erit in rota, æternitati commenſurata, quare Gregor. 9. moral. cap. 49. ait: *Fit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, quia, & mors viuit, & finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit; quia, & mors perimit, & non extinguit, dolor cruciat, & nullatenus pauorem fugat, flamma comburit, ſed nunquam tenebras diſcutit.*

(Inferni pœna, extrema, ratione æternitatis; Hug. Card. — Hug. Card. — Comparatur, pœna inferni, rotæ; quę principio, & fine caret, ſymbolum ęternitatis. — Greg.)

10 Hinc eſt, quod Propheta. Pſalm.

Psalm. 48. inquit: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Ouis enim, ficut ait Aristoteles, 8. de hist. animal; licet sit simplex, & mansuetum animal, omnium tamen stolidissimum est; sic peccatores, vt stolidi in hoc mundo, in alio, æternis deputabuntur incendijs: & quænam maior stoliditas inueniri potest, quam salutis portu derelicto, ad apertum mortis æternæ naufragium tendere? relinquere Cęlum, Infernum adire, à Deo recedere, & ad æterna illa supplicia festinare? ecce ouium stoliditatem; ideo; *mors depascet eos*; vbi D. Aug. ait: *Mors pastor est eis*; sed quomodo mors, quæ mortales, vita priuat, vires suo cibo ad vitam ministrat? quæ, sensus aufert ab homine, huic vitalia præbeat pasqua? mors, quæ solum viuentibus, & corpori præbet detrimentum, vitæ exhibeat nutrimentum? quomodo pęna in refrigerium commutabitur, in remedium, & salutem vertetur vulnus? venenum afferet antidotum, infirmitas salutem prę stabit, sic mors vitam, & pasqua dabit? *mors depascet eos*? Sed dicitur mortem depascere damnatos, quia hi semper viuunt ad mortem, mors hos depascet, vt semper, sine fine, moriantur; quare egregiè, Gregor. 9. mor. cap. 7. ait: *Depascere dicitur mors, quia sicut ouis depascens herbam, non eam radicitus euellit, sed ita pascit, vt manente radice, iterum herba crescat, vt iterum depascantur; ita semper mors depascit miseros; quia semper illis relinquitur vita, vt tormenta valeant sustinere.*

Arist.

Quomodo peccatores, dicantur oues, ob stoliditatem.

August.

Quomodo à morte depasci dicantur damnati.

Greg.

10 Hanc pęnã, quam acerbissima sit, insinuare voluit, Is. 14. dicens: *Vlula porta, clama ciuitas, prostrata est Philistea omnis; ab Aquilone enim fumus venit, & non est, qui fugiat agmen eius.* His verbis Philistinorum præsagit Propheta excidium; sed huiusmodi ruinam, qua pęna prodit? quo hãc supplicio delendam autumat? *Ab Aquilone*, inquit, *fumus venit, & non est, qui effugiat agmen eius*; sed quomodo solo fumo timere potest hæc prouincia pœnam? mirũ est, quod tantam fumus possit inferre cladem; si ignis esset, non esset dubium, quin maximum posset timorem incutere, cum ciuitates illas Sodomæ concremauerit; at verò fumus, nescio quomodo tã ingens possit inferre excidium: secundum mentem D. Basilij, loquitur Propheta de igne Inferni, cuius adeo extrema pœna est, vt non solum eiusdem ignis ardorem, sed neq; fumum ipsum, qui ex eodem igne exhalat, homines valeant sustinere; audi Basilium in hunc locum Isaiæ 14. *Ab aquilone enim fumus venit; sententia hac imbecillitatem exprimit Philistinorum, quia nec fumi quidem eructionem sustinent, tantum absunt, vt tolerent ignem incendio conflagrãtem.*

Adeo grauis est inferni pœna, vt etiam eiusdẽ ignis fumus intollerabilis euadat.

Basili

APHO-

APHORISMORVM HIPPOCRATIS

LIBER PRIMVS.

Aphorismus septimus.

Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremo tenuissimo victu vtendum est, vbi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremus est mollior. tex.

IN precedenti aphorismo Hippocrates, vniuersalem sententiam posuit, dicens: *extremis morbis, extrema exquisita remedia, optima sunt*; nunc ab hac vniuersali propositione, quasi minorem subsumens, ait, sed morbus peracutus, est extremus, ergo, *in hoc, extremò tenuissimo victu, vtendum est*; probatque minorem, quia peracutus morbus, statim extremos habet labores, & ob id morbus extremus existit.

Ordo medicinæ corporalis.

Vbi morbus peracutus &c. hic morbus, secundum placitum Ioannis Marinelli, de mẽte etiam Hippocratis creditur, ab acutis, & acutissimis non differre, nisi gradibus, sic non differunt specie, quia aiunt Philosophi: *Magis, & minus, non variant speciem*. Sic non consideramus, morborum acutorum species, quę quatuor communiter assignantur, sed de iisdem acutis, secundum gradus, quibus acuti, peracuti, & acutissimi redduntur, agimus modo. Dicitur morbus peracutus, eo quod sit extremus, vel, quo ad se, vel ad eius partes, vel ad causam, vel ad symptomata, vel ad omnia simul, sic idem Marinellus.

Io. Marinel.

Medicina corporalis.

Quomodo dicatur morbus peracutus.

Vbi igitur iste peracutus inuenitur morbus, statim æger extremos patitur labores, idest vehemẽtia symptomata, & graues concitationes. Per labores, ait Oddi de Oddis hic, quod Hippocrates vocat quæcunq; hominem offendunt; & Galenus in Commento dicit, quod per labores intelligit, accessiones, & simpliciter casus vniuersos, idest accidentia omnia, quæ ex ægritudine cõsequuntur. Et dum dicitur, quod *statim extremos habet labores, statim*, intelligendum est, ait Galenus, hic, quatuor primis diebus, vel paulò post; cum igitur tali extremo peracuto laborans morbo, talibus gra-

Odd. de Odd.

Galen.

Quid per labores extremos intelligatur.

Galen.

grauissimis excrutietur symptomatibus, & accidentibus, tenuissimo victu alēdus est, idest maxima dieta curandus; quare sic potest fieri, argumentum: extremi morbi, extrema requirunt remedia, sed morbi peracuti, sunt morbi extremi, ergo extrema remedia postulant: maior patet ex antecedenti Aphorismo; minor probatur, quia morbi peracuti sunt extremi, cum extremos habeant labores; in his igitur morbis, tenuissima vtendum est dieta, quæ est ieiunium: Et quia intentio Hippocratis in hoc Aphorismo, est, demonstrare, quod quāto morbus est acutior, eo tenuior dieta statuenda; sic è contra; quò minus acutus, sic minus tenuis dieta decernenda, ideo ait Hippocrates hic, pro secunda parte præsentis Aphorismi: *Vbi verò non, sed pleniorem victum, contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quāto morbus extremis est mollior.* quare, sicut ex vigore morbi, desumitur forma dietandi, vti ait Sāctorius hic, sic ex virtute ægri, recipitur, norma permittendi remedia; *hac lege*, inquit, *vt quanto virtus validior sit, tanto validius admittat remedia, & quanto debilior, tanto leuius, & mitius.* Circa victum in morbis acutis, obseruandū, quod sicut morbi, tres sunt status, scilicet principium, medium, & finis; ita triplex victus præscribitur, qui consistit in potione, sorbitione, & cibo; eadem enim substantia alimentaria, v. g. ordei, conficitur potio, sorbitio, & cibus; potio parum alit, magis sorbitio; multo magis cibus: cum igitur morbus in suo vigore constiterit, tunc potione vtendum; si remissior morbus, maiorem petit alimoniam natura, ad sorbitionem deuenire tutum est; tandem in fine ægritudinis ad cibum deueniendum, suadet. Apposuimus in præcedenti Aphorismo, quasi vniuersalem propositionem, quod extremo animæ morbo, hoc est peccato, vti malo infinito, sicuti exposuimus; extremum quoque, vel diuinæ misericordiæ pœnitentibus, vel diuinæ iustitiæ gehennalium pœnarum, in culpa obduratis, esse apponendum remedium; modo de ijsdem morbis, secundum grauitatem culpæ, vti mox dicemus, peracutis, qui extremi quoq; moraliter dicuntur, in præsenti Aphorismo, est dicendum; & de qualitate dietæ moralis, quæ est pœnitentia, qualis sit præscribenda, ad animæ salutem. *Vbi morbus peracutus est &c. tex.* Moraliter, peccata, morbi peracuti, dici possunt, secundum maiorem, & minorem intensionem, ex malitia peccantis; & ex actione habituque peccati, sic positiui, acuti, comparatiui, acutioris, siue peracuti, & superlatiui, acutissimi, rationem habent: quare hos peccatorum gradus, describens S. Isidorus de sum. bon., cap. 23. ait: *Istis fomitibus, quasi quibusdā gradibus coalescit omne peccatum: cogitatio namque praua delectationem parit; delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo, necessitatem, necessitas mortem, sic in his vinculis, homo implicatus, quasi quadam catena vitiorum, tenetur adstrictus*; ecce quomodo ab acuto morbo consensus, ad peracutum actualis peccati, opere peruenitur, & tandem ad acutissimum, per cōsuetudinem peccati, ex qua inde mors sequitur æterna. Sub nomine morbi acuti, intelligi potest, peccatum, ex ipsa acuti nominis ethymologia. Peccatum enim est veluti rota, quæ diuinæ iustitiæ gladiū, in peccatorem acuit; nam sicut per continuationem motus rotæ, rotatur, & acuitur ferrum, sic per multi-

Tenuissima dieta, est ieiunium.

Vbi morbus remittitur, minus tenuis dieta, adhibenda.

Sanctor.

Sicut triplex morbi status, sic triplex statuitur victus.

Ordo medicinæ spiritualis.

Medicina spiritualis.

Quomodo peccata, acuti, peracuti, & acutissimi morbi, rationem habeant.

Isid.

Peccatum, acuti, morbi, rationem induit, ex ipsa acuti nominis ethymologia.

multiplicatos peccatorum actus, peracutus diuini furoris, gladius efficitur, qui ad vindictam, in peccatoris pœnam, inde procedit, vt Deut.32.f. *Si acuero, vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudiciũ manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam.* Iste igitur spiritualis morbus peracutus, scilicet peccati, ac animæ illabitur, hæc *statim extremos habet labores*, imò, Didym. Psalm.7. ait: *Peccatum, grauissimus labor est.* Et maximis, peccator agitatur conscientiæ synderesis symptomatibus, ecce labores animæ; quare D.Bernard. de interiori domo cap.23. ait: *Vnicuique enim labor, est propria conscientia; summis peccatorum suorum perturbationibus, concutitur rea mens, & delinquentis animus*; maximè verò tempore mortis, quando peccatoris menti, peccata, quibus Deum offendit, proximum læsit, & propriam neglexit salutem, de quibus exactam summo Iudici rationem reddendi, tempus instat, occurrunt; tunc extremus habet labores mentis, & cordis summis afficitur pœnis; quare *Extremo tenuissimo tunc victu vtendum est*: idest exactæ pœnitentiæ, vt Bern. serm. 18. *Cæpisti laborare, sanari non potes, nisi amarum calicem biberis.* Victus iste tenuissimus, sicut in corporali ægro est ptisanæ potio, vt diximus, in spirituali ægro, victus tenuissimus, erit potio lacrymarum, vt Psalm.79.a. *Et potum dabis nobis, in lacrymis, in mensura*; quæ lacrymæ, victus dici possunt, animæ, vt Psalm.41.a: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ, panes.* Vel secundo, quoad literam, explicare possumus, hunc victum tenuissimum, esse ieiunium, quod alit animã, vt Chris. hom. p. in Genes. *Ieiunium animæ nostræ alimentum est*; hoc enim remedium est, contra acutum peccatorum morbum, vt Theod. ad eum locum Ioel. p. *Sanctificate ieiuniũ*, ait: *Docemur, vt Ieiunium animæ male habenti, sit medicina salutis.* Sed de hoc, in sequenti Aphorismo. *Vbi verò non sed pleniorem victum contingit adhibere.* Et hæc est secunda pars huius moralis Aphorismi, qua docemur, quod, vbi exactæ pœnitentiæ, vigor, præ tenuitate virium peccatoris, non subsistit, vt propterea remissior sit decernenda pœnitentia, hæc viribus pœnitentis; erit commensuranda, & secundum, quod spiritualis morbi vigor remittitur, sic seuerioris pœnitentiæ etiam; relaxanda manus; ideo ait Hippocrates: *Tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior.* Hæc pro medicina spirituali &c. ex quibus, paragrophos opportunos eliciemus.

Didym. — Ber. — Bern. — Victus tenuissimus, lacrymarũ potio. — Victus tenuissimus, etiam est ieiunium. — Chris. — Theod. — Pœnitentiæ rigor, pænitentis commensurãdus viribus, & qualitati morbi.

Vbi morbus peracutus est, statim extremus habet labores. tex.

§. I. Spiritualis æger, à peracuto mortalis culpę, correptus morbo, diuersis statim, passionum, timoris, & consciẽtiæ synderesis laboribus, contorquetur.

Vbi morbus peracutus est, statim extremus habet labores. tex.

§. II. Qui à peracuto, grauium peccatorũ vrgetur morbo, mortis pręcipue tempore, maximis mentis, & corporis, symptomatibus, excruciatur.

Extremo

Extremo tenuiſſimo victu, vtendum eſt. tex.

§. III. Ad maximam peracuti grauium peccatorum morbi vim edomandam, tenuiſſimus lacrymarum victus adhibendus.

Vbi vero non, ſed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum eſt, quantum morbus extremis, eſt mollior. tex.

§. IV. Vbi pro viribus pęnitentis, taxatus pœnitentiæ rigor non ſubſiſtit, tantum indulgentiæ manus relaxanda, quantum, peccati lenteſcit morbus.

Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores. tex.

§. I. Spiritualis æger, à peracuto mortalis culpæ, correptus morbo, diuerſis ſtatim, paſſionum, timoris, & conſcientiæ ſyndereſis, laboribus contorquetur.

1 Fabuloſum eſt apud Poetas, Prometheum, hominem de luto formaſſe, Mineruæ inde auxilio, Cœlos conſcendiſſe, & à rota Solis, admota face, ignem ſurripuiſſe, quo hominem à ſe formatum, inde animauerit; ideoque iratos Deos, huius culpa, terris morbos, febres, & alia mala immiſiſſe, & ipſum Prometheum, ſaxo in monte Caucaſo alligatum, ibi per Mercurium fuiſſe relegatum, & ad huius cor exedendum, Aquilam deſtinatam. Verum ſi ex huius fabulæ ſimplicibus, intellectus noſtri igne, ad ſalubrem animarum noſtrarum potionem, moralis ſenſus eruditionem, diſtillare exoptamus, dicamus iſtum Prometheum eſſe peccatorem, qui ex luto vilium harum terrenarum voluptatum, ſibi in mentis, & cordis ſui officina, efformat, & effingit ſimulacra, vt p. Cor. 12. a. dicitur: *Ad ſimulacra muta, pro vt ducebamini, euntes*; vel hominem, ab humo dictum, ſibi efformat, terrenæ humanæque naturæ varietatem, & fragilitatem, cui mente, & corpore adhæret, deſignantem, vt ad Rom. 6. d. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ*; inde aſcendit in Cęlum mente, contra Deum, ob culpam, Luciferi ſuperbię alis innixus; vt Pſalm. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*; & ſuæ peruerſæ voluntatis face admota, à Sole iuſtitiæ, diuinæ indignationis ignem ſurripit, ſecundum illud Pſalm. 88. *Exardeſcet, ſicut ignis ira tua*; quare huius culpa, non Dij, ſed Deus verus, mala, morbos, aduerſitates, & flagella immittit terris: propter enim peccata, veniunt aduerſa, vt Pſal. 38. c. *Propter iniquitatem corripuiſti hominem*; & ad ipſum infælicem Prometheũ, perfidiæ ſuæ ſaxo alligatum, vt D. Auguſt. ait 6. Confeſſ. *Suſpirabam ligatus, non ferrea catena, ſed mea ferrea voluntate*, Aquilam Synderesi conſcientiæ, dimittit, quæ roſtro ſemper timoris, & afflictionis continuæ ipſius peccatoris cor exedit, ſecundum illud Prouerb. 30. *Comedēt eũ, filij Aquilæ*; & Iſ. 66. b. *Vermis eorum non morietur*. Quare B. Petr. Damian. lib. 2. epiſ. 5. ait: *Inſe-*

Promethei fabula, in peccatore adũbrata, cuius conſcientię ſynderesis, velut Aquila cor exedit.

Peccatum veluti Promethei Aquila, cor exedit peccatoris.

Auguſt.

Petr.Dam. *Infalix mens, suspecta semper, & vaga, curiosa, anxia simul atque solicita, quæ curis impellentibus, in multa diuiditur, diuersarumq; passionum, morsibus laceratur.*

2 De Aquila refert Patientissimus, quod viso cadauere, ad hoc statim conuolat, Iob 39. *In petris habitat, & in proruptis silicibus cõmoratur, & oculi eius de longe respiciunt, & vbi cadauer fuerit, statim adest.* Præsentis particulæ nostræ sensum, maximè hæc sententia aperit: *Vbi morbus peracutus est, extremos statim habet labores.* Peccator dici potest istud cadauer, quia Deo caret, qui est vera vita animæ, vt ipse Saluator, intulit, Io: 14. a: *Ego sum via, veritas, & vita*; vel cadauer à cadendo, quia in peccatum cecidit; frigidum est, quia à vero charitatis igne, qui Deus est, vt Deut. 4: *Deus tuus ignis consumens est*, elongatur culpa: Vbi igitur hoc peccatoris cadauer extiterit, ad hoc Aquila synderesis, statim accurrit, ipsius infœlicis Promethei peccatoris, timoris, & cruciatus rostro, cor conscientiæ exedens; quod in primo homine, licet animaduertere, dum peccauit; ecce statim vox Domini vocãtis Adã, Gen. 3. *Vocauitque Dominus Deus Adam, dixitque ei: Vbi es?* & respondens Adam, inquit: *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me*, Gen. ibi. Ecce timor, qui eum apprehẽdit, sed quare timet? quęnam timoris causa subest, horroris occasio vnde? nulla nec pœnę, nec diuini rigoris comminatio præcessit; humanus nullus aderat, ad eum accusandum, testis; nundum de culpa arguitur, & iam pœnæ ipse timoris sui signa prodit? nisi, quia ipsius cõnscientia peccati rea, ipsa erat testis, ipsa intus arguebat, accusabat, obiurgabat, & ideo ei timorem incutiebat; vt Chris. hom. 17. in hunc locum, ait: *Quare, dic oro,* scilicet timuit? *quoniam videbat sibi trucem stare accusatorem, conscientiam dico; neque enim alium obiurgatorem habebat, & testẽ peccatorum, sed vnicum illum, quem intrinsecus circumferebat.* Chris.

Cadauer, dicitur peccator, quia Deo caret; vel à cadẽdo in culpã, ad quod Aquila Synderesis accurrit.

Adæ, peccatum, timorẽ incutit.

3 Sola peccati facies, terrorem incutit peccatori; hinc est quod Dauid intulit Psalm. 37. *Non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.* Sed quomodo peccata dicuntur habere faciem, quæ propriè hominis est? Possemus dicere primò, peccata habere faciem, ratione passiuæ cognitionis, nam sicut facies est, qua homo cognoscitur, sic ex eo, quod à peccatore peccata cognoscuntur, vt Psalm. 50. dicebat ipse Dauid: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, faciem habere produntur. Vel secundo posset dici; *à facie*, hoc est à memoria, & recordatione peccatorum meorum; sicut enim cum quis recordatur aliquarum afflictionum, quas sustinuit, non potest non perturbari mente, sic in recordatione peccatorum. Peccatoris conturbatur consciẽtia; ideo Hug. Card. in Psalm. 37. ait: *Cum respicio peccata, quæ feci* (ecce facies, quæ aspicitur) *non habeo pacem, sed dolorem, & confusionem.* Faciem enim peccati, respicit, facies iræ Dei, quæ maximè angit, & excruciat timore, ob imminentia, peccatores, flagella, ideo Psalm. 37. ait, idem Dauid. *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ*; vbi D. Gregor. etiam ad rem nostram ait: *Nulla anima potest habere requiem, donec peccati in se habet recordationem*: Imò imago ipsa peccati, vt terrifica diaboli, larua monstruosa, maximo terrore peccatorem afficit, nec quiescere sinit, vt Ambr. in Psalm. 35. *Offenditur enim* inquit, *nobis.*

Quomodo peccator dicatur habere faciem; diuersæ expositiones.

Hug. Card.

Greg.

Ambr.

nobis vltrix imago peccati, nec quietum reum ſuum eſſe permittit.

Regis Balthaſaris terror, in viſione manus ſcribentis in pariete.

4 Maximè torqueri videbatur, ſummus ille Rex Balthaſar, ac alius Prometheus ab aquila peccati, ipſius conſcientiæ cor exedi, Daniel. 5. Cum enim coram mille ſui Regni optimatibus, lautiſſimo conuiuio, lætus in Dei offenſam, maximè verò, in ſacrorum vaſorum abuſu, & contemptu, debaccharetur, caſu oculos ad parietem, conuertens: *Apparuerunt*, ait textus, *digiti, quaſi hominis ſcribentis, contra candelabrum, in ſuperficie parietis aulæ regiæ*; & ſequitur tex. Daniel. 5. *Et rex aſpiciebat, articulos manus ſcribentis; tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius adinuicem collidebantur*; ſed cur, tã citò inter gaudia, triſtitiam prodit? inter lætitiæ ſcenas, mœſtitiæ interponit argumenta? & quomodo ſuperba conuiuia in funeſtos, reſoluuntur apparatus? dapes, & prætioſæ epulæ, in amaritudinum, & mortis, abſynthia inuertuntur? læta pocula implentur luctibus, generoſa lætitiæ vina odioſis mæſtitię diluũtur lacrymis? muſices concentus, in lamenta reſonant? epithalamia, in Epithaphia tranſeunt? cordis cythara, lõga per ſuſpiria modulatur.

Subitaneus Regis deſcribitur terror.

Et vnde huius terroris occaſio, vt tantus timor, Regis vultum, mortis pallore ſignaret? tremor ſubitaneus, tam potentis Regis robuſta inuaderet, & collideret membra? gaudij tibicines, repentè inſtantis mortis reſonarent clangores? Et quid inſpicit Rex iſte? manum? nec hanc quidem, digitos tantum: *Apparuerũt digiti, quaſi hominis, ſcribentis*. Vah quid audio, extremitas manus, & tantum timorem hæc incutit Regi? ſi manum quidem inſpexiſſet armatam, nudum ferrũ in Regem diſtringentem; ſi ferocẽ Leonem, ſi exercitum armatum in eum conſurgentem vidiſſet, tunc timore affici non fuiſſet mirum; ſed necdum ei timendum erat, quia ſi manus armata fuiſſet, mille optimatibus ſtipatus, ſecurus erat; ſi Leo, milites cuſtodes aderant, pro Regis ſui ſalute, peruigiles; ſi armatus exercitus, ſtatim, & alium in ſui defenſam poterat conflare; quid igitur eſt, quod vix ſimplicis in pariete ſcribentis manus, aſpectus, tot graues timoris, in ſui cordis pergameno, exararet caracteres, quibus pallido mortis colore conueſtirentur genæ? tremula vix membra ſubſiſterent, genua colliderentur, & renum diſſoluerentur compages? peccatum, peccatum, hoc, erat armata manus, Leo ferox, qui eum exanimabat; exercitus validus, qui in mentem eius ad terrorem conſurgebat, & oppugnabat, internus carnifex, qui eum excruciabat, quare Iſidor. lib. 2. ſoliloq. *Conſcientia*, ait, *rei, ſemper in pœna eſt, nunquam ſecurus eſt reus, mens enim mala conſcientia, proprijs agitatur ſtimulis*.

Peccatũ Regis, timorẽ talem incutit, vt eiuſdẽ colliderẽtur genua, & diſoluerentur compages membrorũ.

Iſid.

5 Maximos conſcientiæ cruciatus, ſui parricidalis ſceleris, experiebatur Cain, continuis, timoris, & tremoris pœnis agitatus. Et quare Deus illum fratricidam, mortis reum, à morte abſoluit? ſi lex præcipit, vt qui gladio ferit, gladio pereat; & morte afficiatur, qui alteri mortem intulit, & quare Cain pro tanto ſcelere, mortis nõ luit pęnas? imò in futurum occiſorem eiuſdem Cain, maximas Deus minatur pęnas, dicens, Geneſ. 4: *Omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*. Sed dicamus, ita Dominum, vitæ Cain reſeruaſſe, vt infinitas propemodum viuendo cruces ſuſtineret, continuis cõſcientię terroribus obnoxium, eum reddens, hæc enim

Cain timoris.

Quare De⁹ Cain, vt reũ mortis, morte non afficit, ſed potius occiſorem huius cõminatur.

atrocior pœna est, quam simplex mortis, illa. Quare D. Ambr. lib. 2. de Cain, & Abel cap. 9. ait: *Mors enim vna est, in secessione animæ, & corporis, quæ simul, vt venit, omnes corporis dolores auferre, non angere consueuit, metus verò, qui hanc vitam viuentibus frequenter ingruunt, plurimas etiam mortes inferunt, vt ista mors remedium esse videatur, non pœna.* Continuò cruciatibus suæ conscientiæ viuebat ad mortem, eius, qui tam nefandi sceleris, fratricidij, cucurrit ad culpam, & in huius indulgentia vitæ, Dominus in Cain sententiam, exequebatur mortis; quare idem Ambrosius, vt supra, sic concludēs, ait: *Ergo, & isti Cain longæuitas indulta, vindicta est, eo quod vixit in metu, & prolixum spatium cucurrit multo, & infructuoso labore.*

Ambr.

Non punit Deus Cain morte, vt continuam mortem in peccati cruciatu iste pateretur.

Ambr.

Vnde tanti timoris occasio in Cain.

6 Conscientiæ suæ reæ latratibus, pertimescens, Cain, velut lepus timidus fugiebat, quos, cum nō fugabant: quare timoris sui sententiam eructans ad Dominum conuersus, inquit, Genes. 4. *Omnis, qui inueniet me, occidet me.* Fortassis, plures Cain habebat vitas, vt à pluribus posset, non tantum, semel occidi? sed quis erit iste, *omnis?* Vbi erant, qui in hunc molliri possent mortem? de duobus fratribus, occiso Abele ab eodem Caino, hic solus superstes remanebat, nunquid parentes, qui vitæ eum genuerant vitam auferent, cum non alium filiū haberent? sorores non in illum violentas manus intulissent, quia nec alium fratrem habebant, nec contra ipsum præualere potuissent; alij homines non aderant, qui eum occidere possent, cur ergo ait: *Omnis, qui inueniet me, occidet me?* quis igitur erit iste, *omnis?* Possemus dicere cum D. Thoma hic: *Quod lex naturalis, ei dicebat, vt Sap. 11. Quod per ea peccat quis, etiam torquetur, sic ne occideretur, sicut Abel occiderat, meritò timebat;* sed dicamus ad rem nostram, quia ait sapiens, prou. 28. *Fugit impius nemine persequente, iustus autē, quasi Leo confidens, absque terrore erit;* sic Cain, sui sceleris cōscius, à Deo maledictus, vt Gen. 4. *Maledictus eris, vagus, & profugus eris super terram,* timebat, ne, vt signum diuinæ iustitiæ effectus, vt dicitur Gen. 4. *Posuit Dominus signum in Cain,* percuteretur ad mortē, quia, vt ait, D. Chrisost. hom. 8. ad populum. *Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, vmbras tremunt, omnem strepitum timent, & quemcunque existimant contra se venire;* ideo timebat, ne vepres conuerterentur in lanceam, aues in hostem, lepus mutaretur in lupum, ouis in Leonem, qui in eum irruerent, confoderent, occiderent, discerperent, dilaniarent, deuorarēt: *Timebat,* inquit, D. Thom. hic, *quod omnis, qui eum inueniret, sicut legens in eo sententiam mortis, & sicut executor diuinæ iustitiæ, mortem sibi inferret.*

D. Thom.

Chris.

Peccatores, omnia suspecta habēt.

D. Thom.

Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores. tex.

§. II. Qui à peracuto, grauium peccatorū vrgetur morbo, mortis præcipue tempore, maximis mentis, & corporis, symptomatibus, excruciatur.

1 SI peccatum, acutus est moralis animæ morbus, vt supra in medicina spirituali diximus, meritò multarum aggregatio culparum, peracuti morbi, nomen sortietur, & formam; hic morbus

pro-

proximè viam sternit ad mortem, quare cum hunc multi comitentur labores, spiritualis æger, hoc peracuto multorum peccatorũ laborans morbo, maximè mortis tẽpore, quo ab hac vita recessurus, & summo Iudici, de mala sua acta vita, est rationem redditurus, multis profectò timoris, & doloris, mentis, & corporis excruciabitur symptomatibus: quod si simplex mortis memoria, mæroris absynthio tegitur, vt Ecclesiast. 4. *O mors, quam amara est, memoria tua*, quid res ipsa erit? Videmus enim eum cui mortis sententia denuntiata est, statim languidum ad sinum demittere caput, supercilia deprimere, vocem silentio damnare, solum eiulatus edere, vultu, & ore subcinericio tinctum colore, pallescere; tacentem linguam deficienti spiritui, ad dolorem prodendum, munus committere, qui in vehementiarum pens suspiria, futurum animæ violentum, e corpore egressum, tristi lamentatione deplorat; & summis mentis, & corporis terroribus concutitur: ecce peracuti temporalis morbi, mortis apprehensæ labores, quare meritò, mortem, Aristoteles appellat, vltimum terribilium. Si igitur timor temporalis, tantum futuræ apprehensæ mortis, tot mentis, & corporis infert cruciatus, quos profectò labores, quas anxietates, in spirituali animæ nece, & in huius æternę deperditione salutis, ad gehennalia damnandę supplicia, interueniri non admittemus? Nulla certe cum eius reddendæ rationis Deo, instat dies, deliciarum voluptas; eius depressam subleuat mentem; nulla diuitiarum copia, honoris magnitudo, eius cordis apprehensæ mortis, dulcessit amaritudinem; nullum amicorum solatium eius temperare valet dolorem, demulcere tristitiam;

Descriptio damnati ad mortẽ, qua afficiatur pœna.

Si temporalis mortis apprehẽsio, tot cruciatus parit, multo magis, illa ętern æ mortis erit.

quare Hug. Card. in Psalm. 17. ait: *Dolor, quem ingerit necessitas discedendi in Infernum, hæc inquam peccata in fine vitæ, extremos pariunt labores.*

Hug. Card.

2 Cum Democles, vt apud Valerium, coram Dionysio eloquenti oratione, diceret, & adulatoria nimis amplificatione, Regum fęlicitatem ostentaret, præcipue, quod splendidissimè amicirentur, & lautissimis omni deliciarum genere, refertis, fruerentur conuiuijs; ab hoc Rex quæsiuit, num vellet, secum suam commutare conditionẽ, cui pręsto annuens Democles, hũc, Rex statim purpura indutum, in Regio throno magnificè apparato, collocari iussit, nobili procerum stipatum corona, & ante eum mensam regalibus refertã dapibus sterni, prætiosissima apponi pocula; musicali quoq; voluit applausu venerari; verum super huius caput nudum acutum districtum ensem, tenuissimo nexum filo, perpendiculariter capiti insidentem, suspendi præcepit, quod perspiciens Democles, nimio timore constratus, nullam ex Regio throno, ex purpureo amictu, ex regalibus ciborum delicijs, ex nobili Aulicorum corona, voluptatem percipiebat, cõtinuò veritus, ne ex improuiso, ensis, velut Iudex in eum sententiã mortis ferret, & vt carnifex ei vitã adimeret, sic thronus in sepulchrum, cibus in venenum, musices epithalamia, in Epitaphia, purpura in funebrem apparatum, verterentur; quare in hac periculosa magnitudine consistens, ad pristinam, priuatamque conditionem citò petijt reuocari. Verum longè maior angustia obijcitur peccatori, qui ad vltimum vitæ terminum, redactus, tot grauium culparum læthali peracuto grauatur morbo, cui districtus diuinæ iustitiæ, & æterni rigoris,

Democles à Dionysio in throno Regio eleuatus

Valer.

Peccatoris in extremo vitæ, quot angustiæ.

ris, Iudicis supremi, gladius insistit ad mortem, vt Exod. 15. b. *Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Tenuissimus huius fugacis vitæ, & aufugientis temporis, filo nexus, tempore mortis inquã, vbi non delicata degustanda apponuntur fercula, sed exacta ante actæ malæ vitæ, ratio restat reddenda; vbi non generosa degustantur vina, sed amara lacrymarum, necessariò ebibenda, apponentur pocula; vbi non regalis purpura ad indumentum deseruiet, sed ardens flamma, ad pœnam desęuiet; vbi non nobilis Aulicorum corona adstabit, sed horribilis visio dæmonũ; vbi non armoniaci concentus, recreabit melos, sed formidolosa ęterni Iudicis, perterrebit præsentia, & mortis iusta sententia; ideo Hug. Card. *Dolor quem ingerit necessitas discedendi, in Infernum; hæc inquã peccata, extremos in fine vitæ pariunt labores.*

Hug. Card.

3 Quare in lamenta, & eiulatus tunc peccator erumpẽs, dicere poterit cum Psalm. 17. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* Oh quantis, tunc peccator præmetur angustijs; si cœlum spectabit, suis turpitudinibus clausum, & suæ saluti obsignatum videbit: si oculos demittet, Infernum conspiciet apertum, vbi infernales dracones, ore hiantes, eum expectant, ad prędam: si à dextris, diabolum cernet accusatorem, vt Psalm. 108. b. *Et diabolus stet à dextris eius*; si à sinistris Angelum Custodem mæstũ, illius misertimi peccatoris miseriã deplorantem; si retro, suarum iniquitatum, tumultuantem turbam spectabit ingentem; si ante se, Deũ, ad indignationem, culpis suis prouocatum, furore exardescentem, dexteram diuinæ iustitiæ telis armatam, in eum ad pœnam extendentem prospiciet; intus pauor, remordẽs, oblatrans cõscientia; foris ardor. Quare sicut dicitur Daniel. 13. de Susanna: *Ingemuit Susanna, & ait angustiæ sunt mihi vndiq;* Oh quam fœlix tunc peccatori, esset sors, tempus si ei ad noua pęnitentiæ, lamenta, pro suis culpis expiandis suppeteret, posse redire? sed quia in peccatis obdurruit, spes deperditur: vt de illo scelesti Antiocho, dicitur 2. Matth. 9. c. *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*, & ideo ad rem nostram, optimè concludit D. Gregor. lib. 8. mor. cap. 5. *Eius clamorem, Deus tempore angustiæ non audit, qui trãquillitatis tempore, clamantem Dominum, non audiuit.*

Ex omni parte, in morte peccatoris, quales angustiæ.

Greg.

4 Malæ conscientiæ suæ stimulos amplius sufferre non valens Saul moriturus, ab Amalecita occidi petit, dicens, 2. reg. cap. p. *Sta super me, & interfice me*: Res planè inaudita, quod homines, qui à morte abhorrent, & ab hac effugere totis viribus contendunt, maximè verò Reges, qui dominij regnorum, sceptra gerunt; cuius præceptis populi obtemperant, & pro voto, vt in pluribus omnia eis succedunt, mortem appetant, & occidi postulent: *Sta super me, & interfice me*, & subdẽs rationem, ait: *Quoniam tenent me angustiæ*; & quænam adeo potentes erunt augustię, quibus remedio, occurrere non valeat, cum maxima Saul potentia polleret? Ex hebræo legit Abulensis: *Quoniam tenent me ora vestimenti Sacerdotalis*; suarum recordatio iniquitatũ, erat morbus peracutus, qui summis Saulem ita excruciabat doloribus, præmebat angustijs, vt magis mortem oppetere optaret, quam vitam sic miserrimam amplius traducere, & acrem conscientiæ suæ reæ, sustinere tortorem. Morituro enim

Suæ cõsciẽtiæ latratus, sustinere nõ valens saul, occidi petit ab Amalecita.

Abulens.

sibi

sibi mente occurrerant sacrilegia commissa, quod Sacerdotes sacerdotalibus vestibus indutos, morti tradiderat, quare hos in iudicium eum coram Deo vocare, sibi videbatur ad pœnam, vt Abulens. qu. 5. ad eundem locum, ait: *Videbatur sibi Saul, quod propinquus morti, videret Sacerdotes Domini, accusantes eum in iudicio coram Deo.* Quos cruciatus amplius ferre non valens, vitæ suæ terminum imponere satius statuit: ideo dixit: *Sta super me, & interfice me*, quam tot tormentis conscientiæ obnoxiam, vitam ducere; ecce qualiter malæ conscientiæ peracutus morbus, tẽpore mortis, maximè excruciet ægrum peccatorem, vt magis mortem appetat, quam in vita hac, peccati sustinere cruciatus.

Abulens.

5 Adeo graues sunt reæ conscientiæ dolores, omnibus corporis doloribus diriores, vt exhalanda anima, hos iam nequeat tolerare. Huc voco in testem, Regem illum Antiochum, qui morti proximus, in mari tristitiæ natans, à doloris fluctibus maximis, actus, ad naufragium æternæ mortis, properabat, vt diximus num. 3. qui prius lætitiæ, & voluptatum portum tenebat, ideo p. Machab. cap. 6. dicebat: *In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea?* & quænã erat hæc tristitia, de qua tam acriter conquerebatur, quæ viuentem excruciabat, & morientem obruebat? ecce causam, quam assignat: *Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, vnde & abstuli omnia spolia aurea, & argentea, quæ erant in ea &c.* hæc enim mala, erant tristitiæ fluctus, qui in eum irruebant ad mortem, & ad animæ naufragium confluebant. Huius vitæ tormenta finita sunt, at verò malæ conscientiæ pœnæ atrociores recrudescũt, & quod peius est, in æternum perennabunt; quare Is. 66. *Vermis eorum non morietur*; in quem locum D. Bernardus, lib. 2. de consid. ad Eugeniũ, ait: *Hic est vermis, qui non moritur memoria præteritorum, semel iniectus, vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps auellendus, nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca, vtique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem viuacem: Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit, quis det illis semel mori, vt non moriantur in æternum?*

Conscientiæ reæ cruciatus peccator non valet sustinere, patet hoc in Antiocho.

Ber. Rea cõsciẽtia, vermem immortalẽ habet, qui semper eam corrodit.

6 Olim Dauid, quod summę sapientiæ, & maximè considerationis concionem sit habiturus exponit; quare omnium gentium aures ad audientiam aucupat, & exposcit, Psalm. 48. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem &c.* & graui præhabito exordio, ad substantiam suæ propositionis, deuenit, dicens. *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Quibus verbis insinuare videtur, quos terrores, mortis tempore, mala conscientia, peccatori incutiet. *Cur timebo*, inquit, *in die mala?* hoc est, vt exponit D. Hieronymus hic, *In die Iudicij*; tunc inquam quando peccatori exactè reddendæ rationis de actibus suis, tempus instabit, & ait, peccata tempore mortis, eo vsque ad pœnitentiam reseruata, acerrimi ei hostes erunt, dirum ei bellum indicent, & in maximum inducent timorem, & ob hoc dicitur, Dies mala; Ait igitur: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*; sed quomodo hoc? nunquid in calcaneo ratio residet, discursus viget, inue-

Hieron. Quid sit iniquitas calcanei; diuersæ explicationes.

inuenitur voluntas, à qua iniquitas prodat, peccatum oriatur, culpa emanet? cum nullum peccatum adsit nisi voluntarium, per consensum, & voluntatis actum? Possemus dicere per iniquitatem calcanei, intelligi illa peccata, quæ negligentiæ pede pessundata, vt vilia posthabita, & in confessa relicta fuerunt; de his, tempore mortis, rigorosa reddenda erit ratio. Sed ad rem nostram, dicamus, quod iniquitas calcanei, sit peccatum, in fine vitæ, vt diximus, reseruatum, quia, sicut calcaneus, est vltima, & extrema pars corporis, ita peccatū ad vltimum vitæ terminum dilatū, ad finem vitæ, ad pęnitentiam productum, hoc erit morbus acutus, vt diximus, qui maximos peccatori incutit timoris, horroris, & instantis pœnæ, labores, & ideo inquit; *Iniquitas calcanei mei circundabit me*, hoc est, non ex vna, sed ex omni parte animæ, voluntatis, mentis, sensus, corporis, & omnium potentiarum mortis periculū instans excruciabit peccatorem, & ipsa erit Iudex, & tortor. Quare D. Bern. de inter. dom. ait: *Nulla pœna maior est mala conscientia, omnium siquidem delictorum nostrorum ipsa est testis, ipsa iudex, ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusat, ipsa iudicat, ipsa punit, ipsa condemnat, vnicuique enim labor est sua conscientia.*

Prima expositio. — *Secunda ad rem nostrā expositio peccata in finem vitæ reseruata.* — *Ber.*

7 Sed, & adhuc reuocemus hāc sententiam, meditemur Psalm. 17. *Iniquitas calcanei mei, circumdabit me*. Notate illud, *circumdabit me*. Quasi dolorum, & angustiarum obsidionem in animam peccatorum peccatum obfirmet, vt idem Dauid Psalm. 17. dixit: *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me*; quibus verbis datur intelligi, quod aggregatio peccatorum, quæ est morbus moralis peracutus, extremis terroris, & afflictionum; ægrum peccatorem symptomatibus excruciat, & mortis maximè tempore, doloribus exagitat. Sed quomodo iniquitates, torrentum nomine designat? Torrens enim ex pluriū aquarum aggregatione, & fluxu resultat, & coalescit, & sicut peccata aquæ nomine exponuntur, vt Iob 15. *Bibet quasi aquam iniquitatem*, sic plurium aggregatio peccatorū, torrentem efficit, qui in peccatorem ad æternæ mortis naufragium inuadit, ideo ait, *& torrentes iniquitatis conturbauerunt me*. Et vt innotescat, quod istæ perturbationes, sint imminentis mortis; ideo subdit, eodem Psalm. 17. *Præoccupauerunt me, laquei mortis*, ecce peccatum, quod est maximum, æternum illud præueniens, supplicium. Peccatum enim animā illaqueat ad pœnam, & quia pœnæ sunt plures, ideo non vnum tantū, sed plures dicit laqueos mortis, qui sunt dolores extremi; *mors* enim ait *Aristoteles, est vltimum terribiliū*, quare bene Hug. hic ait: *Dolor quē ingerit necessitas discedendi in Infernum, hæc inquam peccata, extremos in fine vitæ pariunt labores*.

Peccatum, obsidione animam circumdat. — *Aggregatio pluriū peccatorū, velut torrens inuadit ad naufragium peccatoré.* — *Hug. Card.*

8 Et tantus erat dolor, quem in animam Iudę extremum illud proditionis suæ peccatum ingesserat, vt cum amplius tolerare non posset, hunc, morti ipsi, imo Inferni doloribus, qui ei de proximo instabant, præposuerit; quare sicut diximus, quod mala conscentia, ipsa, est culpæ peccatoris testis, iudex, & carnifex, quæ peccatorem accusat, cōdemnat, excruciat, elegit propterea sibi infœlicissimus ille proditor, potius disruptis visceribus, animam efflare, quam illo incluso in animo, dolore, vitam ducere, & malæ conscientiæ continuis pęnarum flagris lacerantem, animam, sustinere tortorem; quare Chrisost. in Psalm. 7.

Iudas se suspendit, impatiens cruciatus proditionis suæ — *Chris.*

Cum non posset, ait (scilicet Iudas) *ferre Iudicij conscientiæ dolorem*, *adaptato sibi laqueo, vitam finiuit.* Quare peccatori, qui peracuto hoc plurium, & grauium peccatorum vrgetur morbo, nõ ad tempus mortis, pęnitentiæ remedium est differendũ, sed statim tenuissimo lacrymarum victu, vtendum, vt modo dicemus.

Extremo tenuissimo victu, vtendum est. tex.

§. III. Ad maximam peracuti grauium peccatorum morbi vim edomandum, tenuissimus lacrymarum victus adhibendus.

Lacrymæ, ad peccatorum veniam impetrandã

1 QVia in medicina corporali diximus, in morbis acutis, ptisanæ substantiam ad victum esse adhibẽdam, & quia hæc triplici modo potest sumi, scilicet in potione, sorbitione, & cibo; cum omnium tenuissimus victus sit potio, quæ cum lacrymis symboleitatem videatur habere, vt Psalm. 102. *Et potum meum, cum fletu miscebam*, & alibi etiam Ps. 79. a. *Cibabis nos pane lacrymarũ, & potum dabis nobis, in lacrymis in mensura*, meritò ad summam grauium peccatorum vim edomandam, lacrymarum potum adhibendum esse, pro remedio censerem.

2 Grauia peccata, peracuti morbi dici possunt; nam sicut isti, secum semper quandam inflammationem, ex sua natura trahunt, sic grauia peccata, diuinę iustitiæ indignationis, & futuri supplicij ignẽ, virtualiter in se continent, reatus flammam includunt, & earundem culparum deformitas, in se dispositionis gehennalium pœnarum, præhabet ardorem, meritò ad horum extinctionem, lacrymarum aqua, pro remedio apponenda traditur. Reliquit enim hoc Recipe, D. August. in Psalm. 94., qui ait: *Si ardet conscientia delicti, lacrymis extingue flammam peccati*, & D. Hieron. in Psal. 149. *Incendium carnis, rigo lacrymis, & extinguo.*

Aqua lacrymarum, ad peccati ardorem extinguẽdum adhibenda. August.

Hieron.

3 Infelix diues, ille Epulo, æternis addictus supplicijs, ab Abram aquę guttam, sibi per Lazarum instillari poscebat, ad pęnarum suarum refrigerium, dicens, Luc. 16. *Pater Abraam, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*; quam tamen guttam non recepit, qui viuens immisericors, pauperi Lazaro micam non dedit. Sed dicam ego, cur aquæ guttam, sibi in linguam irrorari petit; qui totus in flammis ardebat? quid prodesse poterat aquæ gutta ad refrigerium, vbi tormentorum diluuium inundabat? quid dulcoris tantillum præstat, vbi dolorum amaritudo enatat? quid lucis simplex fintilla transiens, vbi palpabilium tenebrarum immensus dominatur horror? cur potius super ipsũ copiosum non petit descẽdere imbrem? aquarum, in eum flumina conuerti, maria irruere, deuolui, ad ignium infernalium voraginem reprimendam, ardentissimas ad mitescendas flammas, tormentorũ atrocitatem compescendam? & quam spem refrigerationis in aquæ gutta tenet? Gutta ista aquæ, lacrymarum symbolum est, quæ de venis contriti cordis piè erumpens, maximarum à labe culparum, animam expurgat, vitiorum abstergit maculas; diuinę misericordię agros irrigat, ad desideratos venię fructus proferendos, latam diuinæ iustitiæ in peccatorem, æternæ mortis delet sen-

Cur diues Epulo, ad pęnarũ suarum refrigerium, vnam tantũ aquæ guttam, petit.

Gutta aquę symbolũ est lacrymarũ, quarũ simplex, gehẽnales pœnas, extinguit.

sententiam, & tandem deuorantem Infernalis supplicij, flammam extinguit, vt Chrysol. ser. 93. ait: *O quanta vis in lacrymis peccatorũ; rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus, diuina promulgatione, sententiam*: quare non flumina, non maria, simplici lacrymæ æquiparari possunt; hæc enim ingentem flammarum rogum, extinguit infernalium, quod, multarum aggregatio, non præstat aquarum, vt D. Chrisostom. hom. 5. de pœnit. ait; *Rogum peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, sed lacrymis paucis, multus quidem peccati ignis, sed modica extinguit eum, lacryma.*

Chrysol.

Chris.

Nulla tam fęda peccati macula, quæ lacrymarum non deleatur aqua.

4 Nulla adeò tam grauis, & fęda culpæ macula inuenitur, quæ lacrymarum, non deleatur aqua, compunctionis maximè smegmati commixta, vt Chris. *Lauant lacrymæ congeriem peccatorum*. Maximam profectò Petrus culpę contraxit maculam, Magistrum suum abnegando; Post negationem audiẽs galli cantum, veluti de sua culpa, eum obiurgantis, quasi in se confusionis nubes effectus, lacrymarum imbre plena, ad suæ culpæ cognitionis cælum, Solis iustitiæ aspectu eleuata, vt Luc. 22. *Et conuersus Dominus, respexit Petrum*, in flebiles prius doloris, & contritionis accentus eructans, quasi insertis inter digitos, manibus, in cælum mentis, & corporis eleuatis luminibus, diceret; Eheu Eheu, me miserum, quid egi? infelix discipulus magistrum meum negaui, quem filium Dei viui, fueram antea confessus; cui fidem dedi, promissis non steti; humanum timorem, diuino amori præposui; quomodo Petra ero, qui Petra, à Christo ad firmitatem sum vocatus, Ecclesiæ, qui à pauca vilis fœminæ interrogationis aqua, negatione dissoluor? quomodo Ecclesiastici culminis fundamentum ero, qui pœnæ timore exili, à fundamento defeci? qui super aquas, magistri mei priuilegio, sicco vestigio ambulaui, in parua aqua interrogationis fęmineæ, culpa, naufragium feci? miraculorum patrator, scelerum modò perpetrator, eheu, eheu nimis lubrica lingua, quæ veritatem mentita es, tuum modo fatere errorem; cor, quod tremens, te vilis serui insultui, dedisti peccati seruum, te pœnitentia, modò contere: sic lingua, & cor à confederatis sensibus, præcipuè verò ab oculis, auxilium ad pœnitẽtiam implorans, ecce hi culpam deplorantes Matth. 26. *Et egressus foras fleuit amarè*; hæc nubes in pluuiam conuersa est, lacrymarum. Quare Gualricus Abb. ser. 3. in Ramis, ait: *Mox enim vt Dominus respexit Petrum, Petrus de clementia pijssimi vultus, suscepit imbrem serotinum, lacrymas post peccatum*; sic maximam eius negationis maculam, Petrus flendo, absterfit, lacrymarũ deleuit aqua, vt D. Amb. 9. in Luc. *Fleuit*, inquit, *amare Petrus, vt lacryma lauarent delictum.*

Chris.

D. Petrus, vt nubes post peccatũ, in lacrymarũ pluuiã conuersus, peccatum suæ negationis deleuit.

Gualric. Abb.

Ambr.

5 Nec mirum, quod inclinem ad misericordiam, lacrymæ Deum alliciant, & trahant, cũ hæ cælum expugnent, vt Matth. 11. d. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Sed quis in terris validissimis adeo pollet, & præstat viribus, vt ad illam supernam Ciuitatem Sanctam Ierusalem expugnandam, valeat victoriosus conscendere? quomodo incorruptibili, corruptibile poterit vim inferre? quis terrenus bellator, bellica, licet summa arte edoctus, cælestem illam arcem, diuinæ omnipotentiæ mœnibus vallatam, æternæ sapientiæ propugnaculis obfirmatam, angelorum septam agminibus, poterit expugnare? quis cæli hostis

Lacrymæ, cęlum expugnant.

hostis, cœli ostia poterit pęnetrare, humanis innixus viribus? ergo terrestris militia, cœli militiæ, prævalebit? sed ne miremini, benè potest homo victricia, si lacrymarum assumpserit arma, contritionis igne attemperata, supernam illã, in hac adhuc mortalis corporis militia cõstitutus, cœlestis gloriæ, expugnare ciuitatem, quare Ambr. serm. 15. ait: *Cogimus regnum cælorum, & vim quodammodo facimus, non cõpellendo, sed flendo, non prouocando iniurijs, sed lacrymis flendo.* Lacrymarum igitur armis præmunitus, contritionis lorica contectus, humilitatis lancea innixus, audacter in orationis campum prodeat peccator, flendo, in cęlum insurgat, huic vim inferet, & diuinæ misericordiæ procul dubio subiugabit potentiam, quare D. Hieronymus in epist. ait: *O lacryma humilis tua est potentia tuum regnum, quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem.*

Ambr.

Hieron.

Lacrymæ, Regni cælorum, sibi vẽdicãt principatum.

6 Et, vt sciamus, quod lacryma humilis, de pij cordis venis erumpens, sibi regnum imperiumque non terrenum, sed cęleste, vendicet, hoc in D. Petro, libeat dignoscere. Quando Petrus Christum filium Dei viui cõfessus est, dicens: Matth. 16. b. *Tu es Christus filius Dei viui*, in tãtę huius probatæ fidei præmiũ, Regni cęlorum claues, & Summi Pontificij, Christus dignitatẽ promisit, his verbis, Matth. 16. *Et Ego, dico tibi, quia, tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meã, & tibi dabo claues regni cælorum, &c.* sed promissio hæc, quæ est de futuro, nihil Petro de facto contulit in esse, ideo non dixit, trado tibi claues regni cęlorum, sed dabo, & tunc talem honorem assequeris, cum pupillas tuas, peccatum tuum amare deflendo, lacrymis relaxabis: lacryma enim humilis, potentiam sibi, & regnum vendicat, & adsciscit, vt diximus cum Abbate Cellens, vt supra. *O lacryma humilis, tua est potentia, tuum est regnũ*: quod si propius, huius rationis fundamentum, curiosè inuestigare non dedignamur, quæso mecum adstote. Ad quid D. Petro summi Põtificij potestas tradita est à Christo? nisi, vt passionis, & sanguinis sui sacratissimi, vt minister Ecclesiæ, & caput, sacramenta, & indulgentias conferendo pœnitentibus, ad animarum salutem, peccata dimittendo, absolutione culpas relaxando, dispensator, & minister existeret; quis enim talem habet potestatem? lacryma, quæ passionis Christi Vicaria constituitur, vt ait D. August. ad fratr. in Erem. serm. de comp. *Lacryma, est Vicaria passionis Christi*; hæc enim lacrymarum puluis, contriti cordis peccatorum, hos omnes sortitur effectus; ab anima, vitiorum abstergit maculas, crimina dissoluit, deletque peccata, & ab omni culparum inquinamento, sordescentem animã purificat, vt Abb. Cell. de panib. cap. 12. ait: *O mirum Artificis Dei ingenium, vt lacryma de venis erũpens peccatorum, profusa, absorbet omne peccatum*: cum igitur Petrus, Vicarij munere fũgi deberet Christi, meritò amarulentas lacrymas pro peccato suo, prius effundere debebat, vt Regni cœlestis claues, & primariam in Ecclesia sancta, Summi Pontificis assequeretur cathedrã, & peccati sui veniã promereretur, & alijs inde impartiretur, quare S. Antioch. hom. 17. de compunctione, ait: *Petrus ipse, amaculentis lacrymis, vna hora profusis, non peccatum modò abnegationis promeruit sibi condonari, sed & in earum gratiam, illi concreditæ sunt claues Regni cælorum.*

Abb. Cell.

Quomodo Petro, flenti, Pontificij summa potestas est collata.

August.

Abb. Cell.

S. Antioch.

7 His lacrymarum armis muni-

tos, cęlum nos expugnare docuit Rex exercituum, hac militari humanæ carnis veste indutus, cum Surdo, & muto ſanitatem vellet impartiri; dicitur ipſum ingemuiſſe, vt Marc. 7. *In cælum ſuſpiciens, ingemuit*; ſed quomodo Chriſtus gloria Ieruſalem, lætitia cordis noſtri, in miraculorum patratione ingemiſcit? ille, qui prodigiorũ, operum, & miraculorum ſuorum pompam, lætitiæ apparatu, celebrare dicitur, vt Pſalm. 103. *Lætabitur Dominus, in operibus ſuis*, mæſtitiæ, & doloris, lacrymarum argumento, proferet ſigna? nunquid opus erat Chriſto, lacrymis, à Patre ad impetrandam gratiam, cum quo communem habet potentiam, ſicut indiuiſam eſſentiam? abſit: ſed hoc ideo egit, diuinus magiſter ſummus cœleſtis ſupernæ militiæ Dux, vt doceret nos, ad diuinæ miſericordiæ arcem expugnandam, victricia lacrymarum arma, à nobis eſſe aſſumenda: quare Beda, cap. 31. a. med., ait: *Ingemuit autem, non quia ipſi opus eſſet cum gemitu aliquid petere à Patre, cui cuncta petentibus donat cum Patre, ſed vt nobis gemendi daret exempla, cum vel pro noſtris, vel pro noſtrorum erratibus, proximorum ſuperna pietatis, præſidia inuocamus.* Beda.

* * *

Vbi verò non, ſed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum eſt, quantum morbus extremis eſt mollior. tex.

§. IV. Vbi pro viribus pęnitentis, taxatus pœnitentiæ rigor non ſubſiſtit, tantum indulgentiæ manus relaxanda, quantum, peccati lenteſcit morbus.

1 HVius paragrophi ſenſum, & declarationem, ex ſacris literis non incongruè, meo iudicio deducere poſſumus. Deut. 25. 2. dicitur: *Pro menſura peccati, erit, & plagarum modus*. Omnia enim Deus in numero, & menſura, ſecũdum ſuæ diuinæ prouidentiæ ordinem rectè diſponit, & ſecundum diuinæ iuſtitiæ trutinam, ad pondus culpæ, inferendas pænas examinat, & funiculo rigoris, peccatorum grauitatem metitur; quare ſecundum quantitatem, qualitatẽ, & modum culpæ, proportionatas quoque à peccatore pœnas exigit. Pœnã Deus, cum culpa metitur.

2 Mortis pœnam Summus Legiſlator, primo homini comminatus eſt, ſi à diuino pręcepto, fructũ vetitum edendo, deuius extitiſſet, vt Gen. 2. *In quocunque enim die ex eo comederis, morte morieris*; qui licet diuinæ legis præuaricator extiterit, quia tamen peccati morbus aliquantulum remiſſus fuerat, dum ante diuinæ iuſtitiæ tribunal conſtitutus, ſuam confeſſus eſt culpam, ideò cum mortis ſententię latæ rigor, ob culpę cõfeſſionem non ſubſiſteret, ſic Deus, ab hoc mortis pęnas comminatas non exegit, ſed

mortis

mortis ſententia in exilium commutata, tantum extra Paradiſi fores expulſum, ad victũ, proprijs laboribus, & in ſudore vultus ſui, à terra ſibi comparandũ, damnauit, vt Gen. 3. *In ſudore vultus tui, veſceris pane tuo.* Addit etiam textus, Gen. 3. quod *fecit* primis parentibus *tunicas pelliceas* Deus, vt tenui hoc pœnitentiæ victu, facilius à peccati peracuto morbo conualeſcerent, & in huius abiecti amictus humilitate, & ruditate, capaciores ad veniam redderentur, vt D. Chriſoſtomus in homil. de lapſu hominis: *Accipiunt*, inquit, *indumenta pellicea, vt qui confeſſi iam delictũ fuerant, veniam cultus humilitate perciperent oſtendit Dominus confeſſione, & deformitate cultus, veniam poſſe facillimè impetrari.*

Quia Adam confeſſus eſt ſuam culpã, mortẽ cõminatã in exilium cõmutauit Deus.

Chriſ.

3 Indulgentiæ, & remiſſionis manus, à rigore relaxanda ſuadetur, maximè cum culpa per pęnitentiam leteſcit, & contritione miteſcit. Hoc clarè patet in Niniuitis, qui exactè peracuto ſummorum ſcelerum morbo cum detinerentur, & illorum eſſet deſperata ſalus, quę quadraginta dierum ſpatio concludebatur, vt Ioan. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*, cum ſcirent pro animæ cibo, tenuiſſimum victum eſſe adhibendum mortificationum; à Rege vniuerſalis ieiunij indicitur dieta, pro temporali, & æternæ mortis effugiendæ remedio, ideo ſubditur Ionæ 3. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Domino, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore, vſque ad minorem*, & quia (ait Poeta) *Regis ad exemplum, totus componitur orbis*, ſic Rex, ait textus Ion. 3. *Surrexit de ſolio ſuo, abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere*, & ieiunij victum tenuiſſimum præſcripſit, & omnibus præcipit, dicens: Ion. 3. *Homines, & iumenta boues, & pecora non guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant, & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum; quis ſcit, ſi conuertatur Deus, & ignoſcat, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus?* cum igitur Regis mandatum adimpleretur, ſic vitiorum morbus, cum per exactam tenuiſſimi victus perſtrictioris ieiunij videlicet, pęnitentiam, valde remitteretur, ecce indulgentiæ, diuinæ manus miſericordiæ, ad veniam proportionaliter relaxata; quare ſubdit tex. Ion. 3. *Et miſertus eſt ſuper malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Niniuitæ mutantes vitam, exuentes veterem hominem cum actibus ſuis, nouum induentes, Deus etiam ſententiam mutauit; quare Chriſoſt. homil. 93. ad pop. ait: *Videmus, quid tandem ſit, quod ineuitabilem illam iram ſoluerit, non ieiunium ſolum, & ſaccus, non eſt dicendum, ſed totius vitæ mutatio.*

Niniuitæ, ob ieiuniũ, diuinam tẽperant ſententiam, & à ſubuerſione, eorum liberatur ciuitas.

Chriſ.

4 Hoc idem in Rege Nabucodonoſore obſeruandum, non abſurdum cenſerem, qui cum, & ipſe peracuto plurimorum vitiorum detineretur morbo, quare tenuiſſimo etiam pœnæ victu vtebatur, dum in vilem brutorum conditionẽ declinaſſet, fęno vt iumentum, veſcebatur, vt Dan. 4. *Fœnum, vt bos comedet*; cum huius morbus lenteſceret, & in ſuorum delictorum agnitionem redactus oculos ad diuinam miſericordiã eleuaſſet, pro ſuorum venia peccatorum, ecce indulgẽtiæ, diuinæ miſericordiæ manus relaxata, quare Dan. 4. *Igitur*, dicitur, *poſt finem dierum, ego Nabucodonoſor oculos meos ad cælum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi.*

Nabucodonoſor ob culpam, velut iumentũ factus, ob pænitẽtiam in priſtinã reuocatur formam.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS

LIBER PRIMVS.

Aphorismus octauus.

Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo, vtendum est. tex.

Ordo medicinę corporalis.

EGIT Hippocrates in præcedēti aphorismo, de natura morborum acutorum, quibus symtomatibus comitentur, & de horum tenuissimo victu; qui tamen quandoque etiam paulò plenior esse poterit, prout magis, vel minus morbus à vigore recedit, vt diximus. In pręsenti agit de victu, in vigore morborum acutorum, ait igitur: *Quandò morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.*

Medicina corporalis.

Pro intelligētia pręsentis textus, obseruo, quatuor esse tempora morborum, principium, augmentum, statum, & declinationem; hic agitur de statu morborum acutorum, dum dicitur: *Quando morbus in suo vigore constiterit*; & dicitur tunc morbum esse in suo vigore, quando ad vltimum peruenit augmentum, ad quod peruenire potest, nec declinat; sic iste morbi vigor, sub nomine etiam status appellatur, de hoc igitur morbi vigore, seu statu modò quæritur, & qualis inanitio, ratione victus eidem competat.

Quatuor sunt, tēpora morborum, principium, augmentū, status, & declinatio.

Dicimus ergo, quando morbus acutus scilicet, ad summum gradum sibi proprium peruenit, à salute alienum, & naturæ perniciosum, tunc victu tenuissimo in tali morbo, esse vtendum; quid autem nomine victus tenuissimi, intelligatur; quidā tenent esse potionē, sicuti est mulsa; quidam ieiunium, quod magis tutum videtur, tenuissimo igitur victu vtendum est, ieiunij; videlicet dieta; primò, quia ait Galenus in hoc commento: *In vigore non oportet distrahere naturam ad alteram nouam coctionem, cum eo tempore, natura humorum, morbos facientium, coctioni fortiter vacet*; secundò, quia natura, cum est in vigore morbi, adeo est occupata morbo, vt cibus non coquatur, sed corrumpatur, deinde cibi corruptella, maximè auget morbum; tertiò, quia dum morbus viget, natura languet, sic minus concoquit, ideò victu extremè tenuissimo, vtēdum.

Quomodo, in vigore morbi, à cibo abstinēdum.

Galen.

Egimus, vt nos moraliter in superiori aphorismo, de natura morbi peracuti, grauiū videlicet peccatorū, & de horū spiritualibus symptomatibus, & præcipuè de tenuissimo po-

Ordo medicinæ spiritualis.

potionis lacrymarum victu. In præſenti, modo de vigore morbi ſpiritualis, cum quis ad ſummum gradum peccatorum, vel vehementium tentationum diabolicarum ſtatum, deuenit; qualiter tenuiſſimo pœnitentiæ, & ieiunij victu, vel ab occaſionibus peccati inſtantis recedendi, vtendum ſit, quærimus.

Medicina ſpiritualis.

Dicimus ergo: *Quando morbus in ſuo vigore conſtiterit &c.* Quatuor partes, ſeu tempora ſpiritualis morbi peccati, ſicut de corporali medicina diximus, aſſignare poſſumus, ſcilicet principium peccati, augmentum, ſtatum, & declinationem: Principiū ſpiritualis morbi eſt, cum quis per voluntatis actū, diabolicæ ſuggeſtioni aſſenſum præbens, labitur in culpam, vt August. lib. 5. hom. 42. ait: *Noli conſentire concupiſcentiæ tuæ, non eſt vnde concipiat, niſi de te.* Augmentum, eſt quando peccatum mente conceptum, conſenſu voluntatis, opere conſumatur. Vt Iſ. 59. 4. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.* Status, ſiue vigor eſt, quando ad ſummum peccatorum gradum, quis peruenit, vt Iſ. 40. a. *Completa eſt malitia eius*, vel maſſam ſibi ſummam culparum, coacervauit peccator, vt Pſal. 40. b. *Cor eius congregauit iniquitatem ſibi*; vel ſicut Gen. 18. *Et peccatum eorum grauatum eſt nimis.* Vel poteſt dici vigor in vehementiſſimis diaboli ſuggeſtionibus, quæ diſpoſitiones ſunt ad peccatum: dicuntur enim morbi ſpirituales animæ, tentationes, vt 2. Cor. 12. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sūt gloriabor*; vbi D. Hieron. *manifeſtè infirmitates ſuas, Apoſtolus, tentationes ſuas, quas ſuſtinebat perſecutioneſque, ſignificat.* Declinatio eſt, quando à peccato reſipiſcit, vt 1. Petr. *Declinet autem à malo, & faciat bonum*; vt etiam Iſ. 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum.* De hoc vigore, ſeu ſtatu morbi ſpiritualis, loquimur modò, dicentes: *Quando morbus in ſuo vigore conſtiterit*; hoc eſt peccator ad ſummum peccatorum ſuorum gradum deuenerit: *Tunc victu tenuiſſimo pœnitentiæ vtendum eſſe*, vt Aphor. 2. §. 2. Satis. Vel cum vehementes diaboli tentationes in animā irruerint, & inualuerint, tunc tenuiſſimo mortificationum victu, vtendum erit, maximè vero ieiunij, vt Chriſ. ſerm. p. de ieiunio ait: *Ieiuna quia peccaſti, ieiuna, & vt non pecces*; hoc .n. *Ieiunium*, ait Chriſ. hom. p. in Geneſ., *anima noſtra alimentum eſt.* Vel victu tenuiſſimo, vtendum eſt, ab omnibus peccati occaſionibus, recedendo. De quibus infra Aph. 11. dicemus. Quibus omnibus, prælibatis, ad Paragrophos pro diſcurſu opportunos, deueniamus.

August.

Quid ſit principium, augmentum, ſtatus, & declinatio morbi ſpiritualis.

Quomodo Diaboli tētationes ſpirituales morbi animæ ſint.

Hieron.

Chriſ.

Chriſ.

Quando morbus in ſuo vigore conſtiterit, tunc tenuiſſimo victu, vtendum eſt. tex.

§. I. Dum Diaboli tentationum vigor viget, tunc tenuiſſimo pœnitentiæ, & mortificationum victu vtendum.

Quando morbus in ſuo vigore conſtiterit, tunc tenuiſſimo victu, vtendum eſt. tex.

§. II. Cum Diaboli tentamenta graſſantur tenuiſſimo Ieiunij victu, obſiſtendum.

Quando

Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc tenuissimo victu, vtendum est. tex.

§. I. Dum Diaboli tentationum vigor viget, tunc tenuissimo pœnitentiæ, & mortificationum, victu vtendum.

1 AD diaboli tẽtationes euincendas, & eiusdem stratagemata deludenda, maximè mortificationum armis præmuniti, in statione euigilare debemus, vt Sanctus Leo Pap. ser. 2. de Quadrag. ait: *Semper tibi ò anima Christiana vigilandum, contra salutis tuæ aduersarium fuit, sed multò tibi maior cautio, solicitior adsumenda prudentia est, quando idem hostis tuus acriori sæuit inuidia.* Refert Sextus Iulius, lib. 3. stratagematum, cap. p., quod cum Marcus Cato ciuitatem quandam obsideret, quam ciues summa diligentia, vigilantiaque custodiebant, & fortiter defendebant, hoc stratagemate vsus est, ab obsidione cessauit, & tanquam apparenter non reuersurus, recessit, & quatuor dierum viam pergit; gauisi ciues, à belli fatigatione cessantes, quieuerunt, die quinta Marcus Cato, per deuias, & incognitas vias, reuerti exercitum iussit, & breui, ac improuiso ciuitatem inuasit, quam facilè obtinuit, & ciues deuicit, quia inermes, & inertes eos inuenit; quos igitur, vigilantes deuincere non potuit, inertes deiecit, & desides, & somno deditos superauit. Sic nobis, diaboli artibus, non est credendum; cessare enim quandoque à tentatione simulat, vt in hac repellenda, nos neglig̃etes reddat, vt acriorum inde tentationum pugna, nos fortius, ipse inuadat, & inermes, & imparatos inueniens, cõsensu ad culpam expugnet, quos primò in mortificationum statione vigiles, haud superare valuit: Egregiè Beda super Luc. lib. p. *Antiquus hostis, inquit, postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non vt illatæ malitiæ finem præbeat, sed, vt corda, quæ per quietem secura reddidit, repẽte rediens, facilius inopinatè irrumpat.* Dum igitur assiduum diabolicæ tẽtationis bellum ingruit, pœnitentiæ pulsemus tympana, arma arripiamus fidei, orationum, & spiritus gladiũ, non ad femur, sed præ manibus, tenẽtes, manus cũ hoste, spiritualiter, conferentes, quare Psalm. 80. a. dicebat Propheta: *Sumite psalmum, date tympanum*; psalmus est orationum gladius, Tympanum, est mortificationum, & pœnitentiæ morale bellicum instrumentum, vt Hug. Card. in Psalm. 80. ait: *Tympanum enim est pellis in ligno extensa, quæ cum percutitur, terret aues sonitu suo, sic carnis mortificatio, & continentia terret aues, id est dæmones,* de quibus dicitur Luc. 8. *Et volucres cæli, comederunt illud.*

Leo Pap.

Sext. Iul. Marcus Cato, ciuitatẽ obsidens, quo stratagemate vsus, ad hanc expugnandã.

Beda.

Quæ arma bellica spiritualia, in pugna cum diabolo, adhibenda.

Hug. Card.

2 Vigiles igitur in mortificationum, & pœnitentiæ statione esse debemus, contra diaboli insidias; ne dum diabolicarum tẽtationum, bellum ingruit, otio pigrescentes vincamur, quare Chris. hom. 10. ad Rom. ait: *Vides insidiosas illius vias; vides multiforme bellum, caue igitur, te vndique spiritualibus armis sepiens, & illius commenta, & artes perdisce*; ne nobis accidat, sicut de illo scriptum est, Prou. 23. *Et eris quasi dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Summa profectò esset damnandus inertia, ne dicam stultitia, ille, qui inter tumentes pro-

Chris.

procellas, in eum irruentes in medio mari consistens, somno indulgeret, sicut, & nauis Gubernator, amisso clauo, propriæ quasi immemor salutis, remis non fatisceret, ne à fluctibus absorberetur ad mortẽ; sic, ait D. Gregorius, esset anima, quæ in huius procelloso mundi mari, inter spumantes vehementium tentationum procellas, enauigans, vitiorum consopita somno, propriam negligens salutem, otiosa quiesceret, & quasi gubernator, rationis clauum amittens, sui corporis, & sensuum nauem regere, non satageret; verba Gregorij in pastor. p. 3. admon. 33. *In medio enim mari dormit, qui in huius mundi tentationibus positus, prouidere motus irruentium vitiorum, quasi imminentes vndarum cumulos negligit, & quasi clauum gubernator amittit, quando mens ad regendum nauem corporis, studium solicitudinis perdit*. Quare cum vehementium diabolicarum tentationum fluctus, in animæ nostræ nauim insurgunt, non otij somno consopiti, sed pœnitentiæ, & mortificationum remis, fatiscere debemus, ad animæ salutem. Dum enim tentationum igne, sensus nostri ad peccatũ propendentis, olla feruet, occasionum, & fomenti ad culpam, mortificationis manu, ligna subtrahenda sunt.

Gregor.

3 Exemplum habemus, in D. Benedicto, vt refert D. Gregor. lib. 2. dialog. qui ait: *Quod, dum ei quadam die, ardentes ad libidinem faces à diabolo subijcerentur, se in vepribus tandiu volutauit, dum lacerato corpore, voluptatis sensus, dolore opprimeretur*. Sanctus Franciscus, vt recalcitrantem carnem, luxuriæ stimulis à diabolo concitatis, reprimeret, asperrimæ funis disciplina, corpus vsque ad sanguinis effusionem, acriter affligebat; & cum adhuc ignis luxuriæ tentationum esca, nutritũ eius corpus exureret, aquam, & niuem ad hunc extinguendum ignem, admouit, & ex niue vxores sibi, & filios efformabat.

Greg.

Exempla Sanctorum, in diaboli tentationibus, mortificationib⁹, obsistentiũ.

4 Maxime ad rem nostram facit, id quod S. Antoninus noster, in 2. p. tertiæ partis, tit. 5. cap. 2. §. 3. refert; quod in Vitis Patrum habetur, de sancto quodam Eremita, ad quem accessit quædam publica meretrix, quæ se iactauerat, ad nefaria luxuriæ inquinamenta, sanctũ illum virum perducturum; quare ad opus egressa, in sero ad cellam huius sancti Eremitæ venit, à quo petijt, vt ea nocte, apud illum, in aliquo illius cellæ angulo commorari permitteret, simulans se desertum illum locum perambulantẽ, à via deerrasse. Sanctus Eremita necessitate, & charitatis stimulo compulsus, licet inuitus, propter imminens periculum tentationũ, recepit istã, huius simulationẽ, & artẽ ignorans; & separatũ à se locũ, in proprio diuersorio, assignauit ad quiescendum, illa nocte. Media nocte, ecce princeps tenebrarum, suis cœpit Sanctum virum, terribilibus carnis tentationibus, vexare; hic, accensa lucerna, cœpit sibi ob oculos inferni obijcere ignem, & pœnas illas sibi præponere, & cum tentatio non cessaret, quinimò semper eum vrgeret, hic admouit igni digitum, & hunc combussit; admouit secundũ, & fecit similiter; sic non deficiente tentatione, nec ipse à remedio tali destitit; quare totam manum, in igne illo combussit, sic combusta manu, huius dolor, illius tentationem superauit. Illa inhonesta fœmina, per rimulas quasdam, hoc opus Sancti adspiciens, sic admirata est, & admiratione territa, vt moreretur; quam inde, aliorum suasionibus, suis ad vitam orationibus, Sanctus Eremita, suscitauit.

D. Antonin. Historia.

Mirabilis casus, de Sancto Eremita, vt diaboli tentationes, superaret.

Sanctus vir, diabolicis tentationibus illius fœminæ, quo modo, vt eripeuetur, occurrerit.

5 Dominus exercituum, qui docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum, instruit nos, qualiter in congressu cum Diabolo præmuniri debeamus, ait igitur, per Salomonem Cant. 3. *Omnes tenentes gladios, & ad bella Doctissimi; vnius cuiusq; ensis super femur suum, propter timores nocturnos*: iste gladius, est mortificationum, quem super femur nostrum ferre debemus, carnem domando; hinc est quod Saluator noster præcepit Apostolis suis, sibi gladium emere, dicens Luc. 22. *Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat*, sed ad quid, iste gladius? nunquid princeps pacis, qui inimicos nos diligere præcipit, armatos suos ad bellum in hostes excitat discipulos? & quomodo pro prætio gladij tunica vendenda? Si bene nouerimus, gladius iste est passionum, & mortificationum, vt D. Ambr. libr. 10. in Luc. cap. 22. qui ait: *Est autem gladius passionis, vt exuas corpus, & immolata carnis exuuijs, ematur tibi, sacri corona martyrij*. Vt igitur doctissimi, in spiritualibus prælijs euadamus, ad infernalem reprimendum hostem, huius artes deludendas, mortificationum armis nos oportet præmuniri; ideò inquit textus Cantic. 3. *Vniuscuiusq; ensis super femur suũ, propter timores nocturnos*. Sed qui erunt isti timores nocturni? nunquid timores diurni à periculo immunes erunt? respondet Greg. Papa lib. 10. moral. c. 3. & 4. *Nocturni, inquit, timores, sunt insidiæ tentationum occultæ, ensis verò super femur, est custodia vigilans, carnis illecebras premens. Ne ergo occulta, & repentina tentatio subrepat, necesse est, vt femur nostrum, suppositus custodiæ nostræ, ensis premat*: quare deducam ego, si in occulto tentationũ bello, nobis arma mortificationum, sunt assumenda, quanto magis in actualium tentationum, aperta pugna decertantibus?

Mortificationum gladios, tenere debemus, dum bellum cum diabolo ingruit.

Ambr.

Greg.

6 Et vt victores faciliùs euadamus, & fortiter pugnemus in Dæmonem, futuram nobis imminentem pugnam, mentis oculis præuidere debemus, vt parati semper ad obsistendum diabolo, & fortes inueniamur. Hinc est quod Sponsæ dicitur Cant. 7. *Nasus tuus, sicut turris libani, quæ respicit contra Damascum*. Sed quænam profectò collatio hæc erit, nasi sponsæ, cum turri? quam pulchritudinis laudem in spõsam, hæc refundit comparatio? Verum dicamus, quod hæc sponsa, sit anima iusti, Deo in fide desponsata, vt Os. 2. *Desponsabo te mihi in fide*, & opere confirmata, in fidei protestationem; quia fides sine operibus mortua est; quæ inquam sponsa, dum discreta prouidentia, imminentia diabolicarum tentationum, subodoratur certamina, ex hoc, veluti turris, in alto, spe diuini auxilij reposita, contra diaboli insidias pœnitentiæ, & mortificationum præsidio, & armis, ne superari valeat, præmunitur; vt benè D. Greg. in past. p. 3. admonit. 33. ait: *Sponsæ dicitur: Nasus tuus sicut turris, quæ est in libano; quia discreta eorum prouidentia, ita in alto posita est, vt tentationum certamina, & priusquam veniant, videat, & contra ea, dum venerint, munita subsistat*.

Greg.

Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc tenuissimo victu, vtendum est. tex.

§ II. Cum Diaboli tentamenta grassantur, tenuissimo Ieiunij victu, obsistendum.

1 Quo

Ieiunium, est robur mentium, & vigor animæ.

1 QVo ad literam iste paragrophus explicari potest, pro tenuissimo victu, intelligunt Medici ieiunium, vt supra in Medicina corporali, quare meritò dicere possumus ad rem nostram; quod dum diabolicarum tentationum, vigor viget, & spiritalis morbus inualescit, tenuissimo victu, videlicet ieiunio, ad eiusdem morbi vim euincendam, pro remedio, esse vtendum. *Ieiunium* enim, ait D. Chrisost. homil. p. in Genes. *anima nostra, alimentum est*; quod quidem, fortitudo animæ, & mentis robur, dici potest, vt Chrysol. ser. 7. ait: *Ieiunium est robur mentium, vigor animarum*.

Chris. Chrysol.

Ieiunans, veluti Antæus, debilitate deiectus. fortior in diabolum assurgit.

2. Ieiunantem in diabolicarum tentationum congressu, Antęo giganti assimilare posse censerem; de quo fertur, quod laboribus fractus, vel ab hoste deuictus, ad terrã collisus, hæc veluti mater, cuius creditur filius, in sinu suo eum recipiens, & virtutis suæ lacte enutriés, ei robur addebat; quare, quo debilior ceciderat, eo validior resilijebat; sic Christi fidelis, dũ ieiunio, ad diaboli tentationum, artes superandas, munitus, attenuat corpus, & quasi præ debilitate ad terram deijcitur; ecce veluti cęlestis Antæus, diuina virtute fortior, roboratus assurgit; vt Hug. de S. Vict. in reg. D. Aug. ait: *Quando caro domatur, spiritus roboratur*; nam, non terra mater, sed Deus Pater, qui ieiunantis spectat affectum, & pium macerationis intuetur opus, illum in suæ pietatis sinu recipit, diuinæ gratiæ lacte enutrit; cor ad spem roborat, & ad diaboli tentationes euincendas, in spirituali bello, robur addit; quare Ambr. serm. 25. in Quad. ait: *Castra, sunt nostra ieiunia, quæ nos à diaboli oppugnatione defendant*. Sic ex nostra, corporis, ieiunio, debilitate, diaboli terretur superbia, & dietę imbecilitate, illius infringũtur vires, vt idẽ Ambr. ibidẽ: *Terretur pallore* (idest diabol.) *ieiunij debilitatur inedia, infirmatur, prosternitur*.

Hug. Victor. Ambr. Ambr.

Saul eius exercitui, ad victoriã cõsequendam, ieiuniũ, præcipit.

3 Miram bellandi artem, in vnũ Saulẽ animaduerto aduersus Philisteos, contra quos pugnaturus, ad victoriam consequendam populo, & toti exercitui, publico, ieiunium, sub pęna mortis indixit, proclamare, p. reg. 14. *Maledictus homo, qui comederit panem, vsque ad vesperã, donec vlciscar de inimicis meis*. Et quænã profectò bellandi ars hic consurgit; quænam modò victoriæ cõsequendæ præscribitur forma, vt ad eneruãdos hostes, eneruata ieiunio virtus obsistat? quisnam nouus pręliandi modus, modo aperitur, vt ad inimicorum superãdas vires, virium cõferat debilitas? nunquid ad arma pertractanda, quod, corporis innititur robore, ieiunio, corporis proderit attenuatio? ieiuniũ quod vires infringit, vires ad bellãdum addet? ad hostes profligãdos communiet? quomodo, quis vulnere curatur, infirmitate sanatur, paupertate ditescit, & debilitate roboratur? ita profectò, quia, vt 1. Cor. p. d. *Infirma mundi elegit Deus, vt fortia confundat*; & ibidem etiam ait: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*; sic ieiunij meritum, quod corporis eneruat vires, Dei sibi aucupat fortitudinem; cum sancto hoc ieiunij opere, Deo, qui est fortitudo nostra, vt Psal. 42. *Tu es Deus fortitudo mea*, vniamur, & robur nobis, & fortitudinem assumentes, quasi Deo adæquamur, vt Tertull. contra Physicos cap. 6. ait: *Si enim Deus æternus non esurit, vt testatur per Isaiam, hoc erit tempus, quo homo Deo adæquatur, cum sine pabulo viuit*. Quare per abstinentiam, pia debilitas, nos virtute fortiores reddit, quo diaboli insultibus viriliter obsistamus:

Quomodo ieiuniũ militibus, ad superandos hostes conducat.

Tertull.

 mus:

mus: imò nos victores, reddit, quod prouidè præsentiens Saul ieiunium, & orationem ad victoriam in hostem, suis militibus indixit, vt D. Ambr. serm. 36. tom 5. ait: *Bonus plane Rex, qui hostes suos, non tam armis, quam oratione vincebat, plus dimicans religione, quam telis.* Et paulo post, etiam subdit: *Deficit enim virtus in exercitu, vt deficit in obseruatione ieiuniorum.* Et S. Leo Pap. serm. p. de Quadr. ait: *Abstinentes ergo à cibo, & potu, seuera castigationis adhibuere censuram, & vt suos hostes vincerent, gulæ illecebras in se ipsa, ante vicerunt.*

Ambr.

S. Leo Pap.

4 Et hic ad rem nostram, similitudinem follis in mediũ adducere possemus, qui quanto magis ad terram deijcitur, tanto magis in altum eleuatur; cui similitudini possemus talem addere inscriptionem: *Deiectus attollitur*: est enim follis, pilæ genus omnium maximus, constans ex aluta, vento inflata, sic quo fortius deijcitur, eo magis resilit, & alti⁹ eleuatur. Follis iste moralis, est, qui ieiunat, velut aluta, ob carnis macerationem, abstinentia vacuus, Spiritus Sancti vento plenus, dum enim pœnitentia deijcitur, corporis castigatione deprimitur, merito, & diuinæ gratiæ viribus roboratus, fortior assurgit: *deiectus attollitur.* Sic dicebat de se ipso Apostolus, 2. Cor. 12. *Cum infirmor, tunc potens sum*; vt videre est in sanctis martyribus, & alijs, quos, vt Tyranni à catholica fide auerterẽt, ad Deorum venerationem pertraherent, ad falsos cultus adducerẽt; inclusi carceribus, ieiunio, & vigilijs macerati, diuinæ gratiæ cibo, recreati, Spiritus Sancti refecti pabulo, ac si opiparo excepti conuiuio, regalibus depasti delicijs, enutriti dapibus, ad martyrij coronam assequendam, vegetiores, & fortiores euaserunt, vt ipsis Tyrannis essent admirationi, vt de Sanctis Valerio Oscæ Episcopo, & Vincentio Diacono, & de multis alijs, historiæ produnt. Quare Hieron. 2. Cor. 12. *Maxima* (ait) *potentia est, infirmari pro Christo.*

Ieiunans folli comparatur, qui deiectus maceratione, attollitur, virtute.

Sancti ieiunio macerati, vegetiores euaserũt diuinitus.

Hieron.

5 Quod si ieiunantis robur, & ad debellandos hostes, potentiam, propius intueri cupimus, in fortissimum Sansonem, mentis nostrę oculos conijciamus: quis enim hunc, ita robore validissimum effecit, vt arida asini mandibula, armatus, hostium millia vnico deiecerit, & prostrauerit ictu? quis huic tantum præstitit robur, vt ferocissimũ Leonem minimè expauescens, sibi obuiũ, apprehenderit, apprehensum deiecerit, occiderit, dilaniauerit, ac in frustra discerpserit? vt nouas funes, & firmissimas, quibus ab hostibus erat cõstrictus, simplici corporis concussione, vt tenuem filum, confregerit? Ciuitatis portas, à suis cardinibus ab eodem diuulsas, celeri pede, ad montes, proprijs humeris transtulerit? vt firmissimas templi columnas, luminibus orbatus, valida manu concutiendo, colliserit, & ad terram deiecerit, & propriam mortem, inimicorum Philistinorũ nece decorans? Ieiunij virtus has ei vires, & validũ indidit robur. Sic Basil. Magn. hom. 1. de ieiunio, ait: *Quid fortissimum Sansonem, inexpugnabilem reddidit? non ne ieiunium, cum quo in matris ventre cõceptus est? Ieiunium concepit, ieiunium nutriuit, ieiunium virum effecit.* Quod si, hic non sufficit testis, post hunc Magnum, alium audiamus Basilium Episc. hom. 2. de ieiunio, qui clarius etiam nostram confirmat sententiam, dicens: *Ieiunium magnum Sansonem, instar nutricis nutriuit; per milliaria hostes cadebant, & portæ inimicorum diuellebantur, & Leones manuum robur non sustinebant.*

Sãsoni s fortitudo ex ieiunio cõsecuta, probatur.

Egregia Sãsonis facinora per ieiunium.

Basil. Magn.

Basil. Episc.

6 Qua-

6 Qualiter autem, in humani generis hostem pugnare debemus, vt, ieiunij armis, ab eo victoriam reportemus, insinuat Propheta Psal. 62. dicens: *In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam.* D. Basil. desertum hoc, dicit esse illud Idumeæ, vbi persecutionem filij Absalonis fugiens Dauid se recepit; Verum D. August. epist. 72. S. Hieronymus epist. 46., S. Ambr. serm. 37. & 39. moraliter explicant, hanc desertam terram, esse maceratum corpus, carnem pœnitentijs attenuatam, quæ ieiunio deserta redditur, vt D. Ambr. tom. 5. serm. 39. ait: *Desertum planè quoddam, ipsum corpus est Christiani, cum non repletur cibis, non poculis irrigatur, sed arentis inediæ squalore negligitur.* In terra igitur, sic deserta, ieiunij tectus armis, apparet Christianus, in diabolum dimicaturus, vt videat virtutem Dei, ideo ait Psalm. 62. *Vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Et quæ est ista virtus, & gloria Dei? Christus est, vt Apost. 1. Cor. 1. ait: *Christum Dei virtutem*, & quæ est ista virtus Christi, quam videre expetit, fidelis Christi? illa est, quam in deserto à dæmone, tentatus Christus, diabolum ipsum vicit, vt D. Hieronymus super Psalm. 62. ait: *Vt viderem virtutem tuam*, ait, *Christum, quia vicit diabolum, & liberauit genus humanum.* Et quomodo, & quibus armis vicit? ieiunio munitus, vt Matth. 4. *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, sic Christianus, in hac terra apparere debet deserta mortificatæ carnis, vbi montium humanæ mentis oratione, & contemplatione, in Cœlum, se eleuantis, cacumina apparent, vbi rupes corporis, ciliciorum asperitatibus conuestiuntur; vbi cauernosa incommodorum, & vigiliarum, habitacula conspiciuntur; vbi ferarum infernalium, ad timorem gehennæ, pro pœnitentia, occurrit aspectus, vbi siluestres, & acerbi, asperimorum ciborum ad victum colliguntur fructus; vbi nulla sensualibus voluptatibus via aperitur; vbi lapidei, macerationis Iacob, lectuli sternuntur, ad quietem; ibi virtus Christi nobis apparet, vt protegat, fortitudo ad victoriam, in diabolum confertur; quare D. Ambros. tom. 5. serm. 39. ait: *Aliter .n. sicut in sancto ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta, mundanis delicijs, inuia diabolicis concupiscentijs, & inaquosa libidinosis illecebris; tunc habitans Saluator, hoc desertum corporis nostri, omnes ibi diaboli factiones exuperat.*

Basil.
August.
Hieron.
Ambr.
Ambr.
Ieiunans est terra deserta, in qua apparet virtus Dei, hostibus ad obsistendum.
Hieron.
Descriptio deserti, in ieiunante.
Ambr.

7 In hac igitur ieiunij, & mortificationum terra deserta, ad suos, diuina virtute confirmandos, milites, vt fortes in diaboli congressibus, & inexpugnabiles reddat, apparet Deus; *In terra deserta, &c. sic in sancto apparui tibi*. Psal. 62. Huius terræ desertæ figura, in S. Iacob, Gen. 28., mihi conspicienda obijcitur, dum ieiunio macerato corpore, labore itineris, & persecutionis cura cōfectus nudæ humi se deiecit ad quietem, tantum duro lapide capiti admoto: ecce animata terra deserta, in deserto, Deo apparens Iacob, quare meritò dicere poterat, vt Psalm. 62. *In terra deserta inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam.* Et ecce obdormienti Iacob, virtus, & claritas Dei, se cōspicuam reddidit: ideo dicitur Genes. 28. *Vidit Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abram patris tui, & Deus Isac;* qui virtutem, & robur ad victoriam dedit, quam, cum

Iacob ieiunanti apparens Deus, qualem virtutē, & fortitudinē eidē contulit.

Angelo,

arma, fuere, ſed vt ab eodem Duce Chriſto, animum, ad certandum, cum humani generis hoſte, adſumeremus, & abſtinentiæ armis protecti, deperdita repararentur. Per peccatum enim primi parentis, quatuor propugnacula, intellectus, voluntatis, iraſcibilis, & concupiſcibilis, collapſa, & dirruta fuere; nam intellectus per peccatum fuit vulneratus ignorantia; voluntas, malitiâ; iraſcibilis debilitate; concupiſcibilis, fomite accenſo; Saluator noſter eſt murus, & ante murale arcis huius animæ noſtræ, vt Iſ.26. *Saluator*, dicitur, *ponetur in ea murus, & ante murale*; vt igitur hanc reficeret, repararet arcem, & inexpugnabilem redderet, ſe huic murũ, quadragenario dierum numero, communitum, adijecit, vt, ſingulis propugnaculis, ieiunij ſui decade, obfirmatis, per quatuor decades, quadragenarium numerum conſtituens, tota animæ noſtræ arx inſuperabilis fieret, & contra diabolicos inſultus, inexpugnabilis, ieiunij redderetur, præſidio; quare Chryſol. ſer. 12. ait: *Cœli Rex ipſe deſcendit, ipſe victor ſingularis aduenit, vt quatuor decade ieiunÿ, quadraturam mundi totam, muro inexpugnabili communires*. Quare ad hæc ieiunij arma accurrere debemus, dum diabolicus hoſtis, ſuarum tentationum armis in nos inſurgit, ſic ieiunauit Chriſtus, nobis, vt exẽplar eſſet, & munimẽ, vt Chriſoſt. ſuper Matth. c. 4. *Vt autem diſcas*, ait, *quam magnum bonum ſit ieiunium, & qualiter ſcutum eſt, aduerſus diabolum, ipſe ieiunauit, non eo indigens, ſed nos inſtruens.*

Arx animæ noſtræ, à diabolo expugnata per culpam, à Chriſto quomodo recuperetur.

Quare quadrageſi.nale ieiuniũ, inſtitutũ fuerit.

Chryſol.

Chriſ.

10 Hinc eſt, quod Dauidica arx illa, ſic ieiunio obfirmata, vt inexpugnabilis, gloriabatur, dicens; Pſ. 26. *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum, ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo*. Sed quid eſt? ille Dauid, qui paulo ante deuictus, ab infernali hoſte, carnis peccato depreſſus, homicidij onere prægrauatus, iacebat, modò gloriabundus, quaſi inexpugnabilis reſilit? Dauid, qui, ſi iuſtus debebat timere, ne iterum in peccatum laberetur, vt prou. 28. c. dicitur. *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus*; ſi peccati conſcientia eum remordebat; nec tunc gloriari poterat; cur igitur tanta animi audacia, tam gloriabundus inſurgit, ſe inſuperabilem oſtentans, hoſtium copias, vires, caſtra, bella non extimeſcens? huius cauſam, hanc adducere poſſe cẽſerem, quia erat abſtinentię armis communitus, ieiunij muro contectus, vt ipſe Pſalm. 68. teſtatur, dicens; *Operui in ieiunio animam meam*. Iſtud igitur eſt, quod eum protegit, tutatur, & defendit, vt propterea, ſe inexpugnabilẽ credens, glorioſus exultat; quare Chryſol. ſer. 12. ait: *Ieiunium ſcimus eſſe Dei arcem, Chriſti caſtra, murum ſpiritus, vexillum fidei, ſanctitatis trophęum*; & D. Ambr. etiam, ſerm. 25. in Quadr. ait: *Caſtra ſunt noſtra ieiunia, quæ nos à diaboli oppugnatione defendunt*. Quare concludamus cum eodem D. Ambroſio, ſerm. 36. intentum noſtrum, vt hoſtes quoſque noſtros in diabolicarum tentationum, prælijs vincamus, ieiunij armis noſtram communiamus animã Ambroſij verba. *Ergo fratres, ſtatutum, nobis cuſtodiamus, omni obſeruatione, ieiunium, vt hoſtes noſtros ſpirituales, corporaleſque vincamus.* Et hæc pro Aphor. 8.

Quomodo Dauid, ieiunio protectus, inexpugnalem ſe iactet.

Chryſol.

Ambr.

Ambr.

APHO-

APHORISMVS NONVS.

Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat; & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare; vel morbus antea deficiat; atque hebetescat. tex.

QVia supra diximus, in morbi vigore, tenuissimo vtendũ esse victu; ne absolutè, aliquis existimaret, hanc regulam in omnibus ægris, & morbis acutis, esse vniuersaliter, seruandã, quæ magnum detrimentum, quandoque posset afferre, vt potè, tenuissimis viribus, tenuissimum quoque victum subministrando, in morbi cura; quo victu, cum subsistere non posset æger, à vita deficeret; ideo ne Adstantes, imò ipse Medicus errare possint, præsentem, Hippocrates instituit, Aphorismum, vt ęgrotantis naturã spectent, an iste possit cum tali victu, in morbi consistentia perdurare; ideo ait: *Coniectari autem oportet, an æger cum victu, sufficiat perdurare &c.*

Ordo medicinæ corporalis.

Licet, vt Hippocrates in antecedenti 7. Aphor. dixit: *Tantũ cibi indulgendum esse, quantum extremus morbus est mollior*, quia tamen alia posset oriri quæstio, num manente eiusdem acuti morbi vigore, & ægro viribus non pollente, tam exactam victus rationem, sustinere non valente, an taxata dieta subsistere debeat; quia, ait Hippocr. in 4. Aphor. supra: *In tenui victu ægri delinquunt*; ideo, ait: *Coniectari autem oportet &c.* Propositum igitur Hippocratis est, vt Medicus per coniecturam videat, an æger, qui è morbo acuto laborat, quam parcissimè viuens, possit tolerare morbi vigorem, donec is deficiat, & hebes fiat; quod si eius naturæ roboris, & firmitatis, æger fuerit, vt cum tali victu tenuissimo possit perdurare, donec morbus maturescat, exacta tenuissimi victus ratio, vt in septimo Aphor. diximus, erit obseruanda, vt bene Galenus, qui ait: *Inedia vti oportet, dum æger suffecturus est, ad vigoris morbi maturationem*; quod si è contrario imbecillior viribus appareat æger, ita vt nullatenus cũ tali tenuissimo victu perdurare valeat, tũc aliquid, ad superiorem exactum tenuissimũ victum, adijciendum erit; sed tantum æger, alendus, quantum virium imbecillitas, ex necessitate exiget, imò in ipso morbi vigore, quãdoque alere cogitur medicus, cum tale timetur symptoma, quod vires, resoluat.

Medicina corporalis.

Non solum morborum vigor, sed & ægrotantis vires considerandæ.

Galen.

Egimus, & nos in præcedenti aphorismo, de morali peccatorum inanitione, per pœnitentiæ mortificationum, & præcipuè ieiuniorũ, tãuissimum victum, in morbis peracutis,

Ordo Medicinæ spiritualis.

acutis, grauium peccatorum, tum vehementium diabolicarum tētationum, in suo vigore consistentiū, vti exposuimus; & quia in septimo aphorismo, diximus, tantum alimenti remissionis, & mitigationis pœnæ, & pœnitentiæ indulgendū esse, ægro peccatori, quantum peccati morbus pœnitentia lentescit, & à sua grauitate, sicut etiam à vehementia tentationum diabolicarum, recedit; quia etiam in Aphor. 4. diximus: In tenui pœnitentiæ, & orationum victu, spiritualem ægrum facilè, culpa delinquere; ne quis igitur existimaret indiscriminatim in omnibus spiritualibus morbis, hanc tenuissimi pœnitentiæ victus rationem, quæ mentis, & corporis debilibus viribus, posset esse obnoxia; & saluti corporis, & animæ officere, absolutè in omnibus, & indifferenter esse obseruandam, ideo præsens moralis instituitur Aphorismus, vt Medicus, viriū qualitatem spiritualium ægrorum, meditetur, ideo dicitur.

Coniectari autem oportet &c. Quia non vna omnium spiritualiū ægrorum est natura, temperatura, conditio, dispositio, mens, toburq; virtutum, ideo non vnus omnibus tenuissimus exactæ pœnitentiæ victus, ad animarum salutem, spiritualiumque morborum curam, & peccatorum euacuationem, à spirituali medico indiscriminatim, est præscribendus, sed ad naturam virtutem, & facultatē peccatoris morbi spiritualis, qualitate inspecta, est moderandus; ideo dicitur in præsenti Aphorismo: *Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare.* Hæc doctrina à Sancto Antiocheno Medico clarè comprobatur; Chrisost., in Genes. homil. 40. dicente: *Vt Medicus quando infirmum curat, non semper fame detinet, neque semper larga mensa frui finit, vt non voracitas febrim pariens, augeat morbum, fames verò infirmiorem eum efficiat, sed coniectans apud se quantæ sint ægrotantis vires, & diligēter vtens arte, omnia sua, in medium affert.*

Medicina spiritualis.

Chrisʃ.

Quod si æger, spiritualis, peccator videlicet, vel pęnitens, talis firmitatis, & roboris, tum corporis, tum animi fuerit, vt debitam, secundum qualitatem, & quantitatem proportionatam peccatis, seueræ pœnitentiæ exactam tenuissimi victus rationem sustinere valeat ad animæ salutem, & vitiorū euacuationem; hæc pęnitentię forma, vel à sacris Cannonibus sancita, vel à Superioribus præscripta, videtur obseruanda, tum secundum formā morbi, vt Deut. 25. *Pro mensura peccati, erit, & plagarum morbus,* tum secundum qualitatem, & grauitatem peccatorum, qualitas, & grauitas etiam pœnæ erit taxanda, vt Sap. 6. *Potentes, potenter, tormenta patientur.* Verum si idem spiritualis æger imbecillis, vel corporis, vel animi viribus, talem tenuissimam seuerioris pœnitentiæ à superiore iniunctæ, victus rationē, ad grauium peccatorum morbi curam, sustinere non valet, vt prius corpore, & mente deficiat, quam peccatorum morbus hebescat; hæc ardua pœnitentiæ forma, non est obseruanda, vt Chris. super Matth. 23. ait: *Si graue pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, vt aut pœnitentiam reijciat, aut suscipiens, dum ferre non potest scandalizatus, amplius peccet.* Vitia enim non caro extinguenda sunt; quare, in hoc, ait Hippocrates moralis, S. Gregor. 20. moral., quod medicus spiritualis, debet coniectare, an talis victus moralis in tali ægro spirituali, seruatis corporis, & animi viribus, subsistat; verba D. Gregorij: *Per abstinentiam, non caro, sed carnis*

Superior, pœnitentis vires in pœnitentia iniungēda debet considerare.

Chris.

Greg.

vitia extinguenda sunt, sic necesse est, vt artem continentiæ quisq; teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat: sæpe enim dum in illa hostem insequimur, etiam ciuem, quem diligimus, trucidamus: Ideo benè etiam D. Augustinus in Regul. Cleric. admonet, à nobis, viribus proportionatas, moderandas esse mortificationes, ideo ait: *Carnem vestram domate ieiunijs abstinentia escæ, & potus, quantum valetudo permittit.* Ex quibus omnibus ad discursum, simplicem tantũ paragrophum depromemus,

D. August.

Coniectari autẽ oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat. tex.

§. Simplex, Pœnitentium virium qualitas, in culpæ spiritualis morbi curatione, obseruanda.

1 APertè huius Aphorismi, & præsentis paragraphi sensum intulit, D. Chrisostomus hom. 40. in Genes., vbi animaduertit, quod Medicus corporalis debet coniectare in dieta præscribenda, ad morborum curationem, ægrorum virium qualitatem, ideo ait: *Coniectans apud se, quãta sint ægrotantis vires, & diligenter vtens arte, omnia sua in medium affert;* sic proportionaliter in peccati ægritudine, in pœnitentiæ dieta præscribenda ægris pœnitentibus, horum vires debet Superior, iudicij trutina, examinare, an in tenuissimo rigorosæ pœnitentiæ victu, debito pro spiritualis morbi expulsione, illæ subsistant; ne fortè ad culpæ euacuationem attendens, rigorosa nimis pœnitentia, vires succumbant, & à vita æger spiritualis, deficiat, vt idem D. Chrisost. in suo Dialogo lib. 2. ait: *Non vniformiter secundum mensuram delictorum increpationes quoq; oportet inferri, sed diligenter aspicere, eorum, qui delinquunt vires, atque propositum, ne fortè volens rupta sarcire, maiorem operetur diruptionem; & cupiens erigere collapsa, casum inferat grauiorem.*

Chris.

In morbo corporali, morbi vires præcipuè considerat medicus.

Chris.

2 Quælibet pœnitentia, siue spõtè assumpta, siue à Superiore directa, vel præscripta, debita, debet prudentiæ trutina examinari, pœnitentis viribus inspectis; hinc est, quod Propheta Ierem. p. dixit: *Virgam vigilantem ego video;* sed quomodo virga, quę sensu caret, viuentis ad vigilandum, operationem exercebit? quod si fortè oculum habebat virga; quomodo visionis actum elicere poterat, quæ videndi virtute carebat? quomodo ergo hanc vigilantem inspexit Propheta? Virga, correctionis, siue animaduersionis symbolum est, vt Ps. 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt;* vel dominandi, dicit potestatem, vt Psalm. 44. *Virga directionis, virga regni tui.* Homo, qui omnibus sublunaribus creaturis principatur, hanc tenet virgam, vt Gen. p. *Dominamini piscibus maris, volatilibus Cæli, & bestijs terræ:* hæc virga in ipso homine, est ratio. quæ in subditos sibi sensus, & potẽtias dominium exercet; hæc debet esse vigilans, hoc est discretionis oculo, quæ moderanda sunt, spectans, vt nequid nimis; ideo D. August. lib. p. de Gen. contra man. c. 20. ait: *Dominamini piscibus maris, volatilibus cæli, & bestijs terræ: Rectè, ait, intelligitur etiam spiritualiter, vt omnes affectiones, & motus animi, quos habemus istis animalibus similes, subditos haberemus, vt eorum dominaremur.*

Quomodo Prælatus, debeat esse virga vigilans, & oculta.

Ratio virga vigilans in homine.

D. August.

Virga vigilans, Dominij in Superiore.

mur per temperantiam; quare, Paulus ad Rom. 12. *Rationabile*, ait, *sit obsequium vestrum.* Vel secundo etiam dicere possumus, quod ista virga, sit Superior, super gregem subditorum vigilans, & oculata, spectans delinquentium defectus, quos pęnitentia percutit, vt secundum pœnitentium vires, modificetur.

3 Huius moderationis formam in pęnis, secundum pœnitentium vires, coniectandam, in illa Ezechielis visione adumbrari posse crediderim. Mirabilis profecto, fuit illa visio, Ezechieli conspicua, de illo curru, à quatuor; qui vehebatur animalibus, à Boue, ab Homine, à Leone, & ab Aquila: sed quomodo ab his animalibus benè poterat trahi currus? quod bos ad iungatur currui, & iugo subdatur; & hunc trahat, non incongruum; ad hoc enim natus, aptus, & à bubulcis educatus est; verum, quod Homo, Leo, Aquila, Bouis naturā sortiantur, & munus obeant, hoc inauditum. Homo, qui omnibus sublunaribus creaturis præest, aliorum, vt brutum regatur arbitrio; qui vt Dominus, alijs principatur, aliorum seruitutis iugo subdatur; qui currum regit, currum trahat, auriga ducens, animal trahens euadat: quod, & Leo quadrupedum Rex, animalium fortissimus, & Siluarum Dominus, laboribus non assuetus, currui, & aliorum imperio subdatur; & hoc mirum: sed quod maiorem incutit admirationem, est quod Aquila, quæ volatilium Regina gloriatur, & septrum ostentat; quæ per aereos, & ipsa spatiatur, vt Domina, campos, & hæc adiungatur currui, quadrupedum naturam sequens, hoc certè mirādum. Hunc currum, diuinæ legis figuram censerem, quatuor Euangeliorum cōstructum rotis, vt in festo S. Vincentij Confessoris, legitur à S. Ecclesia. *Quatuor vecta rotis, agitur mirabilis quadriga Domini*; Varia animalia, diuersa hominum genera designantur; quorum vnusquisque, secundum suam naturam, virtutem, & dispositionem pro posse, per diuersas pœnitentiæ, & obseruantiæ vias, hunc currum trahunt, vt ibidem dicitur in festo S. Vincentij: *Ducunt hi rhedam Euangelij, velut equi fortes, & varij.* Alij incedentes; per directas vias pietatis; alij per obliquas laborum; per aquosas lacrymarum; per aridas ieiuniorum; per dumosas disciplinarum; per luctuosas opprobriorum, & calumniarum; per petrosas persecutionum; per angustas tribulationum; per supernas orationum; per infernas humilitatis, de quib. Apostol. p. ad Cor. 11. ait: *In labore, & ærumna, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, in plagis vltra modum*; per has igitur morales vias discretionis pede, secundum suas vires, quisque incedere debet; vt de vaccis arcam Dei trahentibus, ait Gregor. lib. 3. super p. reg. 4. *In directum per viam, quæ ducit Bethsames ire, est in studio cælestis perfectionis, afflictionem carnis tenere, per virtutem discretionis; nā in directum vaccæ nequaquam gradiuntur, si in afflictione carnis, discretio non seruetur.* Velut bos est religiosus, & iustus, qui iugo obedientiæ, suæ voluntatis collum subdit, & terram proprij corporis mortificationum vomere, exarat, & sāguine rigat; vt 1. Cor. 9. ait Apost. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*; & fert cū Christo mortificationum iugum, vt Matth. 11. *Tollite iugum meū super vos.* Alius trahit, vt homo, qui cum tam graue pœnitentiæ iugum ferre non possit, leuius inferiorum operum, iuxta suas fert vires. Alij velut Leo,

Forma moderandę disciplinæ, in quatuor Animalibus Ezechielis, adūbratur.

Diuinæ legis currus, quatuor Euāgeliorum rotis.

S. Eccles.

Diuersi, diuinæ legis, currum trahentes, & quomodo.

Greg.

Quę sint hęc animalia moralia trahentes, diuinæ legis currum.

fortes, vt adolescentes, sed non assueti, ieiuniorum tractibus, & asperitatibus mortificationum, ab his tamen pro viribus non declinant. Alij, vt his non apti pœnitētiæ operibus, vt sunt debiles, & infirmi, velut aquila, diuinæ legis huic iunguntur currui, dum per orationum aera, mentis suæ alis, euolare didiscere. Ecce secundum pœnitentium vires, pœnæ quoque moderatio.

4 Huius moderationis formam, siue in perferendis, siue in alijs iniungendis pœnitentijs, secundum vires pœnitentium obseruandam, ex ipso Deo mihi videtur nos posse decerpere; ideo curiosus quæro, cur in primodijs enascentis mundi, peccātibus Adamo, Eua, & Serpēte in vetito cibo, Deus diuersas singulis pro culpa ad pœnam pœnitentias inflixerit: Adæ laboris, Euæ doloris, Serpenti continūi esus terræ, & super hanc serpendi: Dixit enim Adæ, vt Genes. 3. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo: in laboribus comedes cunctis diebus vitæ tuæ*: Mulieri pœnam doloris partus intulit, dicens, Gen. ibi. *In dolore paries*: Serpenti verò maledixit, & in hunc pœnam etiam protulit, dicens, Gen. 3 *Super pectus tuum gradieris; terram comedes, cunctis diebus vitæ tuæ*. Si agentes, & consentientes, vt disponit lex, pari pœna plectuntur, cur pro eadem, horum communi culpa, pœnitentia variatur ad pœnam? cur non vna communis omnibus, sicut culpa erat, infligitur pœna? quod si varianda, cur non maiori, mulierem, vti culpæ originem, animaduersione plectit Deus, cum Adæ peccatū, in ipsam vti causam, & originem refundatur mulierem? Hoc ideo à diuina prouidētia dispositum fuisse, mihi videtur dicendum, vt secundum pœnitentium vires, metodum desumeremus pœnitentias iniungendi: ideo dicamus diuersis pœnis, diuinam iustitiam peccantes adiudicasse; horum diuersas naturas, & vires perpendentem: Adæ enim, vt potè secundum se totum, eodem tempore de terra educto, perfectiori vnitate, virtute, & viribus ipsa muliere pollenti, illius vires dimensus, singulis diebus, quo vesceretur, cibum sudoribus quæritandi, pœnam indixit; vt diximus Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*: Euæ, vti infirmiori ipso viro viribus, in partu dolorū pœnam indixit, Genes. 3. *In dolore paries*, Serpentem verò subdolum, & infernalem, vt fortissimum, qui suis Euam ad peccandum circumuenerat dolis, & in malo obstinatum; æternis inferni ignibus addixit, dum dixit, *Terram comedes*, pœnam inferni, qui in terræ centro statuitur, innuit: dum dixit: *Omnibus diebus vitæ tuæ*, æternitatem intulit, proportionatam eidem, qui æuiternitate commensuratur.

Deus naturæ peccantium, pœnitētia, se accommodat, vt in Adamo, Eua, & Serpēte, delinquētibus.

Cur laboris, Adæ, doloris in partu mulieri, esus terræ Serpenti, Deus indixerit pœnam.

5 Et vt dictorum veritas firmius stabiliatur, hanc, D. Thomæ doctrinæ fundamento fulciamus; qui super Epistolā ad Rom. 12. ait: Duos in homine in genere, actus reperiri posse; interiores videlicet, & exteriores; interiores, quia se habent per modū finis, qui secundum se quæritur, nulla in ipsis mensura requiritur, quia homo debet v. g. Deum amare, credere, sperare quantū potest &c. & quāto plus facit, tāto melius, ideo Deut. 6. *Diliges Dominum Deū tuū, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*: Actus verò exteriores, in quibus corpora Deo exhibentur, cū se habeant, sicut ea, quæ sunt ad finem, in his debita mensura requiritur, secundum proportionem ad finem; sicut ait D. Thom. vt supra: *Medicus sanitatem facit, tantum quantum potest; medicinam autem non dat tantum, quantum potest*,

D. Thom.

Iustorū interiores actus, quia se habent per modum finis, sunt sine māsura, exteriores verò fini commensurantur.

D. Thom.

sed

sed tantum, quantum videt ad sanitatem consequendam, expedire; ideo in istis actibus exterioribus discretionis mensura est adhibenda; sic secundum qualitatem videlicet virtutem,& vires pęnitentis ad culpæ euacuationem, & animæ salutem, pœnitentiæ iniungendæ, vel voluntariæ assumendæ, vt D. Hieronymus ad Nepotianum: *Tantum sibi*, inquit, *ieiuniorum impone modum, quantum ferre potes*.

Hieron.

6 Talis etiã moderationis moralis victus, proportionatæ pœnitentibus confirmationem, ex Caietano in sua Summ. verbo: *satisfactio*, desumere possumus, qui ait: *Quãta autem, & qualis debeat esse* (scilicet satisfactio) *considerandum est, quod sit commensurata tribus, scilicet peccatori, peccato, & fini, hoc est sanitati animæ, sicut medicina debet esse proportionata, primò infirmo, secundò infirmitati, & tertio sanitati*: Oportet enim videre, an fortis, debilis ne spiritualis æger sit, & qualiter secundum animum, promptus ad satisfaciendum; nam sicut infirmo forti potens medicina propinatur, & debilis debili, ita forti, & bene disposito, & robusto animo, satisfactio, quam meretur pœnitenti est imponenda; debili autem, & minus disposito paruula detur, secundum debilitatem sui animi, satisfactio. Exemplum est in igne paruulo, cui apposita palea fouetur, & à magnis lignis suffocatur. Ideo benè D. Bern. *Carnem*, inquit, *oportet restringere, non extinguere, reprimere non opprimere; seruiat, non saeuiat; ancilletur, non dominetur*. Secundo debet esse proportionata satisfactio morbo, quia contraria contrarijs curantur, sic auaritiæ morbo, eleemosynę remedium. Tertio debet esse proportionata sanitati, vt totus peccati tollatur morbus. Ecce discretio, quæ consideranda.

Caiet.

Pœnitentia, debet commensurari, peccatori, peccato, & fini.

Bern.

7 Commune axioma. *Ad impossibile, nemo tenetur*: nemo enim vltra id, ad quod humana fragilitas, proprijs viribus pertingere non potest, niti debet; neque hoc Deus ab homine pro offensis expiandis, in pœnitentia requirit. Peccatum, quod est malum infinitum, in genere mali, respectu obiecti offensi, quod est Deus, de rigore iustitiæ, infinitam quoque exigeret satisfactionem, vt pœnitentia culpæ esset proportionata; quia tamen hoc est homini impossibile, & quia ait Phil. in lib. ethic. *In his honoribus, qui sunt ad Deum, & ad parentes, non tenetur homo ad aquiualens, sed ad possibile*; sic Deus non exigit à pęnitēte æquale, seu æquiualens, quia hoc est impossibile; sed homo tenetur satisfacere, secundum possibilitatem suam. D. Th. 4. sent. d. 15. a. 2. ad 3. Rursus homo quamuis totum posse suum debeat Deo, nō tamen ab eo exigitur, ex necessitate, vt totum quod potest, faciat, quia hoc totum est impossibile, secundū statum pręsentis vitæ, vt totum posse suum in aliquod vnum impēdat, cum circa multa debeat esse solicitus; Quod si Deus vltra humanum posse, ab homine non requirit, nec ad æquiualens, nec simpliciter ad totum possibile, sed secundū quandam mensuram virium, proportionemq; virtutis; cur homo idest Superior, possibilitatis leges excedēs, & diuinū transcēdens ordinē, supra vires pęnitentis, pęnitētiæ onus audebit imponere? sicut dicit. Matth. 23. *Alligant n. onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum?* quare meritò tales à D. Petro reprehenduntur, vt Act. 15. dicente: *Quid vultis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, nec Patres nostri, portare potuimus*. Ideo D. Chrisost. super

Sicut, ad impossibile nemo tenetur, sic neq; ab homine hoc exigit Deus.

D. Thom.

Licet homo, totum suum posse, debeat Deo; hoc tamen, non ex necessitate exigitur.

Chris.

super Matth. 23. *Tales sunt, qui graue pondus venientibus ad pænitentiam, imponunt, & sic dum præsens pæna fugitur, contemnitur futura.*

APHORISMVS DECIMVS.

Quibus igitur statim morbus consistit, his statim tenuis victus, adhibendus est; Quibus verò posterius debet consistere, his & ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus; prius verò vberius agendum, vt æger sufficiat. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

POstquam egit Hippocrates, in præcedentibus Aphorismis, de morbis peracutis, dum in vigore consistunt, victu tenuissimo esse vtendum, vt in Aphor. 8. nunc vniuersaliter agit de omni morbo, in quo, dum viget rigor, tenuis victus est adhibendus; sic Galenus sensit. Hic Aphorismus, vt ait Io: Marinellus, est veluti epilogus duorum, vel trium superiorum Aphorismorum, & colligitur ex hoc aduerbio; *Igitur*, quod conclusionis signum est: vult igitur Hippocrates, quodãmodo ex præcedentibus concludere, quanto cibo debemus in morbis generaliter vti, & quo tempore, iste exhibendus, subtrahendus, addendus, & quomodo &c. *Quibus igitur statim morbus consistit &c.* Præcipit igitur Hippocrates in vigore morbi, & propè ipsum, attenuandum esse victum; si enim vigor statim adest, statim præcipit victum attenuandum, ne quãtitas victus, morbum augeat: huius ratio melius in sequenti Aphorismo explicabitur; Verum si morbus non consistit, sed proxima futura est morbi consistẽtia, seu fore vigere, quam primum timetur morbus; tunc paulò ante vigorem, cibus est subtrahendus. sed aduertendum est, quod cum cibus augendus, vel diminuẽdus est, hoc paulatim fieri debet, vt docuit Hippocrates, in lib. de vict. rat. qui ait: *Cum cibum, vel potum augere inceperis, vel detrahere, paulatim additiones, & detractiones facere oportet, ne repentinæ fiant mutationes*; verumtamen est, quod prius, idest ab ipso principio morbi, æger vberius est alendus, vt inde adueniente morbo, huic possit viribus obsistere, & ille perdurare &c.

Galen.

Io: Marinel.

Medicina corporalis.

Quomodo cibus antè vigorem sit exhibẽdus, & quando subtrahendus.

Hippocr.

Egimus, & nos moraliter, in antecedentibus, de morbis acutis peccatorum, & de horum morali victu, pro eorundem curatione, dum scilicet sunt in vigore, siue peccata, siue diabolicæ tentationes, peccatorum, & pœnitentium animam vexantes; nunc concludimus vniuersaliter, non tantum in grauioribus peculiarium peccatorũ morbis, sed

Ordo Medicinæ spiritualis.

sed in omni vniuersaliter culpæ ægritudine, siue etiam diabolicæ tentationis; dum vigor viget, quod tenuis victus, hoc est ieiuniorum, orationum, & mortificationum, est adhibendus.

Medicina spiritualis.

Vbi peccatũ, vel diaboli tẽtatio, ibi ieiunij, & orationis tenuis victus adhibẽdus.

Vbi statim morbus consistit &c. Dicamus, & nos, quasi dictorum aliquorum epilogum facientes, quod *Vbi statim morbus cõsistit*, hoc est, vbi statim animę morbus, quod est peccatum, in animam insurgit, vel diabolicæ tentationes acriter insistunt, & in suo rigore vigent, statim tenuis ieiuniorum, victus est adhibendus, vt D. Hieron. ad Cancell. *Ardentes diaboli sagittæ, ieiuniorum, & vigiliarum frigore restringendæ sunt*; vel orationum, ad diabolicę tentationis vim euincendam; vt Bern. in serm. 12. in Psal. qui habitat, ait: *Quoties grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, in opportunitatibus tuis, in tribulatione, inclama eum, & dic, Domine salua nos perimus*; *Quibus verò posterius debet consistere &c.* quod si peccati morbus, adhuc non subsistit, sed de proximo futurus timetur, paulo ante rigorem, *cibus subtrahendus*, hoc est à peccati occasionibus recedendum. *Prius verò vberius agendum, vt æger sufficiat*; hoc est ieiuniorum, orationum, & Sanctorum Sacramentorum victu, est roboranda anima, vt peccati, & diabolicarum tentationum vigori, validè valeat obsistere. Ex quibus breues tres tantum paragrophos desumemus.

Hieron.

Bern.

Cum futurũ peccatum, diaboli tentatio timetur, ab occasionibus peccati recedendum.

Noster in diabolũ cõgressus, est spiritualibus armis, præmuniẽdus.

Quibus igitur statim morbus consistit, his statim tenuis victus, est ad adhibendus. tex.

§. I. Dum peccati, vel diabolicarum tẽtationum in animam irruentium vigor viget, tenuis, ieiuniorum, orationũ, & pœnitentiæ victus, est adhibendus.

Quibus verò posterius, debet consistere, his & ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus. tex.

§. II. Dum peccati, siue diabolicarum tentationũ, proximus futurus rigor timetur, sensualium voluptatum, & occasionum peccati, victus subtractione, est præcauẽdus.

Prius verò vberius agendum, vt æger sufficiat. tex.

§. III. Vt anima imminentis peccati, & diabolicarum tentationum paroxysmo obsistere valeat, prius ieiuniis, & orationibus debet præmuniri.

Quibus igitur statim morbus consistit, his statim tenuis victus, est ad adhibendus. tex.

§. I. Dum peccati, vel diabolicarum tẽtationum in animam irruentium, vigor viget, tenuis, ieiuniorũ, orationum, & pœnitentiæ victus, est adhibendus.

1 TEnuem hunc victum moralem, scilicet ieiunium, vt supra

ſupra diximus, ad diabolicarum artium vim edomandam, nobis ſancta proponit Eccleſia, in prima horarum, dum ait: *Iam lucis orto ſidere, Deum precemur ſupplices, vt in diurnis actibus, nos ſeruet à nocentibus*, præcipuè à diaboli tentationibus nos erui, orat ideo, ait Durandus in rationali diuin. offic. lib. 5. cap. 5. *Meritò ergo Eccleſia, in hac hora, Dominum laudat, & eum inuocat, dicens: Deus in adiutorium meum intende; Et inde petit liberari à perſecutionibus mundi, & à tentationibus diaboli, vt patet in hymno, Iam lucis orto ſidere &c.* Sed quomodo liberari poſſimus, declarat, per mortificationes, inter quas præcipue enumerat ieiunium, dum ſequitur: *carnis terrat ſuperbiam, potus cibique parcitas*, ecce ieiunij tenuis victus, ad domandam ſuperbiam carnis, quæ cum rationi ſubdi deberet, hanc ſui dominio illā ſubijcere tentat; ieiunio igitur huius ſuperbia edomanda, vt Auguſt. in reg. *Carnem veſtram, ait, domate ieiunijs, abſtinentia eſca, & potus, quantum valetudo permittit.*

S. Eccleſ.

Durand.

Ieiunio, carnis ſuperbia domãda, & diabolica tentatio ſuperanda.

Auguſt.

2 Cum igitur futuræ culpæ, & diabolicarum tentationum morbus conſiſtit, ieiunij ſtatim, tenuiſſimo victu vtendum. Iſte moralis victus, erit etiam orationum. Cum Saluator noſter, quadam die, nubilo cœlo, noctis cuiuſdam intempeſtiuæ ſilentio, maris vndas, ſiccis percurreret veſtigijs, & marinos vortices ſanctorum pedum inclinaret greſſu, vt Matth. 14. *Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos, ambulans ſupra mare*; Exiſtimantes diſcipuli, ex aſpectu, verum Chriſti non diſcernentes obiectum, phantaſma eſſe, timore perculſi, clamauerunt; verum horum timori, & dubitationi occurrens Saluator, dixit: *Habete fiduciam ego ſum*, ſtatim intrepidus Petrus, ad eum accedendi, veniam petit, dicens: *Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas*, ſic ſe mari committens Petrus, veſtigijs vndas præmens: *Videns*, ait textus, *venientem ventū validum timuit, & cū cepiſſet mergi, clamauit, dicens: Domine ſaluū me fac*, ſtatim ac vidit apertæ ſubmerſionis periculum inſtare, auxilium etiam ſtatim à Saluatore poſtulat; qui extendens manum, à periculo naufragantem continuo liberum Petrum extraxit: *Et continuo Ieſus extendens manum apprehēdit eū.* Matth. 14. Hic Petrus anima fidelis eſt, quæ, dum huius mūdi mare enauigat; vbi tot vitiorum periculorum ſcopuli, ad naufragiū noſtrum deliteſcunt; vbi à varijs diabolicæ tentationis, agitur illa fluctibus, dum in hanc dæmonis fraudum procellæ irruunt; dum ſubmerſionis æternæ per culpam periculum ſubeſt, oratione ad Dominum clamare debemus: *Domine ſaluum me fac*, ne culpæ vnquam naufragio pereamus, vt Auguſt. de verb. Dom. ait: *Cum fluctuat cupiditas cor tuum, vt vincas cupiditatem, inuoca Chriſti diuinitatem.*

Oratio ad ſuperandas diaboli tentationes, prodeſt.

Petrus cum naufragio periclitatur ſtatim ad Chriſti accurrit auxilium.

Anima in dæmonis tētationibus, ad Deū oratione recurrere debet.

Auguſt.

3 Hoc etiam in ipſis Apoſtolis patet: Chriſto Saluatore noſtro in mari, nauicula vecto, oculis ſomno coniuente, tam valida tempeſtas inopinatè exorta eſt, vt totis ſuorū fluctuum, ac turbinum viribus, ad naufragium nauiculam Chriſti rapere, & pertrahere videretur, vt Matth. 8. *Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus; ipſe verò dormiebat*: Tāto eorū ſalutis periculi timore conſtrati, Apoſtoli, pro liberatione, protinus ad Chriſtū accurrerūt: *Domine ſalua nos, perimus*; ideo Chryſol. ſer. 20. *Diſcipuli poſtquam viderunt, ſibi induſtriam nauticorū deperijſſe, in ſe maria ſæuire, ad-*

Apoſtoli in naufragij periculo, ad Chriſtū confugientes.

Chryſol.

uerſum

uersum se ventorum turbines conuenisse, ad ipsum gubernatorem rerum, vectorem mundi, elementorum magistrum, trepidi confugerunt, vt sedaret fluctus, periculum summoueret, salutem redderet desperatis; sic nos dum vehementium tentationũ, in nos fluctus insurgunt, ad Saluatorem, oratione accurrere, docemur.

Quibus verò posterius, debet consistere, his & ipso confitendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus. tex.

§. II. Dum peccati, siue diabolicarum tentationũ, proximus futurus rigor timetur, sensualium voluptatum, & occasionum peccati, victus subtractione, est præcauendus.

1 CVriosè quæsierunt nõnulli, cur Ioannes ad prædicandum, desertum petierit; Christus verò publicè prædicans inter gentes, & oppidanos, fuerit commoratus. Multæ possent adduci responsiones, hanc vnam modo ad rem mihi eligo, dicens; ideo Christum, inter gentes commoratum fuisse, quia securus inter peccatores degebat, & à labe peccati nullatenus poterat coinquinari: *Tentari quidẽ poterat, sed eum peccati delectatio non momordit*, dicebat D. Gregor. nam velut Ionas in ventre ceti, securus morabatur: & dum alij salsos peccatorũ humores hauserant, ipse diuinæ gratiæ dulcissima degustabat pocula, vt D. Hieronymus: *Cæteris bibentibus salsos fluctus, ego in medijs tentationibus dulcissima fluenta sorbebam*; Ioannes verò licet à mortalibus culpis esset immunis, vt potè in materno vtero Spiritus Sancti rore conspersus, in venialem tamen culpam poterat illabi. Est enim communis Theologorũ sententia, in vtero sanctificatos, eo carnis appetitu carere, qui ad mortale inclinat; vel saltem tali gratia donari, vt cum facilè possit appetitum rafrænare; non verò eo carere appetitu, qui ad veniale inclinat, dicitur enim: *Septies in die cadit iustus*; vt hunc igitur appetitum solum ad veniale propendentem, sibi relictum reprimeret, D. Ioannes, sensualium voluptatum etiam leuium, & honestæ etiam recreationis victu, venialis culpæ imminentis periculi, morbum præcauit; vt sancta canit Ecclesia: *Antra deserti, tenuis sub annis, ciuium turmas, fugiens petijsti, ne leui saltem maculare vitã, famine posses.* Quod si Io. Domini Præcursor, magnus coram Domino, & inter natos mulierum maior; Spiritus Sãcti adhuc in vtero prçuilegio decoratus, à venialium culparum periculo, ita diligenter præcauit, horum futuras occasiones deuitans; quomodo homo peccator, inter peccatores degens, à peccatis poterit immunis euadere, si in diabolicarum tentationũ vigore, ab occasionibus peccati, non se secernit? si in Ierusalem, quis non erit tutus, quomodo in Babilone liber euadet? quare egregiè Seneca epis. 117. ait: *Quãtum possumus à lubrico recedamus, in sicco etiam parum fortiter stamus*.

2 Statim igitur, ac imminentis culpæ præuidetur vigor, vel diabolicarum tentionum, in nos irruentiũ spiritualis timetur accessio; statim mortificationum gladium arripere debemus, vt vitiorum, & horum occasionum hostes profligamus; ideo dicebat Dauid Ps. 100.

Quare Io. in deserto, Christus inter gentes, prædicant, & commorantur.

Gregor.

Hieron.

S. Eccles.

D. Io. vt à venialibus declinaret, desertũ pætit pęnitens.

Senec.

In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ; Sed quomodo hoc fieri potest, vt peccatores vnius manu cadant omnes, & ad vnum deleantur? Anagogicè loquitur psalmista; per peccatores, vitia, quæ hominem deturpant, intelliguntur, sic sensus patet. Sed tamen, & adhuc non aquiesco difficultati, & quomodo quis omnia vitia, quæ innumera sunt, delere poterit? ecce responsio. *In matutinis*; hoc est si statim, & tempestiuè, ac sol diuinę gratiæ nobis illuxerit, ad diabolicas artes dignoscendas, occurrámus, & fomenta vitiorum subtrahimus; si oblatas ad peccandum eminus adhuc positi, irruentes in nos occasiones subterfugiemus, tunc omnia peccata enecabimus. Quare D. Ambr. in Psalm. 118. ait: *Quomodo unus interficere poterit omnes peccatores terræ? sed si consideres iustum, cui nox præcessit, dies autem appropinquauit, potes uidere, quomodo ex oriente Sole iustitiæ, de luce uigilans, interficiet omnia fomenta delictorum*. Sed huius Sancti Doctoris modum loquendi, quæso adnotemus; nominat occasiones, *fomenta delictorum*; sumitur enim metaphora ab igne, cui si oleum, vel stipula admouetur, fouetur, si subtrahitur, extinguitur; sic ablatis, vel admissis occasionibus, peccãdi, periculum tollitur, vel in peccatum prolabitur; nisi enim occasionum radices, statim euellamus, vitiorum semper prodibunt germina. Vel possumus dicere: *In matutino interficiam omnes peccatores &c.* Idest dum statim irruentes in me diabolicas tentationes, à cordis mei confinio ablegabam, tunc dæmones interficiebam, vt ait D. Hieronymus super Psalm. 100. *In matutino interficiebam, &c. Hoc uult dicere*, inquit, *quod immissiones diaboli, quas mihi suggerebat, eijciebam de corde meo, & non suscipiebam, cogitationibus enim malis eiectis, dæmones occiduntur*.

Si vitijs statim, pænitẽtia occurremus, omnia delebimus.

Ambr.

Sicut stipula igni, sic occasiones peccatis.

Quomodo dicantur, in matutino peccatores, interfici.

Hieron.

3 Quare merito ab hac via, idest occasione peccandi, amoueri petebat Dauid, dicens Psal. 118. *Viam iniquitatis amoue à me*. Sed quomodo in via, ipsa culpa, & iniquitas potest reperiri, quæ voluntatis vitiũ est, & liberi arbitrij defectus? sed dicamus, quod dicitur, via iniquitatis, occasio ducẽs ad culpam; nam sicut via est, quæ viatorem ducit ad terminum, sic occasio est via, quæ animam ducit ad peccatum; ideo dicebat Psalm. *Viam iniquitatis amoue à me*; ait enim Philosophus: dispositio ad formam, & forma sunt eiusdem generis, & proueniunt ab eodem agente; cum igitur occasio sit dispositio, & via ad peccatum, erit eiusdem generis cũ peccato: *Viam*, igitur, *iniquitatis amoue à me*; quasi dicere vellet, Ego in hoc mundo viator sum, ad cœlestem contendens patriam; in huius mundi via, quam non bene calleo, sunt diabolici grassatores, qui nostro insidiantur itineri; & obstant saluti, vt Gregor. homil. 11. in Euang. ait: *In præsenti vita, quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus, maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident*; qui à diuinorum mandatorum semita retrahere, & per latam peccatorum, quæ ad Infernum ducit, perducere conantur, viam; ideo oro te Domine, vt Psalm. 5. *Dirige in conspectu tuo viam meã*; ne in occasionum lapidẽ impingat pes voluntatis meæ, & in miserabile inde peccati, labar præcipitium.

Occasio peccati, via dicitur, quæ ad peccatũ ducit.

Philos.

Greg.

4 Hinc est, quod volens Deus Israeliticum populum, ad terram promissionis ex Ægypto ducere, per Philistinorum terram, illũ vetuit transire, licet breuiorem, & cõmodiorem viam, sed per asperas, & lon-

Noluit Deus Israelitas per Philistinorum terram incedere, ne horũ peruersis moribus cõtaminarentur.

& longiores Israelitas iter carpere iussit; non alia ratione, nisi vt viam iniquitatis ab ipsis amoueret: erant enim Philistei peruersis, & corruptis moribus imbuti, mẽte scelestes, vitijs dediti, opere criminosi, exemplo scandalosi; ne igitur Israelitæ, pessimis horum moribus contaminarentur, aliam ab istis secretam contaminatoribus, licet difficiliorem viam ipsos carpore, Deus voluit. Terra permissionis, cœlestis gloriæ symbolum est, omnibus veris, affluentis delicijs, ad hanc, dum quis pergere sibi in animum inducit, & gressus bonorum operum dirigit; multorum incommodorum semitas calcare debet, ab occasionum culpæ, & peruersarum societatum Philisteis, declinans. Sed de his in seq. Aphor.

Ad cœlestẽ contendens patriam ab occasionibus peccati, declinare debet.

Prius verò vberius agendum, vt æger sufficiat. tex.

§. III. Vt anima imminentis peccati, & diabolicarum tentationum paroxysmo obsistere valeat, prius ieiunijs, & orationibus debet præmuniri.

Saræ oratio, vt Tobiam eius sponsum à morte eriperet.

1 HVius breuis paragrophi veritas, exemplo Saræ, Tob. 3. elucescere potest. Cum .n. Sara septem sibi sponsus à dæmone, qui Asmodeus vocabatur, conspexisset suffocatos, ob quos, maximum pateretur opprobrium; timens, ne futurus sponsus similiter ab eodẽ dæmone, ad mortem eriperetur; ecce quomodo eiusdem insultibus imminentibus ieiunij, & orationum armis se communiuit; ait textus Tob. 3. *Perexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus, & tribus noctibus, non manducauit, neque bibit; sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam*; sic eius oratio, ieiunio cõmunita, exaudita est, quare de cœlo misit Deus Raphaelem, qui dæmonis obsistens insultibus; Saram de sponso, qui Tobias fuit, prouideret, & eam de improperio eriperet, & vtrosque à periculo exemit, vt Tob. 3. *Missus est Angelus Domini, Sanctus Raphael, vt curaret eos ambos; quorum vno tempore, sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.*

2 Rhinoceros, qui, & Monoceron dicitur, secundum Isidorum, ferox bestia est, quæ cornu in fronte, sibi à natura insitum, gerit, quo Elephantem ventilat; cum hoc igitur ad pugnam cõgressurus, ad scopulum, siue ad saxum accedit, vbi cornu, quasi pugnæ gladium rotat, & acuit, & cum sciat Elephantem, vt ait Isid. lib. 12. secundum Pliniũ, ventris partem habere mollem, ad hanc partem certando, tendit, vt acuto cornu illum transuerberet, & ad mortem confodiat. Iste Rhinoceros moralis, potest dici anima fidelis, vt Deut. 33. c. *Cornua Rhinocerotis, cornua illius; in ipsis ventilabit gentes: Est enim fortis ad resistendum tentationibus*, ait Lyranus, hic; quæ cum superbo dæmonis Elephante pugnaturus, vt diabolicarum tentationum, huius frãgat vires, stratagemata, & versutias eludat, & eundem vinctũ prosternat, prius ad petram, quæ Christus est, vt 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*, debet fidei, & pœnitentiæ gressibus accedere, spiritualium virium cornu, orationum, & ieiuniorum motu acuere, vt insidiarum, & tentationum illius ventrem, ad victoriam valeat transuerberare, vt Psal. 43. dicebat Dauid: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Sic enim, vt ani-

Isid.

Historia Rhinocerotis, cũ Elephante pugnaturi, cornu ad saxũ acuentis.

Plin.

Lir.

animosus Rhinoceros Dauid, in superbum Goliam processurus ad pugnam, non ante in campum descendit, quin prius ad quinq; limpidissimos lapides accurreret, quibus gigantem prostrauit, vt p. reg. 17. sic nos ad diabolicas futuræ imminentis tentationis artes eludendas, orationum, & ieiuniorum debemus lapidibus præmuniri. Sic Christus, in diabolum in deserto, ieiunio armatus ad victoriam processit.

APHORISMVS VNDECIMVS.

In accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare nocuum est, & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione, abstinere oportet. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

IN superioribus Aphoris., egit Hippocrates, qualis esse debeat dicta in morbi statu, seu vigore; nunc verò, quæ ægro competat in accessione quærit, & exponit hoc pacto: *In morbi initio singulari, vel vniuersali cibus nocet*; ita Io: Marinellus: Sanctorius verò hic, per accessiones, intelligit quatuor tempora paroxysmi, videlicet, principiũ, inæqualitatem, augmẽtum, & statum.

Io: Marinell.

Hic Aphorismus, in duas partes diuiditur, secundum eundem Sanctorium; in prima parte agit Hippocrates, de paroxysmis omnium febrium continuarum, dum dicit: *In accessionibus abstinere oportet*; In secunda de paroxysmis febrium intermittentium, & aliorum morborum, qui redeunt per circuitus; & hoc patet per Galenum, dum ait: *In accessionibus, licet dare cibum, vel quando declinant, vel quando cessant paroxysmi*; dum dicit, *declinant*, intelligit paroxysmos febrium continuarum, dum dicit, *cessant*, intelligendus est de paroxysmis febrium intermittentium.

Medicina corporalis.

Galen.

In accessionibus abstinere oportet. Galenus 3. de dieb. decret. cap. 8. ait: *Paroxysmos, esse quasi stimulos incitantes naturam ad pugnam*, additque, *in paroxysmis fieri crisim, ideo cibis non esse diuertendam naturam à certamine cum morbo*; ideo subdit Hippocrates, rationem, dicens; *Nam cibum dare nocuum est*. Quæ ratio sic probatur: nam dum huiusmodi fiunt accessiones, natura insurgit in morbum, vt huic pro viribus obsistat, & hunc euincat; tunc, si æger sumit cibum, hic in stomacho corrumpitur, & natura in huius cibi coctione occupata, à pugna in morbum distrahitur, sic morbus inualescit, in hunc pigritante, vel refugiente natura, quæ à morbi inde vi profligata, & euicta, eidem succumbit morbo; *sic cibum dare nocuum est*. *Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet*. Hæc est secunda pars huius Aphorismi,

Galen. Paroxysmus quasi stimulus incitans ad pugnam.

Quomodo, in accessionibus, cibũ dare, nocuũ sit.

quæ

quæ est de paroxysmis, in febribus quibuscumque intermittentibus, quæ per circuitus redeunt, vt sunt Apoplexiæ, astma, collicus dolor, catarrhus, hæmicranea, hæmorrhagia, lienosus affectus, mania, melancholia hypocondrica, nephritis, podagra, vertigo; sic Sanctor; in quorum paroxysmis, eadem sententia, victus subtractionis, est seruanda, in ipsa accessione, abstinendi.

Sanctor.

Ordo medicinæ spiritualis.

Egimus, & nos moraliter superius, qualis penitentiæ, & mortificationum dieta in spiritualis, hoc est peccati morbi, & diabolicarum etiam tentationum vigore, seu statu, statuenda sit; nunc agendum in præsenti Aphorismo, qualis dieta præscribenda sit ieiuniorum, seu præcipue à peccati occasionibus recedendi, in initio futuræ mox erumpentis culpæ, quæ est accessio spiritualis animæ, seu diabolicarũ tentationum, dum incipiunt, vt D. Hieron. supra epist. ad Ephes. 4. ait: *Aduersarius solet antequam veniat iacula præmittere, & præcursorẽ aduentus sui facere cogitationẽ; hanc si nos in corde susceptam nutriemus, & crescere fecerimus, cum in nobis auctam prolem viderit, ipse audebit intrare*; Sed etiam sumendo accessionem, secundum Sanctorium, pro principio, inæqualitate, augmento, & statu morbi, hoc est pro quocunque morali tempore peccati; diabolicæ tentationes, accessiones verè dici possunt; nam si, vt ait Galenus, vt supra accessiones hæ, siue paroxysmi sunt quasi stumuli incitantes naturam ad pugnam; sic diabolicæ tentationes, cum prouocent animas fideliũ ad pugnam, secundum illud in Comm. Apostol. ab Ecclesia: *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente*, sic accessiones, & paroxysmi dici possunt. *In accessionibus*, igitur, *abstinere oportet*, hoc est dum præcipuè in nos diabolicæ tentationes irrunt, abstinere oportet, ab occasionibus scilicet peccati recedendo; & penitentia eidem obsistendo tentatori, vt Hug. Card. in p. Petr. 5. qui ait: *Contra quem*, idest diabolum, *animus tantum debet esse paratus ad resistẽdum, quãtum ille paratus est ad impugnandum*; & ratio Hippocratis adduci potest: *Nam cibum dare nocuũ est*; si enim igni, fomenta adijciemus, non extinguetur, sed magis accendetur; sic si sensui, occasionum peccati, cibum præbebimus, in his detenta voluntas, à pugna in diaboli distracta, tentationum morbo inualescente, spiritualibus virtutum viribus deficiente anima, diabolicis insultibus, culpæ, facilè succumbet; ideo Gregor. in Pastor. *Si tentationi* (inquit) *in corde nascenti, festinè non resistitur, eadem, qua nutritur hora, roboratur*: sic, *cibum dare nocuum est*; nam si cum infernali hoste, tentationibus obsistendo, non pugnabimus, ab hoc euicti, ad culpam expugnabimur; ideo idem Greg. in Iob. 31. *Multos*, ait, *diuturna pax victos reddidit, eoque illos inopinatos hostes grauius pertulit, quo longo quietis vsu, negligentes inuenit*. Secunda pars est, de moralibus febribus intermittentibus, quæ per circuitus redeunt. *Et quibus per circuitus fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet*. Qui per quædã temporum interualla, diabolicas patiuntur tentationes, & dæmonis subiacent insultibus, tunc etiam, & hi ab occasionum cibo, abstinere debent; nam disposito animæ subiecto, per occasiones, peccati, in eam facilè introducetur forma, vt Ecclesiast. 3. d. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Secundo possemus exponere hos circuitus, pro occasione peccan-

Hieron.

Sanctor.

Galen.

Quomodo tentationes diaboli, paroxysmi dici possint.

Medicina spiritualis.

Hug. Card.

Greg.

Qualiter occasionum cibus, sit animæ noxius

Greg.

Secũda pars Aphorismi.

Assuetus delinquere, ab occasionibus declinare debet.

peccandi, ex impiorum societate, emanante; de quibus dicitur Psal. 11. b. *Incircuitu impij ambulant*, hi enim improbi, & reprobi, probos, iustos, & innocentes suis circum eunt dolis, & malitia, vt horum probitatem, & probatos mores, & suis improbitatibus circumueniant, malo exemplo, & peruersis moribus corrumpant, & eorundem innocentiam, & puritatem, iniqua conuersatione peruertant, vt p. Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*. Quare: *In ipsa accessione abstinere oportet*. Ab horum consortio, & societate declinare, maxime cum imminentis culpæ occasio interuenit; dicitur enim Ecclesiast. 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea*, quod de malorum societate exponitur hic ab Hug. Cardin. qui ait; *Malorum societas fugienda, quia multum coinquinat*; Et sicut à bonis, bona desumimus, sic à malis, nisi malum colligere possumus, vt Aristol. 9. Ethic. ait: *Te coniunge bonis, ab his bona plurima disces: cum prauis viuens, tu quoq; prauus eris*: quod cum illo Dauidico Psalm. 17. concordat: *Cum electo electus eris, cum peruerso peruerteris*. Quæ omnia paragrophis, dilucidanda.

Ab impiorũ societate declinandum.

Hug. Card.

Arist.

In accessionibus, abstinere oportet. tex.

§. I. Vt anima, possit imminentis culpę morbum euincere, in diabolicarum tentationum accessionibus, debet se à noxio occasionum cibo, abstinere.

Nam cibum dare, nocuum est. tex.

§. II. Qui se peccati occasionibus inserit, in culpam facilè corruet.

Et quibus per circuitus fiunt accessiones, in ipsa accessione, abstinere oportet. tex.

§. III. A diaboli tentationibus, cum quis sæpe appetitur, à peccati occasionibus, peruigil cauere debet.

Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione, abstinere oportet. tex.

§. IV. In impiorũ societate solitus delinquere, ab illorum consortio declinare debet.

In accessionibus, abstinere oportet. tex.

§. I. Vt anima, possit imminentis culpę morbum euincere, in diabolicarum tentationum accessionibus, debet se à noxio occasionum cibo, abstinere.

1 NVllus inter morales degẽs, à diabolicarum tentationum vexatione, se exemptum iri, gloriari potest, ideo August. super Psalm. 60. ait: *Vita nostra in hac peregrinatione, non potest esse sine peccato, sine tentatione, quia profectus noster, per tentationem nostram fit*; imo & ipse Saluator, qui vinci

August.

vinci haud poterat, tentari voluit, ne à nostri, inde per diabolum, tentatione perturbemur, vt Gregor.

Greg.

Ne turbetur, inquit, *quis si tentatur, quoniam tentatus est Saluator:* verum Christianæ militiæ adscripti, victricia ad obsistendum diabolo, in sacro fonte, arma suscepimus, vt ait D. Chrisost.

Nemo, à diabolicis tentationibus immunis.

Chris.

Quisquis ergo post baptismum grauiores sustines tentationes, ne turberis, nam propter hoc arma suscepisti, non vt vaces, sed vt prælieris. Et S. Leo Pap. ser. 7. de ieiunio, hoc idem affirmat, his verbis: *Sed his, atque omnibus alijs destruendis, habet Christiana acies, potentes munitiones, & arma victricia.* Sed quæ erunt hæc arma victricia? Paulus ad Ephes. 6. hoc exponit, dicens: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates &c.* Ista arma sunt opera lucis, virtutes, dona, & ipse Saluator, vt ait D. Hieronymus ibi: vt his igitur nos armis induamur, quid opus est? oportet primò disponi, ab occasionibus peccati scilicet declinando; quare Apostolus ad Rom. 13. ait: *Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis;* vbi D. Thomas, super hunc locum, ait: *Huiusmodi opera tenebrarum abijciamus, occasiones peccati deuitando; nam suggestiones, & diabolicæ tentationes, opera sunt principis tenebrarum, in delectationibus peccati:* Quare si victoriam in infernalem hostem cupimus, reportare, debemus pugnare; vt pugnemus, armis debitis indui; & vt his induamur, opera tenebrarum, à peccatorum occasionibus declinando, à nobis abijcienda erunt.

Leo Papa.

Vt diabolū vincamus, à peccati occasionibus declinemus.

Hieron.

D. Thom.

2 Duo, ad hanc victoriam nobis in dæmonem comparandam, necessaria esse existimo; pugnare cum hoste, huius tentationibus obsistendo, & à peccati occasionibus declinare; quæ duo, in vno Esau animaduertere possumus: Vt iste à Patre suo Isac, promissam cōsequeretur benedictionem, iussus est arma assumere, & foras ad venationem prodire, vt Genes. 27. *Sume arma tua, pharetram, & arcū, egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar:* ex quibus verbis, formam cum diabolo ad victoriam, congrediendi, desumere possumus, Si enim inter electos filios Dei cupimus cooptari, si illius cœlestis gloriæ cohęredes fieri, si benedictionem a Deo expectamus, vt in die Iudicij nobis dicat: vt Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi;* quid nobis agendum? debemus assumere arma mortificationum, ad pugnandū cū diabolo, huius tentationū obsistendo insultibus; vt in Comm. Apostol. *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente:* hæc enim necessaria pugna; ideò Aug. super Ps. 60. *Nec potest coronari, nisi vicerit, nec potest vincere, nisi certauerit;* quare si corona exposita est, subdenda certamina sunt: sed hoc solum non sufficit certamen: ait Isac filio suo Esau: *Egredere foras*, necesse est ad certamen cum hoste ineundum, vt ante omnia, ab occasionibus peccati declinemus; quare ad gloriam, & æternam benedictionem aspirātes, terrenorum affectuum fines egredi debemus, ab occasionibus noxijs, recedendo peccati; ideò Chris. super Matth. ait: *Qui autem gloriosiores sunt filij Dei, extra fines carnis exeunt, contra illum* (scilicet

Duo, ad victoriam in diabolum; obsistentia, & fuga ab occasionibus peccati, vt in Esau patet.

August.

Chris.

Diabo-

Diabolum) *qui victoriam gloria concupiscunt*.

3 Hinc est, quod cælestis sponsus in laudem eius sponsę assurgens, ait Cant. 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus*; Et quid est hoc, quod bis eandem sententiam repetit, quod sit hortus conclusus? nunquid simplex dictum, vel semel dixisse non sufficiebat? sed dicamus, quod bis repetit, vocando sponsam, hortum conclusum, vt non tantum huius fortitudinem, in obsistendo diabolicis tentationibus patefaceret, quam, & huius vigilantiam in auertendo se à peccati occasionibus, aperiret; est igitur hæc sponsa primò hortus conclusus, fidei sanctæ circumuallata præsidio, diabolicarum tentationum incursionibus, viriliter obsistendo, vt p. Petr. 5. *Cui resistite fortes in fide*: secundò dicitur *hortus conclusus*; quia diuinorum mandatorum sepe circumsepta, vt Matth. 21. *Et sepem circumdedit ei*, nullum occasionum aditum relinquit, ad lapsum, vt in virentem cordis sui hortum, diuinę gratiæ flosculis efflorescentem, ad tentatione, exterminandum, diabolicus irrumpere valeat aper, vt Psal. 79. b. *Exterminauit eam aper de Sylua*; ideò D. Greg. in hunc loc. Cant. 4. ait: *Se circumsepsit, ne ad interiora rapienda, hostis antiquus irrumpere possit*; hunc etiam locum explicant, vt Greg. Nyss. hom. 9. Ambr. Greg. Pap. & Ricard. de S. Victore: *Ipsammet animam*, ait Ghislerius, *hortum conclusum dictum putant, quatenus multiplices habens virtutum arbores, sepe, atq; muro vallata sit, mandatorum diuinorum, ne ferus, atque diabolus in eam se intrudat, eamque deuastet*.

Quare, bis hortum cōclusum, spōsam suam, sponsus vocat.

Gregor.

Greg. Nyss. Ambr. Greg. Pap. Ricar. Vict. Ghisler.

4 Hortum talem à peccati occasionibus occlusum, & virtutibus euirescentem, mihi obijcio Patientissimum Iob, qui dicebat, Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarē quidē de Virgine*; sed quid trepidabat Iob? dicitur prou. 28. a: Iustus, quasi Leo confidens, absque terrore erit; talis erat Iob, diuino ore proclamatus; Iob. p. dicitur: *Homo erat simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*; si igitur iustus erat, cur verebatur? si recedens à malo, quomodo in culpam elabi timebat, vt fœdus cum oculis suis pangeret, ne cogitaret quidem de Virgine? de muliere soluta, si quidem hoc dixisset, de periculo aliquatenus suspicari poterat; quæ quandoque vultu procax, verbis blanda, oculis, & nutibus procax, simplicium persæpe ad culpam corda demulcet, ideò prou. 6. ait Sapiens: *Non concupiscat pulchritudinem eius, cor tuum, ne capiaris nutibus illius*; sed de virgine cogitare, quid in hoc periculi dubitatio, interuenire poterat? Virgo quæ dolis nuda, composita moribus, simplicitatem conuestit, fucos reijcit; formæ splendorem modestiæ velo obnubilat; cui indiuiduus virginitatis, pudor est comes, in publico prodire nescia; ab adstantium conspectu, demissis ad terram oculis, vt ventus celer declinat: vix extra limem ostij ponit pedem, intus, statim reuocare festinat; impuris sermonibus, aurium occludit ostium; virorum aspectum trepidat, & veretur affatus; quæ igitur peccandi occasio in Iob, de Virgine interuenire poterat? sed dicamus, ideò sanctum virum fœdus cū oculis suis pepegisse, ne ipse de virgine cogitaret; quia cogitatio, manuducit ad delectationem, delectatio ad cōsensum, consensus ad culpam, ad opus, ad consuetudinem, ad necessitatem, ad desperationē, ad damnationem, vt Glossa in Iobum loc. cit. ait: *Visum sequitur*

Qualiter Iob, ab occasionibus etiam remotis, declinare sa: agebat culparum.

Virginitatis descriptio.

Quare fœdus Iob, cū oculis pepegit, ne cogitaret de Virgine.

Glos.

cogi-

cogitatio; cogitationem delectatio; delectationem consensus; consensũ opus, opus consuetudinem; consuetudinem necessitas; necessitatem desperatio; desperationem damnatio. Vt ab omnibus igitur malis, cor suum imminentibus amoueret, ab horum occasione, scilicet visione, & cogitatione, diuertere sibi in animum induxerat; vt Greg. in moralibus, super hunc locum Iob. 31. ait: *Praeceps anima, dum ante non praeuidet, ne incautè videat, quod concupiscat, caeca postea, incipit desiderare, quod vidit. Sanctus vir, vt cogitationes castè desiderare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne priùs incautè respiceret, quod postmodum inuitus amaret.*

Gregor.

5 Hoc patet in Antiocho Asiæ Rege, qui ad Virginem Pantam aspiciendam, inuitatus, vt potè singulari forma prestantem, recusauit, ne ad reiterãdos aspectus, regiæ aulæ negotijs inde posthabitis, pertraheretur à sensu. Alexander quoque Macedo, vt ex Plutarcho habetur Darij vxorem inspicere, & ipse renuit, excellenti pulchritudine pollentem, ne ex eiusdem egregia forma, allectus, indignas Maiestati Regiæ, inde patraret, actiones. Nostrum est diabolicas perpendere, & agnoscere artes, & peccati occasiones nobis oblatas, deuitando, Dæmonis artes deludere: quare Apost. ad Ephes. 4. dicebat; *Nolite locum dare diabolo*; qui igitur à diabolo tentationibus allectus ab occasionibus declinat, illius astus, & artes deludit: ideo Aug. ser. 72. de temp. ait: *Diabolus tentat, vt decipiat; si ille qui tentatur, non dederit locum, inanis, & irridendus repellitur.*

Antiochi, & Alexandri Macedonis, ab occasionibus, declinantium, exempla.

August.

6 Cauponi, diabolum assimilari posse crediderim. Solet caupo, signum apponere ante tabernam, occurrit viatoribus, blandis verbis allicit, ad suum diuersorium ducit, hos ad reficiendos, diuersis refertam dapibus, hospitibus proportionatis, mensam sternit, ad esum inuitat; verum pro cæna inde, rigorosum prætium exigit; & quem, vt blandum amicum, priùs apparenter aspexerant, veluti crassatorem postea experiuntur. Sic Diabolus habet artium suarum cauponam: ponit circulum, siuè signum ante tabernam, vulpis, vt nos decipiat. Vt Ber. in declamat. ait: *Mundus clamat, ego deficio; Diabolus clamat, ego decipio*; nos huius mundi viatores, ad hanc suam dolosam cauponam inuitat, blandis allicit tentationum verbis, diuersorum obiectorum culpæ, mensam sternit, & fercula apponit, & obijcit, secundum, quod naturæ, & genio cuiuscunque congruit, & conuenire iudicat, vt Gregor. in moralibus super illud: *Superseminauit zizania*, ait: *Antiquus hostis* (ecce caupo) *intuetur humani generis cuiusque mores, cui vitio propinqui sint, & illa apponit ante faciem, ad quæ faciliùs nouit inclinare mentem*; ad has inde peccati sensualium voluptatum epulas, blandis tentationum suarum, verbis inuitat, vt voluntatis ore, consensus dente, conteramus, edamus, & opere deglutiamus; vt delectabiles suadet, secundum illud Sap. 2. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuẽtute celeriter: Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Verùm ab his venenosis caueamus epulis; ab hac dolosa declinemus caupona, aliter rigorosum, mortis animæ nostræ, à nobis pro hospitio exiget, prætium; à nobis charitatis pallium auferet, vt de primis nostris parentibus dicitur post peccatum, Genes. 3. *Cognouerunt se esse nudos*: ab hoc luxuriæ vino declinemus, vt

Diabolus, cauponi, quomodo assimilari, dicatur.

Ber.

Mensa, & fercula diaboli, quæ apponit peccatoribus.

Ggg suadet

suadet Apost. ad Ephes. 5. d.: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Ad cauponã diaboli venire non cogimur, nec peccati fercula edere.

Virolenta sunt fercula diaboli, quæ animæ nostræ mortem inferunt. Ad hanc diaboli cauponam, accedere, has peccatorum epulas, edere, hæc luxuriæ vina bibere; ad hos dolosos inuitatus, nisi nos ipsi velimus, venire non cogimur; quare D. Aug. in ser. de temp. ait: *Ad mortem enim à diabolo propinatam, non veniet homo, vi adductus.* Quod si conuiuia appetimus, ecce Christus, de quo dicitur Luc. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam*; in qua nobis panis apponitur Angelorũ, caro Sacratissimi Corporis sui, quæ nos nutrit ad vitam æternam; Vinum prætiosi sui sanguinis, ad quod inuitamur, Cant. cap. 5. *Bibite, & inebriamini carissimi*; quod est etiam prætiũ Redemptionis nostrę.

August.

Ad Christi mensam inuitati, vitã cõsequimur æternam.

7 Ab occasionibus peccati etiam minimis, quantum in nobis est, cauere debemus, quare Ecclesiast. 21. dicitur: *Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa suscipient te.* Si temporalis vita nobis chara est, spiritualis animæ, charior esse debebit, vt potè æterna; quare si non solum morsum, sed etiam tactum, imò, & accessum colubri fugimus, ne huius veneno ad mortem inficiamur, multò magis debemus fugere peccata, ait Lir. hic: *Quæ statim intoxicant animam sicut coluber sibi appropinquãtem*; ideò à facie colubri, hoc est non solum à morsu actualis culpæ, sed etiam à tactu delectationis morosę, siuè proximarum occasionũ, imò ab accessu etiam leuium occasionum, si fieri potest, declinare debemus. Ad rem nostram facit, id quod Baron. ait anno 58. refert D. Gregorius Magnus, quod Vrsinus præsbiter, præsbiteram suam, sicut sororem diligebat, tamẽ vt hostem cauebat. Antiquitus enim, obseruandum est, quod mulieres eo titulo, quo earundem viri insigniti erant, appellabantur; Ex tempore igitur ordinationis suę, ad se, vt vxorem nunquam accedere sinebat; & cum quadraginta annis inter se, hoc modo vixissent, tandem hora adueniente fælicis sui, ab hoc mundo transitus, cum in extremis Vrsinus ageret, & illa aures ad nares Vrsini admouisset, vt sentiret si iam expirasset, hoc animaduertẽs Vrsinus, cum spiritus, quos potuit in vnum collegisset, hæc verba cõtexit: *Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleas tolle*: cuius exemplo erudimur, omni tẽpore ab occasionibus esse recedẽdum, quãuis minimis, quod si ignem stupæ appropinquabimus, maximè flante vento, hæc cumburetur; sic homo, stupa, seu stipula, mulier ignis, diabolus ventus, sic ex horum appropinquatione simul luxuriæ flamma, exurgit inde peccati; ideò Chrysol. serm. 116. *Quod ignis arida segeti, hoc vitia corpori sunt humano; quæ sola securius, separatione vincũtur.*

A minimis etiam, quãtum in nobis est, occasionibus declinare debemus peccati.

Lir.

Baron.
D. Gregor. Magn.

Quid, in morte Vrsinus vxori, siue Præsbiteræ suæ, ad eũ accedenti, dixerit.

Vrsin.

Chrysol.

8 Minima persæpe peccati occasio neglecta, ad graue ducit peccatum. Refert Io: Baptista Fulgosius, quod cum Carolus Nauariæ Rex, maximis manuum, & pedum excruciaretur doloribus, ex frigidis humoribus prouenientibus; medicorum consilio, hũc in linteo aqua vita potentiori, humefacto pro remedio includendum cõcluserunt; quod cum Chirurgus exequeretur, & filum, quo consueuerat linteum aqua hac madefactum, reliquisset; cum hoc ad scindendum forbicem ad manum paratam non haberet, candelę ignem admouit, qui ita statim velociter sic irrepsit, vt totũ linteum cũ Rege combusserit; sic minimæ occasionis filum persæpe relictum, ad magnum inde culpæ detrimentũ, mortemque animam

Io: Baptista Fulgentius, de Carolo Nauariæ Rege, quod in huius morte contigerit.

ipsam

ipsam adducit; quare D. Cyprian. epist. 11. ait: *Ne, diaboli insidianti, & sæuire cupienti, ad nocendum detur occasio, cum Apostolus dicat, nolite locum dare diabolo*; dicitur enim prouerbio: *Parua sintilla persæpe contempta, incendium ingens exsuscitat*.

Cyprian.

Nam cibum dare, nocuum est. tex.

§. II. Qui se peccati occasionibus inserit, in culpam facilè corruet.

1 CLarè huius veritatis sententiam, ad confirmationem dicendorum resonat, Sapiens, Eccles. 3. qui ait: *Qui amat periculum peribit in illo*. Quęrit Ruper. Abb. in Gen. de Trinit. lib. 3. cap. 2. quomodo serpens, qui seduxit Euam, in Paradiso esse potuerit; quia si iste fuissent, etiam alia animalia extitissent venenosa, homini infesta, & nocentia inueniri poterant; & tunc non fuisset iste locus homini datus, paradisus deliciarũ; quod, si ibi non erat serpens, quomodo tentare poterat Euam? Respondet idem Rup. Abb. vt supra ad quæstionẽ, dicens, quod in Paradiso non erat Serpens, sed Eua ad serpentem extra Paradisum accessit; sed quomodo? Cum Eua inter placida paradisi degeret otia, huius amęnitate degustata, sapidissimorum fructuum cibo depasta, & pulchritudine conspecta, suauissimis illorum florum odoribus suis recreatis naribus; quasi oculis vaga, & pede instabilis, paradisum illum perambulans, ad huius extremas partes, à viro secreta, peruadens, sibi in animum induxit curiosè inspiciendi, quis, & qualis extra paradisum locus inueniretur, & quid ageretur; & ecce extra limen paradisi, vix ponens pedem, serpentem offendit, à quo læsa culpa, inde ipsa, coruit; ex qua tota inde humani generis natura, & integritas corrupta est, & viciata. A serpente remota, non poterat ab hoc decipi, sicut nec tentari, hunc adiuit, sic occasioni occurrens culpæ, mirum non est, si in hanc miserrimè inde corruit; quare Rup. Abb. vt s.: *Mulier, ait, oculis, & corpore vaga deambulat incontinenter, fortè prospectans, qualis extra paradisum, mundus haberet, serpens, vt potè astutus, propius, & ambitiosus innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, vnde tentaret*.

Rup. Abb.

Rup. Abb.

An in Paradiso terrestri fuerit ille serpens, qui seduxit Euã.

Eua, quia se peccati occasionibus exposuit, in culpam ideo corruit.

Rup. Abb.

2 Duo, mihi ex sacris paginis, ponderanda ad rem nostram, loca obijciuntur; quæro ergo, cur Dauid in adulterij culpam lapsus sit, non Ioseph ab Hera sua, ad turpia solicitatus; quia si personarum conditionẽ consideramus, magis Ioseph, quam Dauidi peccandi inerat occasio: Hic enim magis in piorum operum studio erat exercitatus, quam Ioseph; ille orationibus instabat, ieiunijs, vigilijs corpus attenuabat. Si de tentationibus loquamur, maiores, Ioseph, quam Dauid pertulit tentationes, vt ponderat D. Amb. lib. de Ioseph, & D. Chris. hom. 26. in Genes., quia Ioseph, non oculos in Dominam suam iniecit, sicut Dauid in Berzabee, sed potiùs Domina in seruum, mulier in adolescentem, vt Gen. 19. *Iniecit Domina sua oculos in Ioseph*; ipsa est quæ adolescentem solecitauit; secundo non semel, sed quotidiè ei molesta erat: vt Gen. ibid. *Huiusmodi verbis, per singulos dies loquebatur*; tertiò non simpliciter hic fuit solicitatus, sed continua importunitate excruciatus: *Et mulier molesta erat adolescẽti*; deindè

Quare in adulterium, Dauid, in Ioseph lapsus sit, eum tamen vterque tentationes pertulerit.

Ambr. Chris.

Cõparatio Ioseph cum Dauide; ille enim maiores tẽtationes quã iste pertulit, tamen ille, nõ ille peccauit

Dauid erat prouectæ ætatis, Ioseph adolescens; Ille non vnam, sed plures vxores habebat, hic nullam; Illi occasionem peccandi, à longè erat, & extra propriam domum; huic autem propè, in propria domo, & tamen non iste, sed ille in adulterium corruit; quæ enim causa est culpæ vnius, & constantiæ alterius? non alia certè, nisi quia Dauid peccati occasioni se inseruit; nam videns mulierem nudam se lauantem, non oculos ab hac declinauit, sicut præcabatur postea Ps. 118, *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem*; sed illius pulchritudine allectus, statim impura cogitatio ad adulterium illius mentem inuasit, illam cogitationem, morosa delectatione nutriuit, consensus accessit, nuncios ad eam misit, & statim, quod mente conceperat, opere adimplere sategit; quare D. Ambr. cap. 3. ait: *Non adulterasset Dauid alieni ius thori, & fœderati pacti coniugij, nisi nudam, & lauantem mulierem de domus suæ interioribus vidisset*. Ioseph verò ab occasionibus declinabat; nam, vt ait Lippomanus: *Ex officio coactus ingressus fuit*; scilicet cubiculum, vbi à Domina sua fuerat solicitatus.

Ambr.

Lippoman.

3 Ne igitur in culpam corruamus, à culpæ occasione cautè declinare debemus, dicebat Patientissimus, Iob. 31. *Si vidi Solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè &c. & osculatus sum manum meam, ore meo, quod est iniquitas maxima*; sed quomodo Sanctus vir Solem, & Lunam aspiciendo, timere poterat de culpa? & quomodo à tali cæli visione, ad quam, à Deo est creatus, vt Ouid. P. meta.

Quomodo Iob, Solē, & Lunam adspicere, culpæ adscribebat.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram;

Os homini sublime dedit, cælumque videre,

Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Ouid.

ad terram, vt brutum demittendo caput, declinare debebit? & quomodo erit culpa, videre Solem, qui corda recreat, & animos exhilarat; qui pater generationis est, & tenebras discutit, & terræ, & viuentibus cunctis lætitiam affert? & quomodo propriam osculari manum, iniquitas maxima ducetur? Ad huius difficultatis solutionem, obseruandum, quod Gentiles tempore Iob, Solem, & Lunam, vt Deos venerabantur, & in confirmationem talis adorationis, postea manum propriam osculabantur; Iob verò Sanctus, quia vnum tantum Deum verum agnoscebat, quem & totò corde colebat, non solum Solem adorare refugiebat, & Lunā, sed neq; ad hos oculos suos conuertere volebat, ne visio ad adorationem eum vnquam posset pertrahere; quia sciebat, qui se peccati occasionibus inserit, facilè in peccatū inde prolabitur; Ideò inquit: *Si vidi Solem cum fulgeret &c. quod est iniquitas maxima*.

Gētiles, Solem, & Lunā, vt Deos adorabant.

Ex D. Hier.

4 Sed inquiet quis, animo forti sum, libero polleo arbitrio, non me inuitum ad peccatum trahere potest diabolus, vt ait D. Hieronymus: *Diabolus non potest vincere, nisi volentem*; nullum peccatum nisi voluntarium, quare etiam in peccati occasionibus manere possum, immunis à peccato, dum huic voluntariè non assentiar. Verū quidem est, similē dari posse casum, nec hunc absolutè inuoluere contradictionem; potest enim quis fidei armis præmunitus, vt p. petr. 5. *Cui resistite fortes in fide*, diabolicarum tentationum tela retundere, antiqui serpentis suggestionum, constantis animi antidoto, venena depellere; illius artes deludere, sed ait Ecclesiast. 31. b. *Quis est hic, &*

Hieron.

Obiectio, quomodo à diabolo anima ad culpā pertrahai possit.

Quod in peccati occasionibus consistens, quis non delinquat, miraculo adscribendum.

& laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua, qui potuit träsgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: quis est ille, qui in luto consistens, non inficiatur; inter voraces flammas non cõcremetur; in naufragijs liber euadat; & inter sæuissimas feras manẽs, illæsus exeat? mihi dicetis, Ionam inter minaces fluctus, in mari demersum, à grandi cetu, ad litus reiectum, incolumen euasisse: Tres pueros in fornace Babilonis, sicut innocẽtes positos, sic innocuos exijsse: Danielẽ inter færoces leones, se illæsum seruasse: verum quidem est, cum hoc sacra testẽtur eloquia; sed hæc miraculo adscribenda, cũ omnes isti, non se vltrò periculis exposuerint; ideò diuina fauente clementia, liberi euaserunt; sed modo, vbi Ionas propheta, tres pueri innocentes, Daniel Sanctus inuenitur? vbi modo talia cernuntur miracula? sic inter occasiones peccati consistentem, in culpam non ruere, hoc veluti miraculum, conscribi potest. *Fecit enim mirabilia in vita sua; qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; quare hoc, miraculo summo adscribit D. Bern. serm. 65. in Cant. dicens: *Maius miraculum esse, inter vehementes tentationes non cadere, quam mortuum suscitare*.

Bern.

Ad quid Elisæus ab Elia, duplicatum spiritum, sibi impetrari petit.

5 Hic est, vt reor, quod Elisæus ab Elia cæli iter arrepturo, à Deo duplicatum spiritum sibi impetrari postulauit, vt 4. Reg. 2. b. *Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit rem difficilem postulasti, attamen si videris me, quando tollar à te, erit quod petijsti.* Dicitur secundum mentem Ra. Sa. vt apud Lir. hic, quod, *Petijt habere spiritum, in dupla proportione, respectu Eliæ*. Temeritatis notam prima facie redolere videtur hæc

Ra. Sa. Lir.

Elisæi petitio; ait enim Saluator Matth. 10. *Non est discipulus supra magistrum, nec seruus maior Domino suo*, quomodo igitur duplicato, spiritu supra magistrum suum, honorari petit Eliseus? Numquid huic simplex spiritus Eliç sufficere poterat? Ille Elias, qui abũdanti Prophetiæ claruit spiritu: Qui Orationis claue, ac cæli ianitor, ad votum suum, & nutum claudebat, & aperiebat cælos: cui animalia, singulis diebus ad panem, & carnem, deferendam, deseruiebant: Ille qui egestatis tempore, ad viduam Sarephtæ declinans, farinam, & oleum, non sine raro miraculo, multiplicauit; Ille Elias, qui inexorabilem mortem eiusdem viduç, demortui filij, ad vitæ restitutionem compulit: qui de cælo ignem ad victimas deuorãdum, euocauit: qui manu angelica refectus, quadraginta dierum simplici cibo, iter confecit; cuius votis, & nutibus elementa, & creaturæ obtemperabant; non ne sufficienti erat informatus spiritu, qui simplex poterat Elisæo sufficere? ita profectò; cur ergo in duplo Eliæ spiritu decorari petit? Parcite, parcite Elisæo, non enim superba hæc est, sed rationabilis, si bene aduertamus, & iusta eius petitio: considerabat enim, quod velut imperitus nauta in naufrago huius mundi freto, degebat, & enauigabat; vbi tot vitiorum monstra ad animæ nostræ prædam enatant, vbi infiniti occasionum peccandi scopuli delitescunt; vbi tumentes diabolicarum tentationum fluctus in nos insurgunt; quare perito magistri sui destitutus Nauclero, Eliæ videlicet ad cælum conscendentis, vt posset, à tot occasionum scopulis declinare; vitiorũ monstra effugere; tentationum fluctus superare; culpæ naufragium euadere, & ad æternæ salutis por-

Spiritus virtus, & miracula Eliæ.

Elisæus duplicem spiritum petebat, qui in occasionum periculo versabatur.

tum

tum animæ suæ nauem tutò dirigere, maxima sibi opus esse gratiâ ducebat; ac propterea, non simplicem, sed duplicatum Eliæ spiritũ, meritò efflagitabat: nam ait D. Isid. lib, 2. soliloq. : *Proximus periculo diù tutus non erit*; quare certè sibi hallucinatur ille, qui in occasionum vitiorum pelago, animæ periculo obdormiens, salutis æternæ portum sibi posse tutò attingere in animum inducit: ideò D. August. *Lubrica est illa spes, quæ inter fomenta peccati, quis se saluari sperat.*

Isid.

August.

Et quibus per circuitus fiunt accessiones, in ipsa accessione, abstinere oportet. tex.

§. III. A diaboli tentationibus, cum quis sæpe appetitur, à peccati occasionibus, peruigil cauere debet.

Petrus à fœminis, ad Christi negationẽ delusus, ab harum consortio declinat.

1 Diuus Petrus, qualiter ab occasionibus imminẽtis culpæ à nobis sit declinandum, nos suo docet exemplo; cum enim semel, atque iterum à fœminis delusus, Christum tertiò negasset; fœminis, vt sibi suspectis, amplius non præstare fidem, ob timorem iterum in culpam corruendi, sibi in animum induxerat. Cum enim sanctæ illæ mulieres, quibus Christus post resurrectionem apparuit Apostolicum munus, eius edicendi resurrectionem iniunxisset, vt Matth. 28. c. *Ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galileã; ibi me videbunt*, ad Apostolos peruenissent, & tale munus nunciandæ resurrectionis obirẽt; cæteris auidè, & ex animo Christi resurrectionem audientibus Apostolis; vnus Petrus, illis nunciantibus, non citò fidem præstat, sed aures auertens, & ab his declinans, ad monumentum, celeri pede accurrit, vt Luc. 24. b. *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum*: Et quare Petrus his desideratis dominicæ resurrectionis nuntijs, non assistit, lætitia gestiens, non applaudit; harum piarum mulierum non sustinet aspectum; benignas his aures non exhibet, relationibus? Sed dicamus, quod Petrus has fœminas Christi resurrectionem nunciantes videns, recordatus est etiam illarum ancillarum, cum in passione Christi interrogantium, & quia ab his delusus, Christum, culpa negando, defecerat, ideò istis, noui lapsus timens periculum, fidem non citò præstat, has, vt sibi suspectas habet, ab his recedit; quare Chrysol. serm. 79 ait: *Veteranus Petrus fœminas non facilè audit; fœminis nunciantibus credit tardè; & vt veteranus deliberat, ne vt puer incurrat.* Tyro fuit Petrus, dum pugnæ diabolicæ tentationis ignarus, in certamen cum fœmina congressus, culpæ vulnus excepit, Christum, negando magistrum; verum ab hac culpæ pugna, veteranus inde euasus miles, ab illis declinare, & citam fidem minimè præstare statuit, ne vt credulus nimis, iterum culpa delinquat.

Chrysol.

D. Petrus prius, vt Tyro negat, Christum, post negationem veteranus ab occasionib⁹ declinat.

2 Imò, quia, & lingua, negando Christum, deliquit, nec ipsi linguæ amplius credit, quæ eum deceperat, & ab huius officio, in pœnitentia agenda refugit Petrus. Cum magistrum suum tertiò negasset, ab hoc respectus, galli vocem audiens, quasi de culpa eum reprehendentis, & ad pœnitentiam inuitantis, egressus foras lacrymarum imbre, negationis maculam absterſit, quam lingua contraxerat, vt Matth. 26. *Egressus foras*

foras fleuit amarè. Sed dicam ego, cur oculis pœnitẽdi officium committit, si ore negando, deliquit? quis, Petre tuorum membrorum, velut culpæ tuæ instrumentum, peccauit, oculus ne, an lingua? pupilla an os? verbum, an aspectus? Lingua profectò, & Verbum defecit; os est illud, quod defecit, vt Matth. 26. *Cœpit detestari, & iurare, quod non nouisset hominem*; quare ergo, oculus voce mutus, virtute licet eloquens, se, innocens, pœnitentem arguet? quomodo se, de culpa accusabit, qui culpam non nouit; ille qui non est reus erroris, delicti veniam petet? lingua igitur se accuset, suum ad pœnitentiam, fateatur peccatum, quæ deliquit, vt ad Rom. 10. *ore autem confessio fit ad salutem*; os veniam petat, obmutescente pupilla, negationis suæ delictum, verbum, non lacryma deleat, in sui accusatione criminis, reatũ purget. Sapienter hoc agit Petrus, vt peccato fortè imminenti, aditum occludat; lingua enim, & verbum, Christum negando; peccatum commiserat; verum quia Petrus expertus est eum lingua fefellisse, ideò huic non se amplius, nec verbo credit, ne iterum cadat; nec mussitare, aut hiscere quidem audet, sed confessionis officium, oculis committit, qui nullatenus defecerant, nec ei peccandi occasio extiterant; quare D. Ambr. ser. 46. & D. Maxim. serm. 5. de negat. Petri, aiunt: *Ideò Petrus non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat, ne per id, is credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum, ac per hoc voluit causam suam magis flere, quam dicere, quod voce negauerat, lacrymis confiteri.*

Quare Petrus, negationis maculam, potiùs lacrymis, quam confessione delet.

Petrus, non amplius linguæ credit, quæ eum fefellerat, sed oculis, pœnitentiæ munus committit.

D. Ambr. S. Maxim.

Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione, abstinere oportet. tex.

§. IV. In impiorũ societate solitus delinquere, ab illorum consortio, declinare debet.

1 CVM Petrus, à fide Christi iam verbis protestata, hunc negando defecisset, statim, ad galli cantum, à somno culpæ expergefactus, & à Solis iustitiæ oculo aspectus, ad suas animæ maculas detergendas, lacrymarum vnda accurrit: sed quomodo? ait Luc. 22. g. *Egressus foras fleuit amarè*, sed dicam ego cur Petrus intus ad gratiam excitatus, foras exijt ad pœnitentiam? quomodo, vt Christo per pœnitentiam vniatur, à Christi recedit aspectu? cur vbi culpam commisit, ibi culpam non deflet? cur coram illis, apud quos, negando Christum, deliquerat, lacrymis delictum non delet? cur ab oculis Domini, ad pœnitentiam inuitatus, ab eiusdem oculis, se secernit; vt pœnitentiam adimpleat, lacrymis à Christi præsentia declinat? cur vt veniam petat à veniæ largitore discedit? Probè diuinaque dispensatione actum est, vt Petrus foras ad pœnitentiam egrederetur, si enim intus in atrio mansisset; tantum abest, vt perfectam completèque posset agere pœnitentiam; vt potiùs in noua, ab impiorum consortio seductus, fortassis prolaberetur, scelera; vt igitur liberè suam defleret culpam, ecce foras egreditur, vt Matth. 26. *Egressus foras fleuit amarè*; ideò D. Hier. Matth. 26. & Beda: *Nec enim in atrio Caiphæ, ait, retentus, poterat*

Quare Petrus in atrio vbi deliquerat, non pœnitẽtiam agit, sed foras egreditur.

Hieron. Bed.

poterat agere pœnitentiam, egreditur foras, vt ab impiorum consilio secretus pauidæ negationis sordes, liberis fletibus abluat.

2 Ab impiorum igitur societate, & consortio, iusti, præcipuè verò Simplices, in illorum occursum, maximè occasionibus peccati imminentibus, cautè cauere debent; ne à peruersa eorum vita, exemplo, & moribus, circumueniãtur ad culpam: ait enim Psalm. 11. b. Dauid: *In circuitu impij ambulant.* Aiunt, naturale esse vulpi, gallinam, vel pullum arbori insidentem aspicienti, in hunc, vt sibi ad esum rapiat, dolos struere; ad arborem accedit, & hunc velociter circumcursitat; pullus videns sibi hostem appropinquantem, huius vias obseruat, & occulos in gyrum vertens, secundum vulpis cursum: tandem illius oculorum acie perstricta, hallucinatus ille, ex arbore decidit, vulpis prçda effectus; sic ait Psalmista: *In circuitu impij ambulant*, vt iustos, & Simplices suis circumueniant ad culpam dolis, eorum consortio, confabulatione, & astu circumeunt, vt Sap. 2. c. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris;* sic accidit quandoque virgini, cui comes est pudor, modestiæ velo suam pulchritudinem tegenti; ad hanc velut simplicitatis pullum, honestatis arbori insidentem, velut vulpis ille impurus amator, accedit; suis artibus, dolis, & malitia vtitur, vt hãc circumueniat, & ex puritatis, & honestatis arbore, in carnis lenocinia pertrahat, & ad hanc sibi ad sua inhonesta vota rapiat; quare huius domum circuit, malitiosa obsequia præstat; salutationibus occurrit; nuncia, litteras, munuscula quoque mittit; ecce circuituum moralium accessiones; in his igitur circuitibus diabolicarum tentationum; vt p. petr. 5. *Circuit, quærens, quem deuoret;* ab occasionibus imminentis lapsus abstinere opportet; quare ad horum fugam, nos inuitans Seneca in epist. ait: *Incendunt libidines tuas, adulatores; si velis vitijs exui, longè à vitiorum exemplis recedendum.*

Vulpis dolus, vt gallinã ad prædam, sibi rapiat.

Impiorum consortia, & astus in simplices, vt hos decipiant.

Senec.

3 Quare Sapientis consilium assumamus, qui ait Prou. p. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne aquiescas eis.* Impij enim sunt veluti infernales lamiæ, de quibus dicitur Thren. 4. *Lamiæ, nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos;* quarum societatis peruersæ, dum Simplices, veluti pueri puritate, vbera sugunt, & vitiorum lac ebibunt, ad eorumdem etiam perditorum morum, vitam, & naturam enutriuntur improbam; quam inde sequuntur, ideò ait Sapiens: *Si te lactauerint peccatores, non aquiescas eis:* vbi Hug. Card. ait: *Vnde patet quod hic dehortatur à consortio malorum.*

Ab iniquorum cõsortio diuertendum, ne horum naturam sortiamur.

Hug. Card.

APHO-

APHORISMVS DVODECIMVS.

Accessiones verò, & constitutiones, morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siuè quotidiè, siuè alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed ex his, quæ mox apparent indicia sumuntur; quemadmodum in morbo laterali, si circa initia, statim sputum appareat, morbum breuiat; si postea appareat, producit; & vrinæ; & alui excrementa; & sudores, vel bonam morborum iudicationem, vel malam; vel breues, aut longos ferè morbos, mox apparentia ostendunt. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

QVIA in morborum exacerbationibus, diximus à victu abstinendum; & quia necesse est alimentum præbere corpori, vel postquam febris desijt, vel multò ante accessionem, vt priùs concoctus cibus existat antequam accessio adueniat; si igitur hoc modo ante accessionem ægro cibus est exhibendus, præcognoscere necesse est, an hæc exacerbatio, siuè paroxysmus futurus sit, & quando, qua die, qua hora; & huius morbi constitutio, quæ est, an breuis, vel longus futurus sit morbus; sic hos modos habere ad hæc cognoscenda, vt tempore opportuno, debitum ægro victum, subministrare sciamus.

Accessiones vero, & constitutiones &c. tex.

Medicina corporalis.

AIT igitur Hippocrates hic, ad cognoscendas futuras accessiones, seu paroxysmos, quatuor esse modos. Primus est morbus ipse; Secundus anni tempora; Tertius circuituum successiua incrementa; Quartus est videre in initio morbi, quæ signa mox appareant; ex quibus colligitur breuitas, vel longitudo morbi; & an sanabilis, vel læthalis existat; & dat exemplum in morbo laterali, siuè pleuritide, vt infra &c.

Quatuor modi assignantur, ad futuras accessiones dignoscendas.

Declarantur hi modi; quo ad primum. Ex morbis ipsis, seu ex forma, & natura morborum, futuræ accessiones dignosci poterunt, non certitudinaliter, sed tantum probabiliter, & ex coniecturis; & hoc patet à sufficienti diuisione; nam morbus, vel est febris continua, vel quotidiana, vel tertiana, vel quartana, quæ febres ex humoribus peccãtibus possunt dignosci, secundum quod isti sunt copiosi, & abundantes, & fluunt ex partibus propinquis; vel secundum quod sunt in modica quantitate, & pau-

Primus modus, ex ipsa natura, & qualitate morbi.

latim fluunt, ex partibus remotis; sic fiunt febres continuæ, quotidianæ, tertianæ, quartanæ, vt Galen. Io: Marinellus, Sanctorius latè hic. Et quia in tertiana dicitur peccare bilem, inde paroxysmos esse breuiores indicat. In quartana peccans melãcholia, longitudinem significat. In quotidiana peccans pituita paroxysmos tardos indicat, Quare si morbi naturam dignoscemus, accessiones, quæ sunt morbi partes, & constitutiones etiam noscemus, & quando, & quomodo.

Galen. Io: Marinel. Sanctor.

Secundus modus, ex anni temporibus.

Secundus modus ex anni temporibus, futuræ accessionis tempus, & vigorem autumare possumus. Ver enim, æstas, autumnus, & hyems suos habent morbos, & vnusquisque horum, suas habet accessiones, vel lõgas, vel breues; hinc est, quod Hippocrates lib. 2. aph. 25. ait: *Æstiua quartana, magna ex parte breues, Autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt*: Qui igitur cognoscet anni tempora, & horum morbos, eorumdem temporum, & proprias accessiones, & constitutiones quoque dignoscet, quia qui cognoscit exactè totum, cognoscet etiam partes.

Tertius modus, ex successiuis incrementis.

Tertius modus futuras morborum accessiones dignoscendi, sunt: *Circuituum successiua incrementa*, seu repetitarum accessionum augmenta, vt ait Io: Marinellus. Accessio enim non potest sibi similis semper esse; nam aut variat secundum substantiam propriam; quandoque secundum quantitatem; quandoque secundum qualitatem; quandoque videtur ab humore calido proficisci; quandoque à frigido; quandoque à mixto, atque his cum sicco; aliquando iunctis, aliquando humido; sic nunc longa fit accessio; nunc breuis; nunc frequens; nunc rara; hinc tempus, in quo, vel anticipat preteritam accessionem, vel postponit; atq; id tempus, aliquando est horę vnius, aliquando duarũ, plus minus, aliquando secundum qualitatem variat; ab his oriuntur accidentia alia, quam in præterita fuerint, & sic accessio, aut grauior, aut molestior, aut debilis, & facilis; quæ omnia si cognouerit medicus, quas, & quãdo futurę sint, accessiones optimè sciet.

Io: Marinell.

Quartus modus ex his, quę mox ĩ initio morbi apparẽt.

Quartus modus. *Sed ex his, quæ mox apparẽt inditia sumuntur; quemadmodũ in morbo laterali &c.* Hæc est secunda pars Aphorismi, in qua Hippocrates proponit signa mox apparentia, quæ longum, vel breuem morbum prænunciãt: datque exemplum, de sputo in principio pleuritidis, mox apparente, quod morbum breuiat, quod si postea apparet, producit: sic de vrina, de alui excrementis, & sudoribus, qui vel bonam, vel malam crisim indicant; & morbos, vel languores, vel breuiores prępnunciant: oportet igitur victus rationẽ, ex horum consideratione, offerre ægris.

Ordo medicinæ spiritualis.

Quia in superiori aphorismo, diximus, in diaboli tentationibus à peccati occasionibus recedendum esse; nam cibum dare sensui occasionum; quę sunt fomenta peccati, nocuum est; quia ait Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo &c.* modò de tempore, quo tales diabolicarum tentationum accessiones, quibus peccator persæpe succumbit, & in culpam corruit, discurrendum; vt sciamus, quando præcipuè spirituali orationum, sacramentorũ, & pœnitentiæ victu contra huiusmodi accessiones morales animã præmunire valeamus.

Medicina spiritualis.

Ad has igitur spirituales accessiones, seu morales paroxysmos futuros peccatorum, & horum vigorem, & durationem dignoscendũ; quatuor modos etiam cum Hippocrate assignare possumus: quorum

Futuros lapſus in peccatum, ex quatuor modis, autumare poſſumus: & qui ſint iſti modi, declarantur.

primum, ab ipſa natura, & forma ægritudinis ſpiritualis, ſiuè peccati deſumere poſſumus: Secundum ab Anni temporibus, hoc eſt ab hominum ætatibus, vt mox dicemus: Tertium ex ſucceſsiuis repetitarũ culparum incrementis: Quartum ex eo, quod in initio ſpiritualis ægritudinis pœnitentiæ, & contritionis, vel aliter, ſigna produntur, vt infra dicemus; breuitas, vel longitudo ſpiritualis ægritudinis, vt recipiſcat à culpa, vel in hac obduretur, vel à diuina manu, vt animaduertatur, futura pœna deduci, non inueriſimiliter poteſt. Quo ad primum. Acceſsiones iſtæ morales, poſſunt dici, imminentia peccata; vel etiam diuina flagella ob peccata, à Deo peccatori inflicta, vt Pſal. 90. b. ***Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*** Iſtæ igitur acceſsiones morales, quomodocunq; ſumantur, ſiuè futuræ culpæ, ſiue diuinæ animaduerſionis; ex ipſa forma peccati primò dignoſci poſſunt; quando futuræ ſint actualis culpæ acceſsiones; nam vel materia, ſiuè humores peccati ſunt abũdantes, per multiplices peruerſæ voluntaris actus, ad malum protendentis, & ex partibus propinquis proximarum occaſionum procedunt; ſic generatur febris ſpiritualis continua culpæ, à qua etiam diuinæ animaduerſionis acceſſio promanat, vt Pſal. 38. ***Propter iniquitatem corripuiſti hominem:*** Vel humores occaſionum culpæ, paulatim fluunt; quia non ſunt ita frequentes; ſic febris quotidiana culpæ; quotidiè enim delinquit, & quotidiè etiam reſcipiſcit; vnde dicitur: *Septies in die cadit iuſtus:* ſic Pſal. 118. dicitur: *Septies in die laudem dixi tibi:* Vel per maiora, vel minora interualla peccat; ſic febris tertiana, vel quartana moralis, dici poteſt; ſicut D. Chriſ. in Pſ. 118. ait: ***Cum quiſpiã peccauit, niſi ſtatim ſe reuocet, & peccatũ agnoſcat, in aliud rurſus labitur;*** ecce peccata per interualla: Vel ex ipſa forma, & natura peccati, in generali noua acceſſio peccati timeri poteſt: eſt enim vnum peccatum, alterius peccati magnes; vt Greg. hom. 11. in Ezechielem: ***Peccatum*** (inquit) ***quod mox per pœnitentiam non deletur; ſuo pondere, ad aliud trahit.*** Secundus modus dignoſcẽdi futurum animæ lapſum, & ſpiritualis morbi rigorem, ſunt, ***Anni tempora***, hoc eſt hominum ætates; quæ quatuor anni temporibus adaptantur: Vnaquæque enim ætas, ſpirituales etiam ſuos patitur morbos. Notat Galenus, vt refert Sanctorius, in Comment. dum Hippocrates facit mentionem de anni temporibus, intelligendum eſſe, de ætate; de temperamento; de conſuetudine; de regione; de cæli ſtatu; quia in æſtate morbi ſunt breuiores; idem dicendum in iuuentute morbos eſſe breuiores; in ſenectute longiores: Et ſicut anni tempora, ſunt quatuor, ſic quadrifariam diuiduntur ætates hominum. Ætas enim ab hebræis *heth*, ideſt *tempus* vocatur; & idem Galenus, de definitionibus medicis; quatuor ætates, quatuor anni partibus adſcribit: Iuuenes, ait temperatura eſſe calidos humidoſque; Veri præcipuè aſſimiles: In vigore conſtituros, calere ſimul, areſcereque æſtatis modo: medios pronunciat eſſe frigidos, & ſiccos, perinde ac autumnus eſt: ſunt verò humecti cum frigiditate ſenes: ecce hyems. Idem Galenus ſtatuit ætates quatuor; ex quibus primam, facit iuuenum; ſecundam vigentium; tertiam mediorum; poſtremam ſenectam. Vſque ad quindecim annos pueros vocat; ex puritatis ratione

Acceſſiones morales, peccata imminentia, & diuinæ manus flagella ex quatuor futura dignoſcuntur.

Primus modus ex ipſa natura peccati.

Quando febris continua peccati generatur, quãdo quotidiana, tertiana, & quartana.

Chriſ.

Ex ipſa forma, peccati nouum futurum peccatum dignoſcitur.

Gregor.

Secundus modus, ex Anni tẽporibus, futuri lapſus coniiciuntur.

Galen. Sanctor.

Anni tempora hominũ ætatibus, adaptantur.

Galen.

Galen.

Quatuor tãtum ætates à Galeno aſſignatæ, quæ & quales.

tione nuncupatos; Ætas ad trigesimum prouecta adolescentes vocat, ab incrementi ratione adeptos. Ad annos quadraginta quinq; peruenientes, iuuenes appellat; quia in bellicis vsibus Reipublicæ adiumento forent. Ad annos sexaginta sex peruenientes, & vltra, senes vocat. Hæ igitur ætates suos spirituales etiam morbos habent. Pueritia Veris figura, ad malum suaptè natura prona tendit, & pruritat; & sicut in hac ætate, virtutum flores germinare possunt; sic spinæ vitiorum erumpere, & irrepere irritatione ad malum; quod quale fuerit inde, nisi in prouecta ætate, dignoscitur; vt Aug. de verb. Apost. ait: *Sicut in oculo cæci in nocte, vitium cæcitatis est, sed non apparet; nec discernitur inter videntem, & cæcum, nisi luce veniente; sic in puero vitium non apparet; donec ætatis prouectioris tempus occurrat.* Adolescentia æstati comparatur, propter cupiditatum noxios calores; quare D. Ambr. de Viduis lib. p. ait: *Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum, feruore caloris, inflammatur, ætatis.* Iuuẽtus Autumno comparatur; frigida persæpe in charitate, vt Matth. 24. *Refrigescet multorũ charitas*; & sicca propter carnis, & inanis gloriæ appetitum; quos morbos annuens, D. Chris. hom. 7. in Epist. ad Hebr. ait: *Anima, iuuentute, febribus laborat; & amor gloriæ opprimit eam, & deliciarum, & venerearum rerum, & aliarum multarum imaginationum.* Senectus, velut Hyems, est frigida, & humida; vt Commentator super Arist. de causis long. & breuit. vit. ait: *Complexio iuuenum calida est, & humida; Senum verò frigida, & humida.* Senectus, vitiorum annos, adolescentia transactos, in se colligit; vt Sapiens Prouer. 22. a. *Adolescens, iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*; quare cum vnaquæque ætas, suis vitiorum proprijs detineatur morbis, probabiliter conijci nos posse videtur, quando occasione data, futuri peccati actualis accessio, vnicuique poterit contingere. Secundo etiam *Anni tempora*, possunt dici ieiuniorum, vt potè Quadragesimæ, vel etiam quatuor Anni temporum Ecclesiæ, & Vigiliarum, & Sanctorum Festiuitatum, & Solemnitatum; cum inuertuntur, & profanantur, accessio diuinæ animaduersionis, ab his profanatoribus timenda; de quibus Amos 6. dicitur: *Et erit in die illa, dicit Dominus, conuertam festiuitates vestras, & omnia cãtica vestra in planctum*, vbi D. Greg. ait: *Tunc festiuitates in luctum conuertentur, cum pro peccatis, quæ in ipsis homines committunt, æternaliter puniuntur*: Peiores Iudeis dici possunt, qui dicebant de morte Christi, vt Marc. 14. *Non in die festo.* Tertius modus est: *Circuitunm successiua incrementa*; ex repetitarum videlicet culparum augmentis; opportunum tempus, futuri lapsus animæ, per culpam, conijci potest; vt Chris. hom. de Absalone, qui ait: *Semper enim scelera, dum non resecantur increscunt, & in augmentum facinoris prosilitur, quoties impunita securitate peccatur*; vel diuinæ vltionis, seu animaduersionis in peccatorem, exacerbationis, siuè accessionis, vt Psalm. 5. *Secundum multitudinem iniquitatum eorum, expelle eos.* Et sicut accessio physica, non potest sibi, semper esse similis; nam variat modo, secundum substantiam; modo secundum quãtitatem; modo secundum qualitatem, vt diximus: sic spirituales peccatorum accessiones, in peccatore, modo variant secundũ substantiam

maioris,

Pueritia, veri comparata.

August.

Adolescentia, æstati cõparatur.

Ambr.

Iuuentus, Autumno comparata.

Chris.

Senectus, hyemi comparatur.

Comment. super Arist.

Anni tempora, proieiunijs, & Ecclesiæ festiuitatibus etiã exponũtur.

Greg.

Tertius modus, ex repetitarum culparum incremẽtis; futura culpa, & diuina animaduersio conijci potest.

Chris.

maioris, vel minoris auersionis à Deo; modo secundum quantitatem; nã modo est accessio moralis, breuis per simplicem actũ complacentiæ; nunc longa per delectationem morosam, & actuum continuationẽ; nunc grauior in vindictæ concupiscentia; nunc molestior, in inuidiæ cruciatu; modo secundum qualitatem videtur à frigido auaritiæ humore proficisci; modo à calido luxuriæ, modo à biliosо iræ, & vindictæ; alia à melancholia timoris; alia à pituita inuidiæ, vt Ambr. lib. 10. in Luc. 21. *Quia in occasu seculi sumus precedunt quædam ægritudines mundi*, deinde ad peculiares descendens, ait: *Nunc auaritia stimulat; nunc accendit libido, nunc metus terret, nunc iracundia exagitat; nunc ambitio mouet; nũc terrere tentant spiritualia, nequitiæ, quæ sunt in cælestibus &c.* ex his successiuis moralium accessionum incrementis, futuros imminentes, nouæ culpæ, paroxysmos, conijcere possumus. Quartus modus est: *Sed ex his, quæ mox apparent inditia sumuntur. Quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat morbum breuiat, si postea appareat, producit*. Pro morbo laterali potest intelligi peccatum luxuriæ, vt infra, sed accipiamus pro nunc simpliciter, peccatum: si circa initia huius, sputum apparet, quod est orationis symbolũ; quę ex ore prodit, vt Greg. 18. moral *Per saliuam sapor internæ contemplationis accipitur, quæ ad os à capite defluit*; morbum breuiat, vt Iacob. 5. c. *Oratio fidei, alleuiabit infirmum; & si in peccatis sit, remittentur ei. Si vero postea apparet*; hoc est differtur oratio, sic salutis effectus producitur animæ. *Et vrina, & alui excrementa*; hæc possunt dici eleemosynæ; quæ ex superfluis fiunt, iuxta illud: *Quod superest, date pauperibus*: sicut excrementa corporis superfluitates sunt, quæ ex cibo egeruntur; hæc enim eleemosynæ, in peccati morbo, si statim apparent, morbũ breuiant peccati; & salutem animæ præsagiunt; vt Iob. 4. b. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Et sudores*, hi symbolum sunt pœnitẽtiæ, vt Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Hæc omnia, vel bonam, vel malam indicationem morborũ, quorũcumq; corporalium, & spiritualium, vel horum breuitatem, vel diuturnitatem, mox apparentia signa præsagiunt. Vltimò dici potest accessio, extrema finalis iudicij animaduersio; quæ ex signis præcedentibus dignosci poterit, vt Luc. 21. *Erunt signa in Sole, Luna, & stellis, &c.* ideò ait Hippocrates: *Ex his, quæ mox apparent, indicia sumuntur*. Ex quibus, opportunos paragrophos, eliciemus.

Ambr.

Quartus modus, ex signis in initio culpæ apparẽtibus, pœnitẽtiæ, obdurationis, vel diuinæ vltionis, argumentum deducitur.

Greg.

Quid sputum, vrinæ, sudores, & alui excrementa moraliter significent.

Hippocr.

Accessiones verò, & constitutiones, morbi indicabunt.
tex.

§. I. Quod quis diabolicis tentationibus, succumbere timeatur, ex ipsa natura, & qualitate peccati, verisimiliter autumari potest.

Accessiones verò, & constitutiones, morbi indicabunt.
tex.

§. II. Ex ipsa natura, qualitate, & grauitate peccati, diuinæ iustitiæ timendus rigor.

Et

Et anni tempora. tex.

§. III. Ex hominum ætatibus, & horum vitijs, futuros lapſus poſſumus timere.

Et circuituum, ſucceſſiua incrementa. tex.

§. IV. Ex ſucceſſiuis vitiorum incrementis, futuros quoque peccatoris lapſus, & diuinæ animaduerſionis forè, acceſſionem, probabiliter poſſumus autumare.

Sed ex his quæ mox apparent indicia ſumuntur, quemadmodum in morbo laterali, &c. tex.

§. V. Ex eo, quod in principio erumpentis culpæ apparet; ſpiritualis morbi quantitatem, & diuinæ animaduerſionis euentus, in ægro peccatore, non inuerisimiliter auſpicari poſſumus.

Acceſſiones verò, & constitutiones, morbi indicabunt. tex.

§. I. Quod quis diabolicis tentationibus ſuccumbere timeatur, ex ipſa natura, & qualitate peccati, veriſimiliter autumari poteſt.

1 EX ipſa natura peccati in genere; noui peccati acceſſio timeri poteſt: quia vnum peccatum attrahit aliud; Homo enim, vt ait D. Th. 1.2. quæſt. 75. a. 4. per vnum actum peccati, perdit verecundiam, gratiam, & charitatem; quæ retrahunt à peccato: ſic hoc prohibente remoto, in nouam culpam incidit: tum etiam, quia homo, per vnum actum peccati, diſponitur, vt faciliùs alium conſimilem committat, ex actibus enim cauſantur diſpoſitiones inde, & habitus, inclinantes ad ſimiles actus; quare meritò Gregor. hom. 11. in Ezechielem, & lib. 25. moral. cap. 13. ait: *Peccatum, quod mox per pænitentiam non deletur; ſuo pondere ad aliud trahit.*

D.Thom.

Acceſſio futuræ culpæ, ex ipſa peccati natura; quia vnum peccatum alterius eſt cauſa.

Gregor.

2 Peccatum, quod iam per voluntatis conſenſum, in cor humanum irrepſit; facilè ad opus, quacunque occaſione data, ad extra, exit. Anima enim adultera peccatrix, quæ ex ſemine diabolicæ tentationis, in voluntatis ſuæ vtero, per conſenſum cõcepit peccatum; hoc per opus ad extra inde parturit; ſic peccatum cogitationis, peccatum connectit operis; quare Dauid Pſ. 57. ait: *In corde iniquitates operamini in terra: iniuſtitias manus veſtræ concinnant:* iniquitas enim in corde concepta, interiùs minimè ſe continet, ſed ad opus ſtatim prodire contendit loco: *concinnãt*, legit D. Aug. *Iniquitates manus veſtræ connectunt: Quid eſt connectunt?* ait idem Auguſtinus, & ſubdit: *De peccato peccatum, & ad peccatum peccatum, propter peccatum; quid eſt hoc? furtum fecit, peccatũ eſt; viſus eſt, occidere quærit eum, à quo viſus eſt; connexũ eſt peccatum peccato; permiſerit Deus occulto iudicio occidere eum, quem voluit occidere; ſenſit ſciri, quærit, & alterum occidere; connexuit tertium;* patet etiã in Dauide: cogitatio enim mala concepit iniquitatẽ, hæc

Peccatum in cogitatione, ad partum operis egreditur.

Auguſt.

peperit adulterium, & homicidij, & scandali in populo prolem inde procreauit, quare Chris. in Ps. 50. ait: *Quid igitur Rex? peccatum peccato cumulat, & scelus scelere obtegere molitur.*

Chris.

Iniquitates vocātur funes; qui ex filis aliorum peccatorū conficiūtur.

3 Et vt sciremus, iniquitatem iniquitati aditum aperire; hoc insinuauit Sapiens, cum funibus iniquitates componēs; dum ait, Prou. 5. *Iniquitates, suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*, legit S. Augustinus in Psal. 115. *Criniculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur*: criniculi sunt, qui fiunt in torquendo: funibus igitur iniquitates comparat; nam sicut funes, ex pluribus filis conficiuntur, sic ex pluribus actibus peccaminosis iniquitas coalescit. Hinc nō miror, quod Christus ementes, & vendentes, funiculis in flagella compositis, de templo eiecerit, vt Io: 2. *Cum fecisset, quasi flagellum de funiculis, eiecit ementes, & vendentes de templo*; sed cur flagris potiùs non expulit; virgis, & baculo, non percussit, sed funiculis in flagella adaptatis, vtitur ad pœnam? sed dicamus, hoc ideò fecisse Saluatorem, vt crimini corresponderet pęna: peccata enim peccatis, templi Contaminatores addiderāt, & funes sibi peccatorum confecerant; quibus constricti erant; vt igitur culpæ correspōderet pœna; funes in flagella contexuit, quibus cęduntur; ideò Aug. *Vnusquisque peccatis suis constringitur, sicut peccatis suis caditur.*

August.

Quare funiculis, nō flagris, vel baculo e tēplo, Christus cōtaminatores expulit.

August.

4 Hæc enim pęna est eorum, qui peccant; vt qui volentes primò delinquunt, tandem quodammodo nolentes, ad peccata pertrahantur. Est Doctrina D. Th. 1. 2. qu. 109. a. 8.; quod, quia peccator recedit à Deo; non habet cor firmatum in Deo, pro bono conseruando, & pro malo vitando; ideò probabiliter, quacunque occasione data peccādi, eam arrepturum forè creditur secundum finem præconceptum, & secundum habitum præexistentem; vt Phil. 3. Ethic. lib. 3. c. 8., quare subdit D. Th.: *Licet homo ex præmeditatione rationis, aliquid agere possit præter ordinem finis præconcepti, & præter intentionem habitus; quia tamen non potest semper esse in tali præmeditatione, non potest contingere, vt diù permaneat, quin operetur secundum consequentiam voluntatis deordinatæ, à Deo.*

D. Thom.

Qui volentes primo peccant; inde nolentes ad peccatū pertrahuntur, & quomodo.

D. Thom.

5 Hinc est quod dicebat David Ps. 140 *Oleum autem peccatoris, nō impinguet caput meum*: Oleum enim leue est, & suaue, & vulnera mitigat, & dolores, vt Bercor. lib. 12. reductor. mor. cap. 108. talis inquit est adulatio, leue, & blandū adulatoris verbum; quia semper placentia loquitur, & dolorem adulati, idest remorsus conscientiæ, & vulnera sua, idest malos actus mitigat, & lenit; in quantum scilicet iustificat opera eius; & eum palpat, & lenit; Ezech. 22. *Prophetæ eorum leniebant eos, absque temperamento*, Isti sunt malæ societates, quæ in iustorum circuitu conueniunt, vt dolis ad peccata, hos circumueniant: istud oleum abominatur iustus, ne commaculetur vitio impiorum: sed notate, timebat, ne tali oleo impinguaretur caput eius, & quare hoc? quia caput est principium membrorum; oleum enim impositum capiti, descendit in corpus, & in cœtera diffunditur, membra, vt Psalm. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbā Aaron*; sic peccatum, & iniquitas impiorū per adulationem, quasi oleum infunditur, dum mente concipitur, & voluntatis consensu; deindè in alia peccata, quasi membra diffunditur,

Bercor.

Oleum leniens, Adulatoris verbum, & impiorum societates; vt sīplices circumueniant

Quid sit, oleum caput impinguare

ditur; In capite enim intellectus, & voluntas, sibi propriam sedē statuunt, & per membra, quibus volūtas imperat, ad alia peccata opere perpetranda, transfunditur; ideò tale peccati oleum à capite, à principio auertamus, ne impinguato à peccatore per consensum, à capite, hoc est à primo peccato, ad alia peccata transeat, grauiora; ideò Chris. in Ps. 118. ait: *Cum quispiam peccauit, nisi statim se reuocet, & peccatum agnoscat, in aliud rursus labitur.*

Chris.

5 Qui illuminatus cælitus, à peccato non recipiscit, statim, permittit Deus, vt in pænam peccati, in maiora inde scelera prolabatur; in quorum pœnam maiora etiam Deus supplicia accumulat; hinc est, quod Psalm. 77. dicitur: *Viam fecit, semitæ iræ suæ.* Hæc est differentia inter semitam, & viam; semita enim est via angusta, & parua, & parum trita; Via verò est aperta, lata, communis, & spatiosa, omnibus aperta, & regia; sic quia peccatum, quod priùs semita erat, in viam conuersum est; hoc est peccator, qui priùs per angusta timoris ad peccādum gradiebatur, vno, vel altero peccato commisso; quia vnum peccatum trahit aliud; ad innumera inde inuerecundè cupiditatis suæ laxatis habenis, sine timore, peccata percurrit; quare nisi aditum nobis, occasiones euitando, peccandi occludamus; ruptis repagulis, & fracto carcere timoris diuini iudicij, in omnium vitiorum cænum dilabemur; & hoc ad nostram pęnam, sic permittente Deo, vt maiora nobis inde supplicia, ex multiplicatis culpis aggerat, vt Ps. 68. *Appone iniquitatem super iniquitatem, vt non intrent in iustitiam tuam:* quare Greg. 14. mor. cap. 5. *Latior via est quam semita: ex semita verò iræ suæ, viam facere, est iræ causas, districtè iudicando dilatare; & qui illuminati agere rectè noluerunt, iustè cæcati adhuc facient, vnde amplius puniri mereantur.*

Differentia inter semitam, & viā.

Ex vnius peccati semita, ad plurium inde peccatorū viam reducitur.

Gregor.

Accessiones verò, & constitutiones, morbi indicabunt.

tex.

§. II. Ex ipsa natura, qualitate, & grauitate peccati, diuinæ iustitiæ timendus rigor.

1 CVlpa enim primò peccatorem in timorem conijcit; vt in Dauide videre est, p. reg. 17., qui antequā in inhonestas delicias deflecteret, Leonem strangulauit, & vrsum; & post peccatum, timore perculsus, proprium filium Absalonem verebatur, vt in Psal. 3. qui inscriptus est: *Psalmus Dauid cum fugeret à facie Absalon filij sui*; Et quomodo ille, qui puer, Leonem non pertinescebat, nunc vir, puerū reformidat Absalonem? qui simplex pastor, superbi gigantis feritatem prostrauit, nunc Rex, maxima pollens potentia, à se genitum expauebit Absalonem? an hic Leone ferocior, vrso fortior, armatas regis copias poterit profligare, militum acies eneruare, potentis exercitus armatas effugare phalanges, & imbellis, fortia Regis demoliri castra? quæ tanti timoris causa? peccatum, peccatum futurę imminentis pęnę, rigor est; ideò Chris. in Ps. 3. ait: *Dauid fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violarat: fugiebat filium, quoniam legem Dei, quæ dicit, non occides; non adulterabis, fugerat.*

Prima pœna peccati, peccatorem in timorē conijcit.

Chris.

2 Peccatum, diuini supplicij magnes est, & origo. Fabula est, quod

Fabula de terra, quę de cælo côquerebatur, qd, ab hoc, iniurias pareretur.

quod terra de cælo conquereretur, quod in ipsam, velut hostis insurgeret, sua pruinis, modò enascentia plantarum, Vere exsiccaret germina; pręcipiti modo pluuia, eam innundaret; grandine, virentia deuastaret arua; exureret segetes; & suos maturatos fructuum enecaret partus: Ad hæc cælum; nulla mihi, sed tibi ò terra, tot iniuriarum, & malorum culpa est imputanda; tu enim ipsa tot malorum causa es, origo, & minister; ex tuis enim vaporibus, quos ad me transmittis, tot damnorum, pruinæ, innundationis, grandinum, tonitruum, fulminum, de quibus conquereris, instrumenta prodeunt: in te igitur tot incommodorum, quæ à me pateris, culpa refundenda: tuorum enim humorum semina, quæ in me mittis, in te pœnas metis, fructus colligis, damnorum. Terra hæc moralis, homo est, vt potè de terra eductus; de cælo hoc est de Deo, à quo diuinæ iustitiæ flagella prodeunt, sæpe conqueritur, præcipuè peccator; quod famis, ęgestatis, & miseriarum pruinis albicet: quod languorum ægritudinum, luis, & incurabilium morborum corporis sui innundatione arua opprimantur: quod tot bellorum, persecutionum grassantium grandine quatiatur: quod laborum suorum, conceptæ spei, nec non terrenæ substãtiæ latronum insidijs, & deprædatione hostium, germina arescant; quod diuinæ iustitiæ fulmine, in amicorum, filiorum, parentum, consanguineorum, amissione feriatur; sed sileat peccator à querela; ipse sibi, tot malorum causa est, qui diuinæ iustitiæ, peccatis suis ad sui pœnam, arma, & instrumenta ministrat: quare Ps. 90. dicitur: *Non accedat ad te malum, & flagellum nõ appropinquabit tabernaculo tuo.* Diuinæ enim Iustitiæ satellites, in

Peccator, suorum dãnorum causa.

Terra moralis, peccator; qui à cælo, hoc est à Deo, mala pœnæ patitur.

nos minimè ad pęnam irruerent, nisi nos ipsi, culpis nostris, aditum panderemus; ait enim Dauid, Ps. 77. e. *Indignationẽ, & iram, & tribulationem per angelos malos*: sed isti, in nos, talem non haberent potestatem, nisi nos peccando, tribueremus; quare D. Hieron. in Ps. 90. ait: *Quoniam dæmonium, eo tempore potestatem habet in nos, quando peccamus.*

D. Hieron.

3 Et quod peccator, diuinę iustitiæ, culpis suis, ad pœnam, materiam subministret; hoc ex Patientissimo deducitur Iob. 4. *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metũt eos; flante Deo perijsse, & spiritu oris eius, esse consumptos.* Sed quomodo ira Dei, quæ peccatores disperdit, cũ Dei halitu, & spiritu, qui vitam præstat componetur? quomodo Dei halitus, qui in Apostolis, Spiritus Sancti virtutem, & dona infudit; vt Io: 20. e. *Hæc cum dixisset sufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum*; mortem peccatori inferet? vt dicatur, *peccatores flante Deo perijsse?* quomodo, ille diuini oris spiritus, qui sensus mentẽ, & corda nostra, & omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat; qui primo homini, viuentis esse indidit, vt Genes. 2. b. *Spirauit in faciem eius, spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*, iniquos ad mortem consumet, vt dicatur: *Et spiritu oris eius esse consumptos?* sed benè, ira Dei cum spiritu, & halitu eiusdem Dei componitur, vt sciremus diuinorum suppliciorum formam; qualiter à culpis nostris, in illis infligendis, in nos, materiam desumit; nam sicut, qui respirat, priùs inspirat, aerem scilicet ad præcordia attrahendo; quem attractum, inde emittit, & respirat; non aliter Deus, vnde puniat, non habet; nisi

Quomodo ira Dei, quæ peccatores disperdit, dicatur halitus Dei, qui vitam animę tribuit

priùs peccata nostra hauserit: cum verò in ima pectoris crimina nostra cognoscendo demiserit, pęnam decernit, & decretam, tanquam reflans, infligit; vt optimè Greg. 5. mor. c. 15. ait: *Quod flare Deus dicitur, vrget vt subtilius decernatur: nos quippe, cum flamus, aerem ab exterioribus introrsum trahimus, & introrsum tractum, hunc exteriùs reddimus. Flare ergo Deus in vindicta retributione dicitur; quia ab exterioribus causis, introrsum iudicis consilium concipit, & ab interno consilio, extrorsum, sententiam mittit. Quasi flante Deo, ab exterioribus aliquid introrsum trahitur, quando foras mala nostra conspicit, & intus iudicium disponit: & rursus, quasi flante Deo ab interioribus spiritus extrorsum extrahitur, quando ab interno conceptu consilij, exterius iudicium damnationis infert.*

Qualiter, flare, & reflare dicitur Deus, in pęnam peccatorum.

Greg.

4 Diuinæ animaduersionis modum, & formam, in illas fœdissimas vrbes, Sodomæ, & Gomorrhæ expressurus Moyses, inquit, Gen. 19. c.: *Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham, sulphur, & ignem de cælo*; Sed quomodo diuinæ iustitiæ flagella, sulphuris, & ignis, pluuiæ nomine exprimuntur? cum pluuia ex aqueo humore, à cælo ad terram instillato, vt in pluribus cōsistat? cur non potiùs dixit Moyses: misit Dominus sulphur, & ignem de cælo, vel descendit? vt tempore Eliæ dicit. 4. reg. p. *Descēdit ignis de cælo, & deuorauit illū, & quinquaginta eius*; potiùs quam pluuiæ explicare vocabulo, quæ ex aquea materia manat? Nec congruè vnius formæ denominatio, alteri formæ, diuersos omninò effectus producēti ab illa, cōuenire debet; & quænam maior contrarietas, siuè oppositio esse potest, quam illa, quæ inter ignem, & aquam intercedit; nam si ignis ascendit, aqua descendit; si ille accendit, ista extinguit; si ille calefecit, ista refrigerat; ille exsiccat, ista humectat, ille sitim excitat, ista sedat: quomodo ergo pluuiæ denominatio, quæ aquæ propriè competit, ignis, & sulphuris flagello tribuetur? sed dicamus, quod nomine pluuiæ, diuini flagelli forma declaratur; nam sicut pluuia de cælo ad terram non descendit, nisi priùs terræ vapores ad cælum eleuentur; sic diuini supplicij pluuia, in animatam peccatoris terram, non decidit, nisi culparum humores, ex quibus diuina supplicia efformantur, peccator diuinam offendendo bonitatem, impiè, & voluntariè transmittat; quare Innocent. Pap. 3. lib. 2. de contemptu mundi cap. 25. ait: *Non misisse dicitur, sed pluisse*: Quod, vt nobis clariùs pateat, dicamus: Gen. 19. c. *Pluit Dominus super Sodomā, & Gomorrham sulphur, & ignem de cælo*; ecce pluuia diuinæ vltionis: quomodo hæc efformatur? ecce culparum nubes in malitia, & luxuria condensatæ; Gen. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrehorum multiplicatus est*; & diuinæ iustitiæ etiam obnubilatum eorū sceleribus, cælum; ideò ait eodem tex. *Et peccatum eorum aggrauatum est nimis*; quare iustę comminationis, è diuinæ iustitiæ cælo, tonitrua audiūtur; dum ait Deus, Gen. 18. *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*: Ecce peccatorum humores, qui ad diuinæ iustitiæ cælum ascendunt, dum inquit: *Qui venit ad me*: quare cum à malitia, & culpa non cessarent, mirum non est, si diuini supplicij in eos pluuia inde descendit: *Pluuit Dominus super Sodomā, & Gomorrham &c.*. Idem dici posset de Cain, eius culpæ, & fratricidij vapores, ad cælum diuinæ iustitiæ

Qualiter diuinæ iustitię flagella, sulphuris, & ignis pluuiæ denominatione, manifestentur.

Modus diuini supplicij, in pluuia declaratus.

Innoc. Pap.

Cain peccati vox, ad cęlum ascendens.

iuſtitiæ aſcenderunt, vt Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

Peccatum, diuinæ iuſti- tiæ ſcopus.

5 Peccatum, diuinæ iuſtitiæ ſcopus, ad quem diuini flagelli, & ſuppliciorum tela collimantur, & diriguntur. Admiranda quidem, & omnibus ſeculis commemoranda illa Dauidis victoria, quam de Giganteo hoſte, glorioſè reportauit. Video illum ad prælium accinctum, in Goliam, libeat mihi pauliſper, hunc alloqui: Quid generoſe paſtor agere intendis, dum cum potenti hoſte congredi contendis? An hunc, tu inermis, armatum; imbellis, belligerum profligare cogitas? qualiter puer, cum gigante contendes? quomodo illum, qui fortiſſimos proſtrauit armis; debilis lapide ſuperabis? quomodo ineptus ad pugnam cum experto duce, puer, nec adhuc tyro, pugnabis? manus conferes? quæ arma geris, qui Regis arma reijcis? Armentorum paſtor, qualiter in belligerum hoſtem inſilijes? Paſtor es, tuum paſce gregem; Ducem glorioſum, victorijs inſolentem, minimè profligare vales: ſi hunc aggrederis, tua amplius non paſces armenta, qui mortis cibus eris; audi minas, quas in te intentat; p. reg. 17. *Dabo carnes tuas, volatilibus cæli, & beſtijs terræ:* funda tibi eſt, ſed filis contexta; hoſtis gladio ſcindetur: baculum habes, canem facilè eijcies; hoſtem difficilè deijcies: lapidem ſi iaces in hoſtem; ferreos reſſonabis ictus, non armata hoſtis penetrabis viſcera: tuos lapidis ictus, ferrum irridet, quod tela retundit: quare ſi tuus audax animus, ad gloriam vocat; virium tuarum paruitas, à concepta te gloria reuocat. Sed quid reſpondeat Dauid, audiamus: magnum quidem opus aggredior; dum cum magnæ molis, & roboris hoſte congredior; ſuperbum viribus gloria, & victorijs tumeſcentem cerno hoſtem; & licet armis obtectum, frõtem tamen, nudam ictibus patentem, etiam ad mortem obſeruo, illuc, meos è funda emiſſos, dirigam lapides; mihi animus eſt gigantis; de longe vires proſternam; funda deijciam; hoſtem profligabo: ſic in campum deſcendit, pugnam indicens, e paſtorali pera electos excerpit lapides; his armat fundam; quam cum rotat hic, ille ad pueri cruorem gladium euaginat, gigas; ad hoſtem accedit paſtor audax; paſtoris audaciam hoſtis irridet; & dum ille eijcit lapidem, in hunc hoſtis diſtrictum dirigit enſem; ſed lapis immiſſus obſtrepẽs ad gigantem perueniens, huius frontẽ petit, ferit, frangit, illum ſternit; ſuperbiæ ceruicẽ inflectit; ad proſtratum hoſtem accurrit; hoſtili gladio, gigantis caput obtruncat; victoriam reportat. Frons aperta gigantem ad mortem deiecit; quem in ſuperbiam, victoria extulit. Frons ſalutis noſtræ, & diuinæ gratiæ ſymbolum eſt, vt Apoc. 7. a. *Quo adusq; ſignemus ſeruos Dei noſtri, in frontibus eorum.* Quotieſcunque ergo frons aperta patet, culpę, diuinæ gratiæ munimine nudata; etiamſi, gigantis polleat, quis viribus, potentię armis ſit vndequaquę tectus; diuinæ iuſtitiæ telis, ſubditur, diuinæ igitur manus ictus, & flagella formidet; vt D. Ambr ſer. 88. de bellico tumultu, ait: *Quamuis eſſet Golias vndique armorum protectione munitus, frons tamen eius patebat ad mortem; quia Signaculum Saluatoris non geſtabat; atque adeo ibi perimitur; vbi nudus à Dei gratia reperitur.*

Quomodo, & quo fine, Dauid paſtor, cum gigante congreſſurus, accedit ad pugnam.

Dauid, in frontem apertã gigãtis tendit, in pugna, vt hũc deijciat

D. Ambr.

6 Quare ſi à nobis, diuinæ manus flagella auertere exoptamus, à culpis declinemus. De auiculis fabula eſt, inter ſe conſilium inijſſe,

Fabula de auiculis, vt ab aucupibus, & horũ laqueis, & retibus liberarentur.

qualiter à venatorum laqueis possent eripi: quędam dixerunt, cum in terra laquei tendantur, tutum eis fore, nunquam ad terram descendere: huic sententiæ aliæ se opposuerunt, dicentes; & quomodo, si ad terram non descendemus, vbi cibus noster enascitur, & inuenitur, comedemus? aliud igitur remedium inquiramus: mea, inquit, alia auicula, hæc est sententia, vt mali radicem amputemus, si nos liberi à laqueis euadere exoptamus: laquei, & retia, ex filo construuntur, quod ex canepa enascitur, hæc tempore Maij seritur: quid igitur nobis agendum? dum hoc canepæ, semen terræ mandatur, hæc grana ad cibum nobis colligamus, sic nec canepa enascetur; nec filum contorquebitur in laqueos, & retia; sic liberi euademus. Hæc fabula ad nostri eruditionem instituitur, vt si diuinæ iustitiæ laqueos euadere volumus; peccati radicem, diuina flagella, interpellantis, à cordis nostri terra euellamus, amputemus. Vt ps. 90. b. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Diuina flagella, vt euadamus, peccati radix, à nobis est amputanda.

7 Ob peccata, peccatori aduersa eueniunt. Refert Rubertus Olkot super lib. Sap. in quadam Britaniç Prouincia; cum iam segetes ad messem quidem aptæ essent; numerosam locustarum copiã, in messem irruisse, & eã, ità deuastasse, vt nec grano, vel vnico pepercisset: Acceptis autem nonnullis ex illis locustis, in alis, hæc duo verba conscripta inuenta sunt: *Ira Dei*; ne scilicet existimarent homines, hoc, casu, vel ex naturali causa, euenisse; & plurima licet remedia, ad has expellẽdas adhibuissent; nihilominùs, quia erat ira Dei; eas fugare nequierunt. Peccata enim sunt, quæ iram Dei prouocant, & diuinæ manus flagella, in se peccatores inflectunt.

Rubert. Olkot.

Historia.

In Britania locustæ messẽ deuastantes, in quarũ alijs descriptum erat.

Ira Dei.

Et anni tempora. tex.

§. III. Ex hominum ætatibus, & horum vitijs, futuros lapsus, possumus timere.

1 Galenus lib. de nat. hum. facit quatuor ętates respondentes, quatuor anni temporibus, quatuor humoribus, quatuor elementis, & quatuor diei partibus. Prima ætas puerilis, respondet aeri, Veri, sanguini, & horis matutinis. Secunda, iuuentus, respondet igni, æstati, bili, & horis meridiei. Tertia est ætas consistens, quæ respondet Autumno, melancholiæ, terræ, & horis vespertinis. Senectus, respondet hyemi; pituitę, aquæ, & horis nocturnis.

Galen.

Quatuor ætates hominum correspondentes quatuor anni temporib⁹, quatuor humoribus elementis, & partibus diei.

De Vere pueritiæ.

2 Pueritiam non incongruè Veri comparare posse censerem; nam sicut Ver, principium est Anni, quo Sol in prima Arietis parte consistit; sic pueritia est ineuntis humanæ ætatis principium, cum Sol rationis ad discursum in mentis nostræ Ariete principium capit; Vel cum primum anima Sole iustitiæ diuini afflatus, & cælestis gratię splendore irradiatur; maximè in innocentiæ peculiari statu, cum à puritate rationis, pueritia nuncupetur: Et sicut Ver calidi, & humidi temperamento componitur; sic pueritia calore deuotionis, & humore disciplinæ attemperari debet. Verum cum Ver à debito temperamento recedit, magnas indè præsagit in æstate ægritudines, & acutas febres portendit; maximè cum hyems sicca præcesserit, vnde inferunt medici; si Ver fuerit nimis humidum, & frigidum; dum tamen præcesserit hyems sicca, febres calidæ, & acutæ in æstate generantur,

De Pueritia, quomodo Veri cõparetur.

Galen. tur;& vt ait Galenus tanta fit in humido Vere superfluitatum generatio, vt in æstate cōsumi nō possit;ea propter eis succrescētibus in febres putridas commutantur; sic pueritia, cum ab his pietatis, & disciplinæ qualitatibus, & bonorum morum instructione abscesserit, maximè cum hyems sicca fuerit, hoc est ei rigor disciplinæ, & præceptorū defecerit; tunc periculum est, ne in summas vitiorum ægritudines, in adolescentiæ æstate, labatur; maximè verò, cum 14. & 15. annum attigerit, & cum peruersorum morum ægritudines, in pueritia contractę, in adolescentia non consumuntur; quin potiùs augentur, vnde sequitur illud Iob. 20: *Ossa eius implebūtur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient*; ideò

Morbi contracti tempore Veris, pueritię proportionaliter applicātur.

Hieron. D. Hieron. in epist. 12. ad Gaudentium, ait: *Ætas mollis, & tenera, in vtrāque partem flexibilis est; & quocunque duxeris, trahitur; verū ad vitia magis, quam ad virtutes propendit*.

3 Longitudo igitur, & breuitas spiritualis morbi Vere pueritiæ; ex eo deducitur, si contracta vitia, disciplinæ remedio, & correctionis studio reformentur, vt Ecclesiast. 7. *Filij sunt tibi, erudi illos, & curua illos à Pueritia eorū*: vt benè Salom. Cant. 2. dixit: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas; nā vinea nostra floruit*: & cur potiùs vulpes grandiores, & veteres non prçcipit compræhendi, quæ maioris damni sunt, nedum vineis, sed etiam frugibus; & domesticis animalibus, quam paruulæ? Vulpeculæ sunt nascentia peccata, quæ citò delenda, ne in vulpes magnas, habitus videlicet vitiorum, accrescant, quare D. Bern. serm. 64. in Cant. *Non*, ait, *capite vulpes magnas, sed paruulas, & ideò paruulæ, vt nascentia vitia, in ipsorum ortu, donec vtique paruulæ sunt, obseruans, illicò comprehendas; ne crescendo noceant, & difficilius capiantur*. Sic enim breues erunt in pueritia spirituales vitiorum ægritudines, si illicò hæ enascentes morales vulpeculæ, rigoris laqueo comprehendantur.

Vulpeculæ, ascētia vitia; ipsæ capiendæ, ne in vulpes habitus crescant.

D. Bern.

4 Causam etiam, quare velit has comprehendi vulpeculas, subdit sponsa, dicens, quia: *demoliuntur vineas*; sed quare vineas potiùs ab illis prçcipit custodiri, quam domestica animalia, vt pullos, quibus tortuosis amphractibus, vt hos dolosè capiant, ipsę vulpes insidiātur? & quare tam solicitè à vineis arceri iubet vulpes paruulas? quænam periculi, damniuè occasio intercedit, vt paruulæ vulpes capiantur? ratio est, ait textus: *Nam vinea nostra floruit*; sed, & adhuc difficultas, quia vuis potiùs maturis, quam florentibus vineis vulpes insidiantur. Istæ vineæ florentes, sunt homines in pueritiæ, præcipuè ætate florida, in qua diabolicæ, & infernales vulpes magis insidiātur, ideò ab illis hæ etiam magis arcendæ sunt, quàm à fructibus in senili, & decrepita ætate, quia scilicet diabolus, magis iuuenibus, & pueris, quam senibus tentationum retia parat, laqueos tēdit; quia scit, quod si puerum, vel iuuenem semel in casse diabolicus venator & auceps concluserit Senem, quoque irretitum habebit.

Pueritia vinea florens, ab hac arcēdæ sunt infernales vulpes, ne illam deuastent.

De Æstate Adolescentiæ.

1 Adolescentiam, Æstati assimilare non vereor, nam sicut hoc tempore Sol Cancrum, Leonem, & Virginem, Zodiaci signa, percurrit, sic adolescēs persæpe, maximè sibi relictus, per cancri signum incedit, dum à virtutū semita deuiat à sanctis moribus, & præ-

Qualiter adolescentia æstati assimiletur, & primò per Cancrum, quomodo incedat.

& præceptis in pueritia perceptis, per horum contemptum, ad vitia, & flagitia se conuertens retrogra-ditur, nam ait D. Bernardus: *In via Dei non progredi, retrogredi est.* Est enim Cancer piscis, qui retrocedit.

Bern.

2 Vel Leonis Signum percurrit: est enim Leo signum igneum, sicut & æstas caliditate, & siccitate abūdat; significat adolescentum ætatem, ad iram, & vindictam procliuem, quæ est accensio sanguinis circa cor; sicut Leo iratus, iniuriam sibi illatam vlciscitur. Æstas, vt ait Bercor. in Reduct. mor. lib. 5. cap. 48. est tempus complexionis cholericæ, quia scilicet caliditate, & siccitate abundat, & ideò aerem inflammat; poros corporum aperit; humores consumit; corpus debilitat; choleram acuit; febres generat, & augmentat: sic adolescentiæ æstas, mentis aerem ad superbiam inflāmat; sensuum, & potentiarū poros, ad vitiorum impressiones recipiendas aperit; præceptorum, & sanctarum instructionum in pueritia haustarum humores, dissolutionis calore consumit: & anima, diuinæ gratiæ priuatione, debilitata, spiritualiter eneruatur; choleram irascibilis, hæc ætas moralis acuit; & culparum, & sensualium cupiditatum semper morales generat, & auget febres.

Adolescentia in Leonis signo.

Bercor.

Æstatis proprietates, adolescētiæ conuenientes.

3 Signum Virginis percurrit hæc ætas: est enim hoc signum, vt aiunt Astrologi, terreum, fœmineum, & nocturnum. Terreum, quia adolescens posthabitis persæpè cælestibus, terrena, & sensualia sectatur: Fœmineum, quia fœminarum consortia appetit: Nocturnū, quia vt liberiùs suæ cupiditati satisfaciat, velut vespertilio noctu peruolat, ne in suis vitijs detegatur illapsus, & vt reus comprehendatur ad pœnam vt Io: 3. c. ait: *Qui malè agit, odit lucem.* Vel signum Virginis percurrit, quia, sicut Virgo, est sterilis, & infœcunda; sic adolescentia, vt in pluribus, in virtutum germine arescit, & à bonorum operum fœcunditate declinat: quare post aliarum ætatum laudes, in adolescentiam inuehens, Ambr. lib. p. de interpret. in Iob. cap. 7. ait: *Adolescentia sola, est inualida uiribus, infirma consilijs, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebra delicijs:* & S. Augustinus quoque ser. 146. de tempore, licet pueritiam, & senectam à vitijs immunem non iudicet; adolescentiam tamen, ad vitia, & maiora, & grauiora scelera propensam, præcæteris ætatibus censet; quæ, & dæmonum insultibus maximè appetitur; Augustini verba: *Si puerilis, & senilis ætas, nō est à tentationibus libera; quarum altera nondum benè ingreditur; altera iam egreditur, istam vitam: altera paulò ante non erat; altera paulò post non erit; quid sentiendum est de flagrantia iuuenilis ætatis, quæ vtriusque in medio constituta, & ab infirmitate pueritiæ iam recessit, & nondum ad torporem senectutis accessit? hæc pluribus, & maioribus tentationum tempestatibus quatitur; hæc fluctuum crebiore impetu seculi inundantis operitur.*

Adolescentia, quomodo in Virginis signo, & eiusdē proprietates.

D. Ambr.

Adolescentia, ad vitia propensa, Diaboli tētationibus præ cæteris ætatibus subijcitur.

August.

De Iuuentutis, seu Virilitatis Autumno.

1 IVuenes, secūdum Varronem, vt diximus in medic. corporali, appellantur, qui à trigesimo, ad quadragesimum quintum annum vsque peruenerunt; eo quod in bellicis vsibus, hęc ætas Reipublicæ adiuumento foret; quæ ætas virilis, à virium robore, & virtute dici potest: Hæc Iuuentutis, seu Virilitatis ætas, Autumno comparari potest, si quidem cum Autumnus ab

Varr.

Virilitas, quomodo Autumno cōparetur.

Virilitas, quomodo Autumno cõparetur.

nus ab augendo dicatur; eo quod hoc tempore fruges in horreis abũdent, & ad fructus colligendos maximè agricolæ præcipuè laborent; suorum laborum, & sudorum præmia percepturi: sic virtutes, & boni mores in bono viro, sicut, & vitia in impio, Vere pueritię, & Æstate adolescentię sata, & coaceruata, in Autumno iuuenilis ætatis accumulatè abundant, & eorumdem bonorum, sicut, & malorum operum fructus colligit; vt ad Galat. 6. b.: *Quæ enim seminauerit homo, hæc, & metet*: Et quia non tam de bonis operibus in iusto, quam de vitijs in peccatore intēdit Apostolus, ideò sequitur ibid. sic: *Quoniam, qui seminat in carne, hac de carne, & metet corruptionem; Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*: Quale igitur erit semen, talis, & fructus colligetur.

Virilitas, Autumno, ob augmentum cõparata.

Hæc iuuentutis, seu virilitatis ætas, Autumni nomen, quod augmentum resonat, sortiri potest; eo quod vitiorum morbi in pueritia contracti in adolescentia accrescẽtes, pænitentiæ, & disciplinæ pharmaco non curati, in Iuuentute, & Virilitate, obdurescunt, inueterascunt, & incurabiles reddũtur, vt Iob. 20. b. *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius*: & notandum, quod ait; *Ossa*, non caro, quia sicut ossa in viro, seu in iuuene duriora sunt, quam in puero, & adolescente, nec mutari possunt; sed semper duriora efficiuntur; quod de carne non euenit; sic vitiorum spirituales morbi, per consuetudinem, inueterati, difficilem ad æternam salutem habẽt curationem; ideò Gregor. lib. 15. mor. *Tenent praua consuetudines, quæ semel ceperunt, atque quotidiè duriores existunt, & non nisi cum peccatoris vita finiuntur*.

Greg.

2 Et sicut in Autumno, temporis frigiditate, & siccitate, virtute sua consenescunt plantæ, suis exuuntur folijs, & terra suo viduatã calore, destituta vigore, insolita germinum sterilitate arescit; & fructibus expoliatur, & omnibus ferè virtutibus generationis obstruitur via; sic in iuuentutis peruersæ autumno, homo frigescit charitate, secũdum illud Matth. 24. a. *Refrigescet charitas multorum*; bonę famæ honestæ cõuersationis, & boni exempli folia decidunt; diuinę gratiæ vigore destituta iuuentus, in virtutum germine arescit; piorum operum fructibus expoliatur, & tandem omnium bonorum generatio perit.

Frigiditas, & siccitas moralis, in Autumno virilis ętatis

3 Secundum Medicos, istud tempus, cæteris periculosius iudicatur, & damnosius creditur; quia sua inhabilitate variatur; nunc calidum, nunc frigidum; quapropter corpora faciliter læduntur; vnde quartanæ, aliæque frigidæ ægritudines, generantur: Frigiditate enim pori clauduntur, & calidę fumositates intus restringuntur; quæ cum exire, & prodire foras nequeant, nec virtute naturali expelli, pessimæ ęgritudines, incurabilesq; inde morbi erumpunt, & prodeunt. Sic nos de morali huius ætatis iuuentutis, seu virilitatis autumno, proportionaliter possumus philosophari; hoc enim tempore, hominis voluntas variabilis, & instabilis est; nunc calida ad pietatis opera, in mente peragenda; nunc frigida, ad ea adimplenda; nunc amat; nunc odit; nunc ad pietatis opera se conuertit; nunc à pietate refugit; nunc frigida obdurescit in culpa; modo mons ad pœnitentiã cogitat; modo hanc deserit, si pœnitudinis viam incipit incedere, vt Thren. p. *Peccauit Hierusalem; propterea instabilis facta est*; ex qua morali temporis instabilitate, animæ ex superueni enti, inde culpæ ægritudine

Autumni morbi.

Morales vitiorũ morbi, virilitatis tempore, erumpẽtes in animam.

Instabilitas moralis Autumni, virilis, scilicet ætatis.

dine facilè læduntur, quartanæ morales prodeunt, dū per aliqua temporum spatia, in noua peccata habitu contracta, dilabuntur; & aliæ etiam frigidæ malorum, & corruptorum motum spirituales ægritudines erumpunt. Frigiditate charitatis hoc tempore iuuentutis, seu autumno virilitatis, potentiarum claudunter pori, sic calidæ præcipuè superbiæ, & ambitionis fumositates mentē infestantes, intus existentes per pœnitentiam, & confessionem exire nequeunt: diabolus cordis poros claudit, ne peccati vitiosus humor intus existens, foras erumpat per pœnitentiam, vt Act. 12. *Et custodes ante ostium, custodiebant carcerem; hi custodes, Dæmones sunt, ostium conscientiæ*, ait Glossa, *ne quis confiteatur, & soluatur:* Sic incurabiles, peruersæ voluntatis, & consuetudinis spirituales morbi generantur, vt Hierem. 30. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.*

Gloss.

4 Habet hoc tempus Autumni tria Zodiaci signa, Libram, Scorpionem, & Sagittarium: Hęc signa dicere possumus, quod præcipuè in iuuentutis, & virilitatis Autumno dominentur. Libra, hoc est auaritia, quæ non cessat in diuitijs coaceruandis, pecuniam librare, & numerare: hęc ætas in auaritiæ telonio, velut alter Mattheus, sedet, vt Aug. de interpellat. Iob. *Modum* (inquit) *non habet auaritia, nec capiendo expletur, sed incitatur: hoc egentior, quo plura quæsiuit.* Scorpius est luxuria; nam sicut hic facie blanditur, & cauda pungit; sic luxuria in facie, hoc est in principio blanditur, adulatur, delicias exhibet; verū cauda pungit, mordet, & culpa lacerat, vt Hug. Card. ait: *Virus, est illecebra voluptas, adultera iucunditas, quæ mel habet in ore, aculeum in dorso*; hæc in Autumno præcipuè virilitatis, dominatur, vt idem Hug. ait: *Luxuria est immoderata carnis petulātia, dulce venenum, importuna lues; pernitiosa potio; quæ humanum corpus debilitat, & virilis animi robur, eneruat*: ecce virilitatis morbus. Sagittarius regnat; hoc est vindicta, quæ ad mortem inimicū perdendum, lingua, mente, & ferro sagittat. Sed dicamus, quod istud signū Sagittarius, sit superbiā; quę solet pauperes per crudelitatem sagittare, & rapinis, & exactionibus molestare. Ista vitia capitalia, maximè in Iuuentutis autumno, reperiuntur, quæ quidem signa, enumerata videntur à D. Io. 1. cap. 2. dum ait: *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia oculorum*, ecce libra auaritiæ; *aut concupiscentia carnis*; ecce Scorpius luxuriæ; *aut superbia vitæ*; ecce Sagittarius superbiæ.

Libra, Scorpius, & Sagittarius, qi in Autumno dominātur; quid ad ætatem virilem.

August.

Hug. Card.

Hug. Card.

De Hyeme Senectutis.

1 Vltima anni pars, hyems est, quæ secundum Isidorum ab eundo dicitur; quia tunc Sol in breuiori circulo solet circuire, & ire; ideò breues dies, & noctes longas solet causare; sic Senectus dici potest proportionaliter, Hyems moralis; est enim Senectus vltima pars ætatis hominis, & ethymologicè potest dici hyems ab eūdo, eo quod breui cursu senex ad mortem properat, ideò vitæ dies breuiores, sicut Iob. 14. etiam intulit dicens: *Breues dies hominis sunt*, & nox mortis longa, quæ rursus ad diem vitæ irreuocabilis est, nam vt aiunt Philosophi: *A priuatione ad habitum, non datur naturaliter regressus.*

Isid.

Senectus moralis hyems, & quomodo.

2 Verè Senectus, in hyemis figura potest adumbrari. Hoc enim tempore omnis calor abscedit; imbribus

imbribus terra madet; montium cacumina, niue conspersa conspiciuntur; pruinis prata, & arua albicant; arbusta rigēt; nubes aerem ingruunt; asper ventilat aer; luto inquinantur vię; denique morbos, & flegmata hoc tempus generat; sic in senili ætate, naturalis in homine calor recedit, vt patet in Dauide ad senectam redacto; de quo dicitur 3. reg. p. *Quæramus Regi nostro adolescētulam, & Virginem, & stet coram Rege, & foueat eam, dormiatque in sinu suo, & calefaciat dominū nostrum Regem*; montium cacumina, hoc est caput canitiei albicat niue; corporum prata, torporis, frigoris asperguntur, pruinis; membrorum arbusta arescunt; cæcitatis nubibus, oculorum obducitur cælum; frigiditatum, & humorum noxiorum distillat pluuia; odiosi, flatuum, & anhelitus spirat, ventus; vitiorum, & iniquitatum luto, vitæ totius, inquinantur viæ, vt Ps. 9 *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*. Hæc senectutis ætas multos vitiorum generat morbos, quin imò ipsa morbus dicitur, vt Marc. Tull. *Senectus ipsa est morbus*; sicut à spiritualibus vnaquæque ætas suis culparum ægritudinibus associatur; vt D. Amb. de bon. mortis cap. 4. ait: *Vnusquisque, quandiù viuit, obnoxius est lapsui; nec Senectus immunis à crimine*.

Senectus, in Hyeme repræsentata.

M. Tull.

3 Tempore hyemis tria signa dominantur Zodiaci: Capricornus, Aquarius, Pisces; sic in Senectutis hyeme, Capricornus superbiæ, vel obstinationis; Aquarius luxuriæ; Pisces auaritiæ. Capricornus, est animal cornutum, quod semper ascendit, sic superbus, velut alius Lucifer, qui dicebat, vt Esai. 14. d. *In cælum conscendam, & ero similis Altissimo*; talis est in culpa, & vitiis inueteratus senex superbus, qui diuinæ legi renuit subijci; vel vt Caper cornu obstinationis ventilat, vt vulgò dicitur, *cozza*; Vel cornibus, quæ ex duriori materia constāt, obstinationis, & obdurationis in culpa, Deo obsistit; de quo dici potest, vt de Pharaone Exod. 7. d. *Induratum est cor Pharaonis*. Hæc ætas, diuinæ iustitiæ accessionem, meritò timere potest, vt Dauid Ps. 48. dicebat: *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circundabit me. Per calcaneum*, ait Incognit. hic, *qui est extrema pars corporis, & finis, intelligitur finis vitæ præsentis*; & quia ait Isidorus: *Quemlibet iudicat Deus, non de præterita vita, sed de fine vitæ*; cum senectus sit finis, & periodus vltima ætatis naturalis hominis; & qualis vita, finis ita; ideò vltima peccata, quæ in fine vitæ concluduntur, hęc in die Iudicij timenda, quæ mala dies dicitur, ob impios; contra quos æternæ damnationis fulminabitur sententia.

Tempore hyemis tria dominantur signa. Capricornus, Aquarius, Pisces; qualia sit ista signa in morali hyeme.

Capricornus senex superbus, & in culpis obduratus.

Incognit.

Isid.

4 Contra quos senes insurgit Scriptura 1. reg. 2. b. *Dicens Dominus iudicebit fines terræ*; sed quomodo ad fines terræ, diuinæ iustitiæ iudicium limitat, si Dauid de tota terra, & orbe terrarum disserit, quæ diuino omnia subdentur iudicio, vt Ps. 97. *Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate?* quomodo iudicabit fines terræ, nunquid principium, & medium terrę, diuini finalis iudicij expers erit? Sed fines terræ senes dicuntur, hos autem tantum iudicare dicitur Deus, non quod principium, & medium terræ, hoc est adolescentum, & virorum peccata iudicare, ad ipsum non spectet; sed illos præcipuè iudicio sibi ad pœnam subijcit, qui cum ad virtutum perfectionem magis tenerentur, à virtutum semita, crimina perpetrātes, declinarunt; quare D. Greg.

Quomodo dicitur, qd Deus iudicabit fines terræ, si totius mundi erit Iudex.

D. Greg.

ibidem ait: *Dominus iudicabit fines terræ, non ait, terram, sed fines terræ: fines quippe terræ sunt, qui vitæ suæ vltima, cum culpæ perpetratione clauserunt; nam qui peccat, & corrigit, quod deliquit, terra est per peccatum, & finis terræ non est, quia delinquendo redemptionis suæ alta deposuit; sed ab imo depositionis suæ, ante iudiciū resurrexit.*

5 Secundum signum, est Aquarius, qui in hyeme dominatur, aquas effundēs, significat carnis fluxionem, & luxuriæ inquinamenta; quibus senes inficiuntur, vt patet de illis, qui in Susānæ amore exarserant; & in sodomitis, de quibus scripsit Moyses; Gen. 19. *Vallauerunt domum à puero, vsque ad maximum, omnis populus simul,* vult inferre, quod non solum iuuenes acrioris libidinis flamma æstuabāt, sed etiam senes multa perfusi canitie, in præposteram libidinem defluxerant: hoc enim peccatū maximum, quod sulphurei ignis, è diuinæ iustitię manu, supplicium extorsit; quo ciuitates ille incendio consumptæ in fauillam exarserunt: quare Chris. hom. 43. in Gen. expendens illa verba: *A puero, vsque ad senem*, ait: *Non solum iuuenes hac mala inquirebant, sed inquit, prouectæ ætatis erant; & omnis populus simul, neque erubescebant tam impudens flagitium.*

Aquarius, in senecta, luxurię peccatū; patet in senibus, Susanam ad libidinē vexantibus, & Sodomitis.

Chris.

6 Hanc hyemis moralis senectutis, videlicet ætatem, vel tempus, in quo, hoc luxuriæ Aquarij signū dominabatur, expressit Moyses in diuinæ iustitię vniuersalis diluuij supplicio, instantis huius, seueræ vltionis causam edicēs, Gen. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum, esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore; pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra.* Vbi notandum, quod nō solum adolescentes, & iuuenes, qui luxuriæ facibus conflagrabāt, quos ardor ętatis inflammabat, in Venerea inquinamenta defluebant, sed etiam senes in ætate prouecti, qui ab his vitijs verbo, & exemplo alios retrahere debebant, Veneris facibus adurebantur, vt Chris. hom. 22. in Gen. *Vide*, inquit, *quomodo singula, quæ dicuntur peccatorum ostendunt magnitudinem; quia n. in genere dixit, quod multiplicata sunt malitia hominum super terram, subdit, & vnusquisq; magna huius verbi emphasis, & vis est, nō inquit adolescentes solum, sed, & senex eadem agit, quæ adolescens.*

Ob peccatū luxuriæ, diluuij vniuersalis animaduersio, & quomodo.

Chris.

7 Tertium signum, sunt Pisces, qui cum auidi, & voraces sint, significant auaritiam, quæ in illo pisce, qui deuorauit Ionam figuratur, vt Ion. 2; Ionas enim columba interpretatur, significat, quod Senes in quibus dominantur auaritiæ pisces, pauperes, simplices, & columbinos deuorant: quare Chrisostomus de his senibus conquæritur, quod non parum Christianam fidem lædant, maximè de immortalitate animarum, quam licet verbis fateantur, factis tamen, auaritia destruere, & opere negare videntur; cum igitur vita, & horum mores contrarij sint, his, quæ dicunt, magis vitæ, & moribus, quam illorum sermonibus, est præstanda fides. *Vita vestra*, ait Chrisostom. *contraria, testatur, quod non creditis, vultis ne, in Vsurarios, auaros, & raptores videamus? In lugentes, plorantes, edificantes, omniaque agentes, quasi nunquam morituros: si ergo quod moriamini non creditis, quomodo vobis credant testātibus: sunt enim multi homines, sic affecti, quasi nunquam morituri; nam cum in longa senectā incipiant struere, quando mortem affuturā putabunt?*

Pisces, qui in senecta dominātur, auaritiā designant,

Chris.

Et

Et circuituum, successiua incrementa. tex.

§. IV. Ex successiuis vitiorum incrementis, futuros quoque peccatoris lapsus, & diuinæ animaduersionis fore, accessionem, probabiliter possumus autumare.

1 QVia, vt aiunt Philosophi, ex frequentatis actibus fit habitus, quo in actus similes, quis potest exire; quia habitus est, quo quis quando vult, vtitur; sic qui vitiorum habitum contraxit, facilè in similes vitiorum actus, occasione quacumque data, vel arrepta, fore reciduum, non inuerisimiliter possumus autumare; vt Ecclesiast. 3. d. *Et peccator adijciet ad peccãdum*: Et hanc nostram, Regius Psalmista, sententiam astruit Psal. 11. d. dicens: *In circuitu impij ambulant*; & ratio est, quia peccator per culpam à filiatione Dei, ad diaboli filiationem transfertur; quia sicut gratia filios Dei animas efficit; vt dicitur Psalm. 81. d. *Dixi vos Dij estis, & filij excelsi omnes*; sic culpa, filij diaboli, peccatores efficiuntur, vt Io. 8. f. *Vos ex Patre diabolo estis, & opera patris vestri, vultis perficere*: cum igitur filius, patris vestigia sequatur; cum Diabolus in circuitu ambulet, vt ipse dicebat, Iob. p. *Circuiui terram, & perambulaui eam*: Et 1. Petr. 5. dicitur: *Circuit quærens, quem deuoret*; meritò peccator, diaboli patris vestigia, & mores secutus, in circuitu ambulare dicetur vt Psal. 11. *In circuitu impij ambulant*; & quia, qui in circuitu ambulat, ad eundem terminum, vnde exijt, vel recessit, redit, vt D. Ber. ser. 12. in Ps. Qui habitat ait: *Qui in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed proficit nihil*; sic peccator, qui in circuitu malitiæ ambulat; ad eundem terminum habitus, si quando pœnitendo discessit, data occasione, in culpam reciduus remigrat; & veluti serpens, per gyros, & flexus, per sinuosa volumina, se conferens, semper iterum, atque iterum implicatur, à propria peruersa nunquam voluntate discedens.

Gratia filios Dei efficit peccatum filios diaboli, quem immitantur ambulantes in circuitu.

D. Bern.

In circuitu impij ambulant, ad eũdem peccati habitum redeuntes.

2 Vel secundo, dicere possumus, quod peccator in circuitu ambulat, velut equus ad molam circunducendam damnatus, semper in circuitum flagris cæsus pergit, laborat, anhelat, sudat, & nunquam ab eodem dimouetur circuitu, & loco, & nihil, pergendo proficit: sic peccator, qui velut irrationalis equus, quia in eo magis sensus, quam ratio dominatur, & præualet, vt dicebat Dauid Psal. 13. c. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus*, alligatus iugo iniquitatis, vinculo peruersæ voluntatis, vt Aug. 6. Confess. dicebat de se: *Suspirabam ligatus non ferrea catena, sed mea ferrea voluntate*; diuersis peruersarum cogitationum, diabolicarum tentationum flagris cæsus, pergit in circuitu vitiorum; ad eundem malitiæ, & peccati terminum, iterum persæpe redit: sicut de cane, & sue, qui ad eorum assueta inquinamenta reuertuntur, vt 2. Petr. 2. ait hic Apostolus: *Contigit eis, illud veri prouerbij: Canis reuersus est ad suum vomitum. & sus lota in volutabro luti*; sic in circuitu peccati ambulans, vt canis ad vomitum iniquitatis, turpius manducat, dum regreditur, & sus in pœnitentiæ lauacro lota, in culpæ volutabrum desiliens, sordidius olet; quare D. Bern. serm. 2. de Assumpt. ait: *Reuersus ad vomitum canis odibilis erit, multo plus, quam*

Peccator sicut equus, ad molam circunducẽdam damnatus.

Peccator, vt canis ad vomitum peccati, & vt sus ad fœditatem nouã reuertitur.

D. Bern.

quam ante, & fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum, in easdem denuo sordes inciderit, vt sus lota in volutabro luti; quare meritò à diuinæ iustitiæ manu percutitur, qui à virtutum progressu, & pœnitentiæ semita declinans, ad priora inquinamenta remigrat. Vxor enim Lot, in statuam Salis redacta, quia retrò respicere voluit, nobis, ad spirituales indesinentes progressus virtutum, exemplo esse potest, vt Cyrill. Alexandr. lib. 5. in Io: cap. 17. ait: *Inde sumēdum est nobis exemplum, ne ad deploratas reuertamur peccatorum illecebras.*

Cyrill. Alex.

3 Futurum culpæ lapsum, ex consuetudinis, & mali habitus circuitu, possumus iure meritò auspicari; & nouam peccatorum prolem, ex occasionum occurrentium parentibus, forè procreandam, timere. Si enim ferrum, quod maximam duritiem cęteris metallis non facilè cedens, ostentat, ex ignis tamen assiduitate efferuescit, & emolescit, itaut maleatoris ictibus fortiter percussum, cedat; & formas etiam varias, iuxta artem ad placitum tundentis recipiat; quomodo homo, qui nec immobilis, vt ferrum firmæ voluntatis in bono, fortitudine existit, nec ferream, mentis constantiæ soliditate, conditionem gerit; nisi in quantum in peccati obstinatione obdurescit, vt Pharao, de quo dictum est Exod. 7. d. *Induratum est cor Pharaonis*, contra peccati ignem, duritiem, & mentis immobilis fortitudinem ostentabit? qui ad simplicem diabolicæ tentationis calorem, voluntatis consensu, quacumque occasione interueniente, ad culpam emolitur? & ad Diaboli placitum, in quolibet vitiorum quorumcunque, artificio efformatur?

Sicut ferrū ad maleatorem, sic habituatus peccator, ad culpam.

4 Sed esto, quod ferreus sis animo, & stabili mente, & firmo proposito in diuina voluntate dispositus consistas; occasionis culpæ tamen igni, si sæpius assidebis approximatus, ex vitiorum habitu iam contracto, ad eorundem concupiscentiam, cogitatione incalesces; ad voluntariam delectationem, & consensum efferuesces; & infernalis Vulcani diabolici maleatoris, diuersis tētationis ictibus repercussus, in culpam dissolueris, in eandē dæmonis formā conuersus, qui Christi imaginem, & insigna præferebas; quare D. Isidor. lib. 2. Soliloq. ait: *Ante ignem consistens, etiam si ferreus sis, aliquādo dissolueris; proximus periculo, diu tutus non erit: Per assiduitatem citò peccat homo: sæpè familiaritas implicauit; sæpe occasionē peccandi dedit; sæpe quod voluntas non potuit, assiduitas superauit.* Horum quæso veritatem exquiramus. Non ne ferreus videbatur Petrus, contra aduersæ fortunæ maleum, & persecutionum ictus, se insuperabilem ostentans, dum magistro suo, Saluatori nostro, protestatus est, dicens, Matth. 26. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*; & Luc. 22. *Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire*; ad ignem tamen in atrio accedens cū ministris, occasionis proximæ calore accensus, in culpam grauissimam, suum negando Magistrum dissoluitur: *Ante ignem consistens, etiāsi ferreus sis, dissolueris.* Nonne, & Pharao, diuina admonitus plaga, flagellis attritus, promisit populum Israeliticum in libertatem vēdicare? quia tamen in obstinationis culpa, solitus erat delinquere, ad eadem peccata, vt prius, à periculo ereptus, impœnitens remigrat? *Per assiduitatem citò peccat homo.* Animalia enim solitis, assueta pascuis, eadem loca statuto tempore fre-

Licet quis ferreus voluntate, non peccandi, occasionum tamen igni approximatus, culpa dissoluitur.

D. Isidor.

Velut ferreus volūtate Petrus, occasionū tamen igni approximatus, culpa dissoluitur.

Pharao per assiduitatē peccat.

frequentant: ad eundem fontem, in quo sæpe sitim extinxit turtur, iterum sitiens aduolat, bibitura: Vulpes, ad proprias foueas, quas sibi construxerunt, nocte per arua, & syluas vagantes, illucescente die, redeunt: mercator ad solitas nundinas, vbi lucrum sæpe aquisiuit, tempore suo, accurrit: sic peccatores ad solita peccatorum pascua; ad consuetum vitiorum fontem; ad occasionum proximarum veteres caueas; ad peruersę consuetudinis nundinas; vt diaboli fera, turtur, vulpis, mercator deflectunt, & reuertuntur; ideò: *Per assiduitatem citò peccat homo*. Sic carnis delicijs deditus, in quibus sæpe illecebris inuolutus deliquit, in antiqua, minus castarũ fœminarũ consortia, & contubernia, familiaritatẽ repetẽs, in easdẽ rursus sẽsualitates deflectit: *Sæpe familiaritas implicauit*. Qui minus cautè obloquitur, detractorũ circulos adit, in ijsdem detractionis culpis, facilè obuoluetur: *Sæpe familiaritas implicauit*. Ebriosus, qui tabernas, & commensalium societatem, & contubernium, iterum sectatur, in nouas etiam ebrietates facilè deflectet. Rursus ille, qui mentem à ludo abduxerat; in quo sæpe, in maledicta eruperat; in blasphemias irruerat; in contumelias euomerat; socios deceperat; eadem loca assiduè frequentans, in easdẽ culpas facilè corruet: sic, qui à dolis proximi, ab auaritiæ laqueis declinare omninò statuerat, male ablata restituere, iterum noui lucri iniusti occasionibus se inserens, in eisdem, in quibus prius, culpis inuoluetur: *Sæpe occasionem peccandi dedit, quod voluntas non potuit, assiduitas superauit*.

Familiaritas, quomodo hominẽ implicet, in detractore, ebrio, & lusore exprimitur.

5 D. Gregorius facit differentiam inter viam iustorum, & viam impiorum; & vias iustorum comparat horis matutinis; & viam impiorum horis vespertinis. Tempore enim matutino, quo Sol oritur, lux crescit; hoc, viam iustorum nobis insinuat; nam dum Sol iustitiæ suo diuinæ gratiæ splendore, in piorum cordis Orizonte cęlitus illucescit; paulatim accrescit; sic iustorum vita, semper ab eodem Sole diuino, virtutum incrementum desumit, vt Ps. 83. b. *Ibunt de virtute in virtutem*; sicut, *assensiones in corde suo disposuit*, dicitur ibidẽ. Verum etiam ex opposito sicut materiali, declinante ad occasum, Sole, vmbrę paulatim, & sensim crescunt, & producũtur; Sic decrescente Sole iustitiæ ab anima per gratię subtractionem, culparum vmbræ crescũt; quare Greg. in Psal 101. ait: *Scimus enim, quia Sole ad occasum vergente, vmbræ crescunt, donec dies veniat, & luna omnino diei deficiat; sic nimirum cum reproborum cordibus Sol iustitiæ occidere cæperit, cæcitatis vmbra vehementer crescit, adeo, ut diuino non illuminentur lumine, sed mortiferæ noctis inuoluantur obscuritate*. Cum igitur diuini Solis absentia, peccatorũ vmbræ semper accrescant, & maiores fiant; sic ex successiuis vitiorum incremẽtis, in eosdem peccatorum futuros lapsus, possumus probabiliter, coniectare.

Viæ impiorũ, & iustorum, cōparatæ horis vespertinis, & matutinis, & quomodo.

D. Greg.

6 Ex his culparum successiuis incrementis, quibus diuinam peccator lacessiuit iustitiam, huius flagella imminentia formidare debet. Magna profectò illorum peccatorum deploranda calamitas, qui in eãdem scelerum voraginem, à qua misericorditer emerserũt, infœliciter relabuntur; & parum distare videntur, ab his, qui in suis sceleribus consenescunt, & commorantur; quibus æternũ infernalis ignis supplicium præparatur. Hierem. 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates*

Ex successiuis culpis diuina animaduersio timenda.

suas

suas, & vos poteritis benefacere, cũ didiceris malum: ex quibus verbis vtriusque statum, scilicet peccatoris, in suis vitijs sordescentis, & recidiuantis, videtur posse adumbrari. Etiops enim, qui eodem modo semper niger est, dici potest peccator ille, qui eadem semper peccati nigredine obtegitur, ex vitiorum habitu perpetuò obduratus: pardus verò, qui vario colore commaculatur, illum adumbrat peccatorem, qui non in eodem semper statu conquiescit, sed variat, & alterna vicissitudine mutatur; modo contritus ad lamenta pœnitentiæ recurrit; modo vitiorum cęno iterum inuoluitur, & in peccati fęrido volutatur luto. Componit igitur Æthiopem cum pardo, ac si in peccatis recidiuus, parum ab eo, qui in ijsdem semper culpis obdurescit, discriminetur. Imò ille grauius peccare videtur, qui ingratus Dei beneficio abutitur, à culpis videlicet absolutus, ad culpas denuò remigrat; quare maiori pœna dignus est, cum etiam difficiliùs reparetur, vt Chris. ser. de lapsu primi hominis, ait: *Noli peccare post veniam; noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam*, & horum reddens rationem, ait: *Cogita grauiorem culpam esse post veniam renouatum vulnus peius dolere post curam, molestiùs hominem sordidari post gratiam*.

> Ætiops, & pardus, peccatorem obduratum, & recidiuantē adumbrat.

> Chris.

7 Inueniens Saluator noster languidum à suo languore triginta annorum liberatum in templo pro recepta sanitate, gratias agētem Deo; huic dixit Saluator Io: 5. *Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne deterius tibi, aliquid contingat*; & quænam pæna atrocior illa ei contingere poterat, quã longa triginta, & octo annorum serie, humano prorsus destitutus auxilio, dum dixit Io: 5. *Hominem non habeo*, membris omnibus dissolutis, paralysi laborans, sustinuit? qui languor mærore summo confectum, maximis doloribus excruciatum, eum immobilem reddiderat? sed dicamus, quod maior pœna, quæ ei repetendo peccata, imminebat, erat diuini supplicij acrioris, quod recidiuantibus peccatoribus à Deo disponitur, & decernitur: peccatorum enim augmentum, diuinam ad maiorem pænam iustitiam, ob ingratitudinem saltem, interpellat; ideò Chrisostomus: *Cum his autem, & illud discimus; quod si grauem sustineamus pænam pro prioribus peccatis; deinde in eadem inciderimus, grauiora patiemur*.

> Reciduantibus maior pœna comminatur.

> Chris.

8 Æterna supplicia imminere ijs, qui in eadem frequenter scelera prolabuntur, comminatur, Sapiens Ecclesiast. 2. dicens: *Væ qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas*. Hæc particula, *Væ*, in sacris literis æternæ damnationis comminationem indicat; ac si inferre velit: Væ illis, qui in via diuinæ legis, quasi fatigati vlteriùs progredi renuunt, ac propterea ad relicta priora peccata redeunt, à quibus antea declinauerant: Væ igitur illis, qui hanc sustinentiam dereliquerunt; quocirca Deus permittit, vt ex vno peccato, in aliud prolabantur, quo ad, in sempiternos cruciatus deuoluātur, secundum illud Ezechielis 20. *Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, & ipse morietur*. Hoc offendiculum, meo iudicio est quodam deceptorium, quod vulgò dicitur, *Trabuchello*, quod arte ab aliquibus construitur, in quo mortis quędam instrumenta latent, quę cadentem in illud, iugulant, & trucidant: sic peccator, quia à via iustitiæ per peccatorum semitas per-

> Comminatio diuinæ iustitiæ recidiuantibus.

> Offendiculum mortis peccatori expositum.

perambulans, declinat, in his semitis vitiorum Deus ponit hoc offendiculum, in quo æternæ perditionis incurrit ille suppliciũ, vt Pſ. 140. *Cadent in retiaculo eius peccatores*; & D. Greg. hom. 11. super Ezechielem ait: *Iusto eum iudicio deserens, ponit ei offendiculum, vbi grauius impingat*. Sic ex eo inde, quo grauius peccat, grauius torquetur.

D. Greg.

Sed ex his, quæ mox apparent, indicia sumuntur; quemadmodum in morbo laterali, &c. tex.

§. V. Ex eo, quod in principio erumpentis culpæ apparet; spiritualis morbi quantitatem, & diuinæ animaduersionis euentus, in ægro peccatore, non inuerisimiliter auspicari possumus.

1 EX Philosophicis principijs habemus; quod ex præmissis in debita forma dispositis, conclusio necessaria sequitur, quam haud negare possumus. In argumento vitę moralis, euentus, & finis hominis, salutis, vel spiritualis interitus, in peccatore dicere possumus, quod pręmissæ sint, principiũ erumpentis culpæ, ideò quales pręmissæ, talis conclusio deduci potest: quare si forma hæc, est disposita in initio spiritualis morbi, vt peccator contritionis, & doloris statim signa edat, conclusionem breuitatis spiritualis morbi, deducere possumus; verum si aliter se habent præmissæ, absque contritionis, & doloris, seu pœnitentiæ forma, sed tantum obdurationis signa apparent; malæ indicationis, & diuinæ animaduersionis futuræ in peccatorem; non incongruè deducere possumus, conclusionem; quam ex præmissis diuinæ comminationis in peccatores animaduertens, D. Greg. Pap. hom. 5. in Euangel. intulit: *Quid ergo fratres charissimi, quid in eius iudicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis seculi, nec præceptis flectimur, nec verberibus emēdamur?*

Ex pręmissis, infertur cõclusio; quæ sint hæc in peccatore, ad cõclusionem æternæ salutis, vel interitus.

D. Greg.

2 Exemplificatur in morbo laterali, seu pleuritico, in quo ait Hippocrates, si in initio illius sputum apparet, si vrinæ, si sudores, & alui excrementa; conclusio ex his præmissis breuitatis, vel longitudinis morbi deduci potest; morbus lateralis dici potest luxuriæ peccatum, nam pleuritis est inflammatio inter membrana, quæ est inter costas, dicamus nos in renibus, quæ subiectum sunt luxuriæ, ideò Saluator Luc. 12. intulit: *Sint lumbi vestri præcincti*: vbi Greg. hom. 13. in Euang. ait: *Lumborum nomine luxuria designatur, cum Dominus dicit: sint lumbi vestri præcincti: lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*. Si igitur in initio spiritualis huiusce morbi, hæc pænitentiæ signa, vt diximus, produntur; breuitatem morbi concludere possumus; vt in vna Magdalena patet; quæ cum hoc luxuriæ maximo laboraret, morbo, vt Luc. 7. *Et ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix*; hoc agnito, ad salutis nostræ auctorem, & animæ medicum, statim accurrit, vt D. August. lib. 50. hom. 23. ait: *Nouerat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum idoneum esse, ad quẽ venerat, sciebat*; & vt ait D. Hier. in Matt. *Voce salutari expergefacta, festinauit ad vocem vocantis amicè*; & ecce in initio morbi, quæ pœnitentię humilitatis signa apparent. Sputum, dum vnguentum attulit alabastrum

Qui sit morbus pleuriticus moralis, & huius signa.

D. Greg.

Quæ signa, in Magdalenæ, pleuritico luxuriæ morbo, apparuerint.

August.

D. Hieron.

bastrum, vt Christi liniret pedes; vt Luc. 7. *Attulit alabastrum vnguenti*: Sudores apparent lacrymarum; hæ enim, sudores sunt animæ pęnitentis; Alui excrementa, capilli, qui ex superfluis corporis humoribus generantur, quibus Christi pedes lacrymis suis humefactos, detergebat: ecce signa pœnitentiæ, mox apparentia; quare ex his præmissis, breuitas morbi à Christo concluditur, vt Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; quare Hug. Victor. in quibusdam annotat. in Psal. 64. ait: *Christus vt ostenderet mansuetudinem suam, & paruicordibus daret fiduciam, appropinquanti, citò veniam indulsit; pœnam nullam indixit.*

Hug. Victor.

3 Sed liceat, hunc lateralem moralem morbũ ad luxuriã contractum, ad peccatum in communi, extendere; in quo signa conspiciẽtes pænitentiæ, vel aliter, tanquam ex præmissis inferre possumus conclusionem breuitatis, vel longitudinis spiritualis morbi; Sicut de Rege Ezechia dicitur, qui ad mortem infirmatus, vt Is. 38. a. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues*; ecce statim apparens sputum orationum, & sudores lacrymarum, vt ibidem: *Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominũ, & dixit: Obsecro Domine: memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim; & fleuit Ezechias*; ecce breuitas morbi, & salutis, & vitæ augmentum; quare statim respondit Deus per Isaiam ibi &c. *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas; ecce ego adijciam super dies tuos, quindecim annos*; sic in spirituali morbo peccati, hæc, in principio pœnitentię, signa ostendẽs peccator, peccati morbum abbreuiabit &c. si postea apparet producit, vt in Nabuchodonosor videre est &c. Ex eo etiam, quod in initio culpæ apparet, diuinæ misericordiæ, vel vltionis argumentũ potest desumi.

In Ezechia Signa orationum, & lacrymarũ in eius morbo apparentia, breuitatem morbi, quomodo indicauerit.

Considero igitur ex vna parte, primorum parentum culpam, in vetiti cibi transgressione, sub pœna mortis eis comminata, vt Gen. 2. *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*; à qua tamen pæna, peccando, immunes euaserunt; horum tantum terra, in laboribus sterilitate, damnata, vt Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo; In laboribus comedes ex cunctis diebus vitæ tuæ, spinas, & tribulos germinabit tibi*: Considero ex altera, horum primogenitum Cain, qui fratricidio deliquit; in quem inuehens Deus, maledicto mulctauit, dicens, vt Gen. 4. *Nunc igitur maledictus eris super terram*; modo quæro differentiam; quare Deus primis parentibus, sicut Cain, non maledixit? cum maior fortassis illorum, quam huius culpa videatur, vt potè primi parentes, qui erant; ex quorum culpa maior scandali occasio interuenire poterat; hic autem erat illorum filius; illi domini, hic sub horum potestate; Illi contra diuinum pręceptum peccauerunt; hic nullum habuit præceptum, in quo delinquere posset; Illorum culpa totam generis humani massam originalis peccati contagione infecit, huius autem simplex fratricidium, propriam tantum animam culpa commaculauit: quare ergo maledictio in Cain, non in primos parentes incurrit? ecce ex Hippocratis sententia horum differentia. *Sed ex his, quæ mox apparent inditia sumuntur*: In initio culpæ primorum parentum, statim contritionis, & confessionis signa apparuerunt. Interrogatus enim à Deo

Diuinæ clementiæ, vel animaduersionis signa, in initio culpæ.

Quare Deus Cain maledixit, non primis parentibus, in horum culpis.

Responsio, quia primi parẽtes suam, interrogati confessi sunt culpã, nõ Cain.

Deo Adam, dixit Gen. 3. *Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno, & comedi*; rursus mulier interrogata à Deo, Gen. 3. *Quare hoc fecisti?* suam culpam fatetur: Gen. 3. *Serpens decepit me, & comedi*; ecce confessionis sputa, statim apparentia, in laterali eorum peccati morbo; ecce sudores pœnitentiæ; quare, morbi spiritualis breuitatem, hæc præsagiunt signa; imò à mortis pœna eis comminata, eripiuntur; vt de Eua, ait D. Amb. lib. de Paradiso cap. 14. *Serpens decepit me, & comedi: Veniabilis culpa, quam sequitur professio delictorum; ideò non desperata mulier, quæ non reticuit Deo, sed magis confessa peccatum est*; Cain verò de culpa interrogatus à Deo, qui totum videt, Gen. 4. *Vbi est Abel frater tuus?* noluit suum confiteri peccatum; ideo ait Scriptura Genes. 4. *Qui respondit: Nescio*. Imò in culpa proteruus in confessione, obduruit, dicens, vt Gen. ibidem: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* cum hæc igitur malæ indicationis signa, in hoc laterali fratricidij morbo prodierint; mirum non est, si maledictionis illatæ Cain, non huius parentes ob culpam, sententiam subierit. Egregiè Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 25. *Ideo*, inquit, *nec maledixit ipsum Adam, & Euam, vt restitutionis candidatos, vt confessione releuatos: Cain verò, & maledixit; & cupidum morte luere delictum, mori interim vetuit, vt præter admissum, etiam negationis exemplo oneratum*.

Ambr.

5 Quia talia bonæ indicationis, contritionis, confessionis, & pœnitentiæ signa, in Dauide Deus animaduertit, in laterali morbo etiam diuini flagelli; ideò huius pænæ morbus breuis adiudicatus est. 2. reg. 24. Peccauit Dauid, dum iussit populũ numerari, & in pœnam peccati trium dierum populo pestilentiam indixit, quam sibi inter tria mala optione data à Deo, elegit Dauid: vt tex. 2. reg. 24. *Tribus diebus erit pestilentia in terra*; cum igitur tali Epidimiæ morbo, populus laboraret; & pestilentia magna ciuium, & habitantium cęde grassaretur; vt ait tex. *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt, ex populo septuaginta millia virorum*. Ecce in initio huius morbi lateralis, apparẽs sputum contritionis, & confessionis; dum dixit Dauid: *Peccaui valde in hoc facto, sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stulte egi nimis*: ecce talibus apparentibus signis abbreuiatur morbus; nam trium dierum flagellum pestilentię comminatę, vno die, & minus etiam terminatum est; nam videns Dauid angelum cedentem, pestilentiæ morbo populum; *Ego sum*, ait Dauid, *qui peccaui, ego inique egi, vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei*. sic sacrificio oblato, placatus Dominus à furore iræ suæ pepercit populo: *Et propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ex Israel*. 2. reg. 24. quare Origenes hom. 16. in Num. ait: *Tribus diebus promissa fuerat mors, vt vastaret populum, & intra vnum, vsque ad horam prandij, cessauit; quia patiens, & multæ misericordiæ, & pænitens super malitias dicitur, Deus*.

In pestilẽtiæ morbo, populo à Deo illatæ, quomodo Dauid hanc ab eo auertit.

Orig.

6 Pœnam, quam peccatoribus infligit, Deus, sub metaphora calicis, iam exposuit Dauid, Ps. 74. dicens: *Calix in manu Domini, vini meri; plenus mixto; veruntamen fex eius non est exinanita, bibent omnis peccatores terræ*. Sed quomodo dicitur hic: *Calix vini me-*

Pœna peccatoribus illata, sub metaphora calicis, quomodo exprimatur.

meri, plenus mixto? si est vinum merum, iam mixtum excludit; si calix plenus est mixto, non amplius est vini meri; quare meritò Euthimius hic: *Quomodo vnus, atque idem calix poterit, & merum, & mistum continere?* & quomodo, siue sit calix vini meri, siue mixti fecem continebit? Euthimius duos affirmat esse in manu Dei calices, ideo ait: *Quod in manu Domini est calix vini meri; & in eadem manu, est calix plenus mistione: & quod duo sint calices, patet clarius ex sequentibus: Et inclinauit ex hoc in hoc.* Verum si vnus est calix, dicamus, quod huius vinum merum, sit æterna beatitudo, vt ait Hug. Card. *Vini meri, idest iucunditatis æternæ*; quod Deus animabus sanctis propinat, vt idem Hug. ait: *Vini meri, quantum ad Sanctos, qui sunt in patria; plenus mixto, quantum ad sanctos, qui sunt in via, & in purgatorio.* Fex calicis Domini, pœna est inferni, quæ non exinanietur; quia perpetua erit; propinat igitur peccatori Deus calicem vini meri, dum ad eam, ad quam creatus est, beatitudinem inuitat; vt Cant. 5. a. *Comedite amici, bibite, & inebriamini carissimi*; de quo mero, etiam loquens Dauid, ait Ps. 35. *Inebriabuntur, ab vbertate domus tuæ.* Verum peccator ab hoc conuiuio æternæ dulcedinis, culpa declinans, à diabolo ad sensualium voluptatum epulas inuitatus, accurrens, à quibus declinare nos admonet Apost. ad Ephes. 5. d. dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: ecce istud vinum merum æternæ beatitudinis, in mixtum pœnarum vertitur, & commutatur, ideo subdit, *plenus mixto*, hoc est, pœnę, quas Deus infligit, non purę sunt, sed misericordia comiscentur; quia ad salutem percutit peccatorem; ideo ait Euthimius: *Mistio vini aqua, est mistio austeritatis misericordiâ*, & infra etiam ait: *De mensura meri supplicij effudit in mensurâ misericordiæ, vt misturam faceret, vtq; eâ in potum illis præbuit, qui, & leuius deliquissent, & adhuc essent medicabiles*; cùm aut peccator, hunc pænæ mixtum, pœnitentiam agendo, calicem non ebibit, in culpa obduratus, hunc mixtum misericordiæ, in fecem meri suplicij æterni, calicem conuertit: ideò dicitur: *Verũtamen fex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ*; quem suppliciorum ęternorũ Deus, vt iudex peccatori propinat; vt Euthim. *Per peccatores autem eos intelligit, qui à peccatis numquam conuertuntur*; quare quod beatitudinis merum, vel mixtum, vel fecem æterni supplicij bibiturus sit peccator, ex huius Deo inuitanti correspondẽtia, potest deduci. *Sed ex his, quæ mox apparent*, ait Hippocrates, *inditia sumuntur.*

Euthim.

An vnus, vel plures calices in manu Domini; & quomodo vinum merũ, mixtum, & fecem contineat.

Euthim.

Hug. Card.

Euthim.

Quomodo vinum mixtum, in fecem vertitur.

Euthim.

Hippcrat.

7 Deus totum indignationis suæ calicem in Israelem effundere decreuerat; hunc pestilentia, sicut hanc in eum immiserat, delendo; iuxta illud Hierem. 2. *Effudit, quasi ignem, indignationem suam*; verum tantum vini mixti, hoc est iustitiæ, misericordia, calicem effudit; nam orationis, & pœnitentiæ sputo apparente Dauidis, in hoc peccati ipsius, vt diximus laterali morbo; ecce fex eius, non est exinanita, non deuenit ad vltimum, & extremum supplicium calicis diuinæ iustitiæ simpliciter æternæ mortis, in eum effundendo, sed tantum mixtum pænæ cum misericordia, calicem effudit, vt Ambr. in versiculum hunc Psal. 74. *Plenus*, ait, *erat calix, cum mors per triduum mandaretur, sed occurrit misericordia Dei, tenuit manum angeli, priusquam calicem istum exinaniret.*

Ambr.

ret. Si verò poſtea appareat producit tex. quod videre eſt in Nabuchodonoſore Rege, vt Dan. 4. in quo, cũ circa morbi, hoc eſt peccatorum ſuorum pęnitentię, initium, ſputum contritionis, nõ apparuiſſet, ſed poſtea, mirum non eſt, ſi diuinę iuſtitiæ acceſſio produceretur, à qua orationis, & eius pœnitentiæ inde ſignis apparentibus, liber euaſit, vt Cyril. Ieroſolimit. cathecheſ. de pœnit. ait: *Cum agnouit Altiſſimum voceſque gratias agentes, ad Deum emiſit, & deuenit, ad eorumque patrauit, pœnitentiam, tunc reſtituit illi Deus Regni honorem.* Cyrill. Ierosol.

APHORISMVS TERTIVSDECIMVS.

Senes, facillimè ieiunium ferunt; ſecundo loco, qui ætatem conſiſtentem habent; minus adoleſcentes; omnium minimè pueri, præſertim, qui inter ipſos, ſunt viuidiores. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

DOCVIT in ſuperioribus Aphoriſmis Hippocrates, quæ, & qualis dieta competat ægris in morborum cura; quam à tribus intentionibus ſumẽdam ſtatuimus; videlicet, à viribus ægrotantis; à vi morbi; & ab acceſſionibus: nunc vt ſciamus, quænam ætates magis idoneæ ſint ad dietam ſuſtinendam; ad harum naturam, & vires in communi recenſendas ſe confert. A ſenili igitur ætate initium ſumit, & ad alias inde debito ordine deſcendendo, progreditur. Quadrifariã igitur diuidit hic Hippocrates ętatẽ, nempe in pueritiã, adoleſcẽtiam, virilitatẽ, quæ ſtat pro conſiſtenti, & ſenectã. Ab hac igitur incipiens diſcurſum, ait: *Senes difficillimè ieiunium ferunt*, quia frigidum horum corpus; nam quanto frigidiorem, & craſſiorem habent humorem, nec exercentur, vt ait Oribatius hic, tanto minor, his ineſt appetitus; vt qui ex ipſo humore nutriantur, & ob id, quia calidum minus habent, à quo diſſolutiõ prouenit, vt placuit Chriſtopharo à Vega; ideò tardiores incidunt in alimenti defectum; vt membra, quæ diſſolui poſſent, ſolidiora exiſtunt. Galenus in Comẽt. dicit facilitatem, & difficultatem tolerantiæ ieiunij, in duobus conſiſtere; primum quidem in non appetendo; qui enim tardiùs fameſcunt, facilius tolerant; ſecundum in nihil mali ſuſtinendo ex appetitu, & fame; idem Galenus ait, quod pueri magis appetunt, & longa inedia magis læduntur; ſenes autem è contra; mediæ verò ætates, quantum ſunt alteri horum proximiores, tanto magis, aut minus appetunt; atque in longis inedijs magis, minusve læduntur; quare ſubdit Hippocrates: *Minus adoleſcentes*, & inter hos, minimè pueri, qui maiori abundãt calore, maximè inter hos viuidiores, &

Medicina corporalis. Oribaſ. Quare ſenes difficillimè ieiunium ferunt. Chriſtoph. à Veg. Galen. Quę ſit cauſa tolerãtiæ ieiunij. Galen. Hippocrat.

ratio horum omnium in communi, ex participatione maioris, & minoris caloris, in his ætatibus proportion aliter sumitur; quo calore magis; & minus cibus ingestus concoquitur; & sic facilis, & difficilis ieiunij tolerantia, deducitur.

Ordo medicinæ spiritualis. Egimus, & nos de morali pœnitentiæ dieta, ægris pœnitentibus præscribenda, à spirituali medico, secundum illud S. August. in reg. (August.) *Carnem vestram*, inquit, *domate ieiunijs, abstinentia escæ, & potus, quantum valetudo permittit*. Quę quidem moralis dieta, cum à tribus intentionibus desumatur, à viribus ægri spiritualis; à statu morbi, hoc est culpæ læthalis, & à diabolicarum tētationum accessionibus, vt diximus; nunc vt sciamus, quænam ętates inter ægros pœnitentes, magis ad ieiuniorum, & pœnitentiæ dietam sustinēdam idoneæ sint; ad harum ætatum vires examinandas, deueniendum duximus; & incipiēdo à moralibus senibus dicam.

Senes facillimè ieiunium ferunt.

Pro senibus intelligo illos, non solum, qui ad canam annorum ętatem peruenerunt; sed etiam illos, (Medicina spiritualis.) qui ad maturā meritis ætatem, Dei obsequio mancipati, peruenerunt; (Morales senes, qui dicantur.) vt de sanctis Zacharia, & Elisabeth dicitur Luc. p. *Non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis*; ac si dicere vellet, quod non in virtutum via lassi otiabantur, sed per maiora sanctorum operum augmēta proficiscentes, plenam meritis canā attigerant ætatē, vti Chrysol. (Chrysol.) ser. 91. ait: *Sic describitur sacramentum senectutis; quæ nundum decidit meritis, non ætate deficit, sed procedit, nec sensit detrimenta corporis, quæ sumit augmentum virtutis*; sicut è contra senis nomine indigni sunt, qui senectam bonorum operum, & virtutum decore non ornant, vt August. lib. de 12. (August.) gradibus abutionis ait: *Secundus gradus abusionis est, si sine religione senes esse inueniantur, cui exterioris hominis membra veterascūt; vires animi, idest interioris hominis membra incrementa roboris non rapiunt: plus enī omnibus, religioni operam dare senibus conuenit*. Hi sunt, qui pœnitentijs dediti, facillimè ieiunia, & carnis mortificationes sustinent, vt ad literam exponit D. Basil. Episc. hom. 2. de (Basil.) ieiunio, qui ait: *Senibus assuetudo, & familiaritas, ab antiquo ad ipsum* (scilicet ieiunium) *leuem facit laborem*; ecce facilis tolerantia. Vel senectus potest considerari, non annorum decrepitate, sed virtutum, & bonorum operum maturitate, vt D. Gregor. lib. 2. mor. (D. Greg.) cap. 3. qui ait: *Senectus vera est maturitas sapientiæ*. Omnes, omnium generum ętates ad ieiunij dietam vocantur, vt D. Basil. loc. cit. (Basil.) qui ait: *Nemo ex ieiunantium catalogo se eximat, in quo omnia genera, & omnis ætas, & omnes ætatum differentiæ recensentur*; ideò (Omnis ætas ad ieiunium vocatur.) in capite ieiunij, S. Mater Ecclesia (S. Ecclesia.) Ioelis fundamento innixa, omnes ad ieiunium aduocat dicens: *Canite tuba in Sion: sanctificate ieiunium, vocate cætum, congregate populum; sanctificate Ecclesiam, coadunate senes; congregate paruulos, & sugentes vbera*. Ecce quomodo ad ieiunium, non solum extremæ ætates, scilicet infantia, quæ etiam ieiunium sanctificasse legitur, vt de B. Nicolao in Breu. Rom. sic habetur: *Nam infans, cum reliquos dies, lac nutricis sugeret, quarta, & sexta feria semel duntaxat, idque vesperi sugebat*; non solum (De B. Nicolai ieiunio in infantia.) hæc ætas, quæ vix vitæ viam ingreditur, & senectus, quæ à via vitæ egreditur conummerātur; sed etiam ætates mediæ includuntur;

maximè

maximè in illis verbis: *Vocate cætũ, congregate populum*; qui ex omni genere gentiũ conſtat. Ab extrema hac igitur ſenium ætate incipiens, moraliter ad rem noſtram, dicamus: *Senes facillimè ieiunium ferunt*. Senes in diuino obſequio, & famulatu iam antiquati, pro Dei amore pœnitentiarum, & mortificationum dietam facillimè ſuſtinent; tum quia, *ab aſſuetis non fit paſſio*, vt prouerbio dicitur, in ſanctis operibus, & laboribus exercitati: tum ob rationem naturalem, vt ita dicam, quia frigidum horum corpus, pœnitentijs attritum; vt de ſe ipſo D. Hieronymus refert in eius ſcriptis, in heremo conſtitutus: *Pallebant*, inquit, *ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore; & ante hominem, ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant*; & craſſiorem, & frigidiorem habent humorem, mortificationum; vt Apoſt. ad Galat. 6. g. *Ego ſtigmata Ieſu in corpore meo porto*; à quo nutriuntur, vt ad Philip. p. c. *Mihi viuere Chriſtus eſt*. Vel, quia calidum appetitum ſenſualium minus habẽt; quia, vt ait idem Hieronymus de ſe ipſo: *Repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam*. *Secundo loco, qui ætatem conſiſtentem habent, tex.* Illi videlicet, qui in via iuſtitiæ diù incedentes, ad hanc moralem ſenectam probis etiam virtutum, & mortificationum moribus acceſſerunt; vt Thren. 3. *Bonum eſt viro*, (ecce ætas conſiſtens, ſiue virilitas moralis) *cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua*. *Minus adoleſcentes*. Adoleſcentes morales ſunt, qui viam cæli iam arrepti; in hac celeri bonorum operum gradu, piæ mentis pede progrediuntur, vt ad Coloſ. p. b. Apoſt. ait: *Vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei*; ecce adoleſcentes: hi enim minùs facilè pœnitentiæ, & mortificationum ieiunium ferunt; quia magis à diabolicæ tentationis calore vrgentur, vt D. Aug. ſer. 246. de temp. ait: *Hæc pluribus, ac maioribus tentationum tempeſtatibus quatitur; hæc fluctuum crebriore impetu ſeculi innundantis operitur*.

D. Hieron.

Moralis virilitas, in mortificationum ieiunijs ſuſtinendis.

D. Hieron.

Moralis adoleſcẽtia, qualiter apta ad pænitẽtias.

August.

Omnium minimè pueri. Hi pueri iuxta aſſumptam moralium ætatum proportionem, dicemus eſſe illos, qui ſpiritualiter nouiter enati, in ſeruitute Dei puereſcunt; ſicut proficientes, adoleſcentes; perfecti, viri; & in operibus ſãctis conſumati, ſenes, ſtatuimus. Pueri ſunt, qui primos voluntario mẽtis ſuæ pede, in via Dei, mortificationum, & ieiuniorum, greſſus poſuerunt, & tanquam vireſcentes plantæ, in vinea Dei ad præferendos tempore ſuo, debitos iuſtitiæ fructus, creſcunt; vt Pſal. p. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*; debent mortificationum, & ieiuniorum irriguo, confoueri iuxta illud Baſilij, vt ſupra: *Pueri, velut plantæ virides, ieiunij aqua irrigentur*. Hi inter cæteras ætates, difficillimæ pœnitentiarum dietam ferunt; non ſolum, vt nouiter ſpiritualiter enati, Dei ſeruitio ferè inepti, ſicut nec aſſueti; ſed quia maximè diabolicarum tentationum, & ſenſus, quo naturaliter à bonis operibus perſæpe retrahuntur, calore maximo abundant; ideò Eccleſiaſt. 2. a. dicitur: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*: qui quidem moralis calor tentationum, facilè citòque diuinorum præceptorum cibum, à Doctoribus, & magiſtris, velut nutricibus

Ætas puerorum moralium, eſt in Dei famulatu incipientium.

D. Baſil.

Qualiter morales pueri, in via Dei; mortificationum ieiunia, non ſuſtineant.

cibus hauſtum, & in mentis ſtomachum ingeſtum, ad malum concoquit, & diſſoluit, vt Luc. 8. *Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum; ne credentes ſalui fiant.*

Maximè verò, qui inter ipſos ſunt uiuidiores; Hoc eſt, qui maiori ſenſus, & malitiæ calore aguntur; iſti enim mortificationum ieiunium, difficillimè omnium admittunt; ſecundum illud ad Rom. 7. *Video autem aliā legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Ex quibus aliquos poſſumus opportunos ad diſcurſum, paragrophos deducere.

Senes, facillimè ferunt ieiunium. tex.

§. I. In Dei famulatu, iam ſeneſcentes, mortificationum, & operum pęnalium pro amore Dei, facilè ieiunia ferunt.

Secundo loco, qui ætatem conſiſtentem habent &c. tex.

§. II. Ex graduatione moralium ætatum, in Dei famulatu, maior, & minor ſufferēdarum mortificationum virtus detegitur, & experitur.

Senes, facillimè ieiunium ferunt. tex.

§. I. In Dei famulatu, iam ſeneſcentes, mortificationum, & operum pęnalium, pro amore Dei, facilè ieiunia ferunt.

1. NON eſt mirum, quod morales Dei ſenes, facillimè, mortificationum ieiunia ferant; dicitur enim prouerbio: *Ab aſſuetis non fit paſſio*: hoc in boue experitur, *& ſi ſit non tantum*; qui à iugo primò preſſus, tale inde, huic aſſuetus, vt leue, tam graue, fert onus. Mithridates venena ſolitus ebibere, venenoſa inde pocula, non verebatur. Capra amarum aſſueta deguſtare ſalicem, amaritudinem illam, inde vt dulcedinem deglutit; hinc eſt, quod ingenioſi, huic Schemati, capræ comedentis ſalicem, talem inſcriptionem appoſuerunt: *Mihi dulce*. Sic iuſtus qui ad canam Sanctorum operum ſenectam, & ætatem deuenit, vt rationale Dei iumentum, vt Pſ. 72. d. *Vt iumentum factus ſum apud te*; qui Dei ſe ſeruituti mancipauit, & mortificationum iugum ferre didicit, tali parum inde grauatur, & pręmitur onere; qui pœnitentiæ, & pœnarum venena, ac alius Ioannes innocētia, innoxiè *ebibit*; vt piùs Mithridates, aduenientium paſſionum, venenata pocula non formidabit; qui amarum dolorum, & afflictionum ſalicem pro amore Dei edere conſueuit, hunc, vt dulcem quoque deguſtabit, cibum.

Quomodo ab aſſuetis non fiat paſſio.

2 Hinc non miror, quod S. Andreas ætate quidem ſenex, ſed ſanctis ſenior moribus; ad mortem ductus, meliùs dicam ad martyrium pergens, quia vltrò, ad crucem, cui configendus erat, proceſſit; in hanc, eleuans oculos, exultabundus exilijt dicens: *O bona crux, diù deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata*; ſed quomodo Andreas bonam appellat crucem, quæ mortis redolet amaritudinem, vt Eccleſiaſt. 41. a. *O mors, quam amara eſt memoria tua?* quomodo amabilis, quæ vt vltimum terribilium ab hominibus abhorretur, & reprobatur? quomodo deſiderabilis, quæ maledicti figuram defert, vt ad Galat. 3. c.

Quomodo S. Andreas, à longe videns crucē ſibi præparatam, exultet.

3. c. *Maledictus omnis, qui pendet ligno?* Sed mirum non videatur nobis, quod Andreas bonam appellauit crucem; erat enim discipulus Christi, quem, cum fratre, vocatus, secutus erat, vt Matth. 4. *Et continuo secuti sunt eum*; sed quomodo, quis debet sequi Christum, & hunc secutus est Andreas? ipse Christus eum sequendi, formam dedit, dicens Matth. 16. *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: Christus præit crucem ferendo, vt dux, & magister; fidelis igitur Christi, & discipulus, Christum sequi cupiens, & ipse crucem ferre debet, quare subdit Christus: *Tollat crucem suam, & sequatur me*: cum igitur Andreas, talis fuerit Christi miles, & discipulus, qui Christum primus est secutus, mortificationum, & passionum crucem ferendo, vt Apost. 2. Cor. 4. *Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes*; vt ait D. Hieronymus hic: *Semper enim nos, qui uiuimus, in mortem tradimur*; cum ab assuetis non fiat passio; mirum igitur non est, si ad passionem ductus, crucis pœnam, vt gloriam; martyrium vt solatium; crucem sibi vt triumphum ducat; vt Act. 5. g. *Ibant*, Apostoli, *gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sũt pro nomine Iesu contumeliã pati*.

Crucem appetebat Andreas, vt Christi discipulus, crucem passionum pati assuetus.

D. Hieron.

3 Diuino seruitio mancipatis, & pœnitentijs assuetis, pænarum amaritudo dulcescit. Victoriam in Pharaonem, cum Moyses cecinisset, Israelitico populo à mari educto, cum solitudinem quandam desertam perambulassent, ait textus Exodus 15. d. *Non inueniebant aquam, & uenerunt in Marath, neque poterant bibere aquas Marath, eo quod essent amaræ, undè & congruum loco nomen imposuit*: Populus Israel ad Moysem conuersus murmurabat, pro aquarum exigentia, dicens: *Quomodo bibemus?* at ille clamauit ad Dominum; qui ostendens lignum, quod ab eodem Moyse in aquas positum, hæ in dulcedinem versæ sunt; sic proportionaliter dicere possumus, de pænitentiæ ieiuniorum, & mortificationum aquis; quas pœnitens expansis suæ spei velis; Spiritus sancti flatibus, in huius Mundi mari enauigat, vt ad portum æternę fęlicitatis perueniat; vt Act. 14. d. *Per multas tribulationes oportet introire in Regnum Dei*: istæ aquæ pænarum, Marath dici possunt, eo quod amaritudinem redolent, & referunt; verum iustus, est hoc sanctum morale lignum, in vinea Domini plantatum, vt Psal. 1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*, quod tribulationum, & mortificationum aquis immersum, per operum pęnalium continuationem; hæ ei pro amore Dei dulcescunt, & libenter illis assuetus sustinet, vt Prou. 27. a. 7. *Amarum pro dulci sumet*.

Aquæ Marath ex immersione ligni per Moysem, dulcescunt, sic iustus, velut lignum mortificationũ aquis imersus &c.

4 Dei seruituti diù mancipati, diaboli, & aduersariorum insultibus viriliter obsistunt, vt videre est in sancta illa muliere Susana, vt Dan. 13. Et quomodo potuit hæc senum illorum intemperantiam euincere; libidinosas insidias superare, ab eorum, se eripere petulantia, & liber euadere? quomodo mulier sexu fragilis, iuuenis, pulchra, & naturę labilis; se ab illorum senum insidijs proripuit? nisi quia iuuenis ætate, virtutibus senex, in Dei famulatu ieiunijs, & mortificationibus assueta, à suis parentibus educata, in pænitentijs, & operibus sanctis, callum obduxerat; ideò licet iuuenis, sexu fragilis, & naturæ labilis, eorumdem senum insultibus facilè obstitit, *Senes facilimè*

Susana à parentibus piè educata, senũ petulantiã potuit effugere, & superare.

it-

ieiunium ferunt; ideò ait tex. Dan. 13. *Parentes enim illius cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem, Moysi*.

Secundo loco, qui ætatem consistentem habent &c. tex.

§. II. Ex graduatione moralium ætatum, in Dei famulatu, maior, & minor sufferendarum mortificationum virtus detegitur, & exprimitur.

Diuersa pisciũ genera, quorum alij procellosum mare apetunt.

1 PHilo Iudæus lib. de opificio mundi, diuersa piscium genera commemorat: quidam enim sedatum, & tranquillum mare desiderant: alij verò procelloso delectantur, & more ludentium de imminenti fortuna colludunt, atque huc, & illuc cursitant: & horum hæc est differentia, quod isti maiores sunt, & pinguiores; illi verò minores, & graciliores: rursus sunt quidam pisces, qui scopulis propè litora adhærent; nec longè à terra abscedunt; alij verò semper alta petunt, verba Philonis: *Quadam enim genera piscium amant palustre, & vadosum mare; quadam cloacas, & portus, qua neque in terram properare, nec longè à terra natare valent, quadam in alto mari degentia, vitant promontoria, in id procurrentia; & insulas, & scopulos, & alia securitate tranquillitate delectantur; alia fluctibus, & tempestate, nam continuis iactationibus excitata, & vi contra impetum reluctantia, firmiora euadunt, pinguescuntque amplius*. Hæc omnia si ad sensum moralem reducimus, dicendum erit proportionaliter, hos pisces, diuersa hominum genera designare, vt Abac. p. *Facies homines, quasi pisces maris*, diuino seruitio mancipatorum; quorum alij maiores sunt, vt morales senes, vti diximus in Dei famulatu inueterati, hi enim procelloso pænitentiæ, & mortificationum delectantur pelago, vt Apostol. 2. Corin. 12. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis*: & sicut desæuientes procellæ corpora piscium adfluctus perferendos obdurant; ita diù toleratæ pœnitentiæ, & mortificationum difficultates, magis faciles, ad alias sufferendas reddunt. Sed notate Apostoli dictum: *Libenter igitur*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis*; Sed quia hæc coniunctio, *igitur*, illatiua est, prius præmissas præsupponit; & quæ sunt hæ præmissæ, in antecedenti capitulo 2. Cor. 11. adnotauit, dicens: *In laboribus plurimis in carceribus abundantius; in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, & paulo post addit: *In laboribus, & arumna, in vigilijs multis: in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate*; ecce fluctus quos pertulit mortificationum; quare postea ex his præmissis, in consequentia succedentium tribulationum exilijebat: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis*. Alij minores morales pisces iam in mortificationum via proficientes, in Dei famulatu sæpe exercitati, etiam forti animo calamitates, & mundi pressuras inde patienter perferunt, ex habitu iam in adolescentia contracto, vt Thren. 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua; bonum est viro*; ecce ætas moralis consistens, siue virilitas; *cum portauerit iugum*, ecce in seruitio Dei, diu exercitatus mortificationum iugum ferre assuetus; in huius inde onere sustinendo non prægrauatur, ait enim Christus Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*; sed quomodo onus, leue; si Matt. 7. dicitur:

Philo.

Pisces maiores, & minores, in maiori, & minori Dei seruitio exercitati; sic magis, & minus sustinent pænalitates.

Horum moralium piscium diuersitas, in pænarũ fluctibus sustinẽdis.

Quo modo iugum Christi suaue, & onus eius leue.

Arcta

Arcta est via quæ ducit ad salutem? sed dicamus grauia hæc mortificationum onera esse incipientibus; proficientibus verò, qui pro amore Dei, hæc onera sustinent, leuia redduntur; quare Rabanus hic, ait: *Sed quomodo iugum Christi suaue, cum supra dicatur Arcta est via, quæ ducit ad vitam? sed quod angusto initio incipitur progressu temporis ineffabili delectationis dulcedine, dilatatur.* Alij sunt morales pisces his nominatis, adhuc inferiores, isti sunt in Dei seruitio incipientes, morales adolescentes, siue etiam pueri; qui vt pisciculi graciles, non longè à sensualium voluptatum litore abscedunt, sed amoris terreni ferè scopulis adhærent; hi in mortificationum turbinibus ad ima timoris deijciuntur; in pœnitentiæ fluctibus mente fluctuant, & animi infringuntur viribus.

Raban.

2 Obseruo adolescentem illum, qui perfectionis viam, quę ad cælum ducit, carpere exoptans, à Saluatore nostro audiens, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo,* & inde etiam sequitur, *& sequere me,* quod per mortificationum semitam, vt diximus, intelligitur; huic voci, non benè adaptato cordis aure, egrè paupertatis, & mortificationum hunc sonum audiens, à Christo recessit; quare, subdit textus, vt supra: *Cum audisset autem adolescens verbum, abyt tristis;* secus verò Petrus, & Andreas, qui senes erant continuò, vt diximus, secuti sunt Christum; vt disceremus, quod morales senes, quorum Petrus, & Andreas figuram gerebant facillimè ferunt mortificationũ ieiunium; ideò statim ad Christum accurrerunt; difficulter verò adolescens incipientium figuram deferens; ideò D. August. Episc. ad Paulum, & Therasiam ait: *Secundum historiã autem iste adolescens laudabilis quidem est; quia non occidit; non adulteratus est; vituperabilis autem, quia contristatus est in verbis Christi, vocantibus eum ad perfectionem. Adolescens quippe erat, secundum animam, & propterea relinquens Christum, abyt.* Sed de his moralibus adolescentibus, & pueris in sequenti aphorismo, meliùs explicabitur.

Differentia senum, & adolescentũ ad sequendum Christum.

D. Augst.

APHORISMVS QVARTVSDECIMVS.

Qui crescunt, plurimum habent calidi innati; plurimo igitur egent alimento; alioquin corpus absumitur. Senibus verò parum calidi innati inest, paucis præterea fomitibus egent; quia à multis extinguitur: hanc ob causam, febres senibus non similiter acutæ fiunt; frigidum enim horum corpus. tex.

HIppocrates in præcedenti aphorismo exposuit ætates, quæ facilè, & difficilè ieiunium ferunt, in præsenti modò reddit rationem, quæ est; secundum quod maiori; & minori vigent calore; vt de senibus viris, adolescentibus, & pueris demonstrauit: nunc ad rationem, & causam dictorum exponẽdam propius accedit; à pueris, & adolescentibus incipiens; sicut à senibus in antecedenti desumpsit exordium; deindè ad senes transfert consequentiam; de horum omnium calore agendo, & de eorundem pariter maiori, vel minori cibi necessitate: ideò ait: *Qui crescunt &c.* Ponit hic Hippocrates in præsenti aphorismo, duo antecedentia; ex quibus deinde infertur consequentia. Primum igitur antecedens tale est: *Qui crescunt plurimum habent calidi innati*; ex quo antecedente deducit consequens, dicens: *Plurimo igitur egent alimento*: deinde probat consequentiam, his verbis: *Alioquin corpus absumitur*. Secundum antecedens est: *Senibus verò parum calidi innati inest*; ex quo antecedente, duo infert cõsequentia; quorum primum est; *Paucis propterea fomitibus egent*: secundum verò consequens est: *Hanc ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt*; cuius rei infert rationem, dicens: *Frigidum enim horum corpus*.

Ordo medicinæ corporalis.

Medicina corporalis.

Qui crescunt &c. hic de infantibus pueris, & adolescentibus sermonem habet: has enim ætates semper propriè augmentum suscipere manifestum est; dum enim adulti pinguiores fiunt, & crassiores, non verè augentur, quia non augentur secundum omnes dimensiones; ideò illa pinguedinis, & carnium augumentatio, propriè dicitur, *iuxtapositio*, & non augmentatio, vt sensit Sanctorius: *Plurimum habent calidi innati*; hoc est naturalis caloris non adscitij, seu ab horum natura non extrinsecus elargiti, qui quidẽ innatus calor ab animalis semine procedit, vt ait Io: Marinellus, ex mente Hippocratis, in lib. de ae. aq. & loc. dicentis: Semen animalis, decidit ab omnibus corporis partibus, in vterum; ibique fœtus formatur, nutritur, augetur à calore; qui in semine inerat, & in sanguine ab anima

Declaratur termini; quomodo intelligatur hoc verbum crescere.

Sanctor.

Quid sit calidum innatum.

Io: Marinel. Hippocrat.

Quare pueri plurimo egent alimẽto.

Hippocr.

Io: Marinel.

Sanctor.

anima vegetante, recto. *Plurimo igitur egent alimento.* Puer enim, vt ait Hippocrates in lib. de dieta, ex calidis, & humidis temperatus est, quia ex his constitutus est; & in his augmentum accepit, sic Io: Marinell.; cum igitur calor innatus, vt ait Sanctorius, semper occupatus sit, idest in absumendo humidum, cuius causa corpus magnã patitur difflationem; ad hanc reparandam, necesse est alimentum subministrari; sic cum pueri plurimum habeant calidi innati, & etiam in se humiditatis, & per consequens difflationem; copiosiori quoque egent alimento; ideò Galẽ. 7. de tuend. sanit. 6. vult alimentum proportionari difflationi, ac quantitatem nutritionis à quantitate difflationis coindicari, & probat consequentiam dicens: *Alioquin corpus absumitur*; nam calor ageret in adipem, deinceps in carnosam substantiam, & tandem in membranosam; & hac ratione per resolutionem tabesceret, ac interiret. *Senibus verò parum calidi innati inest*; quia, vt ait Sanctorius hic, horum humiditas natiua, quæ est caloris subiectum, est ferè resoluta, seu exsiccata ab ipso calore; ex quo antecedente, duo deducit consequentia; primum quod ait: *Paucis propterea fomitibus egent*; hoc est alimentis; ideò antecedentis aphorismi sententia comprobatur quod: *Senes facillimè ferunt ieiunium.* Demum ponit probationem consequentiæ, inquiens: *Quia à multis extinguitur*; quod Galenus declarat exẽplo flammæ; cuius oleum est alimentum; quod si illud totum vna superfundatur, suffocatur, & extinguitur potius, quã nutriatur: sic cum in senibus paruus calor vigeat, si alimenta multa simul, quæ eiusdem caloris fomenta sunt, apponantur, ipse calor ex-

Galen.

In pueris ex alimẽti defectu, vita horum quoque deficeret.

Senes ob paruum calorem, paruo quoque egẽt alimẽto.

Galen.

tinguetur: Infert deinde secundum consequens: *Hanc ob causam, febres senibus non similiter acutæ fiunt*; cuius rationem subinfert: *Frigidum enim horum corpus.* Non fiunt febres acutæ in senibus, quia vt ait Galen. 7. col. 2. *Febris fit ex conuersione caloris innati ad igneam naturam.* Et vix videtur quod possit in senibus fieri tanta conuersio calidi innati ad igneam naturam, quæ sit æqualis ei, quæ iuuenibus accidit; quod si fortè hoc accidet, quod paruus calor attollatur in inmensum, interitus signum est: nam senes non febricitant, vt iuuenes, & si febricitant, mortale.

Quare in senibus non fiunt febres acutæ, vt in adolescentibus.

Galen.

Quomodo febres fiant.

In immediate antecedẽti aphorismo egimus, & nos de moralibus senibus in Dei seruitio consumatis, qualiter facillimè mortificationum ieiunium sustineant, & de alijs, his senibus, pænitentijs assuetis proximè accedentibus &c.; Et quomodo pueri, & adolescentes hoc est in Dei via incipientes, & proficientes talia non ità facilè pœnitentiæ ieiunia ferant nunc in præsenti aphorismo, præcedentis sententiam confirmantes, causam, & rationem in medium adducimus; qualiter senes facillimè, minus verò pueri hæc moralia ieiunia sustineant, & ab his pueris, & adolescentibus initium sumentes, dicimus.

Ordo medicinæ spiritualis.

Qui crescunt plurimum habent calidi innati. Hoc relatiuum. *Qui*, additum verbo hoc, *crescunt*, ad infantes pueros adolescentes, qui siuè physicè, siuè moraliter, siue ætate, & corpore, siuè mente, & habitibus, augmentum suscipiunt, transferre non inuerisimiliter possumus; cum crescere propriè dicatur de eo, qui paulatim fit maior; sic homo cum corpore, ætate, virtute, mente maior fiat, rectè puer, seu adolescens, tam incipiens, quã proficiens, tam physicè, quam mo-

Medicina spiritualis.

 raliter,

raliter, in Dei obsequio crescere dicetur; & de vtroque augmēto, Luc. 2. g. habetur: *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*, vbi Græcus, vt in Cat. aur. D. Th. explicat: *Proficiebat ergo*, ait, *secundum ætatem quidem corpore in virilem statum promoto; sapientia autem per eos, qui ab eo diuina docebuntur*. Crescere autem moraliter potest homo, secundum bonæ voluntatis propositum, vt Ps. 83. b. *Ascensiones in corde suo disposuit*; vel opere per virtutum actuale incrementum, vt eodem Psalm. *Ibunt de virtute in virtutem*: sic crescere, in virtute, & bonis operibus intelligunt, D. Basil. exac. hom. 11. Origen. super Luc. hom. 11. Hylar. super Psalm. 66. Ambr. de Noe 24. & super p. Cor. 3. qui igitur in Dei famulatu hoc modo crescunt, plurimum habent calidi innati, hoc est Spiritus sancti, qui diuinus ignis est, vt Deut. 4. *Deus tuus ignis consumens est*, feruore aguntur; à quo tale suscipiunt incrementum, vt p. Cor. 3. c. *Neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*: *Plurimo egent alimento*, hoc est diuinæ gratiæ, & orationum debēt cibo corroborari; ne à tali incremento deficiant, & in via Dei, vt 3. reg. 19. c. dictum est Eliæ: *Surge, & comede, grandis enim tibi restat via*; tum etiam, vt Diabolicis tentationibus valeant obsistere, à quibus acriter Deo dicati, impugnantur; vt Ecclesiast. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & tremore, & præpara animam tuam ad tentationem: Alioquin corpus absumitur*; hoc est nisi debitis orationum, & sacramentorum subsidijs, horum animæ præmuniantur, facilè deficiunt, & in culpam labuntur; hinc est, quod Christus Luc. 22. dicebat: *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum; ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides tua.*

Græc. D. Thom. — Basil. Orig. Hylar. Ambr.

Vel secundo possumus explicare Aphorismum sic, quo ad literā: *Qui crescunt*, hoc est pueri, & adolescentes, *plurimum habent calidi innati*; hoc est naturalis appetitus, propendentis ad malum, vt Gen. 8. d. *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*; & clarius etiam sub nomine caloris harum ætatum crescentium sensuales appetitus explicat D. Ambr. de Vid. lib. p. dicens: *Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum, feruore calentis inflammatur ætatis*; & sicut calor natiuus à semine generantis in fœtum transfunditur; sic natiuus originalis culpæ, à primo parente in nostræ conceptionis exordio, calor, in nos diffunditur, vt Ps. 50. *Et in peccatis concepit me mater mea*; quare cum maximo hoc naturalis propensionis ad malum illi, calore ferueant, & maximas quoq; habeant dissolutionū, vanitatum, & concupiscentiarum, difflationes; plurimo quoque sanctorum præceptorum, & bonæ educationis, & correctionis egent alimento; nam ait D. August. de fin. *Correctio est, errorem innatum, vel cōsuetudine factum, fræno rationis inhibere*; ad quod adhibendum, parentes hortatur Sapiens, vt Ecclesiast. 7. c. *Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia eorum. Alioquin corpus absumitur*: quod si pueris, sensus laxantur habenæ, vt indomitum iumentum hi, diuinis, & humanis legibus recalcitrantes, in æternæ mortis inde dilabuntur præcipitium; vt Ecclesiast. 3. d. *Si non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua mala; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius*, de

In malo crescere est naturę propendentis ad malum. — Ambr. — Quomodo propensio hominis ad malū, & originalis culpa dici possit natiuus calor. — August.

Senes morales, qui in Dei famulatu, bonorum operum annos cōsumpserunt.

de manu tua requiram. *Senibus verò parum calidi innati inest*. *tex.* Hæc est secunda pars præsentis aphorismi, duabus associata consequentibus &c. Senibus hoc est in Dei famulatu consumatis, virtutum, & sanctorum habituum senio confectis, parum calidi innati inest; hoc est torrenorum affectuum, & sensualium passionum, & concupiscentiarum; quia Apost. ad Gal. 5. *Qui autem sunt Christi*, ait, *carnem suam cruci fixerunt, cum vitijs, & concupiscentijs*; & ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, vbi Ber. *Non solum mortuus mundo, sed & crucifixus; quod est ignominiosum genus mortis: omnia quæ mundus amat crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, diuitiæ, vana hominum laudes: quæ verò mundus reputat crucem, illis affixus sum; illis adhæreo; illa toto amplector affectu*. Quare subdit Hippocrates consequens: *Paucis propterea fomitibus egent*; hoc est increpationum, correctionum, vt Timoth. 5. *Senem*, ait, *ne increpaueris, sed obsecra vt patrem*; & bene etiam D. Gregor. in pastor. ait: *Iuuenes plerumque seueritas admonitionis ad profectum dirigit; Senes verò ad meliora deprecatio blãda componit*. *Quia à multis extinguitur*; calor enim malæ inclinationis, à natura insertus, & sensualium affectuum, & passionum, à multis pœnitentiæ ieiuniorum, & mortificationum fomitibus extinguitur; vt Apost. p. Cor. 9. d. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*; & de se ipso D. Hieronymus loquens, infert: *Repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam*. *Hanc ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt*; hoc est huiusmodi morales senes, non ab acutis febribus, hoc est à pleuritide luxuriæ; à peripneumonia inuidiæ; à phrenitidi ambitionis; à febre ardente iræ, & vindictæ; quæ febres exuberantem sensualium passionum in se calorem continent, sicut adolescẽtes, vt diximus, corripiuntur. *Frigidum enim horum corpus*; in his enim diuturnus, & continuus mortificationum, & pœnitentiæ rigor, senibus, vitiorum, & noxiorum affectuum, flammã consumpsit. Ex quibus, aliquos tantum ad discursum opportunos, paragraphos depromemus.

Mortificationum frigus vniuersaliter vitiorum calorẽ edomat.

Bern.

Greg.

Hieron.

Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento. *tex.*

§. I. In via Dei crescere, & proficere, est Spiritus Sancti donum. Quare peculiari diuinæ gratiæ auxilio opus est, ne quis deficiat.

Qui crescunt plurimum habent calidi innati; plurimo igitur egent alimento. *tex.*

§. I.I. Pueri, & adolescentes, cum plurimo sensus, & propensionis ad malum calore vigeant, plurimo quoq; bonæ educationis egent alimento.

Alioquin corpus absumitur. *tex.*

§. III. Bonæ educationis à pueritia subtractio; eidem in maximum vergit detrimentum.

Qui

Qui crescunt plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento. tex.

§. I. In via Dei crescere, & proficere est Spiritus Sancti, donum: Quare peculiari diuinæ gratiæ auxilio opus est ne quis deficiat.

Spiritus sancti donum, quodammodo calor nobis innatus, quomodo dici potest.

1 Spiritus Sancti donum, calorem in primis affirmare posse crediderim; siquidem Apostolis in igne apparuit, vt horum corda in diuinum amorem, & in animarum salutem magis inflammaret, vt Act. 2. a. quinimmò quodammodo nobis innatum eundem calorẽ dicere non erubuerim; nam sicut in temporali, seu carnali generatione, calor innatus, vt in medicina corporali &c. ex animalis semine in vterum transfuso, quo fœtus formatur, nutritur, & augetur, procedit; sic in generatione spirituali, Spiritus Sancti calor, nobis infunditur, quo in filiationem Dei cooptamur, secundum illud Psal. 81. d. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes*. Et ab hoc sancto calore augmẽtum sumimus in bonorum operum progressu. Et ne existimetis, hoc à me gratis dictum, in spirituali animæ nostræ generatione, hoc videamus: Dũ enim anima nostra in sacro fonte, per fidem in Deo generatur; Ecclesiæ minister in faciem pueri ter efflat, Spiritum Sanctum, infundens, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum*; sicut in faciem Adę, Deus, vt Gen. 2. b. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*; sic quodãmodo in hac generatione spirituali nostra, dici potest; quod sit, hic Spiritus Sancti calor innatus, quo inde in via cæli, in bonorum operum augmento procedimus, vt p. Cor. 3. ait Apostolus: *Neque qui plantat est aliquid; neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*.

In baptismo Spiritus sanctus in infãtem infunditur; sicut spiritus, in hominis formatione, à Deo.

2 Quod vt nobis clarius pateat, dicamus cum D. Io: cap. p. *Dedit potestatẽ filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius*; sed quomodo credens in Deum filius Dei efficitur? subdit D. Ioannes: *Qui neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Qui nascitur ex Deo, filius Dei est; ideò Psal. 81. d. *Dixi vos Dij estis, & filij excelsi omnes*; ergo ex Spiritus Sancti semine, hoc est obumbrante virtute; sed quomodo? nunquid generatio nostra, filij Dei generationi similis erit? ità profectò, sicut nõ ex humano semine, sed ex mistico spiramine Verbum caro factũ est, vt Luc. p. vbi Angelus apparens Mariæ Virgini dixit: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*; sic spiritualis nostrum generatio, quæ à Deo est, Spiritus sancti subministrante virtute, efficitur; ideò ait textus: *Non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*; hoc est in Spiritu sancto, qui, in nos in baptismate in spirituali generatione efflatur; quare Beda: *Carnalis enim singulorum generatio à complexu coniugij duxit originem; at vero spiritualis, spiritus sancti gratia ministratur*; ecce calor inatus Spiritus sancti; ex hoc igitur innato calore bonorum operum augmentum sumimus; quod est principale intentum. *Qui crescunt*, igitur *plurimum habent calidi innati*.

Qualiter per fidẽ filij Dei efficimur.

Generatio spiritualis animæ, spiritus sancti subministrãte virtute efficitur.

Bed.

3 Sanctissima Virgo Mater Dei, in eiusdem filij Dei incarnatione, ait Euangelista, quod statim in Mõtana ad inuisendam S. Elisabet

cum

cum festinatione perexerit, Luc. p. *Exurgens autem Maria, abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zacharia, & salutauit Elisabeth*; quæ ab Angelo salutatur, ad Elisabeth se salutationem transfert: pergit ad montes, quæ ad æternitatis colles, mentem attollebat: montes conscendit, quæ ad ima humilitatis descenderat: Altum petit, quæ illum, qui in altis habitat, incarnatum in se recepit: pergit, & festinanter ascendit, quæ illum genuerat, cuius nomen celeritas est, vt Isai 8. a. *Voca nomen eius, accelera*: Corpore, ad montana tendit, quæ animo ad cęlestem semper tendebat Olimpum: Quæ Verbum diuinum conceperat, ad Ioannis properat sanctificationem. Sed quomodo potuit puella, licet vxor, pregnans licet Virgo; ætate tenella, hyemali tempore, tam longum, & laboriosum iter carpere? partus, qui prægnãtem deprimit, & aggrauat, agilem reddit matrem? Sed hoc non mirum; non carnalis enim sed spiritualis conceptus; non hominis, sed Dei; humanam naturã assumentis; non humano interueniente semine; sed Spiritus sancti operante virtute; ideò non aggrauat conceptus corpus, sed à grauitate subleuat; non segnem otio, sed insignem opere, reddit: Deum in se recepit, qui ignis diuinus est, vt Deut. 4. *Deus tuus ignis consumens est*, ideò non poterat otiosa Virgo commorari domi, sed vigilans domo ad montana egreditur: exurgens, in charitatis flammam, consurgit ad santificationem Ioannis: *Exurgens autem Maria abijt in montana*. Sancti Spiritus calorem recepit; ideò brumalem hyemis non timet rigorem. In se viam vitæ conceperat, vt Io. 14. a. *Ego sum via veritas, & vita*; ideò longo, & laborioso non fatigatur itinere: properabat mater, vt diuino Verbo alienum, sibi tamen sanguine coniunctum, sanctificaret, filium: Auctor gratię ad futurã Gratiam defertur; Verbum diuinum, vt suam in Ioanne, sanctificaret, vocem; vt Orig. *Iesus enim, qui in vtero illius erat, festinabat, adhuc in ventre matris, Ioannem positum, sanctificare*. Sed si intimius causam, inquiramus, quare puella, pregnans, tempore hyemali, propria discesserit domo, in montana perrexerit, tam arduum laboriosum ad sanctificationem Ioannis, carpserit iter, est, quia Spiritus Sancti prius fuit fœcundata calore, & diuino repleta verbo, quare non pregnantium ordinem sequitur, onerata partu, sed à partu subleuata celer ad sanctificationẽ properat Ioannis; quare tantæ rei nouitate commota admiratione Elisabeth, hoc miraculo adscribit, ait, vt D. Ambr. lib. p. Comment. in Luc. c. p. *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me; miraculum sentio, cognosco mysterium; Mater Domini, Verbo fœta, Deo plena est*; ideò Spiritu Sancto plena ascendit montana, vt disceremus, quod nostræ mentis in Deum ascensus, & progressus, est à Deo, nostrorum bonorum operum largitore.

Maria Virgo, quomodo mater Dei effecta, ad mõtana pergit, vt sanctificetur Iouãnes

Maria Virgo, festinat in montana Spiritus sancti calore, inflammata.

Orig. A

Spiritualis partus non aggrauat, sed subleuat corpus ad progressus Sactos.

Ambr.

4 Bonorum operum progressus virtutis habitus sunt, & sicut ex frequentatis pluribus actibus generatur habitus; sic ex multis bonorum operum gressibus, quibus in via cæli fideliter incedimus, virtutum generantur progressus: cum igitur gressus hominis sint à Deo, vt Aug. Ps. 36. *A Domino gressus hominis*, ergo, & progressus Puer enim tenellus, qui nundum ambulare didicit, dum tentat gressus, & stare dum credit, ad lapsum inclinat, nisi matris, vel nutricis fulciatur auxilio;

Augst.

Bonorum operũ gressus, & progressus in via Dei, à Deo.

lio; quare dicere possumus; à nutrice pueri gressus diriguntur, non secus anima quacumque virtute, & viribus polleat, à cæli via ruere necesse est, nisi diuino munimine fulciatur, meritò igitur dicere possumus: *A Domino gressus hominis*, quare Aug. *Ipse est*, inquit, scilicet Deus, *qui direxit gressus nostros, vt viam eius velimus*. quare si à Domino gressus, etiam ab eodem progressus; sic si crescimus in via iustitiæ progrediendo, à Domino isti erunt mentis, & corporis, & nostrorum operum progressus, sine quo innanes nostrę redduntur actiones; quare à Domino gressus hominis: vbi Euthim. ait: *Manifestè docet, quod absque diuino auxilio, homo per se nullum bonum potest operari*.

August.

Euthim.

5 Hinc est, quod Cant. 8. dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens; innixa super dilectum suum*. Hic versiculus aptè referri posset ad B. Virginem, quæ in Montana perexit delicijs affluēs, Mater Dei effecta, quę in se Verbum diuinum omnium deliciarum continebat abyssum, & ideò plena gratia, & mare gratiarum meritò vocatur; sed quomodo ascendit? *innixa super dilectum suum*, in suo virginali vtero continebat Dilectum, & à Dilecto regebatur. Sic anima, quæ in Ecclesiæ Sanctæ viridario virtutum, & meritorum delicijs abundat, ascendit bonorum operum progressu, ascendit in montem meritorum, in montem cælestium donorum, in excelsum æternæ gloriæ Olimpum, sed quomodo est iste ascensus? proprijs meritorum viribus? absit: *Innixa super dilectum suum*; cuius priuati diuinæ gratiæ fulcimento miseri deficimus, & perimus; vt Chrysol. ser. 97. *Nos præter tuam gratiam, nil habemus, per quam stamus, viuimus, mouemur, & sumus, & sine qua iacemus, deficimus, & perimus*: omnis virtus, & gloria Deo adscribenda; sine quo inanes omnes sunt operationes nostræ, vt Luc. 17. dicitur: *Cum feceritis hæc omnia, dicite, quod serui inutiles sumus*. Seruus enim nihil omninò proprij habet, vt seruus, sed totum, quod habet Domini est: meritò Aristotiles: Seruum, Domini instrumentum appellat; quare Apost. 2. Cor. 3. ait: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*.

Sanctissimæ Virginis spirituales gressus, & progressus, quo modo filij sui virtute.

Chrysol.

6 Est enim anima nostra, velut lucerna, quæ bonorum operum, & exemplorum lumine debet mundo illucescere, vt Matth. cap. 5. b. dicebat Saluator: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona &c.* sed lucerna non potest lucere, nisi accendatur, & lumen, recipiat; & quæ erit ista lux, seu lumen, quo animę nostra lucerna accendenda est? ipse Christus se lumen ostendit, vt Io. 8. b. dicens: *Ego sum lux mundi*: & iterum Ioannes p. ait: *Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum*: vt igitur lucem, virtutum, & meritorum lumen animæ nostræ lucerna edat; charitate ardeat, & alijs exemplo prælucere possit, à Deo, hoc lumen gratiæ, recipere debet; vt dicebat Dauid Ps. 17. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine*; legit D. Augustinus: *Quoniam tu illuminabis lucernam meam Domine, quoniam non est lumen nostrum ex nobis; sed tu illuminabis lucernam meam Domine: Nos enim peccatis nostris tenebræ sumus, sed Deus meus illuminabis tenebras meas*.

Anima nostra velut lucerna, quæ à diuino lumine diuinę gratiæ lumē accepit.

August.

7 Victoriam, quam de gigante reportauit Dauid, non proprię virtuti, & robori; sed Deo Domino

exercituum

exercituum adscribebat auctori, & adiutori suo; ideò Ps. 143 dicebat: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*; huic proinde gratias agebat. Sed quomodo ille, qui pacis dicitur Deus, vt p. Thes. 5. d. *Deus pacis sanctificet vos:* qui in pacis fœdere mundum sibi conciliat, vt 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*, ad bellum, & pugnam excitat, bellandi artem docet, & ineptos instruit? sed Dauidis verba expendamus, dicit: *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* vbi D. Augustinus ait: *Repetitio sententia videtur, quod est manus nostras ad prælium, hoc est digitos nostros ad bellum: an aliquid interest inter manus, & digitos? digitis itaque operatur, & manus.* Rursus dicam, quomodo tyronis manus docet, & digitos dirigit ad bellum? In quacunque arte satis est, vt methodũ artis magister discipulo prę scribat, & huius mentem præceptis imbuat opportunis, ad artem adiscendam; manus autem, & digitos, seu membra adaptare, discipuli est, qui instruitur, qui non ex arte, sed ex imperio voluntatis ad placitum membra disponit, non magistri; quomodo ergo Dauid manus suas, & digitos ad bellum expetit edoceri? sed dicamus, quod non tantum de propria victoria in hostes visibiles, quam de spirituali etiam nostro bello, in hostes inuisibiles, loquatur Dauid; à quibus, vt victoriam reportemus, diuina nobis gratia opus est; non solum, vt cælestibus instruamur disciplinis, quibus mens, & animus noster imbuatur, sed etiam, vt membra, & manus, & digitos nostros Deus dirigat; hoc est non solum, vt sopitam excitet voluntatem; sed etiam vt omnes actus nostros dirigat, ad optatum æternę salutis finem. Quare Chrisost. hic ait: *Quid dicis? Deus ne docet bellare, pugnare, & in acie confligere? maximè quidem; non peccauerit quispiam, qui quæ in his paratur, victoriam ei adscribit, hoc enim sibi vult illud: Qui docet manus meas; hoc est qui facit vt vincã hostes, vt tropheum erigam: Quando enim prostrauit Goliath; ille fuit causa victoria, & quando multa bella rectè gessit, & trophea erexit.* Insuper (ait) quod non solum docet manus nostras ad prælium; sed etiam digitos aptat ad bellum; vt disceremus diuersa virtutum genera, veluti digiti manus, à manus virtute eiusdem spiritus Diuini procedere; ideò ait Augustinus: *Veruntamen in digitis agnoscimus diuisionem operis, & tamen radicem vnitatis*, vt Apost. 1. Cor. 12. *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientia; alij sermo scientia, secundum eundem spiritum; Alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum &c.: hec omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis, prout vult.*

Dauid victoriæ suæ auctorem in Goliath, Deũ agnoscit.

August.

Quomodo Deus dicator, manus, & digitos Dauid ad bellum direxisse.

Chrisost.

August.

In via Dei diuino Spiritus Sancti, calore succensi bonorum operũ progressu proficientes; plurimo diuinæ gratiæ, & orationum egent alimento, nec diabolicis tentationibus succumbant, & culpa deficiant; de quo vide Aph. 5. §. 5.

Qui crescunt, plurimum habent calidi innati; plurimo igitur egent alimento. tex.

§. II. Pueri, & adolescentes, cum plurimo sensus, & propensionis ad malum calore vigeant, plurimo quoq; bonæ educationis egent alimento.

1. HOmo vt in culpa conceptus, vt Ps. 50. *Et in peccatis concepit me, mater mea*, ad malum propendentem habet naturam, vt Gen. 8. *Sensus enim & cogitatio humani cordis, ad malum prona sunt ab adolescentia sua*: hinc est, quod prætermissis alijs ętatibus, solum de adolescētia conquæritur, & contristatur Iob, quod pro peccatis huius ætatis, à Domino pœnas sustineret; ideò dicebat: Iob. 13. *Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*; vbi D. Ambr. lib. p. de Interpret. Iob. cap. 7. ait: *Pulchrè id ætatis arripuit ad querelam; quæ magis ad vitium lubrica esse consueuit*. Et statim alijs ætatibus laudatis, de adolescentia, subdit: *Adolescentia sola est inualida viribus, infirma consilijs; vitio calens; fastidiosa monitoribus; illecebrosa delicijs*, & eorumdem adolescentum naturam implicatam, vt plurimum vitijs, ad malum pronam, tangens, idem Ambr. lib. 2. in cap. 2. Luc., ait: *Sed quoniam prona quadam cupiditate peccandi humana carnis, & mentis fragilitas, inextricabilibus vitijs implicatur &c.* ideò hanc effrenem naturam disciplinæ, & sanctorum præceptorum freno est cohibenda; ne vt lubrica in æternæ damnationis præcipitium labatur.

Adolescētium effrenis natura, disciplinarum, & sanctorum pręceptorum, freno cohibenda.

Ambr.

Ambr.

2. Maximum, Deus primis parentibus nostris, vt primis orbis dominatoribus, dominij contulit priuilegium; dicens Gen. p. d. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*. Postquam creauit Deus animantia in terra, dixit: *Crescite, & multiplicamini*, hæc tamen omnia animantia hominis dominio subdidit, ideò postquam creauit terram dixit homini: *Subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus*. Gen. p., quæ quidem verba, si benè perpendamus, sensum nostrum inferre videntur: quod sicut pueri, & adolescentes suapte natura ad vitia propendēt, & deflectunt, quasi iumentorum conditionem induētes; ideò mortificationum iugo, eorum voluntatis colla subdenda. Ait textus Gen. p. loquens de animalibus à Deo creatis: *Crescite, & multiplicamini*: ecce textus aphorismi: *Qui crescunt*, scilicet pueri, & adolescentes: horum enim ætas semper crescit, & adolescit; & postquam hanc insinuauit ætatem, ad huius effrenem naturam reprimendam, ne effætis corrumpatur moribus, ad hanc regēdam descendit, dicēs: *Subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus &c.* & licet quo ad literam, hoc hominis dominium ad irrationabilia referatur; quia tamen persæpè adolescentes præcipuè vitiosam animalis, quam virtuosam viri vitam eligunt, & ducunt, & in his potius sensus, quam ratio præualet, & dominatur, ideò similes iumentis videntur, vt Ps. 48. *Homo cum in honore esset nō intellexit comparatus est iumentis insipiētibus*. Hæc igitur adolescētum moralia iumenta, in vitijs crescētium, disciplinæ, & mortificationum iugo, per bonam educationem subijcite, & in hos dominium exercete; sicut de rationis dominio, in ordine ad humanas immoderatas passiones, intulit D. Aug. lib. p. de Gen. cōtra Manich. cap. 20. qui ait: *Intelligitur etiā spiritualiter, vt omnes affectiones, & motus animi, quos habemus, istis animalibus similes subditos haberemus, & ijs dominaremur per modestiā, & temperantiā*.

Hominis dominium super sublunaria, datū à Deo, quid significet moraliter.

Animalia quę crescere debebant, adolescentū figuram gerunt, qui dominio rationis subdi, & regi debent superiorum.

August.

3. In principio igitur, vt in puerorum animis, malæ inclinationis calorem re[...]eremus, à terrenis affectibus eorum corda amouere

debemus

debemus, bonæ educationis, & sanctorum præceptorum remedijs. Agens Moyses de creatione mundi incipit, Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Ordo præposterus mihi videtur seruatus: prius enim, terra, deinde cælum, creanda erat; quis enim artifex est, qui constructurus domum à culmine incipiat ędificare? non ne prius ponitur fundamentum, inde eriguntur parietes, & tandem ad tectum deuenit? quomodo ergo Deus tectum cæli prius, quam terræ fundamentum construxit? Huius rei causam ad rem nostram deflectit D. Ambr. enarrat. 2. in Gen. ad Honorantianum, docet nos hoc facto, vt nos eundem quoque ordinem seruemus in spirituali animæ nostræ edificio, vt prius cælum quã terram, ędificemus, vt prius cælum instruamur aspicere, deinde terram; vt Matth. 12. dicebat Saluator: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis:* qui enim cælum aspicit, terram despicit; qui enim ad cęlestium contemplationem mentem eleuat, ad sensus inquinamenta non declinat; sic igitur, vt propensionis ad malum in pueris calorem temperemus, sanctis pręceptis horum mentem imbuere debemus: sicini prima ætate eos docere cælum lustrare, quare Ambr. ait: *Cum ergo Deum legimus, vt scriptura ostendit, eum sapientia, & quodam consilio, & dispositione omnia fecisse, & ordine consentaneum est rationi, vt primo Cælum faceret, quod est pulcherrimum; oportet, vt in eum primò oculos erigamus; ideò nobis contendendum esse arbitremur, illam sedem, terrenis omnibus præferendam esse putemus.*

4. Diabolus totis viribus enititur, hominem omni tempore, pręcipue verò in prima ætate seducere à via cæli, & sanctorum præceptorum semini in puerorum corde sato, malitiæ, & vitiorum zizania inserere, & inserta bonorum morum corrumpere triticum, & sanctorum præceptorum; quare diligenti cura ab eius insidijs statim cauendũ, hoc in parabola illa Saluatoris elucidare possumus, Matth. 13. dicitur: *Simile est regnũ cælorum homini, qui bonum semen seminauit in agro suo, dum autem dormirent homines venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt;* cum autem creuisset herba, & fructum fecisset apparuerunt, & zizania. Accedentes autem serui patris familias, dixerunt ei: *Non ne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania?* Inimicus homo hoc fecit. Deus in agro humani cordis, parentes, præceptores, in filiorum, & discipulorum cordibus sementem sanctæ inspirationis, & sanæ eruditionis serunt, vt fructum ferant profectus; quid facit inimicus hominis, qui est diabolus? dum dormirent homines, hoc est Prælati, superiores, & filiorum pręceptores, hoc est negligentius agerent, superseminat zizania, hoc est statim, ac rationis lumen affulgerit homine, conatur herbescentem adhuc virtutum segetem, & sugestionum suarum zizania superseminare, & abijt, vt existimans, malis moribus, & vitijs in prima ætate semel infectum hominem, haud facilè posse ad virtutum studium, & bonam probatorum morum, & præceptorum frugem reuocari; vitia enim, quæ in pueritia filius hauserit, vix potest inde de cætero; imò cum ętate ita crescunt, vt cum eradicare hæc difficile videatur, non nisi mortis falce metuntur; quare bene Greg. in Iob. cap. 10. inquit: *Tenens igitur peccatorem*

Quare Deus prius creauit cælum, deinde terram, cum fundamentum, culmen præcedat domus?

Ambr.

Parabola de bono semine in agro sato, in quo inde inimicus superseminauit zizania, quid significet.

Greg.

catorem prauæ consuetudines, quem semel ceperunt; & quotidie duriores existunt, cum ipso in puluere dormiunt; quia non nisi cum peccatoris vita finiuntur.

Sicut Syluestris planta inseritur, vt domesticos proferat fructus, sic proportionaliter educandi filij.

5 Syluestris planta, vt domesticos proferat fructus, solent Agricolæ, illius stipiti fructiferæ domesticæ plantæ ramusculum inserere; sic natura hominis planta dici potest, vocatur enim ab Aristotile homo, arbor inuersa, quæ ex se syluestres, & acerbos vitiorum edit fructus, sicut de agro &c. ait D. Chris. hom. 51. in Matth. *Quemadmodum ager diu non proscissus siluescit, ac passim innumeras vepres producit; ita iuuentus neglecta*: est enim vt diximus Gen. 8. hominis natura, sensus, & cogitatio ad malum prona; ne igitur homo vitiatę naturę culpæ, siluestres fructus proferat, quibus à diuinæ iustitiæ falce præcisa, hæc moralis planta in æterni illius interitus ignem proijciatur; iuxta illud Matth. 3. c. *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*; quid igitur agendum? huic syluestri naturæ nostræ stipiti, ad malum propendentis, domesticus disciplinæ, & bonæ educationis ramusculus, est inserendus; vt animæ nostræ planta, à diuinę iustitiæ securi, & eternę mortis igne liber euadat, ideo p. Iacobi dicitur: *Suscipite insitum Verbum, quod potest saluare animas vestras*; *Suscipite insitum Verbum*; ecce sanctorum præceptorum, & bonæ educationis ramusculum, quo nostros peruersos componemus mores; & naturam ad malum procedentem euincemus; vt D. Ambr. libro de Cain, & Abel cap. 9. ait. *Tantum valet institutio, vt vincat naturā*; sic filiorum plantæ, non eradicabuntur, non præcindentur ad mortem, sed ob fructum bonorū operum domesticum, reseruabuntur ad vitam; ideo dicitur, *quod potest saluare animas vestras*.

Chris.

Ambr.

Vera educationis exēplar S. Iob, in filijs suis.

6 Veram educationis formam à S. Iob haurire possumus; qui non solum pro suorum filiorum locutionis, ommissionis, & operis, culpis Sacrificiū Deo offerebat, sed etiam pro peccatis mentalibus, si quę illorum mentem ingruissent; vt Iob. p. *Mittebat ad eos, & Sanctificabat illos; consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis; dicebat enim, ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*. Sed dicam ego, quod S. Iob peracta hebdomada conuiuij, vt ait D. Gregorius offerret decem holocausta, singula, pro singulis, hoc quidem bonum, & laudabile diligentis Patris opus in liberorum vigilanti saluțe ad eorundem culparum expiationem; ad hoc enim Sacrificium præcipuè erat institutum; at vero de filiorum cogitationibus, quid sibi solicitudinis curam impendebat; cum extra hominum forum, humana soli Deo reseruetur cogitatio? Sed dicamus, hoc ideo fecisse Iob, vt nos doceret, omni studio nobis laborandum esse, vt in omnibus, in quibus possunt, quoquo modo delinquere filij, exactè, & solicitè parentes pro eorundem salute inquirant; ideo non solum de operibus, & locutionibus, sed etiam de cogitationibus, si quas malas possent vereri, studiosè quęrebat. Quod si de cogitationibus, tantam solicitudinem impendebat filiorum, multo magis de eorum lapsu districtionis iudicium agere, pro correctione censendum, vt Greg. p. mor. 8. ait. *In hac re solerter intuendum est, quanta seueritate potuit filiorum opera corrigere pater; qui tanta sollicitudine studuit filiorum corda mundare*; *Quid ad hæc*

Greg.

Quomodò S. Iob, de cogitationib. etiam filior. solers erat pro sacrificio offerendo Deo.

Greg.

Rectores

Moralis eruditio in neglig ẽtes Superiores pro subditorum delinquentium cura.

Rectores fidelium dicunt, qui subditorum suorum etiam aperta opera nesciunt, quid in sua excusatione cogitant; qui in commissis sibi, nec vulnera actionis curant. Vel secundo dicere possumus, quod, dum de sola cogitatione loquitur S. Iob, in qua posse deliquisse filios timebat, in opere, & sermone eosdem perfectos sua educatione extitisse; ideo Greg. lib. p. mor. c. 4. ait: *Perfectos quippe esse in opere, & sermone docuerat, pro quibus pater de sola cogitatione metuebat.*

Greg.

7 Hæc rationalis tenera filiorum planta, ad placitum Agricolæ, hoc est parentum, seu præceptorum adaptanda est; vt virtutum debitos fructus proferat; vt Eccle- siast. 7. dicitur: *Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia eorum:* vbi duo necessaria esse ad bonam filiorum educationem insinuat; instructionem, & disciplinam, vt qui amore virtutum à malo non arcentur, saltem pœna; & metu ad bonum, vel inuiti, & reluctantes attrahantur; ideo, ait Sapiens: *Erudi illos*; ecce instructio. *Et curua*, ecce, disciplina, & pœna; *Erudi illos*, sapientia, bonis moribus; eorum excole animos. Curua verberibus; & disciplina. Tigurina transtulit; *Et ceruicem eorum domes à iuuentute:* metaphora sumpta est à iuuencis; qui ad iugum ferendum ad currum trahendum, ad terram excolendam, domantur. *A pueritia illorum*; nam vt ait Liranus hic: sicut ramus tener de facili curuatur, sic antequam hæc tenera planta filiorum, duros suæ voluntati reddat ramos, ad malum protensos, debet velut agricola, pater curuare, ore præcepti, manu pœnæ, eorum obdurescentem ceruicem inflectere; quare Dionys. Cart. *A pueritia eorum in qua sunt* in quit, *faciliùs domabiles, dociles, & quod tunc capiunt retinent, sicut ramusculus recens flectitur, quàm ramus qui crescit in solidum*; & etiam D. Basilius in regulis fusiùs disputatis interrog. 15. ait: *Teneri puerorum animi sũt instar ceræ, in qua faciliùs imagines exprimuntur.*

Filij à pueritia ad virtutem normã adaptandi, & sicut tener ramus curuandi.

Tigurin.

Lir.

Dionys. Cart.

Basil.

8 Hinc est quod Dauid dicebat ps. 16. *Custodi me, vt pupillã oculi:* In quem locum S. Ambrosius, lib. 6. examet c. 9. exponit de educatione filiorum; idest tanta exacta cura, & diligentia custodiendi sunt, sicut pupilla oculorum; nam sicut hæc à natura palpebris, & supercilijs munita est; ne ab extrinseco, licet leuissimo puluere lędatur, sic custodiendi sunt filij, vt pupilla oculorum, ne minimus quidem error eis officiat, & à minimo inde ad maximum ascendant; D. Ambrosij verba: *Ad hunc ergo modum, Parentes debent custodire filios, & ab omni labe impudicitiæ mundos tueri, præsertim cum teneriorem ætatem progressi, adolescentiæ, latiorem campum egrediuntur.*

Pueri quomodo, vt pupilla oculorum custodiendi.

Ambr.

Alioquin corpus absumitur;
tex.

§. III. Bonæ educationis à pueritia subtractio; eidem in maximum vergit, detrimentum.

1 Sicut pueri, & adolescentes, vt potè augumentum continuò capientes, plurimo egent alimento; sic è contra, vt diximus, hoc deficiente, vel nimis excedente, maximum eis parit detrimentum; vt Aug. de Ciuit. Dei lib. 12. ait: *Si pro viribus suis alatur infans, fit vt crescendo plus capiat; si modum suæ capacitatis excedat, deficit*

August.

deficit antequam crescat: sic dicamus nos, qui bonæ, & sanæ educationis, morale pueris subtrahit alimentum hoc, maximum eisdem, animæ, & corporis vergit in præiudicium; quare Prou. 23. b. dicitur: *Noli subtrahere à puero disciplinã: si enim percusseris eum virga, non morietur: Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Quare: *Si affirmatio*, ait Philosophus, *est causa affirmationis, & negatio est causa negationis*; si percussus virga puer ab inferno liberatur, ergo non percussus, damnabitur; quia non correptus, in peccatis perseuerans, æternæ in se mortis sententiam, & damnationẽ inflectet; vt Ezech. 3. d. *Si non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius, de manu tua requiram.*

Percussus virga liberatur puer, nõ percussus damnatur.

2 Sapiens, adolescentem, indomito comparat equo, Eccles. 30. *Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet praeceps*; sicut enim equo indomito, si libertatis lora laxetur, huc atque illuc cursitat, nitrit, fremit, sessorem deijcere conatur, onera reijcit; obuiantibus recalcitrat; & sæpè etiam in præcepsruit: verum si freno cohibetur, calcaribus pungitur, virga ceditur, sessori paret, obedit ad nutum, & Domino deseruit: sic adolescens si sibi relinquatur pruritantem ad malum, naturam sequitur; si diuini timoris non regitur freno, spaciosam vitiorum viam percurrit, petulans; superiorum stimulis recalcitrat, nec Deum timet, nec homines veretur; & tandem in mortis æternæ corporis, & animę præcipitium ruit; ideò ait tex. *Et filius remissus euadet praeceps*; Quare D. Chrisostomus in patres filiorum negligentes pro educatione inuehens ait; quod illi, vt equum domitent, summa diligentia, hunc domatori tradunt, vt frena, fustes, & flagella adhibeat; filios autem indomitos, vitijs deditos, in his diù sordescere permittunt. Chris. hom. 60. in Matth. ait. *Mali patres equorum domitores cogunt, vt studiosissimè equos domitent, & frenũ, & reliqua, quibus opus est, adhibeant; liberos autem suos longè pronebi, absque castigationis negligunt freno, & dimittunt circuire scortis, aleis, & obsenis spectaculis inhiãtes: animæ verò nulla cura est.* Quare cum morali hoc bonæ educationis alimento priuentur filij, mirum non est, si horum corpus absumatur, vt ait Hippocrates; hoc est corporis, & animæ mortis æternæ detrimentum inde patiantur; quare idem Chrisostomus filiorum negligentes patres, magis quam parricidas sæuiores, & immaniores appellat, dicens Chrisost. aduersus vituperatores vitę monasticæ lib. 3. *Hos igitur Patres parricidis ipsis immaniores, sceleratiores q; dixerim; illi enim corpus ab anima dissepararunt, isti; & animam, & corpus æternis ignibus tradunt*; & rationem reddens, quare immaniores parricidis sint huiusmodi patres, ait: *Atque is quidem, qui occiditur, necessario naturali lege, etiam si necatus non fuisset moreretur; hic verò sempiternam mortẽ euitare potuisset, nisi hac illi consciuisset paterna negligentia.*

Quomodo adolescens indomito equo comparetur.

In negligẽtes patres in filiorum educatione, D. Chrisostomi inuectio.

Chris.

Filiorum negligẽtes Patres, plus q̃ parricidas, appellat D. Chrisostomus.

Chris.

3 Velut indomitum equum se fatebatur D. Augustinus patris sui negligentiam coarguens, vt p. Confess. cap. 3. idem Augustinus aiebat: *Cum interea non satageret pater meus, qualis essem tibi, dumodo essem disertus, aut desertus à cultura tua, Deus*; In quo sensu etiam D. Chrisostomus reprehendit huiusmodi patres, qui tantum vt in

August. Patris sui negligentiam accusat D. Augustinus, in correptionis subtractione.

splen-

splendore eloquentiæ, in exteriori sapientia filij excellentes, & conspicui euadant, curant; animam autem in vitijs continuò sordescentem non aspiciunt, vt à culpa retrahant; vt idem Chris. vt supra ait. *Vt illi linguæ acumen, & nitorem habeant per exteriorem sapientiam omni studio curantes; animam verò in ipso cœno spurcitiæ iacentem, atque in dies putrescentem non modo despicimus, verum exurgere quoque cupientem, prohibemus.*

Chris.

4 Quod euadat præceps filius, qui à patre nō corripitur, probat D. Augustinus ser. 33. ad fratr. in herem. tom. 10. enarrat populo suo quid acciderit præclarissimo ciui suo Cyrillo: *Filiū, inquit, vt scitis habebat; & quia vnicus erat, eum superfluè diligebat; ideò superfluo amore inebriatus, filium corrigere neglexit; & ille ebrietatem perpessus, matrem prægnantem oppressit; sororem violare voluit; patrem occidit; & duas sorores vulnerauit ad mortem.*

August. Malum ex disciplinæ subtractione, exempli.

5 Nec nos pigeat videre etiam, quod D. Greg. lib. 4. dialog. cap. 18. tom. p. recenset de parentibus, qui relicto filio annorum quinque remisse Deum blasphemare solitum, inter brachia patris à dæmonibus arreptum ad inferna delatum: miror quod cum filio patrem quoque cooperatorem tāti sceleris non arripuerit, maximè cum clamet lex etiam humana: *Agentes, & consentientes pari pœna plectuntur*; ecce quomodo ex morali correctionis alimenti subtractione, corpus nedum absumitur, dicam ego à dæmone; sed etiam anima ad tartara damnatur.

Diui Gregorij exemplum de puero quinque annorum à Diabolo ad tartara erepto.

6 Mirabile nobis exemplum exhibet, Gerson. 2. p. ser. p. in festo Omnium Sanctorum. Et D. Ber. de Euangelio æterno ser. 17. cap. 5. Quod cū Romanus quidam adolescens, ob sua maxima flagitia capite esset ad mortem damnatus; antequam vltimum sustineret supplicium, rogauit iustitiæ ministros, vt sibi liceret adhuc parentem suum vltimum affari, & osculari; quod, huic negare inhumanum censentes, patrem licet inuitum adduxerunt; quem intuens filius, existimantes honoris, amoris, & pietatis gratia velle exosculari, armatis in vindictam dentibus in patrem, fremēs ira insilijt, & huius nasum mordicus apprehendit, & sanguinis sputum in illius faciem inijciens, dixit: *Tu me pater suspendis: tu me interficis; dum enim meam flagitiosam vitam non emendasti, me in hanc contumeliosam mortem impulisti.* Qui enim fustè à patre non corrigitur, à carnifice fune persæpè suspenditur; qui parcit virgæ, indisciplinatum morti tradit filium.

Gerson. Ber.

Historia filij ad mortem damnati patrem mordicus ferientis.

Ber.

7 Maximè ad rem nostram facit ille locus scripturæ; 4. reg. 2., vbi cernitur, in quale exitium parentes, in filiorum educatione negligentes, hos pertraxerint, & in quod supplicium vocauerint. Refert igitur sacer textus d.: *Ascendit Elisæus in Bethel; cumque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue; Ascende calue.* Erat enim Elisæus veneranda caluitie insignitus; & quia horum puerorum parentes erant infesti huic Prophetæ, sic hunc illudebāt, & ita malo parentum exemplo moti pueri filij tale irrisionis dedecus in Prophetam assumpserant: *Ascende calue*: Quare indignatus Elisæus. *Cum respexisset*, ait textus, *vidit, & maledixit eis in nomine Domini*, hic subditur: *Egressi sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadragīta duos pueros*: ideo Iustin. martyr. quæst. 80. ad ortodoxos.

Negligentes Patres in filiorum nece castigati, exemplo Elisæi à pueris delusi.

Quoniam

Iustin.mart. *Quoniam inquit, ea verba pueri à parentibus suis, qui semper in Prophetas infesto animo erant didicissent; ideiro Elisæus cæde liberorum parentes castigauit*: & tam seuera, & atrox filiorum carnificina, ex parentum malo exemplo, & negligẽtia illorum bonæ educationis processit: tum etiam, vt parentes in filiorum amissione grauiter animaduerteret, vt D. Greg. lib. 5. mor. cap. 31. ait: *Plerunque pater percutitur in filijs, vt acrius vrantur, & dolor patris, carni filiorum redditur; quatenus per filiorum pœnas mens patris iniqui puniatur.* (Greg.)

8 Sed cur per vrsos tale his pueris Deus supplicium inflixit? cur non per lupos, leones, vel tigrides? nec hoc vacat mysterio. Ex Valerio lib. de Hier. habetur, quod vrsæ catulus informis, & deformis nascitur; nam massam quandam carnis parit primò monstruosam, sine animantis forma; nam non discernũtur membra, non oculi, nares, os, aures apparent; non sensuum disposita organa conspiciuntur, quæ tamen membra, lingua inde efformat vrsa mater: sic igitur ab vrsis permisit dilacerari pueros, vt ab illis, qui maximam curam gerunt in filiorũ efformatione, vt illos, qui in filiorũ educatione negligentes extiterunt confunderet; quare Ambr. lib. 6. exameron. c. 4. *Vrsa inquit, insidians licet, vt scriptura ait (est enim plena fraudis fera) tamen fertur informes vtero partus edere; sed natos lingua fingere, atq; in speciem sui similitudinemque formare: non miraris in fera, tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrsa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem: tu filios tuos instituere similes tui non potes?* Ab vrsa bonæ educationis methodum desumere possint, parentes in filiorum suorum institutione; informes sunt, vti ad malum procliues, correctionis, & disciplinæ linguâ lambere debemus, eos edocendo, & ad Dei legem, & amorem reformando; oculos eorum efformamus, cum cælum oculis lustrare docemus, vt 2. Mach. 7. *Oro nate, vt ad cælum aspicias*; os efformamus, dum ad laudem Dei eos instruimus; manus dum ad bona opera peragenda eos excitamus; Aures, ad diuinum verbum audiendum; pedes ad ambulandum, in via cæli.

Valer. Quare per vrsos, pueros voluit occidi Deus, Elisæum illudentes.

Ambr.

Ab vrsa desumere possunt parentes formam ad filiorum educationem.

Senibus verò parum calidi innati inest; paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguitur.

tex.

SEnes, qui in virtutum, & mortificationum habitu consenuerunt, parum coarguendi in sensus passionibus, pœnitentia, iam edomati. Senes, qui suam iam pœnitentijs carnem edomare didicere, vt Apóst. p. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, non eo, quo adolescentes sensualium cupiditatum, & passionum calore vigent; ideò cum delinquunt paucis correctionis egent alimentis; vt Greg. in pastor. *Senes ad meliora opera, deprecatio blanda componit.* Hoc videre est in D. Petro; dum bonus senex, negatione in Christũ deliquit, non illi ad recipiscẽdum pœnam inflixit; non minacibus, vt cum ad pœnitentiam reuocaret, perterruit verbis; non terroribus exasperauit; non supplicia adhibuit; non asperè, seuerè obiurgauit, sed tantum simplici eum admonuit, aspectu; culpæ monitores, oculos in ipsum conuertit, vt Luc. 22. *Et conuersus Dominus respexit Petrum; & egressus foras Petrus fleuit amarè*. A Galli cantu, à culpæ somno exci-

In pœnitentijs edomati, de facili à culpa resipiscunt, vt de D. Petro patet.

Greg.

excitatus, statim foras egressus, lacrymis maculas criminis lauit, quas negatione contraxit.

Hanc ob causam, febres senibus, non similiter acutæ fiunt; frigidum enim eorum corpus.
tex.

FEbres acutas, quas in spirituali medicina adnotauimus, scilicet pleuritidē luxuriæ; peripneumoniam inuidiæ; Phrenitidem ambitionis; febrem ardentem iræ, & vindictæ, non ita facilè, vt adolescentes, morales senes, qui ad canam pœnitentię bonorum operum, & mortificationum senectam perueniere patiuntur: & horum omniū ratio est, quia frigidum horum corpus: Non enim multum sensualiū appetituum, & passionum calor in his senibus dominatur: quo ad literam patet; 3. reg. p. Cum enim Dauid senuisset, & à naturali calore destitueretur, quæsierunt adolescentulam, quæ dormiens in sinu eius, eum calefaceret; quod ita factum est: *Erat autem*, ait textus, *puella pulchra nimis, dormiebatq; cum Rege, & ministrabat ei; Rex verò non cognouit eam*. Sed quomodo ille, qui alienam rapuit vxorem, modò pulcherimæ puellæ honestati parcit? qui alienum violauit thorum, in proprio ità castus seruatur? ratio est, quia calor, qui luxuriæ fomes est, Regi deerat; sic dicamus nos, in mortificationibus senex moralis concupiscentiæ ferè calore priuatus, carnis lenocinijs non ità facilè fœdabitur, hac luxuriæ pleuritide non corripietur; vel saltem correptus euadet; sic non erit morbus spiritualis læthalis per voluntatis consensum, licet vehemens, diabolicis tentationibus morbus existat. Hoc patet in D. Hieronymo, qui licet à luxuriæ febri corriperetur in Eremo constitutus, quia tamen mortificationum, & pœnitētiæ frigidum corpus habebat, pleuritidis spiritualem luxuriæ superàuit morbum, vt in huius lectionibus legitur; de se ipso Sanctus inquiens. *Pallebant ora ieiunijs, & mens æstuabat in frigido corpore, & ante hominem sua iam carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant*: ecce pleuritis luxuriæ, à quo detinebatur morbo; verum in Dei seruitio iam canus, in pœnitentijs senex, à morbo hoc spirituali euadebat, vt idem D. Hieronymus de se referebat: *Itaque omni destitutus auxilio ad Iesu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem, hebdomadarum inedia superabam*.

Ob corporum frigiditatem, senes ad libidinē non accenduntur.

D. Hieronymus in pœnitētia mortificato corpore, luxuriæ euicit pleuritidē.

Hieron.

Hieron.

Frigidum enim horum corpus. Mortificationum frigus, sensualium cupiditatum calorem edomat.

APHORISMVS QVINTVSDECIMVS.

Ventres Hyeme, & Vere calidissimi sunt, & somni longissimi; quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda; etenim tunc calor innatus plurimus est, unde, & pluribus egent alimentis: indicio sunt ætates, & athletæ. tex.

Ordo Medicinę corporalis.

QVIA Hippocrates superius docuit ad vasorum inanitionem, inspiciẽdam esse regionẽ, tempus, ętatem, & morbi qualitatem, vt in 2. Aph. vidimus; cum igitur in superioribus de morbis, & ætate sufficienter dixerit, nunc ad anni tempora declarãda se transfert; vt sciat medicus, qualiter se gerere debeat, in victus ratione præscribenda, ne nimis tenuis dieta reddatur, vt in æstate, & Autumno, ait igitur: *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt &c.* Et quia ex caloris abundantia cibus augendus; ideò quatuor modis, quibus augeri potest, in præsẽti innuit Aphorismo, scilicet ætate; Anni temporibus; somno, & exercitio, vt infra patebit. A tempore igitur incipiens, ait: *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt.*

Quatuor modi, quib. augeri potest cibus.

Hic nomine ventris, non intelligitur tantum ventriculus, qui est primum vas, quod accipit cibum, dum deglutitur, sed omnes internę cauitates, quæ sunt in corpore nostro, in quibus fit coctio; & sunt ventres, hoc loco, vẽtriculi, iecoris, thoracis, & cerebri cauitates, secundum Christopharum Vegam hic: & cum plures fiant coctiones, pluribus etiam opus est vasibus, & instrumentis, ideò dicitur: *Ventres hyeme, & Vere.* Nomine Veris intelligitur non pro toto Vere, sed pro illa parte tantum, quæ hyemi proximior est, quæ ferè hyemis ob frigiditatem, naturam sapit; iuxta illud D. Dionysij: *Supremum infimi, attingit infimum supremi.* His igitur temporibus hyemis, & veris, ventres natura calidissimi sunt; nam frigus calorem dispersum ad interna transmittit, sic viribus calor naturalis augetur: *Et somni longissimi*, non solum ob noctium longitudinem, vt ait Galenus, sed maximè, quia corporis recrementa longioribus somnis repurgantur: his igitur temporibus copiosiora alimenta sunt exhibenda; & affert rationem Hippocrates: *Etenim tunc calor innatus plurimus est*; quo validæ fiunt coctiones, distributiones, & nutritiones; ideò alimentũ adaugendum; & probat hoc etiam in ætatibus, & Athletis: In ætatibus hoc est in pueris, qui cum plurimũ habeant caloris, vt supra diximus in aph. 13. *Plurimo quoque egent alimento*; In athletis, qui cum exercitio, summum excitent calorem,

Medicina corporalis.

Quid nomine vẽtris intelligatur.

Christoph. Veg.

Quid nomine veris.

Dionys.

Quomodo somni longissimi.

Galen.

& ipsi

& ipsi quoque copiosiore egent cibo; sicut D. Hieronymus lib. 2. aduersus Iouin. ait: *Athletas, quorum vita, & ars sagina est; nec viuere posse diù; nec sanos esse; animasque eorum, nimio sanguine, & adipibus, quasi luto inuolutas; nihil tenue, nihil caleste, sed semper de carnibus, & de ructu, & ventris ingluuie cogitare.*

Hieron.

Ordo medicinę spiritualis.

Egimus, & nos moraliter, in superioribus aphorismis, circa vasorum inanitionem, ad euacuandam materiam peccati, per pœnitentiam: & quia Medicus spiritualis, nedum considerare debet peccati morbum, sed & ætatem, & anni tempus; quia igitur egimus de morbis, de ætate, de pueris, adolescentibus, viris, & senibus moralibus, scilicet incipientibus in seruitio Dei, proficientibus, & perfectis; modo agendum est de tempore morali, quando necesse est copiosū spirituale alimentum animabus ad harum salutem præstare; ideo dicimus: *Ventres, hyeme &c.* Ventres dici possunt epulones, ventri, & gulæ indulgentes, vt ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*: per Synecdoche, pars pro toto. Hyeme, & Vere; quæ tempora cum frigidam qualitatem sortiatur, intelligi possunt peccata, secundum illud Orig. hom. 9. in Ps. 38., qui loquens de Spiritu Sancto, ait: *Iste procul dubio ignis est, qui frigus peccati fugat, calorem Spiritus Sanctus reuocat*: Vel hyemis nomine, ad rem nostram, crapularum, & ebrietatū vitium potest intelligi, secundum illud Chrisost. hom. 58. in Matth. *Quod si*, inquit, *interiora inspicias; videbis animam ebrij, ceu hyeme, ac intensissimo frigore congelatam, adeo torpentem, vt nulla vtilitas corpori, ab ea possit afferri.* Vel hyeme, & Vere: cum hæc tempora Senectutis formam referant, vt aph. 12. §. 3. diximus; maximè ob frigiditatem, dici potest, de eisdem Epulonibus; qui in crapularum, & ebrietatum vitio, & habitu iam consenuerunt; *calidissimi sunt*, hoc est ad omne peccati genus desiderio exardescunt; vt Aug. ad Sacr. Virgines, ait: *Ebrietas in vtroque sexu, cuncta mala appetit, & nefanda cōmittit.* Sed inquies, quomodo ex peccati hyeme, & culparum frigore, calor abundat? ad hæc D. Chrysol. ser. 114. respondet: *Nam cum ex humore frigido semper ignis succendatur in corpore, & rigor nimius, dum membra vexat, & concutit, acrius ipse efficit, & gignit incendium.* Vel dicere possumus, quod sint calidissimi huiusmodi ventres, hoc est Epulones, vt Aug. in Epis. ad quendam Comitem ait: *Ebrietas est fumus libidinis, quo per carnes, vaporantur interna viscera, animus ignescit. Et somni longissimi*; hoc est, qui in crapularum, & ebrietatum strato sopiti iacent; non tam citò, & facilè à culpæ somno ad pœnitentiam expergiscuntur; secundum illud ad Ephes. 5. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda*; idest exhortationum, orationum, vt à culpa resipiscant; siuè etiam rigorosæ animaduersionis, vt corrigantur; & ratio est: *Etenim calor innatus plurimus est, vnde, & pluribus egent alimentis*; idest calor innatus mali habitus, & peruersæ inclinationis, in crapularum vitio inuolutorum, multus est; quare spiritualibus quoque plurimis increpationum, & orationum, siuè etiam animaduersionis alimentis, sunt nutriendi, vt à culpa resipiscant; vt D. Hieron. in 2. ad Timoth. 4. *Argue peccantes; contestare ne peccent: Increpa resistentes.* Exemplum adijcit de

Medicina spiritualis.

Epulones, vētres quomodo dici possint, & quid per hyemem, & Ver intelligatur.

Orig.

Chris.

Hyems pro senib. in crapularum, & ebrietatum vitio senescentibus.

August.

Obiectio.

Chrysol. Solutio.

August.

Quomodo somni longissimi, moraliter intelligantur.

Hieron.

ætatibus, & Athletis: De pueris, qui vt diximus ad malum procliues bonæ educationis alimento sunt enutriendi, ne à spirituali vita deficiant. Vel ætates, hoc est in hoc gulę vitio accrescentes, qui nisi animaduersionis debitę cibo nutriantur deficient, & in culpa obdurati consenescent, vt Prou. 22. a. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cũ senuerit non recedet ab ea. Et Athleta*, qui diù in his vitijs se exercuerunt, & habitum contraxerunt, sibi relicti in eodem vitio marcescentes inueterati, facilè pereunt, nisi spirituali hoc correptionis, seu etiam animaduersionis frequenter nutriantur alimento, ex quibus, ad paragrophos aliquos, deueniemus.

Quid per morales ætates, & Athletas.

Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt. tex.

§. I. Gulæ indulgentes, ad omne malum desiderio, & opere incalescunt.

Et somni longissimi. tex.

§. II. Qui in crapularum, & ebrietatum somno obdormiunt, non tam facilè à vitiorum sopore expergiscuntur.

Quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda. tex.

§. III. Copioso orationũ, & correptionis fraternæ siuè etiam animaduersionis alimento est nutriendus; dum in crapularum, siue, ebrietatis vitio, quis detinetur.

Etenim tunc calor innatus plurimus est; vnde, & pluribus egent alimentis. tex.

§. IV. Vbi plus malæ inclinationis sensus, & vitiorum calor in animam inualescit, ibi maius pœnitentiæ, & mortificationum alimentum, est exhibendum.

Inditio sunt ætates, & Athletæ. tex.

§. V. In vitijs accrescentes, & exercitati, copioso bonæ educationis, & animaduersionis cibo, ad salutem sunt spiritualiter alendi.

Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt. tex.

§. I. Gulæ indulgentes ad omne malum desiderio, & opere incalescunt.

1 HElluones, & epulones rectè *Ventres*, vt diximus dici possunt, vt Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*; quia nihil, nisi ea, quæ ad crapulas, & ebrietates, & ad ventris voluptates spectant, eructant; quare meritò D. Clemens Alexandrinus Acephalo eos comparat: est enim Acephalus monstrum, caput in pectus compressum tenens; significans omnes sensus, & potentias ad crapularum, & ebrietatum finem helluones dirigere: non enim cogitant libenter, vident, audiunt, loquuntur, & ex animo amplectuntur, nisi quæ ad ventris, & gulæ saginã, & volup-

Helluones Acephalo comparantur; & qualis iste sit.

vide s. 2. n. 6.

& voluptates sensuales spectant, & terminantur; ideò meritò, Clemens Alexandr. hos vocat Acephalum, hoc est, monstrum sine capite: *Mihi, ait, videtur is, qui à Mathematicis dicitur Acephalus, qui ante stellam errantem enumeratur, capite in pectus compresso, significat helluones homines, & voluptarios, & ad ebrietatem propensos; nam in his quoque rationandi facultas, non in capite, sed in intestinis collocatur*; quare si Apost. ait: Membra nostra, Spiritus Sancti instrumenta esse, & Dei templum, vt p. Cor. b. *Nescitis, quia membra vestra, templum sunt Spiritus sancti*; ecce helluones, & ebrij, hæc diaboli faunum, vitiorum omnium efficiunt cloacam, & immunditiarum quarumcunque conuertunt in sentinam, vt Chris. hom. 58. de ebrio voluptatibus sensus, & terrenis delicijs incubante, ait: *Os, oculos, aures, & cætera simpliciter sensuum instrumenta in amarissimas voluptatis conficit cloacas*.

Clem. Alex.

Ebriosi mẽbra, quę spiritus sancti instrumẽta, & vasa sunt, diaboli, & vitiorũ, efficiũtur cloaca.

Chris.

2 Non parum Dauid humanæ naturæ derrogasse videtur, dum hanc ad infimam iumẽtorum conditionem, sua oratione depressit, dicens: Ps. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, cum priùs ad Angelorum dignitatem, propius accedentẽ illam, extulisset, vt Psal. 8. *Minuisti eum paulò minus ab angelis*; imò ipsis angelis hominem prętulisset, & honore præposuisset, cum illos hominum custodiæ deputauerit Deus, vt Ps. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*; quomodo ipsum hominem à tantæ dignitatis solio, eleuatum, abiectè, ne dicam turpiter, ad infimam brutorum conditionem, modò ita deponit? Sed hoc non videbitur mirum, si hominem ad crapulas, & ebrietates deflectentem conspexerimus. Ebrietas enim Circes illa venefica, & maga est, quæ homines in bruta conuertit, imò, & ipsis iumentis adhuc reddit, efficitque peiores; quinimò ad ipsam miseram dęmoniaci conditionem feritate, furore, & amentia, ipsos helluones, non commiseratione dignos, pertrahit, cum sponte malum quod patiuntur, in se attrahant; vt benè idem Chrisostomus, vt supra ait; *Quid copia deliciarum, & fœditas non mali adducit? Sues ex hominibus facit, imò verò multò peiores: sus enim in luto voluitur, & stercore nutritur, hic verò nullo à dæmoniaco separatur; Imprudens enim, & furiosus pariter est: & dæmoniacum quidem omnes miseremur, hunc verò auertimus, & odimus, quia spontè sibi furorem attrahit*.

Helluones, & ebrij, quomodo in iumentorum, imò dęmoniaci naturam deflectant.

Ebrietas, Circes, hominem in beluam, & dæmonem conuertit.

Chris.

3 Non homines reputandi sunt ebrij. Homo à Deo liber creatus est, libero, vt potè pollens arbitrio, quinimò Dominus constitutus super volatilia cæli, bestias terræ, & pisces maris, vt ex eiusdem priuilegio patet, Gen. p. *Dominamini piscibus maris, volatilibus cæli, & bestijs terræ*: imò omnium sublunarium Dominus, vt Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*: verum maximè dominium gerere dignoscitur, cum ratio sensibus principatur; quod si contra accidit, vt rationis, sensus dominetur, vt in peccatore, maximè verò vt in ebrio deprændhenditur; tunc tale dominiũ hominem amittere, & miseram animam diaboli captiuitati ebrietatem subigere, & rationem, sensus effici mancipium, clarè patet, vt D. Chris. ser. 2. ait: *Ebrietas, & crapula cogitatum aggrauans, carnẽq; deprimens, captiuam reddit animã*. Et non verè hominem, sed potiùs euiratum censerem, cum, qui crapulis,

Quatenus ebrij, ab hominis dignitate, & conditione declinent.

Chris.

pulis, & ebrietatibus vacat: hinc non sine mysterio dicitur de Putiphar: Eunuchus, & princeps exercitus. Gen. 39. Philo hebr. lib. de tumulentia legit: *Eunuchus, & princeps coquorum*, quasi euiratum animum habeat, non masculum veri hominis, qui artifex est ferculorum, quibus gulæ inseruitur; ideò ait Philo: *Sterilis castrataq; animæ officium est gaudere pistoris operibus sumptuosis, atque poculis, & curiosis condimentis cupediarum.*

Phil. hebr.

Phil. hebr.

4 Et quod etiam ipsis bestijs ebriosi deteriores reddātur; ex vtrorumque natura, & proprietate dignosci posse crediderim: Bestiæ enim famelicæ amœnum, & florens ingressæ pratum, herbas carpunt, & auidè rapiunt ad cibum, donec famem expulerint, saturæ verò prædæ parcunt: helluones verò etiam pleno ventre cibos quærunt, & ebrij vina generosa adhuc ingurgitare, non desistunt, nisi cum somnus eos deponit; quare Chrisost. hom. 58. super Matth. ait: *Nolite peiores bestijs homines fieri.* Et rursus clariùs ait: *Bestijs peiores sunt ebriosi; nihil enim vltra quam opus est illa desiderant; isti verò mediocritatis terminos excedentes, irrationabiliores illis constituuntur: quanto enim melior asinus ebrioso; quanto canis præstantior.*

Helluones, & ebrij, qualiter ipsis bestijs peiores reddantur.

Chris.

5 Vel deteriores bestijs helluones dicere possumus, seu ebriosos; quia priuatio rationis in brutis, est necessitatis, in ebrijs voluntatis. Rursus brutæ animantes sunt oculis perspicaces, in ebrijs verò tantū abest, vt non hebescat ratio; vt etiā horum oculi caligent, quibus videntur omnia circumferri, vt verificari possit illud Psal. 113. *Oculos habent, & non videbunt*; quare meritò Es. 28. *Errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem*; hoc est vt exponit Hug. Card.: *Deum, qui omnia videt*: quare, & mentis, & corporis lumine, quodammodo priuantur.

Priuatio rationis, in iumentis est necessitatis, in ebriosis, voluntatis.

Hug. Card.

6 Aiunt, qui naturæ secreta rimantur Crocodilum sub aquis, hebetes habere oculos; extra aquam verò acutè subtiliterque videre; sic eius, qui inter crassas epularum, & ciphorum aquas immoderatè, & nimis auidè natat, acies mentis secutitur, & obnubilatur, & quæ recta ratione agenda sunt, minimè discernit; at extra aquam deliciarum, oculos mentis detinens, perspicacitatem intellectus ad recondita inuestiganda, & inuenienda, & recta agenda seruabit; nec terrenarum humiditas oculos mentis nostræ vitiorum caligine poterit obtenebrare; & ideò D. Hieronymus ait: *Pinguis venter minimè generat tenuem sensum, quem tamen abstinentia serenat*; quare mirum non erit, si helluones, & ebriosi mentis caligine obtecti, quæ propriæ salutis suæ sunt, nō secernant, & ad omne malum incalescant; siquidem vbi ebrietas regnat, omnia etiam ibi vitia dominentur, vt D. Aug. ad Sacras Virgines ait: *Ebrietas, est flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum*: quæ quidem vitia, vt diaboli commilitones, & animæ hostes, ab ebrietatis Duce, ne dicam, proditore, ad eiusdem animæ internitionem, velut arcem Christi à Diabolo expugnandam, sensim perducuntur, vt Greg. in reg. *Gula*, ait, *innumera vitiorum agmina, ad anima conflictum producit.*

Crocodilus sub aquis hebetes, extra aquas perspicaces oculos habet, sic homo &c.

Hieron.

August.

Greg.

7 Inter cœtera vitia, quæ velut infecti riuuli ab ebrietatum lethæo fluuio emanant, luxuriam in primis considero, quæ ita indissolubili amicitiæ vinculo ebrietati connectitur, vt alteram ab altera secerni posse haud possibile videatur, &

ex

ex membrorũ vicinitate, intrinſeca, & mutua quoq; inter ipſas vitiorum redditur, & intercedit affinitas; vt D. Hieron. in quod. ſer. ait: *Semper ſaturitati iuncta eſt laſciuia: Vicinæ igitur ſunt, venter, & genitalia, pro membrorum ordine, ordo vitiorum*. Herodes, qui conuiuia ſectabatur; inceſtum publicum non exhorrebat; quare Sapiens Prou. 20. ait: *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas*. Et quis Armitum, & Cyanippum Siracuſanos ad tam infame dedecus pertraxit, vt decore paterno honeſtatis poſthabito, filias proprias ſtupro contaminare auſi fuerint? nimiùs profectò vini potus, quo in ebrietatem lapſi ſunt; ait Plutarchus: Sed ſi, & adhuc grauiores ebrietatis exceſſus audire vultis, D. Auguſtinũ ſer. 33. ad Fratr. in Erem. attendite, qui ait: *Vobis narrare intendo, quid accidit præclariſſimo ciui noſtro Cyrillo; filium, vt ſcitis habebat, & quia vnicus erat, eum ſuperfluè diligebat; ideò ſuperfluo amore inebriatus filium corrigere negligebat; & ille ebrietatem perpeſſus, matrem prægnantem nequiter oppreſſit; ſororem violare voluit; patrem occidit; & duas ſorores vulnerauit ad mortem*; quare in ebrietatis fœdiſſimum vitium inuehens, ſequitur, dicens. *O doloroſa ebrietas, omniũ malorum mater; omnis luxuriæ ſoror; omnis ſuperbiæ pater*. Hinc eſt, quod in hoc ebrietatis vitio confiſæ, filiæ Lot, hunc earum patrem ad carnis lenocinia ebrietate ſopitum pertrahere, vt ipſius, in ſe ipſis ſeruarent ſemen, auſæ fuerint; vt Gen. 19. *Veni*, ait filia Lot, *inebriemus cum vino dormiamuſque cum illo, vt ſeruare poſſimus ex patre noſtro, ſemen*.

Hieron.

Ebrietas, & luxuria, qualiter conſociantur.

Hiſtoria eorum, qui ex ebrietate in ſtupra, & homicidia deflexere.

Plutarch.

Auguſt.

Auguſt.

Filiæ Lot, hunc inebriant Patrem, vt ad luxuriam cũ eis pertraherẽt

8 Antiquitus, vinum Veneris lac dicebant; Vini enim potu, & ebrietate luxuria, velut lacte nutritur, hoc adoleſcit, caſtitas verò, & puritas perimitur, & virtutes abolentur; quare ſcitum illud Ariſtophanis meritò refert Athenæus lib. 10 Gymnoſophiſton dicens: *Rectè Ariſtophanes Veneris lac vinum appellat, his verbis: Suaue potu vinũ eſt; nempe Veneris lac, quod multum haurientes, nonnulli flagitioſa, & illicita Veneris cupiditate, inflammantur*. Magis noxium iſtud lac, quam illud, quo ſopitus à Iahele, Siſara interimitur, vt Iud. 4. qui igitur necari non vult, ſuam caſtitatem, vini lacte non ſopiatur.

Athenæ.

Vinum, Veneris lac, quo ad illicita ebrius inflãmatur.

9 A lactis metaphora non diſceſſit Petrus Abb. Cellenſ. lib. 3. Epiſt. 10. dum luxuriam, & ebrietatem collactaneas appellauit, ac ſi eodem lacte nutrirentur; eodem adoleſcerent, & id vinum, quod ebrietatem nutrit, luxuriam quoq; nutriret; ideò ait: *Interim collactaneã eius* (ebrietatis) *luxuriam eodem acumine potiùs pungamus, quã pingamus*; quibus verbis, arctiſſimum vinculum horum proditur vitiorum, quo ebrioſi luxuriæ quoque indiſſolubili laqueo inodantur; quare Ouid. 3. de art. Amandi: *Cũ Veneris puero, non malè Bacche facis*; quocirca Apuleius lib. 2. metamorph. de vino loquens ait: *Ecce Veneris hortator, & armiger*; Quare Antiqui lagenas annulo obſignaſſe certiſſimum eſt, vt teſtatur Martialis lib. 9. Epigram. dum ait: Nunc ſignat meus anulus lagenam. Qui igitur immoderatè viuunt, & parcitatis, ſeu ſobrietatis terminos excedunt, hos in luxuriæ inquinamenta, & alia vitiorum horrida lenocinia deflectere, neceſſe eſt; ideò ait Hippocrates: *Ventres hyeme, & Vere natura calidiſſimi ſunt*; ideſt, vt explicuimus, gulæ, & genio nimis indulgentes, ad omne malum deſiderio, & opere inardeſcunt: & aptam ad hæc rationem addit

Petr. Cellẽſ.

Ebrietas, & luxuria, quo modo dicãtur collactaneæ inter ſe.

Ouid.

Apul.

Martial.

Laert. addit Laertius, in vita Socratis lib. 2. cap. 5. dicens de adolescentibus: *Calor enim ætatis, uix sinit seruare modum*. Quare in omni vitiorum semita, sibi viam ebriosus inde sternit: in qua laxis libertatis habenis, desiderio, siuè appetitu, & opere nefando in vtroque sexu percurrit; vt D. Aug. ad Sacr. Virg. ait: *Ebrietas in utroque sexu cuncta mala appetit; nefanda committit*. — August.

10 In idolatriam, quæ maximũ est peccatum helluones, & ebrios deflectere animaduerto; ait Deus Deut. 32. *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*; ebriosus verò vnum, verumq; Deum dimittit, & alios admittit; quod est Idolatriæ peccatum grauissimũ, quia vt ait D. Th. 2. 2. quæst. 94. a. 3. *Honorem diuinum creaturæ impendit, quia quantum est in se, facit alium Deum in mundo, minuens principatum diuinum*; Ventrem enim sibi Deum efformat, & effingit helluo, & adorat; vt ad Philipp. 3. ait Apostolus dicens: *Quorum Deus uenter est*; nec ad huius veritatis probationem, longè euagabimus, si ad sacras veteris testamenti paginas recurramus, vt Exod. 32. habetur de populo Israelitico, qui cum abundantissimo illo, videlicet manna, cælitus demisso vesceretur, & satiatus fuisset, ecce ad idola mẽtem deuoluit, dicens Aroni: *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant*; sic aureo vitulo conflato ad idolatriam populus ille exsaturatus, deflexit.

Ebrietas in Idolatriam deflectere facit hominẽ. — D. Thom. — Abundanti cibo pastus Israel, ad vituli adorationem declinauit.

11 Ebrius secreta pandit, vt Prou. 31. *Nullum secretum, ubi regnat ebrietas*. Amicus non potest dici ebriosus, quia amicus fidelis esse debet, ideò Ecclesiast. 6. *Amico fideli, nulla est comparatio*; at cum helluo, siuè ebriosus amici secretum aperiat, nullo modo fidelis, sed proditor censendus, & per consequens, nec amicus reputandus, quare Ambr. lib. de Helia cap. 17. *Fidem*, ait, *potus excludit*. Hinc est quod Seneca epist. 84. dolijs musto plenis comparat ebriosos, dicens: *Musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in summam partem uis caloris eiectat; sic uino exestuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium*.

Ebriosus nõ potest dici amicus, q̃a non fidelis secreta pandit. — Ambr. — Senec. — Dolijs musto plenis cõparatur ebriosi.

12 Bonosius, Autore Flauio Vopisco, bibeat quantum hominum nemo; de hoc Aurelianus dicebat: *Non ut uiuat natus est, sed ut bibat*. Si quando Legati Barbarorum ad eum venissent, ipsis propinabat, vt eos inebriaret, vt ab eis per vinũ, omnia cognosceret, & extorqueret veritatem. Quod etiam de quibusdam Iudicibus fertur in reos factum fuisse ad veritatem eruendam; vt ait D. Ambros. lib. de Helia c. 17. *Plerique uino utuntur, ut equuleo, & quibus tormenta non eliciunt uocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ statum, salutem ciuiũ defensionis suæ prodant consilia, uirtus enim plerumque uincit dolorem: fidem autem potus excludit*.

Flaui Vopisc. — Aurelian. — Inuentio ad extorquendam veritatem, & occulta per vinum. — Ambr.

13 Ad rixas, discordias, & homicidia ebrietas tumulentos excitat. De Magno illo Alexandro Orbis Domino, audio, vt eius ferunt scriptores, plures amicos tumulentus, quam hostes in prælio armatus interfecit; quare D. Aug. ad Sacr. Virg. *Alexander omnium Victor uino uictus est. Infiniti uerò nimio uino impellente iniusta impiaq; homicidia commiserunt, quam plurimæ urbes diù obsessæ, nec raptæ, custodibus somno, uinoque sepultis, & hostibus patefactæ sunt, & incendijs concrematæ*. Et quis locum dedit Iudith, & Holoferni caput amputandi, opportunitatem attulit? quis mulierculæ animum addidit, vt ad potentis Regis, & formi-

Alexander Magnus plures amicos, tumulatus, quam hostes armatus occidit. — August. — Iudith Holofernũ occidendi, ex huius tumulentia animum assumpsit.

dabilis

dabilis Ducis conopeum noctu accederet, & manu, colos, fuſum, & acum, vt ita dicam ſolita pertractare, ferrum animoſa perſtringeret, & necem præmeditatam audacter inferret? quomodo mulierculus timor, virilem ſuperat audaciam, fœmineus ſexus, & fragilis, Regis fortitudinem proſternit? Regis tumulentia anſā dedit, enſem ſubminiſtrauit, animum addidit, vires ad victoriam, & ad Regis vires enervandas ei contulit; ideo Iudith. 13. dicitur: *Porrò Holofernes iacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus*: quare præclarè D. Ambr. lib. de viduis ait: *Inebriatis vino viris, & ſomno ſepultis abſtulit vidua gladium, exeruit manum, bellatoris excidit caput, per medias hoſtium acies intemerata proceſſit. Aduertatis igitur, quantum nocere poſſit mulieribus ebrietas, quando viros vina ſic ſoluunt, vt vincantur à fœminis.* Ambr.

Et ſomni longiſſimi. tex.

§. II. Qui in crapularum, & ebrietatum ſomno obdormiunt, non tam facilè à vitiorum ſopore expergiſcuntur.

1 Somnus moraliter pro culpa intelligitur, vt Apoſtol. ad Epheſ. 5. ait: *Surge, qui dormis, exurge à mortuis; à peccatis*, ait D. Hieronymus hic; ideò ab horum ſomnolentia ad diuinæ gratiæ lucē, pœnitentia aſſurgendum, & mentis oculos adaperiendum nos hortatur Apoſt. ad Rom. 13. c. *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.* Somni propterea eorum in ebrietatum, & crapularum ſtrato ſordeſcentium, in quo diù culpa obdormiunt, longiſſimi reputandi ſunt, à quibus nō ità facilè ad pœnitentiam expergiſcuntur, vt verificari poſſit de cis, illud Apocal. 22. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*, helluones enim, & ventri indulgentes, ità in crapularum, & ebrietatum ſomno placidè conquieſcunt, vt veluti ſues in ſenſualium harum voluptatum, & vitiorum volutabro ſordeſcentes, propriæ ſalutis commoda, & beneficia non perpendentes, veluti mēte excæcati, turpiter obdormiant; ideò Hug. Card. ſuper 1. Theſal. 5. ait: *Ex ebrietate ſequitur ſomnus, ſimiliter ex nimio amore affectus, ſequitur excæcatio in intellectu; quia nimius amor non habet verum iudicium.* Hieron. — Ex ebrietate ſomnus, & mētis excæcatio. — Hug. Card.

2 Benè Ouid. amor. lib. 2. ſomnū mortis figuram referre cenſuit, dicens: *Stulte, quid eſt ſomnus, gelida niſi mortis imago?* nam qui in ebrietatum culpa obdormiunt, verè Deo, & propriæ ſaluti mortui reputandi: oculos enim habent, & cæli viam non vident; legis diuinæ præcepta non aſpiciunt: Aures habent, & ſalubria ſuperiorum monita, & diuinas inſpirationes non audiunt: Os habent, ſed in diuinis laudibus obmuteſcunt: Manus habent, ſed à pietatis, charitatis, & pœnitentiæ operibus vacant: ſic pedes habent, ſed in via cæli ſuos nō dirigunt greſſus, ad Eccleſias, ad Sacramenta pergentes: intellectum habent, ſed hoc non vtuntur, animæ detrimentum, minimè ad reſipiſcendum perpendentes; quare cum eſſe viuentis maximè vita gratiæ, ſit per operationem proportionatam; cum helluones, & ebrij à ſanctis operationibus declinent, ab eſſe vitali, ſaltem ſpirituali, reprobandi, & vt mortui repellendi, & reputandi; ideò Chriſ. hom. 13. *Viuens, inquit, in delicijs mortuus eſt, ventri ſolummodo viuit, & cæteris ſenſibus mortuus eſt; neque aſpicit, quæ aſpicienda, neque audit, quæ neceſſario audire conuenit;* — Ouid. — Ebrij, velut mortui reputādi, cum à bonis operibus vacēt. — Chriſ.

neque loquitur, quæ decet loqui; & paulo post etiam subdit: *Neque à præmio vitæ æternæ mouetur, quia eorum Deus venter est*.

3 Cum Nabucodonosor Hierusalem ad expugnandam obsidione cinxisset, misit Deus Hieremiam ad Sedechiam, & Principes eius, vt à peccatis suis Iudęi resipiscerent, & eos pœniteret scelerum, vt eorum, Deus misereretur, quare his plagas minatus est, si secus faxint, ait Isaias cap. 22. c. *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad singulum sacci*. An fortassis Iudęi ex huiusmodi comminatione exterriti ad pœnitentiam, ac alij Niniuitæ ad prædicationem Ionæ confugerunt? an pœnitentes diuinam misericordiam implorarunt, ad suorum veniam peccatorum? sicut enim sensualibus voluptatibus gulæ, & genio indulgebant, sic pro fletu, gaudij cytharam suscitauerunt, pro dolore culparum, lętitiam crapularum, pro ieiunijs comessationes, & ebrietates assumpserunt; ideò subdit textus, Is. 22. *Et ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*. Vini enim tumulentiæ assueti erant; ideò cum tempus eis instaret ad mortem, tempus, quod in pœnitentijs peragendis conterere debebant, in comessationibus, & crapulis impendebāt; ideò horum personam gerens Hug. Card. hic ait: *Ad quid affligemus nos, cum non possumus euadere, vt dicūt isti Prophetæ, melius est, vt dum viuimus delicijs affluamus, ne omnia amittamus*.

Ebriosi à Deo comminati, à pœnitentia refugiunt, ad ebrietates conuersi.

Hug. Card.

4 Hoc simile Hisæo Siracusarum Tyrāno, libet animaduertere, qui cum ab Aruspicibus accepisset se breui moriturum, non Patientissimi sententiam amplexus, dixit, vt Iob. 10. *Paucitas dierum meorum finietur breui, dimitte me ergo, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam*; non temporis spatium, ad corruptos mores temperandos, ad vitiosæ vitæ à Deo emendationē poposcit; non ad diuinam misericordiam pro suorum venia peccatorum impetranda, accurrit; non ad lamenta pœnitentiæ festinauit, confugit; non contriti cordis diuinæ pietati sacrificiū obtulit, vt comminatas diuinæ iustitiæ à se amoueret pœnas, sed totum gessit oppositum, qui iam tumulentijs erat assuetus, totum temporis spatium, quod sibi superesse præuidit comessationibus, & ebrietatibus impendit; ò cæcitatem deplorandam, ò cordis duritiam insuperabilem, hanc solam secutus est sententiam Apoc. 22. b. *Qui in sordibus est sordescat adhuc*; non solum in ebrietatū fimo, vt sus diabolica sordescere, sed diuinis quoque vocibus, æternis damnatus pœnis, voluit surdescere. Vide aph. 3. §. 6. fol. 254. n. 5. & seqq.

Hisæus mortis suæ præsagium, in ebrietates conuertit.

Quare, per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda. tex.

§. III. Copioso orationū, & correptionis fraternæ, siuè etiam animaduersionis alimento est nutriendus, dum in crapularum, siue, ebrietatis vitio, quis detinetur.

1 CVM ex se ipsis ebriosi in crapularum, & ebrietatum vitio sordescentes, rationis ferè dominio priuentur, & propterea brutorum

torum conditionem, naturamque sortiantur, vt nullo possint sibi esse adiuuamento, meritò, ne omninò deficiant in æternum interitum, misericorditer orationibus sunt succurrendi, vt Cant. 2. b. *Fulcite me floribus*, vbi Hug. Card. exponit: *Iuuate orationibus*. Quare D. Aug. Epist. p. ad Bonifacium ait: *Si enim equus, & mulus, quibus non est intellectus, morsibus, calcibus resistũt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera contrectantur, & cum inter dentes eorum, & calces sæpè homines periclitentur, aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores, & molestias medicinales reuocent ad salutem; quanto magis homo ab homine, frater à fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus; qui correctus intelligere potest, quantum sibi præstatur beneficium?* quare si brutis, aliquali etiam aliquando hominum periculo subuenitur, & eorum vulneribus, & necessitati medemur; quanto magis ebriosus orationum, & correctionum alimento subueniendus erit? maximè verò cum brutorum conditionem, vitio cõtractam ebrietatis, correctione valeat exuere, & ad rationalem rursus emendatione, naturam reuocari?

Hug. Card.

August.

Si brutis ad horum sanitatem, subuenitur, multo magis ebriosis, pijs remedijs succurrendum.

2. Neque simplex meo iudicio, correctionis vox, & clamor, vt ebrietate somnolentos excitet, & ad emendationem expergiscantur, vt vitiorum somnum excutiant sufficere videtur, sed pluries reiteranda, & sæpius repetenda correctio, ideò ait Hippocrates: *Alimenta copiosiora sunt exhibenda*; maximè verò in eo in quo ebrietatis vitium inoleuit, ait enim Poeta Horat. p. Epist. 2. *Quo semel est imbuta, recens seruabit odorem,*

Testa diù:

quare si maximè ab infecto odore eam purgandam multiplex lotio, & confricatio est adhibenda, quanto magis ebriosi vas, vt à fetenti ebrietatis odore, diù habitu contracto, purificetur, salutari reiterata sæpius correptionis vnda, erit abstergendum? Clarè etiam experiẽtia cernimus, quod si plantam, quę in terra, fortiores radices emisit euellere, & extirpare volumus, non simplicem, sed multos conatus, & instrumentorum ictus adhibemus; & quomodo infectam ebrietatis, & vitiorum plantam, diù peccatoris, & ebriosi terræ radicitus infixam, simplici correctionis; & orationis ictu, & excussione poterimus diuellere? quare benè Chrisostomus hom. de Dauid. & Saul ait: *Quoties enim aliquis morbum, qui tam radices egit in anima, multoq; tempore concretus sit, radicitus euellere voluerit, non satis est ad correctionem, vnius diei, duorumq; admonitio, verum oportet frequenter, ac diebus compluribus in hac cura versari, si ad fructum, munus hoc gesturi sumus.*

Horat.

Ad ebriosi salutem, sæpè iteranda correctio, exemplo testæ malo imbutæ odore.

Chris.

3 Cum filij Iob vicissim inter se conuiuia, vnusquisque die suo celebrarent; præuidens Sanctus, & pius pater, quæ ex assiduis epularum, & poculorum conuiuijs possent vitiorum germina pullulare; veritus, ne culpa delinquerẽt, quod si fortè deliquissent, mittebat, illorum salutis anxius, & sollicitus, qui sanctificaret eos, vt Iob. p. *Cumque in orbem transissent dies conuiuij mittebat ad eos Iob, vt sanctificaret illos, consurgensq; diluculo offerebat holocausta pro singulis: Dicebat enim, Ne fortè peccauerint filij, & benedixerint Deo in cordibus suis: sic faciebat Iob cunctis diebus.* Ecce orationum, & holocaustorum alimentum, quibus spiritualiter filios suos deficientes reficere statuerat Iob; vt Deum, si fortè offensum haberent, placaret; & huius mi-

S. Iob, pro salute filiorũ in conuiuijs fortè delinquentium, sacrificio sollicitus.

sericordiam ad filiorum veniam, pro culpis impetraret. Facilè enim in assiduis cõuiuijs quis delinquit, vt Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*; & quomodo recalcitrauit? audi quod sequitur: *Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo*; quare D. Thom. super Iob. p. ait: *In conuiuijs vix, aut nunquam homines in munditia perseuerare possunt; quando vel per ineptam lætitiam, vel per inordinatam loquacitatem, aut etiam propter immoderatum vsum cibi offendant*; & iterum paulò post ait: *In conuiuijs interdum homines impuritatem contrahunt, sed etiam grauioribus peccatis immerguntur, aliquando vsq; ad Dei contemptum, & propter lasciuiam, ratione absorta, & à reuerentia diuina abstracta*, sicut in Exodo dicitur: *Sedit populus manducare, & bibere; & surrexerunt ludere*, idest, vt explicat idem D. Thomas: *Fornicari, & idolis imolari*. Perpendens igitur S. Pater filiorum pronitatem ad malum, vt hominum; ætatis feruentis imbecillitatem, & fragilitatem, ad illecebra proritantis, vt adolescentum; conuiuiorũ, epularum, & poculorum delicias, vt sensualium voluptatum stimulos; paterno amore zelans salutis filiorum, corde anxius, charitate pius, opere diligens, *Mittebat* ait textus, *ad eos Iob, & sanctificabat illos*. Sed qualis inquies erat ista sanctificatio? D. Thomas hic ait: *Vel quia salutaribus monitis instrui faciebat, vt si quid in conuiuijs deliquerant emendarent*; cui placito arridet Hug. Card. hic, qui ait: *Mittebat, qui illos corrigerent: sanctificabat, idest pro eis orabat*. Vel etiã, vt sequitur idem D. Thomas: *Quia expiationis aliquantum habebat, qua huiusmodi delicta expiabãtur, sicut etiam sacrificia ante legem data fuerunt*. Quare nõ solum contra delicias, quæ sæpe hominem ad inhonesta alliciunt, & quodammodo impellunt, filijs, hos sanctificando subueniebat, sed etiam contra imminentia grauiora mala, holocausta apponendo, omni mentis studio remedium adhibebat, vt pro eorum defectu Deum placaret, & diuinam misericordiam ad culparum, suorum veniam inclinaret filiorum; ideò sequitur: *Consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos*; quare benè Hug. Card. hic: *In hoc matura sollicitudo*, ait, *Iob circa filios notatur, non tardè, sed summo manè*, secundum illud Prou. 11. *Benè consurgit diluculo, qui quærit bona*, & etiam Prou. 23. dicitur: *Qui parcit virgæ, odit filium, qui autem diligit instanter erudit*.

D. Thom.

Culpæ in conuiuijs.

D. Thom.

D. Thom. Quomodo Iob sanctificabat filios.

Hug. Card.

D. Thom.

Hug. Card.

4 Quod contra accidit in diuite illo Epulone, qui inter cupedia cum impurus liguritor degeret, & in amplo vastoque crapularum, & ebrietatum mari placidè, iucundèque deordinatæ voluntatis prosperitatis, vento velis expansis, secundæ fortunę cælo sereno, enauigaret; altum terrenæ fœlicitatis petens, nulla tristitiæ piratarum incursione turbatus; cum à nullo nauclero animæ, & spiritualis eius salutis auido, qui eum cohortatione fraterna, & paterna charitate ad salutis portum emendatione dirigeret, duceretur; ecce eius culpis diuinæ misericordiæ obnubilato cælo, diuinæ iustitiæ ventis in eum ad vindictam excitatis, & ab his, eius spei velis abreptis, à diuinæ sententiæ fulmine, vitæ temporalis malo infracto, vt Luc. 16. *Mortuus est diues*, in profundum, ad æterni supplicij miserrimè demersus est interitum: *Et sepultus est in Inferno*. Copioso igitur orationum, & fraternæ charitatis cibo crapularũ, & ebrietatum ama-

Diuitis Epulonis naufragium in Infernũ, correctoris Nauclero deficiente.

amatores sunt enutriendi; ne deficientes iterum in nouas labantur culpas, & in grauiora inde scelera corruant; quare Ecclesiast. 19. c. dicitur: *Corripe amicum; sæpe enim fit commissio*; & paulo ante etiam ait: *Corripe amicum, ne iterum addat facere*.

Quo ad quartum paragrophum vide aph. 8. §. p. & 2.

Quo ad quintum paragrophum vide aph. 14. §. 2.

APHORISMVS SEXTVSDECIMVS.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert; maximè verò pueris, & alijs, quibus tali victu, vti consueuerunt. tex.

Ordo Medicinę corporalis.

EGIT in præcedentibus, de cibi quantitate Hippocrates ægro præscribenda, secũdum naturam ægrotantium; temporum, & ætatum ratione habita; nunc ad qualitatem victus se confert in præsenti explicandam; qualis scilicet iste debeat esse; ait igitur: *Victus humidus febricitātibus omnibus confert*; & ratio quare febrientibus victum humidum imperet Hippocrates adhibendum, suadetur ex hoc, quia cum febris sit passio calida, & sicca, & conuersio, siuè declinatio natiui caloris ad igneum, cum vt ait Philosophus: *Contraria contrarijs curentur*, meritò ad febrim curandam, vt potè siccitate, & calore vigentem, humidus victus illi, vt contrarius erit adhibendus. *Maximè verò pueris*. Pueros enim natura calidissimos, esse supradiximus; victus propterea humidus his quoque proderit. *Et alijs, qui tali victu, vti consueuerunt*; ratione consuetudinis, alijs etiam opportunus conferet humidus victus, quia eorum naturæ conformatur, qui talem consuetudinem assumpserunt.

Medicina corporalis.

Quid sit febris.

Egimus, & nos moraliter in superioribus Aphorismis, de Spiritualis victus quantitate, siuè ægro peccatori, siuè alijs præscribenda, temporis, & ætatis, vt diximus, moraliter ratione inspecta; nunc ad eiusdẽ spiritualis victus qualitatem, peccatoribus, siuè alijs conuenientẽ descendimus exponendã. Dicimus igitur: *Victus humidus febricitantibus omnibus confert*: Iste victus, humidus, dici possunt lacrymę, quę quidem primo dicuntur victus, quia cibus sunt animæ, iuxta illud Ps. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte*, sed ait D. Hieronymus ibi: *Quomodo potest de lacrymis panis fieri? potest; quia sicut corpus satiatur pane, ità anima lacrymis, quibus sperat remissionem peccatorum habere*; & Ps. 79. *Cibabis nos pane lacrymarum*; vt etiam D. August. in Ps. 41. ait: *Non amaritudo, sed suaues panes erant mihi lacrymæ*. Et iterum serm. 11. ad Fratr. in Erem. idem August. ait: hu-

Ordo medicinæ spiritualis.

Medicina spiritualis.

Hieron.

August.

August.

Fletus sit panis noster, quem die, ac nocte comedere debemus. Est igitur huiusmodi lacrymarum victus humidus, qui de venis cordis præ dolore, & contritione culparũ erumpens, ab oculorum canalibus effluit, & diffunditur, vt etiam Celius Rodegin. lib. 12. antiquit. cap. 3. ait: *Non est aliud lacryma, quam aqueus humor ab oculis profluens ex imo cordis*; cui expositioni arridet Hug. Card. in Hierem. 9. qui ait; *Lacryma est salsa, humida, pura; salsa pro peccatis proprijs: humida pro alienis, vt scilicet duritia cordis emolliatur, pura pro incolatu huius miseriæ: calida pro desiderio æternæ patriæ*. Febricitantes spiritualiter sunt peccatores, qui in culpæ strato decumbunt à qua liberari enixè petebat Dauid, dicens Ps. 40. a. *Sana animam meam, quia peccaui tibi*; vt etiam Ambr. super Luc. 4. Hieron. super Matth. p. Huiusmodi igitur febricitantibus peccatoribus; victus iste humidus lacrymarum videlicet, ad animæ salutẽ pro diuinæ gratiæ sanitate recuperanda, confert: quare Cassiod. in Ps. ait: *Fletus, est cibus animarum; corroboratio sensuum, & ablutio peccatorum; refectio mentium, lauacrum culparum*. Et clarè etiam Ambr. de obitu Valentiniani. *Pascunt*, ait, *frequenter lacrymæ, & mentem allenant fletus*. Et ratio quare spiritualibus ægris hic lacrymarum victus conferat, adduci potest; nam cum peccatum, siuè spiritualis febris, sit passio calida, & sicca concupiscibilis, ad igneam æternæ flammæ ob malitiam protendens, & declinans, meritò talis lacrymarum humidus ad peccati curationem expediet, victus, & ad animæ conferet salutem, vt Aug. in Ps. 94. *Si ardet conscientia delicti, lacrymis extingue flammã peccati*. *Maximè verò pueris tex.* Pueri sunt sancti, & iusti, siuè innocentes, de quibus Saluator Matth. 18. dicebat: *Nisi efficiamini vt paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum*: vbi D. Hieronym. lib. 3. Comment. in Matth. ait: *Non præcipitur Apostolis, vt ætatem habeant paruulorum, sed vt innocentiam, & quod illi per annos possident, hi possideant per industriam, vt malitia non sapientia paruuli sint*. Pueris igitur scilicet iustis, hic, lacrymarum victus ad diuinæ misericordiæ nobis salutem implorandam, & ad peccatorum veniam impetrandam, confert; quare Eligius Nouiomensis Episc. hom. 11. in Cœna Domini ait: *Magnus profectus est lacrymarum, plorando seruus, propitiatur Dominus; filius lacrymis mitigat patrem, & asperam matrem plorans mulcet paruulus*; maximè cum sint calidissimi, diuini scilicet amoris igne feruescentes. *Et alijs, qui tali victu consueuerunt*; hoc est qui diuinæ gratiæ lacrymis, sunt beneficia assecuti, à tali petitionis forma, pro futura gratia non deuient, non declinent: ait enim Chris. in serm. *Nemo ad Deum, aliquando flens accessit, qui non quod postulauit accepit*, ergo multò magis, qui Deum solitus est lacrymis exorare, ad noua beneficia obtinenda à lacrymis petẽdo, non desistat, fletibus aucupet gratiam, ait enim Ouid. *Interdum lacrymæ pondera vocis habent*; hinc ad paragrophos descẽdamus.

Celius Rod.

Qualiter lacrymę dicãtur, victus humidus.

Hug. Card.

Febricitantes spirituales, peccatores.

Ambr.

Hieron.

Cassiod.

Ambr.

Ratio, quare ad peccatoris salutẽ, lacrymæ cõferant.

August.

Quomodo iusti, & sancti puerorũ vocentur nomine.

Hieron.

Elig. Nouio.

Chris.

Ouid.

Victus humidus, febricitantibus omnibus confert. tex.

§. I. Pœnitentium lacrymæ ad veniam, & animæ salutem, conferunt peccatorum.

Maximè verò pueris. tex.

§. II. Iu-

§. II. Iustorum lacrymæ ad diuinam misericordiam exorandam, maximè conducunt.

Et alijs, qui tali victu vti consueuerunt. tex.

§. III. Diuinæ pietatis beneficia, lacrymis sæpè assecutus, pro nouis à Deo gratijs recipiendis, à lacrymis non desistat.

Victus humidus, febricitantibus omnibus confert. tex.

§. I. Pœnitentium lacrymæ ad ueniam, & animæ salutem conferunt peccatorum.

Quomodo lacrymarũ humidus victus, ad salutem spiritualem contulit, Magdalenæ.

1 SIBI forè vtilissimum huiusmodi humidum lacrymarum præuidit Magdalena victum, vtà peccati conualesceret morbo: Sensualium voluptatum æstu febriens, maximum culparum contraxerat morbum, vt Luc. 7. *Et ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix*; quare ad humanæ salutis Auctorem, Redemptorem nostrum cælestem animarum nostrarum medicum, pro animæ suę sanitate, accessit, vt bene Aug. lib. 50. hom. 23. ait: *Nouerat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandũ idoneum esse* (medicum) *ad quem venerat*, ideò pœnitentiæ, pro animæ suæ purgatione medicinam assumptura, humidum, & amarum sibi victum præscribit lacrymarum; secundum illud Ambrosij de obitu Valentiniani: *Pascunt frequenter lacrymæ, & mentem alleuant fletus*; sic domi Pharisei ad pedes Saluatoris prouoluta, cælestis vitæ panem esuriens, hæc: *Lacrymis cœpit rigare pedes eius*, ait Euangelista Luc. 7. Lacrymis inquam ex ocultis contriti cordis venis obortis erumpentibusq;, culparum maculas abstersit, à vitiorum fœditate, animam purificauit: copioso lacrymarum suarum imbre, & planctu, Saluatoris plantarum terram irrigauit, quę vberrimos diuinæ ei misericordię, & suarum veniæ fructus protulit culparum, quare Chris. hom. 2. super Psal. 50. *Martyres effundunt sanguinem, peccatores effundunt lacrymas: Meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontes lacrymarum profudit, & deleuit peccata sua.*

August. — Ambr. — Chris.

2 Lacrymæ ad peccatorum purgationem maximè conferunt. Videns Deus in prima mundi ætate, peruersum seculum, peccati totum pestifera remanere contagione pollutum, vt Gen. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*; volens mundum, siuè terram, à tam abominabili peccatorum fęditate purgare, cæli cataractis apertis, diluuij aquas demisit, quæ super terram inundauerunt, vt Gen. 7. *Cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Moraliter mundus iste paruus videlicet, dictus est homo, & immundus culpa; vel terra saltem originaliter, maximè verò culparum inquinamentis, & fœtore sordescens, vt Gen. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*, idest homo, vt Ambr. lib. de Noe, & arca cap. 5. ait: *Carnem posuit pro homine terreno, in quo carnis illecebra viam eius corruperit*. Vel, *omnis caro* potest sumi pro omnibus sensibus, & potentijs hominis, in quibus caro viget, & in pluribus dominatur, corrupit viam suam, à suo fine, & instituto à Deo, ad ei seruiendum

Lacrymæ diluuiũ, ad peccatoris terram animatam purgandam, & quomodo.

Ambr.

præscripto

Omnis caro, pro potẽtijs culpa corruptis, & qualiter.

præscripto declinans: oculus videlicet à cælo, ad quod aspiciendum creatus est, ad terram, & terrena aspectum demittens, vt Psal. 16. c. *Oculos tuos statuerunt declinare in terram*: auris à Diuino Verbo, & sanctis inspirationibus ad fabulas, & fœda colloquia deuians, vt 2. Timot. 4. *A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur*: Os ab oratione, & diuinis laudibus ad maledicta, & blasphemias, & dolos deuians, vt Psal. 49. *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos*: Manus à pijs operibus cessantes, ad scelera, & rapinas extensæ, vt Mar. 3. *Erat ibi homo habens manum aridam*: Pedes ab Ecclesijs deuiantes, ad turpes scenas inhonesta loca, ad scelera, & vindictas festinantes, vt Ps. 13. b. *Veloces pedes eorum, ad effundendum sanguinem*: Cor à Deo recedens Dæmoni præstans obsequium, secundum illud, Esai. 29. *Cor autem eius longè est à me*: Voluntas, peruersè à rationis consilio declinans, vt Ps. 35. a. *Noluit intelligere, vt bene ageret*; & tandem omnes potentiæ in vnum contra Deum conspirantes: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*; ecce terram peccatoris maxima vitiorum contagione fędatam. Quid igitur peccatori agendum? ne à diuinæ iustitiæ diluuio ad æternam mortem abripiatur, & à terra viuentium deleatur, ipse sibi diluuium pœnitentia cogitet, lacrymarũ, ad terram animæ suę à peccatorum fœditate expiandam, dicens intra se cum Hieremia c. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte?* Petat à Deo suorum contritionem peccatorum; aperiat cataractas cæli; hoc est contriti cordis venas, vel rationis ad infelicis sui status agnitionem, ad culparum grauitatem ponderandam, sensus, & potentias suas ad seruiendum Deo redactas, in officio ad pœnitentiam contineat, dicat: Gen. 6. *Pluuam super terram*, conscientiæ meæ, *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, hoc est pœnitentię tempus, siuè terminum non admittat, lacrymas fundendo pro peccatis, vt Ps. 6. b. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*. Iste est victus humidus lacrymarum continuus pro spiritualibus febricitantibus ad salutem adhibendus, vt August. in Ps. 41. ait: *Panis lacrymarum die, ac nocte comeditur*; hoc est diluuium, quod animæ nostræ culpa infectæ terram purgat, vt Chris. hom. 2. in Ps. 50. *Lauant lacrymæ cõgeriem peccatorum, extinguunt culpam, exiguũt veniam*. Et clarius S. Greg. Nazianz. oratione 3. ait: *Lacrymæ sunt peccati diluuium, mundi piamentum, iter ad Deum*; & Chrisostomus hom. 6. in Matth. ait: *Sicut post vehementes imbres mundus aer, ac purus efficitur, ità post lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur, atq; tranquillitas omnisque illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissoluitur*.

August. Chris. Greg. Naz. Chris.

Quomodo hoc morale lacrymarũ diluuium, debeat efformare peccator, ad animę salutem.

3 Hoc lacrymarum diluuium, ad peccatorum submersionem, & animarum purgationem, necessarium forè crediderim: Dicebat Saluator Nicodemo Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnũ Dei*. Sed fortassis quis tanti mysterij ignarus dicet cum Nicodemo, quomodo homo, qui ad canos maturæ senectutis annos attigit, iterũ poterit renasci? *Nunquid senex* (dicebat Nicodemus) *potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?* Io. 3. Dicam tamen, quod homo natus temporaliter, spiritualiter

liter quoque enasci debet, natus seculo, renasci Deo: natus enim mũdo, originali culpa, mortuus est, vt 1. Cor. 15. c. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita, & in Christo omnes viuificabuntur*: quare spiritualiter, post generationem temporalem, spiritualis etiam baptismi ad cælestis regni hæreditatem consequendã requiritur, regeneratio, vt Aug. tract. 12. in Io: 10. ait: *Si propter hæreditatem patris, hominis temporalis nascitur aliquis ex visceribus matris carnalis; & propter hæreditatem patris Dei sempiternam nascitur ex visceribus Ecclesiæ*. Modò dicamus, diluuium est typus baptismi, quo perit peccatum, & seruatur iustitia; & mali perierunt in diluuio, & seruatus est iustus Noë, vt D. Basil. super Psal. 28. hom. p. Arn. super Psal. 31. Ambr. 2. de Sacra; Tertull. de Baptismo; D. Aug. 12. contra Faust., Cyrill. 6. super Io: 15. si igitur per baptismum renascimur Deo, & ab æterna eripimur morte, sic per diluuium lacrymarum, quæ dicuntur secundus baptismus, vt ait August. *Secundus baptismus est fons lacrymarum*, anima à peccatorum sordibus emũdabitur, & ab æternæ mortis eripietur naufragio; quare Hug. Card. super Gen. 7. ait: *Sancti exponunt, intelligentes per diluuium aquas baptismi, vbi omnia peccata delentur*; quare si in baptismo tres rerum species concurrunt, aqua scilicet, Chrisma, & vestis alba; ecce quod hæc tria pariter in secundo lacrymarum baptismo, siue alluuione peccatorum repertiuntur; vt in pœnitentiæ preclaro exemplari videre est, Magdalenæ; vt B. Laurentius Nouariens. Epis. hom. p. de pœnit. habet: *In his tribus speciebus, immunda mulier in lacrymis, & capillis, & vnguento, quasi fontem baptismi sui, de pedibus Christi extraxit. Nam in fonte baptismi, quid aliud est quam aqua, chrisma, & vestis alba: huic mulieri pro aqua fletus fuit, pro charismate vnguentum; pro veste capilli*. Sic in hac lacrymarum suarum alluuione, baptismi materiam, velut Parocho eius, Saluatori nostro deferẽs ad eius pedes procumbens, baptismi fructum, & effectum ad animæ suæ purgationem, & culparum ablutionem misericorditer est consecuta; nam lacrymarum suarum aquam de venis contriti cordis emanãtem, ab oculorum canalibus erumpentem, assumens cælestis Parochus Saluator, super caput eius aspersit ad animæ emundationem, & culparum ablutionem, vt Luc. 7. habetur. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: quare Abbas Cell. de panibus cap. 12. ait: *O mirum artificis ingenium; lacryma de venis erumpens peccatorum, profusa humiliter, absorbet omne peccatum*.

4 Cataractas cæli, idest contriti cordis sui portas, Regium Prophetam ad diluuium lacrymarum efformandum, pro eius animæ salute, ad eiusdem peccatorum submersionem aperuisse censendum, cum Psal. 118. dicit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*. Et vt magis pateat hoc lacrymarum diluuium, ab eodem vniuersali diluuio formam desumamus: ait Moyses quando descendit diluuium super terram Gen. 7. b. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram*. Isti fontes possunt dici omnes potentiæ peccatoris, ex quibus emanarunt, & eruperunt aquæ peccati, iuxta illud Iob. 15. b. *Bibit quasi aquã iniquitatem. Fontes abyssi*, vt dixi peccatoris, per metonymiam, effectum pro causa,

Sicut diluuium terrã purgauit, sic lacrymæ velut baptismus, animã ab omni culpæ contagione purificant.

August.

Basil. Arn. Ambr. Tertull. August. Cyrill.

August.

Hug. Card.

Diluuium, dicuntur aquæ baptismatis; figura, & symbolum harum, lacrymæ.

B. Laurent. Noua. Epis.

Magdalena lacrymis suis, velut baptismi aqua a Christo, velut Parocho, in Sacro pœnitentiæ, purificatur fonte.

Abb. Cell.

Diluuium lacrymarũ, quod efformauit Dauid, ad suarum submersionem culparũ, quale fuerit.

nam si abyssus culpam significat, vt Psal. 41. *Abyssus abyssum inuocat*; idest, vt ait Liran. *Culpa culpam*, multò magis peccatori, qui origo est peccati, abyssi competet denominatio, & clarè D. Th. in Ps. 32. *Ponens in thesauris abyssos hoc est peccatores in salutis portu: Rupti sunt*, igitur, *omnes fontes abyssi*, idest potentiæ peccatoris præ contritione ad pœnitentiam æquum est has aperiri, sicut apertæ fuerunt ad humores animæ noxios recipiendum, qui inde in vitiorum riuos effluxerunt, vt ad Rom. 6. c. dicitur: *Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra, seruire iustitiæ in sanctificationem.* Sequitur etiam textus Gen. 7. *Et cataractæ cæli apertæ sunt:* hoc est intellectus, qui in capite tanquam in cælo, vt in suprema hominis parte residet, apertus est, à Deo illuminatus, ad peccatorum suorum agnitionem, & ad horum grauitatem ponderandam; ex quorum inde consideratione: *Facta est pluuia super terram*, idest lacrymarum, ad pœnitentiam super terram animæ peccatoris, qui talis ob fragilitatem ad culpam, & spiritualem animæ mortē, dici potest, vt Gen. 3. *Donec reuertaris in terrā, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*; Et ecce pluuia siuè diluuium lacrymarum: Psalm. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*: vbi Cassiod. *Effusiones lacrymarum hyperbole, idest copiosas lacrymas, quasi fluenta fontium pro recordatione peccatorum*; idem confirmat Titelman. Hasselens. hic in 17. Octon. *Exitus aquarum &c. idest emanationes, vel riuos, siuè fluenta lacrymarum*; vnde S. Hier. *Riui aquarū fluebant de oculis meis.*

Lir.

D. Th.

Quæ sint, istæ cataractæ cęli, quæ in peccatore aperiuntur ad lacrymarum diluuium.

Cassiod.

Titelm.

Hieron.

5 Hunc versiculum legit Diuus Ambrosius in hoc Psal. 118. Octonario. 17. *In decursus aquarum descenderunt oculi mei*; ex quo magis sensus mentis nostræ aperitur, vt lacrymarum diluuium manifestetur, nam non solum lacrymarum pluuia pro culparum contritione, super peccatoris terram innundauit: sed etiam ipsi oculorum fontes, in lacrymas sunt resoluti; verba D. Ambrosij: *Habet enim hoc, vis summi doloris vt cum lacrymis oculi ipsi videantur descendere; eo quod tanta vis lacrymarum sit, vt putentur oculi in fletus resolui, & in lacrymas effundi.* Superat hic lacrymarum exuberans oculorum pęnitentis fletus, fontium, & fluminum aquarum fluxus; quocirca ille in diluuium pœnitentiæ conuersus peccatoris animam innundans, hanc ab omni culparum purgat cōtagio; quare Liranus hic: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*; sic exponit, idest: *plus fleuerunt, quam aqua manant de suis exitibus; sic flendo impetratur gratia, delens iniquitatem, & adiuuans voluntatem.*

Ambr.

Ambr. Diluuium lacrimarū, quia in has oculi resoluuntur, secundū D. Ambrosium.

Lir.

6 Sed quomodo, ait Psalmista, quod oculi non custodierūt legem Dei? Diuinam legem custodire, sicut, & transgredi hoc voluntatis actus, & opus est, non sensuum, non oculorum; dicitur enim: *Nullum peccatum, nisi voluntarium*; hoc est à voluntate manans; quomodo ergo diuinæ legis, oculis tribui poterit transgressio? sed dicamus ipsi oculi legem non custodire dicuntur, quando sunt occasio, vt lex non custodiatur: *Sunt enim*, ait Liranus, *portæ exteriores Ciuitatis Dei, quæ deberent claudi, vt intus in corde Dei lex esset immaculata, & imperturbata ab hostibus exterioribus* vt Ps. 36. *Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur*

Quomodo intelligatur, quod oculi non custodierint legem Dei, cum hoc voluntatis sit munus.

Lir.

buntur gressus eius; quando autem incautè aperiuntur istæ portæ, & subintrat hostis, scilicet diabolus, & peccatum, tunc oculi non custodiunt, sicut in persona peccatorum deplorat Hierem. 3. *Oculus meus depredatus est animam meam*; quare meritò membra, quæ instrumenta fuerunt culpæ, ad hanc diluenda, in instrumenta inuerti debent, pœnitentiæ; si igitur oculi, vt custodes pigri, ostium diabolico hosti aperuerunt, & ipsi ad lacrymas effundendas pro culpa diluuenda aperiantur, ideò; Exitus aquarum deducant oculi nostri ad pænitentiam, & deplorent oculi, quæ ipsorum causa, voluntas impiè perpetrauit.

7 Ad diuinam misericordiam pleniùs consequendam, & ad peccatorum suorum veniam impetrãdam Dauid, plures exquisijsse, & excogitasse modos, inuenio, præcipuum verò illud lacrymarum remedium adhibuisse, quo voti sui compos est effectus. Primò enim mihi videtur excogitasse sacrificijs posse placare Deum, sicut à Moyse petierat Deus pro peccato Aron, vt Leuit. 16. dicens: *Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum*; sicut Poeta etiam dicebat: Ouid. 2. & 3. de Art.

Inter alios modos, quos excogitauit Dauid, vnũ lacrymarũ ad suorum peccatorum veniam, creditur inuenisse.

Munera, crede mihi placant homines, Deosque;

Placatur donis, Iupiter ipse datis.

quare sacrificium cogitans dicebat Domino Psal. 65. *Introibo in domũ tuam in holocaustis*; & ait: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hircis*; sed ad hęc non respexisse videtur, Deus, sicut de Cain dicitur, Gen. 4. *Ad Cain verò, & munera illius non respexit*; imò faciem suam ab his auertit, dicens Ps. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos*; & ibidem infra etiam ait: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* & ipse Dauid in hac se cognouit esse petitione frustratum, vt Ps. 39. *Sacrificium, & oblationem noluisti*; & infra, *holocaustum, & pro peccato non postulasti*: Hic igitur modus, quasi diceret Dauid non mihi videtur sufficiens; aliam igitur placandi Deum, viam aggrediamur; considerans igitur orationis vim, & virtutem, dicens Ps. 33. d. *Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos*, sic hac fretus, ad orationis clamorẽ se conuertit, vt Deum ad misericordiam inflectat, dicens Ps. 68 a. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*; vbi Hugo Cardinalis ait: *Hac est deprecatio pænitentis, vel tentati loquentis ad modũ naufragantium, quorum nauis rupta est, & impletur aqua, tunc deprecantur Deum, vt saluas possint facere animas tantum*. Aquæ sunt omnia peccata, quæ vsque ad animam intrant per delectationẽ; suffocant per consensum; submergũt per operationem; computrescere faciunt per consuetudinem: Nauis, qua trãsire debemus mare mundi, est pænitentia, vel innocentia; orabat igitur, ne in mari tentationum, & iniquitatum immersus, æternæ mortis pateretur naufragium; sed neque ob id sibi prę̃sto adesse diuinum cernit auxilium, sed frustra se clamando laborasse fatetur, dicens ibidem Psal. 68. *Laboraui clamans rauces factæ sunt fauces meæ: defecerũt, oculi mei dum spero in Deum meum*; quare orationis vim perpendens, obstupescens suam à Domino non exaudiri orationem, huius reprobationis causam, quærens, ait; Ps. 87. d. *Vt quid Domine repellis orationem meam?* hanc igitur deprecandi formam sibi non prodesse

Primo in holocaustis Dauid diuinam implorat misericordiam.

Secundò ad orationis vim se conuertit.

Hug. Card.

desse conspiciens, aliam meditatur; multis quærens diuinam supplicationibus ad suorum veniam peccatorum interpellare, & fatigare, misericordiam, donec hanc, suis inclinem redderet votis. Primam igitur supplicationem proferēs ait: Ps. 50. *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam*: iterat preces; ibidem: *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*; multiplicat tertiò supplicationes: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*; & etiam quartam addit: *Asperges me Domine hyssopo, mundabor, & lauabis me &c.* alias quoque porrigit preces, neque tamen ex his diuinæ misericordię ad gratiam suorum peccatorum refertur hausisse decretum; quando tandem ad vltimum lacrymarum refugium cōuolare decernit, dicens Ps. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo:* vt Orig. hic: *Scitè vtitur ad expiationem, & excitandam Dei misericordiam*; sic contriti cordis sui venas adapetiens, ab oculorum nubibus lacrymarum imbrem demittens, pœnitentiæ diluuium ad animæ purgationem efformat, vt Theodoretus in Ps 6. ait: *Non me latet magna, & grauia admisisse peccata, veruntamen continenter lacrymas effundo pro ijs, quæ à me temerè, atque audacter patrata sunt deploro; & cubile meum turpitudine inquinatum, lacrymis abstergo, experiendo, an illud fletu abluere, & purgare queam*; tunc suorum obtinuit veniam peccatorum; ideò subdit ibi Ps. 6. *Dominus exaudiuit deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit*; tunc enim cum lacrymas effūdit, contriti cordis, neglectum priùs sacrificium; orationes exaudiuit; supplicationes reiectas, ad veniam repetit peccatorū; quare Chris. hom. 5. de pænit. ait: *Dixit lauabo, vt ostenderet lauacrum, & purgatorium peccatorum lacrymas esse*; & idem Chris. in ser. ait: *Nemo aliquādo ad Deum flens accessit, qui non quod postulauit, accepit.*

[Margin: Tertiò ad diuinam misericordiā, multiplicatis supplicationibus recurrit.]

[Margin: Tandem ad lacrymarū vltimum refugium conuersus voti compos effectus est.]

[Margin: Orig.]

[Margin: Theodoret.]

[Margin: Pijs misericordiæ oculis, ad gratiā aspexit, Deus lacrymis Dauid.]

[Margin: Chris.]

[Margin: Chris.]

8 Peccatorem, arescenti arbori comparari posse crediderim, quæ tanquam inutilis ab agricola inde præscinditur ad combustionem disposita; peccator, huiusmodi arbor est, homo enim ab Aristotele arbor inuersa dicitur, quæ culpa arescens, bonorum operum fructus minimè proferens, tantum Christiani nomini folia retinens, vt ficulnea illa à Saluatore maledicta, diuinæ iustitiæ maledictionem, & securim, ad æterni ignis conbustionem, vt succindatur, prouocat, iuxta illud Matth. 3. c. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*; Verum sicut arbor non arida absolutè, sed tantum arescens, si aqua irrigetur huius humore grauidescens, ariditatem fugat; sterilitatem ablegat; siccitatem repellit; viriditatem cōuestit; ornatur folijs; stipatur frondibus, & ad fructuum partus deuenit; quibus ab agricolæ indignatione, & à comminata securi, secura, & libera euadit: sic hæc peccatoris moralis planta, non malitiæ inueteratæ obstinatione arida, sed culpæ tantum fragilitate arescens ad pænam, si lacrymarum irrigetur aqua, à contriti cordis fonte profluente; si hæc moralis planta à plāctus humore madefiat, tunc pęnitentiæ in se vigorem colligens, iniquitatis siccitatem repellit; reatus ariditatem ablegat; sanctæ spei propriæ salutis viriditatem conuestit; bono proposito germinat, frondescit exemplo, & tandem dignos pęnitentiæ fructus, quibus à diuinæ sen-

[Margin: Peccator, velut arbor culpa arescens, lacrymarū aqua reuirescit ad gratiam.]

[Margin: Quomodo moralis peccatoris plāta, arescēs, aqua lacrymarum reuiuiscat.]

sententiæ, & iustitiæ falce liberatur, & ab æterni ignis combustione eripitur, profert, & edit, vt Petr. Abb. Cellens. lib. de panibus cap. 12. *Cum profusione lacrymarũ*, inquit, *tota irrigatur cõscientia, ligna producuntur facientia fructus vitæ*.

Petr. Abb. Cell.

9 Quod si, & adhuc lacrymamarum vim, & virtutem ad delendam culpam intimius quoq; perscrutari non dedignamur, ferè sanguinis Christi virtuti coæquari dixerim, quod vt pateat, mentis nostræ oculos in Latronem, Christum in pœnis associantem, conijciamus: hic latro in cruce pendens, à Christo illuminatus, fidei actum eliciẽs, Christum Deum, & Dominum cõfessus, ad cælestis gloriæ regnum aspirans, dixit, Luc. 23. f. *Domine memento mei cum veneris in regnũ tuum:* huius supplicationi, & desiderio latronis, annuens statim Christus, subdit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Sed dicam ego, quomodo hoc fieri poterat, vt cum Christo eodem mortis eius die Paradisi ianuas ingrederetur latro; cum tantũ quadraginta diebus post resurrectionẽ, elapsis, cęlos Christus conscenderit? Variæ circa hanc difficultatem, Doctorũ sententiæ prodeunt: Quidam exponũt, ly *Hodie*, cadere supra subiectum, non supra prædicatũ, vt sit sensus: *Hodie dico tibi, & consequenter, mecum eris in Paradiso*, sic D. Th. hic in cat. aur. Alij explicant hęc dicta, ad securitatẽ Latronis pro æterna beatitudine; sic Chris. hic in cat. aur. D. Th. Alij dicunt: *Hodie mecũ eris in Paradiso*, quia cum Christo erat; nam sicut dicitur, vbi Pontifex, ibi Roma, sic vbi Christus, ibi Paradisus: *Vbi Christus, ibi regnum*, sic D. Ambrosius; Sed tamen, tunc error temporis intercederet, dicere enim debuisset: hodie mecum es in Paradiso, quia cum Christo erat. Pro huius difficultatis solutione, obseruandum, quod Christus dixerat Nicodemo Io: 3. a. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnũ Dei*; ac si diceret; nisi quis baptismi gratiam fuerit assecutus, Paradisi ianuas ingredi, & mecum esse non potest; cum igitur latro multis esset criminibus obnoxius, & sceleribus coinquinatus, necesse erat, vt ab his mundaretur, ideò dixit huic Iesus: *Hodie mecum eris in Paradiso*; quasi diceret, modò modò non possum tibi æternæ salutis præmium, & beatitudinis cælestis priuilegia largiri, quia nundum es basptimi aqua purificatus, & aptus regno cælorum, hanc tamen tibi gratiam volo impartiri, sed sustine parumper, paulisper expecta donec è vita hac excessero, mihi mortuo latus perforabitur, ex quo sanguinis, & aquę vnda profluet, tunc hanc tibi, vt Summus Sacerdos licet vita functus, baptismi aquam hanc ministrabo, quæ sua, super tuum ascendens caput, virtute ab omnium culparum tuarum labe, & sordibus abluet, & emundabit, sic tunc baptizatus mecum eris in Paradiso; quare Chrisost. hom. de cæco tom. 6. ait: *Exierunt sanguis, & aqua; neque sic exierunt, vt simpliciter fluerent, sed cum impetu, vt latronis corpus aspergerent, vt latronem aspersum baptizarent*; sic è sacro lateris Christi fonte, baptismi materia ad latronis salutem emanauit. Modò ad nos, hæc aqua, quæ à Christi latere effluxit, est eiusdem virtutis cum eodem sanguine, cum simul æquè ab eodem diuino effluxerint supposito, cum igitur aqua hæc sit symbolum lacrymarum, ideò hæ vocantur secundus baptismus ab Augustino, dicente: *Secundus baptismus est fons lacrymarum*: si igitur Sanguis Christi nostra purgat

Lacrymæ quodammodo sanguini Christi videntur coæquari, declaratur in latrone cum Christo in Cruce.

Varię expositiones circa dicta Christi latroni.

D. Thom.

Chris.

Ambr.

Difficultatis solutio.

Ex sanguine, & aqua, è latere Christi manantibus, baptizatus latro, tunc cum Christo in Paradiso fuit.

Chris.

August.

Aqua lateris Christi, symbolum est lacrymarum; si illa igitur baptizat latronem, ita hæ pœnitentem.

Ambr.

gat delicta, vt p. Io: p. *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato*; sic lacrymæ eandem quoque virtutem affectumq; sortientur, ac propterea ab omni culparum labe animam purificabunt, vt Ambr. ser. 10. ait: *Lacrymæ sunt fontes salutis, quibus animæ abluuntur*; quare Sanguini Christi, lacrymas quodam modo sua virtute coæquari posse, non abs re animaduertisse, censendum; cum, & ipse Christus, vt Matth. 27. f. *Clamans voce magna emisit spiritum*; idest, vt ait Apost. ad hebr. 5. *Cum clamore valido, & lacrymis*; ac si lacrymas sanguini coæquari, suo exponere vellet Christus, clamore.

De hac lacrymarum materia vide Aph. 7. §. 3. per totum.

Maximè verò pueris. tex.

§. II. Iustorum lacrymæ, ad diuinam misericordiam exorandam, maximè conducunt.

Iusti veluti pueri diuinæ bonitatis matrem ad amorem, & ad gratiam rapiunt.

1 IVstorum animæ, meritò puerorum nomen ob innocentiam, & eorum vitæ sanctitatem sunt adeptæ, vt satis in medicina spirituali: quare sicut paruuli matris cor, amore rapiunt, quam licet indignatam quandoque lacrymis exorant, & ad gratiam inclinant, sic iusti diuinam bonitatem, vt pijssimam matrem, eorum orationibus, lacrymis fultis, ad misericordiam, & vt eorum votis petionum annuat, interpellant; ideò dicebat cælestis Sponsus Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*; *vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum*; quibus verbis maximam sponsus in sponsam cordis sui amoris, exprimit passionem, dum duplicat verbum: *Vulnerasti cor meũ.*

Chris.

Sed in primo dictu, simplicem amoris sui in eam prodit, & aperit passionem, qua ab eadem sponsa amoris petatur iaculo: in secundo dictu, & passionem, & modum simul, quomodo in corde feriatur, exponit, dicens; *Vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum*; sed quomodo sponsus ab vno oculorum sponsæ se vulneratum prodit? & quænam profectò in sponsæ oculis vis, vt sponsi valeat vulnerare cor? an amantium oculorum acies ad intuẽdum, fit hostium armatorum acies ad vulnerandum? an sponsæ oculus, & instrumentum ad amorem, fit basilisci oculus ad internitionem? si amor spicula fert, cæcus tamen est, quomodo ergo, qui caret oculis, ferit aspectu? si ferit oculis, amor non est; quia Cupido cæcus est; & quomodo oculus sponsæ sponsi ferit cor? nunquid sponsa in hostem, amor in odium, oculus in pharetram, aspectus in spicula inuertuntur, ad vulnus infligendum? & quomodo se vulneratum prodit in corde, cum talis sic vulneratus vitæ renunciet, & morti cedat, vt D. Ber. de Pass. Domini cap. 3. ait: *An ignoratis, quod vno vulnere tactum cor emoritur, & fit insensibile?* & quomodo ab vno oculorũ sponsæ? nunquid hęc monuncula? qnod si geminos habet oculos, cum vtriusque idem commune sit munus, ad aspiciendum, & feriendum (si sic dicere fas est) quare ab vno oculorum tantum sponsę, se vulneratum dicit? Multi ad huius versiculi expositionem insurgunt Doctores, eam tamen, quæ ad rem nostram facit, & ad difficultatis solutionem spectat adducemus. Hęc cælestis Sponsi soror, & sponsa iustorum est anima: *Soror Christi*; ait Ghislerius hic, *iure optimo dicitur pia anima, quatenus per gratiam, qua sanctificatur, diuinæ est cõsors*

Quomodo cælestis sponsus à spõsa, & sorore, se in vno oculorum vulneratũ prodit.

D. Bern.

Ghisler.

Anima iustorum, soror, & sponsa Christi, qualiter nũcupetur.

naturæ

naturæ; nisi dicere vellemus, sororem dici, in eo quod se diuinæ conformat voluntati, in sanctorum obseruantia mandatorum, vt dicebat Saluator Matth. 12. d. *Quicunque fecerit voluntatē patris mei, qui in cælis est, hic meus frater, soror, & mater est*; dicitur hæc eadem soror, sponsa, quia (dicerem) fidei anulo Christo desponsatur, vt Os. 2. *Desponsabo te mihi in fide*; sed quia præcipuo charitatis, & dilectionis vinculo Christo cōnectitur, & cum eodem vnum efficitur, veriùs Christi sponsa appellanda; nam ait idem Ghislerius: *Sicut carnales sponsi in duobus corporibus vna caro sunt*, iuxta illud Gen. 2. *Erunt duo in carne vna, ita in hoc spirituali connubio, vnum sunt pia anima, & Christus: vnum inquam dilectione, & spiritu* vt p. Cor. 6. *Qui adhæret Deo vnus spiritus est*; quare Paraphrasis, sic habet. *Vulnerasti ò anima, Soror mea, me in corde; quia sponsam meam pudicissimam te conspexi deuotam, actuque mihi adhærentem, & mihi, vt sponso tuo conformatam, in humilitate, & resignatione tribulationis*, hæc igitur anima iusti soror, & sponsa Christi, amoris sui iaculo, cor ferit Dei: *Vulnerasti cor meum*; Ambr. ser. 16. exponit: *Cor meum capisti*. Glos. interlin. *Vulnerasti cor meum &c. Pro amore tuo, carnem sumpsi, vel vulnerasti in Cruce*. Sed quomodo vulneratum se dicit sponsus à sponsa? *In vno oculorum tuorum*. Aponius exponit; per vnum oculum significatum asserit mundum cor, quo Deus videtur. Ricardus piæ animæ oculum intelligit contemplationem diuinorum, atque cælestium. Sed ad rem nostram tandem dicamus, in vno oculorum sponsæ vulneratur cælestis sponsus; sed quomodo? duplex est oculorum munus, videndi scilicet, & plorandi: In vno igitur

Ghisler. Paraphras. Ambr. Glos. Quomodo sponsus ab vno oculorum sponsæ se vulneratum prodit. Apon. Ricard. Duplex oculorum munus videndi & plorandi, in hoc feritur sponsus.

anima iusti, Christi cor vulnerat, dum in amorem Dei exardescens, prosui, & animarum salute lacrymas effundit; tunc pietate plena, Christi cor ad se rapit; ideò secundum versionem Septuag. exponitur: *Vulnerasti cor meum: Abstulisti cor, vel corde nos capisti*; vt quasi amore victus Deus, à lacrymarum potentia, animæ iustæ omnium desiderabilium gratiarum dona petenti largiatur; & diuinæ misericordię thesauros, lacrymanti animæ ad nutum cedat; quare Hieron. in Epist. ait; *O lacryma humilis tua est potentia, tuum regnum*; & paulò post addit: *Quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis*. Ideò Ghislerius ait: Eam ipsam, quæ tam grandi vulnere eius confixit cor, adeò eximijs cumulauit gratijs, vt sororem, ac sponsam illā nuncupauit. Ac si dicat Paraphrasis: *Beata certè es, quia vulnerasti cor meum, ex hoc namque vulnere, quo me sauciasti, tales è corde meo emanantes accepisti gratias, vt verè soror, & sponsa mea sis*.

Hieron. Ghisler. Paraphras.

2 Et quam, in vno oculorum suorum, ex vi lacrymarum piæ animæ sponsa, gratiarum copiam collegerit, cor vulnerando sponsi; ex eo conijcere possumus, quod ex vulnere lateris Christi in cruce pendentis effluxit. Secundum Cassiodorum, & Bedam, hoc quod dicit vulnerasti: *Potest referri ad vulnera, quæ Christus subijt in cruce*; & inclinare videtur etiā ad id Gregorius Papa: *Ac si dicat tuo amore fecisti, vt ego in Cruce vulnerarer*; & D. Bernardus de Pass. Dom. cap. 3. ait: *Carnale vulnus, vulnus spirituale ostendit, & hoc fortasse innuit ipsa auctoritas, in qua positum est bis vulnerasti; vtriusque enim vulneris ipsa soror, & sponsa causa est, ac si sponsus apertè diceret quia*

Gratiæ ex vulnere Christi, in piæ animæ sponsam manantes. Cassiod. Bed. Greg. Ber.

zelo

zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum. Modò dicam ego ex ipso sacri vulnere lateris, quid emanauit? audi D. Bern. ser. 6. in Cant. *Patet arcanum cordis per foramem corporis; patet magnum illud pietatis sacramentum, patet viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Et lacrymę sponsæ, animæ iustorum sunt, moralis lancea, quæ sicut materialis illa Longini feriendo Saluatoris mortui latus, à sua oculorum ægritudine fuit sanatus, vt ait Petrus de Natalibus, feriendo latus Christi, tunc dicitur secutiētes illius oculos fuisse sanatos; sic illa amoris Lancea, feriendo cor Christi, velut clauis, diuinæ misericordię scrinium adaperiens, infiniti, cælestium donorum ad animarum nostrarum salutem, gratiæ effluxere, thesauri; ideò serm. 15., vel potiùs Maximus, cuius sermo videtur, ait: *O beata violentia; quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur: beata* inquit, *violentia, quæ vim patienti, bonitate elicit; & vtilitatem tribuit inferenti.*

D. Bern.

Petr. de Natal.

Ex vulnere Christi, salutis nostræ effluxere thesauri.

Maxim.

3 Sed difficultas adhuc emergit; quare ab vno oculorum se vulneratum prodit sponsus, & non ab vtroque; cum vtriusq; oculi, idem sit munus, & videndi, & plorandi? Vix enim credi, aut fieri potest, vt vnus oculorum ploret, altero lacrymas refugiente. Sed dicamus, quod istud cælesti sponsi vulnus, quod ab vno oculorum sponsæ, vel sororis infligitur, amoris est, nec aliter esse potest à sponsa, seu sorore procedens; & quia sicut, qui vulnerat, arcum tendit, & vt sagittā emittat prius vnum oculum claudit, alterū ad signum eam collimandum aperit, vt in hoc feriat; sic piorum anima, vt veteranus miles in hac terrestri militia, cælū expugnare edocta, sui cordis, & mentis arcum in Deum tendit, & vt sui amoris, & affectus sagittam in Deum dirigat, & vibret, ad diuinum amorem suauiter, & piè vulnerandum, oculum alterum mundo, & terrenis rebus claudit, alterum fidei, & amoris in diuinam misericordiam ingemiscentem, adspirantem, suspirantem, pijs lacrymis irroratum, & aspersum aperit; quem lacrymis refusum in fidei feruentis acie perlucentem, spectans cęlestis sponsus, totus in illius rapitur amorem, & quasi coictus pia violentia lacrymarum, petionum suarum, largitur dona gratiarum; quare Ambr. ser. 15. *Cogimus regnum calorum, & vim quodammodo facimus, non compellendo, sed flendo, non prouocando iniurijs, sed lacrymis flendo.*

Cur ab vno, nō ab vtroque oculorū sponsæ, se vulneratum dicit, cælestis sponsus.

Ambr.

4 In vno hoc oculorum munere lacrymarum videlicet, ab Ezechia Rege se vulneratum, & quasi coictum ad gratiam corporalis salutis conferendam, & cęlestis animæ nostræ manifestat sponsus, dum illi denuntiata morte, vix spiritum inter corporis confinia detinens, ad diuinam misericordiam implorandam, pro eius salute gemebundus assurgit; lacrymis Deum prouocans ad gratiam, vt 4. reg. 20. dicitur: *Fleuit itaque Ezechias fletu magno:* Et quid ex hoc oculorum lacrymantium aspectu sequitur? ecce cælestis sponsi cor vulneratum ad salutem inferendam rapitur; nam tantum abest, vt ex illata mortis sententia, vitæ cederet Ezechias, vt à desperata ab Esaia salute, quindecim annis eius vitę additis, statim à morbo conualuerit, vt ait textus: *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce sanaui te, & addam diebus tuis quindecim annos*; ideò Petr. Dam. opusc. 15. cap. 11. ait: *Confessum est, vt morituro mox Ezechiæ tria annorum lustra*

Ab vno oculorū, lacrymis videlicet, velut vulneratus Deus ab Ezechia, huic sanitatis dona abundè conferūtur.

Petr. Dam.

lustra ad vitam Deus omnipotens adderet, & insuper se, & vrbem Hierusalem de Regis Assiriorum manibus liberaret; ecce quomodo ex vno oculorum munere, videlicet lacrymarum Ezechiæ, se vulneratū cælestis detigit sponsus, & quasi, ad mutandam mortis sententiam, & ad subitæ salutis medicinam inferendam, violenter adductum; ideò Cassiod. ait: *Violentæ sunt in precibus lacrymæ, & ad clementiam medicinalem, animum miserentis adducunt*.

Cassiod.

5 Dum in deserto Israeliticus populus siti exardesceret, & maxima aquarum penuria cōflictaretur; premeretur angustijs, vexaretur incommodis, ad Moysem pro remedio confugit, qui Deum consulens, ab hoc mandatum excepit, vt à petra aquas peteret; quā virga Moyses percutiens, illa statim obediens, sui humoris enascentis venas adaperiens, & liberalitatis suæ generosæ ianuas pandēs, influenta erupit, & sitientibus pocula ministrauit, vt Num. 20. b. *Cum eleuasset Moyses manum percutiēs virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta*; peccator dici potest hic Israeliticus populus, siuè etiam iumentum culpa, vt Psal. 48. *Comparatus est iumentis insipientibus*; in huius mundi deserto degens; diuinæ misericordię ad suorum peccatorum veniā, aquam sitiens, vt Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*; ne igitur hac sancta siti pereat, ad petram quæ Christus est, vt 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*, iustus, veluti alter Moyses, debet pro peccatoris salute accurrere, virga lacrymarum hāc petram percutiat, vt ait Christus Matth. 7. a. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis*, sic gratiarum fluenta, ad veniam peccatorum abundè manabunt, vt Io. 7. f. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*.

Iustus, veluti alter Moyses, petram diuinæ misericordiæ, lacrymarū virga, ad gratiā debet percutere.

6 Aquam hanc diuinæ commiserationis, & pietatis pro vita, & resurrectione filij, ac alius Israelita ex populo, vidua illa sitiebat; quæ cara vnici filij, sui sobole orbata, & spe defuncti viri sui, in filio patris imagine, reuirescente, deperdita, & frustrata; summa afficiebatur tristitia; quæ in ea, ex venis cordis erumpens, fontem effoderat lacrymarum; quarū funeralibus, mortis exequias parentauerat; extinctum igitur filium, cum ad sepulturam gemitibus potiùs, & lacrymis, quā corporis gressibus illa associaret, in feretro delatum, quem iam in viuo cordis sui sepulchro prę dolore tumulauerat, huic dolenti matri, pius pater misericordiarum obuius occurrit Christus, qui velut pietatis petra, ab arida, tristitia, lacrymarum Viduæ virga percussa, gratiarum aquas pro resurrectione filij, & viduæ matris consolatione, liberè, & voluntariè effudit: dum portitores stare, & tangens feretrum, adolescentem mortuum ad vitam assurgere pręcepit, vt Luc. 7. b. *Misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere, & accessit, & tetigit loculum, & ait: Adolescens tibi dico assurge*; sic, sua, diuinę misericordiæ in resurrectione filij, aqua, sitientē potauit matrem, vt Luc. 7. *Et resedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui, & dedit illum matri suæ*: quare Ambr. *A pompa funeris reuocat ad vitam, suarum contemplatione lacrymarum, quæ flere prohibetur eum, cui resurrectio debebatur*.

Vidua filij deplorans mortem, à Christo ad vitam excitatur, ille & quomodo.

Ambr.

7 Et quid non profuerunt Sanctæ Monicę D. Augustini matris, lacrymæ, pro noua, & spiritali eiusdem filij, ex obscuro peccati vtero, ad lucem gratiæ parturitione, & sancta

S. Monicæ lacrymæ, D. Augustinū filium Deo genuerunt.

sancta ad Deum generatione? Vberes ad Deum pro filij conuersione, velut Anna pro filiorum generatione, vt p. reg. p. b. lacrymas emittebat; & quem nouem mensibus, priùs gestauit in vtero; tunc dolens genitura Deo, lacrymis plena, pietatis visceribus tristi, eundem gestabat in corde; quæ quidem lacrymæ Augustinum Deo genuerunt: nam, vt ex eiusdē Augustini scriptis, Possedio Episcopo Calamensi, vtin Romano Breuiario habetur, dicitur: *Sed, & sancta Matris Monica iuges pro filij conuersione lacrymas, Augustinum Ecclesiæ, quodammodo peperisse*; Et ipse Augustinus ingenuè est professus, cum refert matri vbertim pro se flenti dixisse quendam Episcopum: *Vade à me ita viuas, fieri non potest, vt filius istarum lacrymarum pereat*; quare de Augustino, sicut de filio Dei accinnebat Barchiar. Epis. de recip. cap. dicere possumus: *Talis filius nascitur ex pœnitentia, talem parturiunt gemitus, & lamenta.*

August.

Episcopi cuiusdā verba S. Monicæ lacrymanti pro filio D. Augustino.

Barchiar.

8 Orationum, siuè lacrymarum suarum virga, diuinæ pietatis petram, Dauid, ad gratiarum humano generi aquarum effusionē percussit, dicebat Psal. 143. *Domine inclina cælos tuos, & descende*; ecce petrę diuinæ percussio; sed quomodo ad descensum debet Deus inclinare cælum? nunquid cælorum, quasi Dei rhedæ, vel currus requiritur inclinatio, & demissio, vt eū ad terram deferat, qui nusquam abest, & qui cælum, & terram sua implet maiestate, vt Hierem. 23. d. *Cælum, & terram ego impleo*? nihilominùs Deus serui huius motus precibus, & supplicationibus pijs inclinatus, cælos dicitur inclinasse: vt Ps. 17. b. *Inclinauit cælos, & descendit*, sic petētis annuit votis; & tunc, quando in hanc complorationis vallem, filium suum Deus, humanæ carnis spolijs indutum, vt in huius mundi sena Redemptoris personam gereret, misit, cælos dicitur ad descensum suū inclinasse, vt Petrus Lombard. ex Cassiano habet: *Inclinauit Deus pater cælos, humiliauit cælestia, misso filio*. Sed qualiter has pretiosas gratiarum incarnationis Verbi è diuinæ misericordię petra, aquas, hic nouus eduxit Moyses? audiamus. Spem dederat Dauidi Deus, ex eius semine redemptionis nostræ fore pullulare germina, vt Ps. 131, dicitur: *De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam*: idest, vt exponit Hug. Card. hic; *Ex te nascetur, qui erit Rex super Israel, idest Christus*. Sed quomodo ex Dauide, qui regium suum, & alienum adulterio polluit thorum? qui suam innocentis sanguine purpuram tinxit, Vriæ; qui mali exempli populo suo scandala edidit, magnifici germinis Æterni Patris, ad humani generis salutem, diuina manabit proles? Verum quidem est, culpa maxima, suam regiam dignitatem, & animam Dauid maculasse, sed hanc ploratu, & lacrymis deleuit maculam, vt Chrisost. hom. 5. ad pop. *Peccauit, quis tristatus est, peccatum deleuit, & debitum dissoluit*; nam pœnitentiæ nauim conscendens Dauid, diuinę misericordiæ ventis, eius spei vela expandens, in lacrymarum suarum mari enauigans, bonorum operum remis contendens, ad suæ salutis pro peccatorum suorum venia, portum properabat: ideò dicebat Psal. 6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo*; quibus lacrymis meruit, ex eius familia, filium Dei incarnari, vt Ambr. de pœnit. lib. 2. cap. 8. ait: Dauid dicebat: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis, stratum meū rigabo, & ideò meruit,*

Quomodo suis orationibus; & lacrymis, Dauid, filium Dei, ad humanæ carnis assumptionem, inclinauerit.

Petr. Lombard. Cassian.

Hug. Card.

Promissio facta Dauidi de incarnatione Christi, illius lacrymis adimpletur.

Ambr.

vt ex

ut ex eius familia, virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet: & clariùs etiam Beat. Petrus Dam. opusc. 13. c. 11. ait: *Lacrymæ contulerunt, vt Dauid post adulterij simul, & homicidij profundissimum baratrum, non modo regnum cum vita non perderet, sed vltro etiam promissionē hæredis ex se nasciturì, cum iuramēto susceptum immobiliter obtineret*; ex quo salutis nostræ remedia infinita manarunt; ecce de petra diuinæ misericordiæ, qualiter etiam Redemptionis nostræ fluenta, lacrymarum virgæ percussione effluxerunt.

Petr. Dam.

9 Lacrymarum guttæ, quæ ex oculis contriti cordis emanant, anuli sunt summæ virtutis, qui simul connexi catenam miræ fortitudinis construunt, & efficiunt, qua iustus, suæ orationis vi, Deum tenaciter deuincit, & ad gratias euincit: insuper si cęlum vim patitur, vt Matt. 11. b. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: ecce hac lacrymarum catena ad nostræ miseriæ terrā iustus Deum inclinat, & Dei misericordiam, & omnipotentiam ad nostri beneficia trahit, & ad ipsam inde nos, gratia, eleuat Trinitatē, vt Petrus Abb. Cellens. lib. de panibus cap. 12. ait: *Lacryma filium Dei ad nos inclinat, & ad veram Trinitatem, interueniente spiritu, nos eleuat.*

Lacrymæ sunt catenæ, quæ Deum vinciunt, & ad nos trahunt.

Petr. Abb. Cell.

Et alijs, quibus tali victu, vti consueuerunt. tex.

§. III. Diuinæ pietatis beneficia, lacrymis sæpè assecutus, pro nouis à Deo gratijs recipiendis, à lacrymis non desistat.

1 Diligentes solent holitores, & hortorum cultores, in his ad fęcunditatem, fontes extruere, puteos effodere; quorum humore irrigata grauidescens terra; siccitatem ablegans; sterilitatem fugans; viriditatem desideratam conuestiens; copiosos tandem florum, olerum, & fructuum partus edit. Hortus iste, anima nostra est, vt Cant. 4. d. *Hortus conclusus soror mea sponsa*; in quem cælestis sponsus à sponsa inuitatur, vt Cant. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum*, vt in hoc, diuinæ gratiæ rore consperso, & Æterni Verbi imbre fæcundato; virtutum floribus euirescente; bonorum operum fructibus referto, cælestis delicietur sponsus, sicuti dixerat, prou. 8. d. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*; quare Ambr. lib. de bono mortis, cap. 5. ait: *Quanto hoc pulchriùs, quod anima ornata virtutum floribus, hortus sit; vel in se paradisum habeat germinantem, in quem hortum inuitatur Verbum Dei descendere; vt anima illa Verbi imbre cælestis, & eius copijs irrigata fructificet.* Vel iste hortus est cor humanum, in quem iam se venisse denunciat sponsus, dicens: *Veni in hortum meum*, idest, vt ait Hug. Card. *In cor humanum: ipsum, in ueniendo faciens hortum meum, extirpando in aduentu meo spinas, & tribulos uitiorum, sanctarumq; cogitationum semina immittendo, & gratiarum fæcundo rore irrigando.* Hic moralis hortus animę, vel humani cordis, debet oculorum puteo lacrymarum aquas emittente, ornari, vt Cant. 7. ait Salomon: *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon*: Piscina hæc, aquis plena erat: Esebon cingulum mæroris interpretatur; eo quod oculorum puteus lacrymarum aquis plenus, mœroris scilicet contritionis, & doloris pro peccatorum detestatione, muro cingi

Anima iusti debet esse hortus, puteo, lacrymarū aquis præmunito, ad spiritualem fœcunditatem.

Ambr.

Hortus est cor humanum, in quē adueniens Deus, huius hortus efficitur, & quo modo.

Hug. Card.

Anima iusti, sicut Piscina Esebon, quo modo lacrymarū aquis plena, & ad quid.

cingi debet: His, igitur hic moralis puteus, lacrymarum aquis, debet redundare; vt Cant. 4. d. *Fons hortorum, puteus aquarum uiuentium, quæ fluunt impetu de Libano*; quæ, cordis nostri terram irrigare valeant, vt sanctarum cogitationum germina pullulent, virtutum flores erumpant, & otij sterilitate damnata, vitiorum spinis euulsis, cælesti diuini Verbi benedictione respersa, diuinæ misericordiæ dignos, desideratos fructus, hæc eadem terra Deo edat, & proferat; quare Abbas Cellens. lib. de panibus cap. 12. ait: *Habeat igitur Patriarcarum studiosus imitator, puteum in Paradiso, fontem in horto suo, riuos in prato suo; & quidem, cum profundas de profundis, lacrymas, in recordatione grauium peccatorũ, aquam de puteo hauris: cum uerò defles quotidianos excessus, de fonte sumitur potus*; & tandem concludit: *Omnis plantatio nostra sine aqua deficit, omnis sterilitas crescit*, quare si iam fructus diuinarum gratiarum fœcundo lacrymarum humore, diuinæ bonitatis aspirante sidere, sterilis terra animę nostræ protulit, ad noua beneficia recipienda, si iterum lacrymis instemus, non est cur timeamus; quare Bern. de modo bene viuendi cap. 7. ait: *Dulces inquit sint tibi lacrymæ, delectet, te semper planctus, & luctus*.

Abbas Cellens.

Bern.

2 Cant. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos*, aliqualem in auditorum mentibus, hæc verba parere videntur obscuritatem, & quamnam profectò connexionem inter se habent turtur cum terra; vox cũ fructu? quomodo ex turturis voce, germinandi terræ fructus, consequentia deducitur? an fortè illius hæc vox est, quæ diuinæ omnipotentiæ virtuti innixa, ad esse, non existentia vocet, vt Apost. ad Rom. 4. ait: *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*? Vox ergo turturis talis erit? Varijs huius sententiæ expositionibus ommissis, hanc ad rem nostram mihi vnam eligo. *Vox turturis &c.* Hic pœnitentium anima, seu persona adumbratur, quæ in amissione cælestis sponsi, præ deperditæ gratiæ dolore ingemiscens, & contritione culparum effundens lacrymas, diuinę misericordię gratiam consequitur, ad suorum veniam peccatorum. Turtur enim animal est, quæ lamentabilem edit vocem; dicitur enim. *Turtur, & columba gemunt*; horum cantus est planctus; vox horum, gemitus, & lamentationis est: meritò igitur gementium, & dolentium pœnitentium, turtur figuram defert, sic Origenes hom. 4. intelligit piam animam, cum profert fructus Spiritus sancti, & qui erunt isti fructus? gemitus, & lacrymæ, vt Rom. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, idest Spiritus sanctus nos gemere facit; cum igitur hic moralis pœnitentis turtur præ contritione culparum, doloris vocem edit dolentis cordis gemitus promit, lacrymarum emittit sonum, tristitiam gemebunda resonat, maximè verò pro amissione sui comparis, scilicet Christi per culpam, qui vnicus animæ nostræ spõsus est, vt Hug. Card. hic Cant. 2. ait: *Vox turturis gemitus est pœnitis, de amissione sui Comparis, idest Christi, dolentis*; statim arida, culpa, peccatoris terra conscientiæ, lacrymarum irriguo fœcundata, propriæ salutis, & remissiionis peccatorum grossos profert; culparum suarum veniæ fructus desiderates pœnitentiæ profert, vt Psal. 84. b. *Et terra nostra dabit fructum suũ*. Verum quia turtur gemere non cessat, vt Virgil. *Nec gemere, aerea cessabit*

Quomodo ex voce turturis, fructus emanatio deducitur?

Turtur pœnitẽtium figura gemẽtiũ; ex quorũ lacrymis, fructus gratiæ prodit, ad veniam peccatorũ.

Origen.

Hug. Card.

Sicut turtur gemere non cessat, sic peccator, pro occurrentiũ peccatorum venia, à lacrymis non debet desistere.

Virgil. ex p. eclo.

cessabit turtur ab ulmo; sic pius pęnitētis turtur, noui culpæ lapsus necessitatis, & miseriæ interueniente occasione, causa intercedente, ad peccatorū veniæ, & aliorum beneficiorum, ad eiusdē animæ salutem, fructus reportandos, tali consuetus lacrymarum voce gemebundus dolore, postulare non desistat.

Cur Deus in sacrificio ꝓ peccato, duos turtures, vel colūbas, non alias aues, sibi pręcipit offerri.

3 Hinc est, meo iudicio, quod iusserat Deus pro peccato duos offerri turtures, vel duos pullos columbarum, vt Leuit. 12. d. In holocaustum. Sed cur si aues optabat in sacrificium, non aquilam, auium omnium reginam petit? cur non regalem pauonem, qui sapore, & cibi qualitate alijs antefertur? cur non philomelam, vel canarium, qui audientium aures, summa suauitate demulcet? cur igitur columbas, & turtures potiùs, quam alias sibi offerri præcipit auiculas? Radulfus Flauiacensis sic respondit ibi: *Quia huiusmodi aues gemere, non cantare solent*; quam expositionem supra numero secundo declarauimus; ex quo deducere possumus ad expiationem peccati, sacrificium lacrymarum, & contriti cordis nobis esse offerendum, vt Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Sed cur duos pullos columbarum, vel turturum, non vno horum contentus, sibi offerri præcipit in sacrificium Deus? cum harum auicularum tantum altera, ad pœnitentium lacrymarū symbolum exprimendum, sufficiat argumentum? Sed ideò dicam, ambas vnius, vel alteriùs speciei, ad sacrificiū pro peccato poposcisse à peccatore Deū aues, vt disceremus in culparum sacrificio nō vnicum, persæpè simplicis gemitus, aut fletus pro pœnitentia ad peccatorum purgationem turturem, vel alteram sufficere posse columbam, sed hos, pęnitentię gemitus, & lacrymarū, prout necessitas exigit, ad animæ salutem, & pro nouis gratijs recipiendis, duplicandos esse columbos; secundum illud Augustini de visit. Dei cap. 17. *Quanto quisque est sanctior, & desiderij sancti plenior, tanto fit eius in orando fletus uberior*.

Radulf. Flau.

Quare duos, non vno contentus, in sacrificium, pullos sibi offerri mādat Deus?

August.

APHORISMVS DECIMVSSEPTIMVS.

Et quibus semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora particulatim oporteat afferre, considerandum: condonandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

EGIT Hippocrates, vt ait Galenus in Com. superiùs, de quantitate, & qualitate victus, in pręsenti vero aphorismo de modo vtendi victu, seu de cibi partitione, seu de tempore exhibendi cibum sermonem instituit. Hic Aphorismus in duas seccatur partes; in prima proponit considerandam esse ægrorum naturam, seu vires

vires, seu etiam morbum ipsum, vt sciamus, quibus ægrotantibus semel, an bis, plura an pauciora cibaria sint administranda, ideò ait Hippocrates: *Quibus semel, aut bis &c.* In secunda parte proponit quatuor scopos cibandi minùs principales, qui sunt tempus, regio, ætas, & cõsuetudo: ex quibus colligimus intentum, modi scilicet cibandi parum, vel multum, raro, vel sæpè; ideò ait. *Condonandum autem aliquid &c.*

Medicina corporalis.

Primus dandi cibi modus, à morbo ipso, & ab ęgrotãtis viribus desumitur.

Dandi cibi modus, à morbo ipso primò, & ab ęgrotantis viribus desumitur. A morbo ipso, qui si propter crapulas, & plura indigesta edulia contractus est, quia ait Hip. sect. 2. aph. 22. *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio*; ideò paruus, & debilis exhibendus erit, ægro victus. Ab ægro si huic vires non subsistunt, vt potè infirmis, si sit viribus, & corporis affectus, ex humorum corruptione ortus; alimentum parum, & sæpiùs dandum: parum, quia victus magnam copiam; infirma, & debilis virtus, ferre non potest: sæpiùs, quia multis, affectus indiget. Secundò, modus exhibendi cibum; Ab ætate, tempore, regione, & consuetudine, cœterisque eandem rationem sortitis petitur; ideò ait tex. *Condonandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini.* Ab ætate, quia si puer multò cum abundet calore, plurimum quoque cibi sibi postulat alimentum, vt ex aph. 15. *Alioquin corpus absumitur*; nam horum virtus concotrix, est validissima, & difflatio est maxima: In iuuenibus multum, & raro; quia difflatio non est tam magna, vt in pueris: In senibus, in primo senio parum, & raro, quia sunt referti pituita dulci, quæ in sanguinẽ conuertitur: In decrepitis parum, & sępè, quia eorũ pituita est vitrea,

Secundus modus, ab ætate, tempore, regione, & cõsuetudine, desumitur.

& coctioni rebellis, sic Sanctorius hic. A tempore, ait Galen: Hyeme multum, & raro sunt cibanda corpora; quoniam hyeme ventres sunt calidiores, & validiores: æstate parum, & sæpè; quia ventres sunt frigidiores, & imbecilliores: In veris principio, quod sapit naturam hyemis, corpora, vt hyeme nutrienda sunt: In fine, quod sapit naturam æstatis, sicut in æstate: In media parte veris, quia corpora sunt plena, parum, & raro: In Autumno verò si vires sint validæ, multum, & raro nutriendum; si inualidæ parum, & sæpè cibandum. Quo ad regionem par est ratio, sicut de tempore, quia in regione calida, parum, & sæpè; in frigida multum, & raro; in sicca, vt in autumno &c. In temperata verò regione, si corpora sint temperata, & per consequens robusta, multum, & raro, vt in hyeme &c.

Sanctor. Galen.

Quo ad consuetudinem, eo temperamento vti debent ægrotantes, quo sani nuper fruebantur, quia consuetudo est ferè altera natura; ideò si bis, vel semel, vel pluries, hoc seruandum &c. Ait Hippocrates in lib. de nat. hum. *At præsertim consuetudo inspicienda est, & in cibi substantia, & in quantitate, & in qualitate, & in tempore, & viribus*, etenim, quo ad alimenti substantiam scribit Hippocr. in lib. de vict. rat. in morb. acut. *Facilè ferunt cibos, quibus adsueti sunt, etiã si natura non sunt boni: similiter etiam potus: ægre autem ferunt cibos, quibus adsueti non sunt, etiam si non sunt mali: similiter etiam potus*. Io: Marinellus hic.

Hippocr. Cõsuetudo præcipuè consideranda, & quomodo.

Hippocr.

Io: Marinell.

Egimus, & nos proportionaliter in superioribus aphorismis, videlicet quarto decimo, & quinto decimo de moralis, orationum, pœnitentiæ, & mortificationum, cibi quantitate, & in sexto decimo de eiusdem

Ordo medicinæ spiritualis.

eiusdem qualitate, vt potè lacrymarum humido victu, quid, quantum, & quibus prosit; nunc autem quibus, & quomodo spiritualibus ægrotantibus, idem pœnitentiæ, & mortificationum, præcipuè verò ieiunij victus, sit ad ægræ animæ curationem subministrandus, in præsenti disserendum; ideò dicimus: *Quibus, semel, aut bis &c.*

Medicina spiritualis.

Huius aphorismi moralitatem, in duas partes proportionaliter diuidēdas statui; quarum prima versabitur circa talem modum, moralis huiusce cibi, spiritualibus ęgris ministrandi, morbi, culpæ, & spiritualiter ægrotantis virium, ratione inspecta: Secunda temporis, regionis, ætatis, & consuetudinis, vt mox dicemus in eodem modo prę scribendo consideratione habita.

A qualitate peccati, & peccatoris viribus, pœnitentiæ imponēdæ forma desumēda.

A morbo igitur modus iste moralis victus desumi potest, si v. g. ægritudo spiritualis, ex gulæ vitio contracta est, crapulis, & ebrietatibus nimis sensus indulgēdo genio, victus parcus, dieta, idest ieiunium, qui cibus dicitur, vt Leo Pap. in ser. de ieiun. dec. mens. qui ait: *Semper virtuti cibus, ieiunium fuit*; præscribi debet, secundum illud Chrys. serm. 167. *Pro modo vulneris, modus adhibendus est medicinæ*. Ab ægri peccatoris viribus etiam potest hic moralis pœnitentię, seu ieiunij victus dimetiri; quod si peccatoris ad graue, ieiunij videlicet onus sustinendum, pro pœnitentia, vires non subsistunt, & malus culpæ affectus, ex humorum peruersæ voluntatis corruptione procedit, paruus, sed frequens pœnitentiæ victus subministrandus, vt D. Hier. ad Nepotia, ait: *Tantum tibi ieiuniorum impone modum, quantum ferre potes*; paruus esse debet, quia magnam mortificationum copiam debilis pœnitentis virium virtus perferre non potest; ne verificetur

Leo Pap.

Chrysol.

Hieron.

illud Gregorij mor. 20. *Sæpè enim abstinentia, dum hostem insequimur, etiam ciuem, quem diligimus, trucidamus*: quare carnem domare, & vitia extinguere, non naturam debemus, vt idem Greg. 20. moral. cap. 31. ait: *Per abstinentiam carnis vitia sunt extinguenda, non caro*: frequens debet esse iste mortificationis victus, quia æger multis vitiorū humoribus est malè affectus; ob id sæpiùs pœnitentiæ enutriri est opus, victu. Secundus modus talis moralis subministrandi cibi, Ab ætate, tempore, regione, & consuetudine peti potest: hi modi circa literam ferè exponi modò possunt, cum moraliter satis in aph. 2. 5. 8. fol. 180. dixerim, ad quem locum lectorem remitto. *Ab ætate*, desumi potest; nam si puer, cum plurimo abundet calore, plurimo quoque vt diximus aph. 14. eget alimento; in hoc igitur ieiunij regula moderanda, vt D. Hieronym. ad Lætam ait: *Ante annos robustæ ætatis, periculosa est teneris abstinentia grauis*: quam quidem regulam, confirmat D. Thom. 2. 2. quęst 147. art. 4. ad 2. qui ait: *In pueris maximè est euidens causa nō ieiunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex qua prouenit, quod indigēt frequenti cibo, & non multum simul assumpto; tum etiam, quia indigent nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti*. In iuuenibus verò, & senibus, quomodo, & qualiter exhibendus sit, vel detrahendus, satis in medicina corporali &c. A Tempore; hoc præcipuum Quadragesimæ, & Quatuor Temporum, vt aptum ieiuniorum mortificationum, vt diximus, morali victui, tempus, videtur; ideò D. Ambr. in serm. Quadrag. ait: *Ille quadragesimam facit, qui ieiunando, & vigilando ascendit ad Pascha*; *nam*

Greg.

Greg.

Modus pœnitentiæ iniungēdæ, ab ætate tempore, regione, & consuetudine, quomodo desumēdus.

Hieron.

D. Thom.

Ambr.

sicut

Ambr. *sicut ieiunare reliquo anno præmium est; ita in quadragesima non ieiunare peccatum est; illa enim voluntaria sunt ieiunia, & ista necessaria, illa de arbitrio veniunt, ista de lege; ad illa inuitamur, ad ista compellimur.* A consuetudine: Contra hāc aliquid molliri durum difficileque videtur, consuetudo enim, velut altera natura est, vt Aug. lib. 6. de mus. ait: *Consuetudo quasi secunda, & affabricata natura dicitur*; & quia naturæ propensioni, haud facilè obsistimus; ideò consuetudinem morum, & naturæ hominum in huiusmodi ieiuniorū, & mortificationum victu, præscribendo cautè attendere debemus, vt Basilius in sua regula: *Mos longo tempore confirmatus, vim quodammodo obtinet natura*; à qua consuetudine non recedendum proportionaliter, in huiusmodi victus moralis ratione, suadet August. de verb. Dom. c. 5. *Vtere cibis electis, quia sic consueuisti; aliter non potes; quia si consuetudinem mutas, ægrotas*; nec ab hac sententia dissentit D. Thomas 2. 2 quæst. 147. a. 4. c. qui ait: *Quod si causa sit euidens impedimenti ieiunandi, potest ex se ipso licitè statuti obseruātiam præterire; præsertim consuetudine interueniente.* Sic de regione &c. vtsupra &c. ex quibus omnibus duos paragrophos ad discursum depromemus.

August.

Cōsuetudo, velut altera natura, ideò hæc in victu sequenda.

Basil.

August.

D. Thom.

Quibus, semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora particulatim opporteat afferre, considerandum. tex.

§. I. Non vna, omnibus Ieiunij, & pænitentię regula præscribenda; sed ad naturam, & qualitatem culpæ, & pœnitentium vires, taxanda.

Condonandum autem aliquid ætati, tempori, regioni, & consuetudini. tex.

§. II. Ieiunij, & pœnitentiæ forma, ad rationem ætatum, temporum, regionum, consuetudinis, moderanda.

Quibus, semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora particulatim oporteat afferre, considerandum. tex.

§. I. Non vna, omnibus Ieiunij, & pœnitentiæ regula præscribenda, sed ad naturam, & qualitatem culpæ, & pœnitentium vires, moderanda.

1 QVO ad naturam, & qualitatem culpæ, quale pœnitentiæ remedium sit adhibendum, sicut oppositum, quia contraria contrarijs curantur, iam supra diximus, secundum illud Deut. 25. a. *Pro mensura peccati erit, & plagarum modus*; & Chrysol. serm. 167. *Pro modo vulneris, modus adhibendus est medicinæ*: sed modò ieiunij formam, & regulam, quæ à Prælatis, & Confessoribus præscribitur pœnitentibus, vel alijs, qualiter secundum horum vires, sit modificāda tantum examinabimus. Equidē miror, quod in initio Quadragesimalis obseruantiæ, omnes vtriusq; sexus, & cuiuscunque ætatis fideles ad sanctorum ieiuniorum celebrationem à S. Ecclesia conuocentur, verbis Ioelis 2. vtens: *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium: vocate cætum: congregate populum:*

Chrysol.

S. Ecclesia.

sancti-

Quomodo S. Ecclesia in principio Quadragesimæ, omnes etiã pueros ieiunij incapaces, ad ieiunia conuocet.

sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera; nimis durum, & rigidum hoc S. Ecclesiæ videtur statutum, quod iustitię præterire cancellos, & æquitatis iura peruertere, quinimò impossibilitatem redolere videtur; & quomodo, & sugentes vbera, ad ieiunia conuocantur sanctificanda; qui nec culpam, vt innocentes norunt, pœnæ, quod culpam delet, adstringantur, ieiunij: quomodo pueri, qui nec dum ætatem consistentem habent ad ieiuniorum obseruantiam, qui ab horum catalogo eximuntur, qui frequenti egent alimento, vt diximus, ieiunij obstringentur legibus? & quomodo decrepiti senes, qui paruo natiui caloris fouentur vigore, ac propterea paruo, sed frequenti sunt nutriendi alimento, hoc rigidum ieiunij poterunt obseruare statutum? quomodo mulieres etiam vtero gestantes, vel continuò propria substantia ad vbera suspensos infantulos alentes, ad hanc ieiunij regulam tenentur? Diui Aquinatis doctrinæ Sol, has à nostræ mentis oculis difficultatum effugabit tenebras: dicit igitur D. Th. 2. 2. quęst. 147. a. 4. *Quod statuta communia proponuntur, secundum quod multitudini conueniunt*; quare secundum hanc rationem omnes ad ieiunium aduocantur, iuxta illud Basilij homil. 2. de ieiunio, qui ait: *Mulieribus velut respirare, ieiunare proprium est; & secundum naturam pueri, velut plantæ virides ieiunij aqua irrigentur: Senibus assuetudo, & familiaritas ab antiquo, ad ipsum leue facit ieiunium*. Etiam pueri, & sugentes vbera ad ieiuniorum sanctificationem vocantur, vt isti saltem, vt innocentes, aliorum ieiunia comitentur, ad horum veniam faciliùs, à Diuina Misericordia assequendam peccatorum, vt Andreas apud Hug. Card. hic ait: *Vt horum sanctitas, illorum innocentia Deum placet*; & secundum Glos. *Nulla ætas sit, quæ non conuertatur, quia nullus absque peccato. Contra, statim baptizatus est sine peccato. Responsio: sine materia peccati*: hæc Hug. Nec mirum, quod, & etiam paruuli sugentes vbera ad ieiunium inuitentur, cum hoc in Ecclesia obseruatum notetur, vt in D. Nicolao ex eiusdem lectionibus in Breuiario legitur sic: *Qui adhuc infans, reliquos hebdomadæ dies frequenter lac sugebat, quarta autem, & sexta feria, semel solum, idque vesperi sugebat*: quam quidem sanctam consuetudinem in reliqua sua seruauit ętate. Ex hoc autem communi Ecclesiæ statuto, omnibus ad ieiunandum indicto, subdit limitationẽ D. Th. loc. citat. a. 4. c. dicens: *Si quid autem ex speciali causa in aliquo inueniatur, quod obseruantia statuti repugnet, non intendit talem legislator ad statuti obseruantiam obligare; in quo tamen*, ait, *est discretio adhibenda: nam si causa est euidens potest per se ipsum licitè statuti obseruantiam præterire, præsertim consuetudine interueniente*. Sic in pueris maximè est euidens, non ieiunandi causa, tum propter debilitatem, ex qua prouenit, vt frequenti cibo indigeant, & non multo simul assumpto; tum etiam, quia multo indigent nutrimento propter necessitatem augmenti, vt ex Hippocrate aph. superiori 14. diximus; & ideò quamdiu sunt in statu augmenti, quod fit vsque ad tertium septennium nõ tenentur ad Ecclesiastica ieiunia obseruanda. *Conueniens tamen est*, ait D. Th., *vt etiam in hoc tempore se ad ieiunandum exerceãt, plus, vel minus*, secundum modum suæ ætatis, vt D. Chrisostomus ser. p. de ieiunio

D. Thom.

Statuta communia vt multitudini conueniunt proponũtur; sic omnes ad ieiunium vocantur, sed quomodo, exponitur.

Basil.

Andre. apud Hug. Card.

Gloss.

Obiectio, & Responsio.

S. Nicolai infantis ieiunium.

D. Thom.

Legislator non intẽdit aliquem obligare in eo, quod obseruantiæ statuti repugnat.

Hippoc.

D. Thom.

Chris.

aptè ait: *Ieiunia quia peccasti, ieiuna, vt non pecces, & permaneant, quæ accepisti*; quare secundum qualitatem, & grauitatem culpæ ieiuniorum remedium adhibendum, vt idem D. Th. 2. 2. qu. 147. a. 3. ait: *Vnusquisque ex naturali ratione tenetur, ieiunijs vti, quantum sibi necessarium est ad culpæ deletionem, & cohibitionem.*

D. Thom. Vnusquisq; tenetur ieiunare ex naturali ratione, ad culpæ purgationē.

2 Et vt clariùs percipiamus, qualiter in pœnitentijs iniungendis, siue spontè assumendis, discretionis modus, secundum pœnitentis vires sit obseruandus; ex sacris paginis non inuerisimiliter deducere possumus. Deut. 22. Præcepit Deus, ne ad arandum simul bos, & asinus iungerentur: *Non arabit in boue simul, & asino*; & quare non? si ad nascentis Saluatoris obsequium in stabulo sunt excepta hæc duo animalia, quare à laborum consortio erunt secreta? si horum vnumquodque animal potest trahere, & si cum boue trahit equus, & quare asinus cū boue ad arandum prohibebitur, & ab eodem simul excludetur iugo? Possemus primò dicere, ideò ad laborem hęc diuino præcepto eidem iugo animalia nō alligari, cum diuersę speciei sint; bos enim animal mūdum est, quod ruminat, & vngulam findit, asinus verò ob easdem causas inter animalia reputatur immunda; ne mundum animal, imundi cui associatur maculas contraheret; sed secundò, & meliùs ad rem nostram dicamus hæc animalia simul sub eodem iugo associari, vt dispari specie, & viribus vetat Deus, quia asinus debiles, & infirmas habet vires; bos verò firmioribus, & fortioribus viribus præstat, ac propterea minimè æquum, & conueniens esse, vt impares viribus, eidē iugo subderentur laboris; diuersarum virium, & naturarum pœnitentium symbolum, & argumentum; quod eleganter Philo. lib. de charitate explicans, ait: *Vetat, ne arandi causa, sub idem iugum mittantur bos, & asinus; non solum, quia genere plurimum differt; bos animal purus; asinus impurus est, & ideò iungi eos non decet; verum etiam, quia non pollens paribus viribus, infirmiori consulitur, ne firmiori succumbat.* Quod in sensu morali ad rem nostram exponi potest, videlicet, quod non eidem pęnitentiæ, & ieiunij iugo, æqualiter alligandus est debilis pœnitens, cū eo, qui fortioribus pollet viribus, vt æquale onus, viribus dispares subeant; discretionis igitur mensura statuenda.

Secundum pœnitentis vires, pœnitentiæ forma.

Quare Deus asinum cum boue ad arādum prohibet alligari.

Phil.

Bos fortis, & asinus debilis, virtutes pęnitentium dispares, non eidē pœnitentiæ iugo, æquum est, subdi.

3 Cum Deus, ex cæcis nihili abyssis, ad esse, terram eduxisset, huic germinandi, & fructus suæ naturæ, & conformes edendi, munus imposuit, vt Gen. p. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, iuxta genus suum.* Omnibus enim plantis, & arboribus insita est à natura vis, vt se ipsas tueantur, ac conseruent, siuè radices, siuè semina, siuè plantulas ad sui propagationem emittendo; quę quidem plantulæ, seu semina, aliò translatæ suæ originis naturam sequentes, sibi congeneres fructus proferunt, nec fieri potest, vt vna planta alterius speciei naturam mentiatur, & à propria desciscat: dicitur enim Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere*; non enim potest ab arundinis radice, fœcunda oliuæ pullulare propago: sic terra diuinæ vocis obaudiens imperio, iussa capescere satagit, ideò subditur Gen. p. *Protulit terra herbam virentem, facientem semen, iuxta genus suum.* Vbi Basil. hom. 5. Exameron ait: *Quod dicitur iuxta genus suum, nam*

Sicut planta iuxta genus suum; sic pęnitens secūdum vires, pœnitentiæ fructus debet proferre

Basil.

enim

enim proiectura illa (scilicet arundo) *siuè appendix arundinis est effectrix oliuæ, sed ex arundine, arũdo altera procedit; ex seminibus autem ea, quæ genus idem habent*; Quod si ad mores hæc dicta transferre fas est, dicamus, terram hanc animatam hominem esse, vt potè de terra eductum, vt Gen. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ*, quæ originali culpę, si priùs ariditate infœcunda, iuxta illud Psal. 62. *In terra deserta inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriã tuam*, diuinæ tamen gratiæ in sacro Fonte fęcundata irriguo, fidei, spei, & virtutum germina edere præcipitur, & bonorum operum fructus proferre, vt Ps. 84. *Et terra nostra dabit fructum suum*: Verum hæc virtutum, siuè bonorum operum semina, & morales ieiuniorũ mortificationum, & pænitentiæ fructus debent esse iuxta genus suum, iuxta vires videlicet pænitentis, vt discretionis funiculo, siuè à superiore, siuè à voluntario pænitente metiãtur; vt Leo Episc. ser. 3. de Ieiunio ait: *Nihil arduum à quocunq; quæritur; nihil asperum, nec nobis aliquid, quod vires nostras excedit indicitur, siuè in abstinentia castigatione, siue in eleemosynæ largitione*.

Leo. Episc.

4 Ex Deut. 22. habemus, quod Deus præcepit, ne mulier viri amictum assumeret, nec vir muliebri tegeretur veste, verba textus: *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fæminea*. Sed dicam ego quid opus erat hæc viris, & fœminis prohibere? & quęnam culpa interuenire poterat, si inter se mulier, & vir vestes commutassent, cum passim in scenis, & inter histriones, hoc animaduertatur, vt mulier virilibus amicta vestibus, viri personam gerat; & è conuerso vir fœmineo ornatus amictu, mulieris personam præferat? Verum si intimiùs huius mysterij arcana rimemur, hæc ad moralem sensum referentes, inueniemus hæc, ad discretionis modum exprimendum, formamq; in pœnitentijs, siuè iniungendis, siuè spontè assumendis, & obseruandis, iussa spectare: ait enim textus: *Non induetur mulier, veste virili, nec vir veste fæminea*. Mulier sexum fragilem, vt potè de latere viri educta, debilitatemque præsefert; vir verò, qui à virtute originem trahit, fortitudinem roburque indicat, vult igitur his verbis Spiritus sanctus inferre, minùs consentaneum esse, vt mulier, idest debilis naturæ, & complexionis pęnitens, viri vestem induat, rigorosa ieiuniorum, & mortificationum opera, propriæ virtutis vires excedentia, ad pœnitentiam assumens; nec vir muliebri habitu incedat, vigorosus scilicet pœnitens, virium suarum fortitudinem, ieiuniorum debilitate dissimulans. Sed vnusquisque propria viribus suis conformia pœnitentiæ opera peragendo indumenta gerat; quare Philo lib. de fortitudine: *Oportetque*, inquit, *bonam mentem sequi naturæ instituta; vtile iudicauit, de his quoq; rebus decernere, scilicet de victu; amictuq; & huiusmodi cæteris; voluit enim virum etiam in his, vt virum decet, gerere*.

Cur præcepit Deus, ne mulier viri veste indueretur, sic nec vir muliebri habitu.

In pęnitentijs, alter alterius personam non debet mentiri, sed secundum propriam virtutem operari.

Phil.

5 Sap. 11. dicitur: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*; quæ quidem verba mẽtis nostræ sententiæ, & ieiunij qualitatis regulæ, perbellè arridere videntur, vt secundum pœnitentium vires, ieiunij, & mortificationum opera disponãtur omnia opera pænalia, interq; meritò ieiunia principantur, in mensura primò debent disponi, vt maturi iudicij trutina à superiore ægritudinis spi-

Mensura, numerus, & pondus, peccati & peccatoris vitium, in pœnitētijs, considerādum.

ritualis qualitas, & peccatorum examinetur grauitas; ideò dicitur: *In Mensura*. Secundo: *In numero*, vt scilicet peccatorū grauitate perspecta, & numero cognito, an rigorosi ieiunij vnica commestio, in qua ieiunij essentia describitur, sit taxanda, an pluries ob stomachi, & naturæ imbecillitatem, sit spiritualis ęger alendus; Tertio: *In pondere*, ait.n. Hug. Card. hic: *Pondus ad potentiam operantis refertur*; virtus, & vires ægri peccatoris ponderare debet Prælatus, an ad hæc ieiuniorum onera subeunda, pœnitentis subsistant vires; vt de voluntario pœnitentiæ in Deum obsequio, ait, D. Hieron. p. Timoth. 5. *Prudenter enim* (inquit) *vult Deus sibi seruiri, non vt nimietate debiles fiant, & post medicorum suffragia requirant: Temperandum enim est, vt si fieri potest cæptum obsequium gradatim proueheatur, potius quam inconsiderantia minuatur.*

Hug. Card.

Hieron.

Prælatus, velut citharædus in pęnitentijs iniungendis, esse debet.

6 Peritus Citharædus tibijs, vel citharā pulsare solitus, varias, assumit chordas, quas suis clauiculis alligatas in instrumento disponit, & ad sonum diuersimodè adaptat. Quædam enim grossiores, quę grauem sonum edunt, & dicuntur, *li bassi*, aliæ parum inferiores, quæ minus grauem sonum reddunt, & dicuntur, *tenores*; aliæ minores, quæ altum sonum, & subleuatum efficiunt, & hæ dicuntur, *il contralto*; aliæ medię denique minores, & minimæ, hæ dicuntur, *li sopranini*; hæ enim omnes chordæ, nō vniformiter ad placitum citharedę extenduntur, & pulsantur, sed secundum vniuscuiusque qualitatem, vim, & virtutem difformiter; aliæ remissius, aliæ intensius suis alligatæ clauiculis, proportionaliter protenduntur ad sonum. Moralis citharœda nuncupari potest Prælatus, siue etiam Confessor animarum; iuxta illud Cant. 5. *Vox dilecti mei pulsantis*; qui in Ecclesia, ad Sanctam Psalmodiam ad diuinas resonandas laudes, totis viribus assurgit, vt Ps. 32. dicitur: *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decē chordarum, psallite illi*. Cordæ morales, & quidem animatæ, sunt Christi fideles, vti Apostoli, vt D. Hieronymus super illud Marc. 14. *Vnus ex vobis tradet me*, ait: *Omnes discipuli tanguntur à Domino, vt fiat armonia citharæ*; harum igitur fidelium, siuè pœnitentium morales chordæ, quædam sunt; *li bassi*, hoc est homines prouectæ, & maturæ ætatis; quędā dici possunt: *li tenori*, vt sunt viri consistentis ætatis, quædam dici possunt, *li contralti*; vt sunt iuuenes pollentes viribus, quædam mediæ, *le mezzane*, quæ sunt adolescentes, quædā sunt subtiliores, & infimæ, quæ dicuntur, *li sopranini*, vt sunt pueri, & etiam infantes, qui ferè semper gariendo resonant; hæ enim omnes non eodem modo pænitentiæ, vt potè ieiunij clauiculis sunt alligandæ morales chordę; non eodem modo pænæ, & disciplinæ manu vniformiter à Superiorum citharedis, sunt pulsandæ; sed cum diuersæ sint naturæ, diuersæ ætatis, virtutis, & complexionum, sic difformiter ad sanctorum præceptorum psalmodiam, & diuinarum laudū, secundum vniuscuiusque vires proportionaliter sonum sunt disponēdæ, & ideò D. Greg. mor. cap. 31. ait: *Pensandum est, quod chorda, in cithara, si minus tenditur, non sonat, si amplius raucum sonat; quia nimirum virtus abstinentiæ, aut omninò nulla est; si tātum quisque corpus non edomat, quantum valet; aut valdè inordinata est, si corpus atterit, plusquam valet: per abstinentiam quippe carnis vitia sunt extinguenda, non caro; &*

Fidelium animæ, morales chordę in instrumēto Ecclesiæ, ad diuinas laudes extēsæ, quare difformiter. Hieron.

Diuersæ chordæ, varias ętatum, & naturarū conditiones hominum in pœnitentijs designant.

Greg.

sancto quisque debet sibimet moderamine praeesse, vt & ad culpam caro non superbiat, & tamen ad effectum rectitudinis in operatione subsistat.

Solin. Plin. 7 De gruibus refert Solinus, sicut, & Plin. lib. 10. cap. 22., quod hę mare, turbulento, & ventoso tempore, trauaturæ, & per loca infesta rapacium volucrum transituræ; ne vi ventorum à recto itinere aliò distrahantur, & à rapacibus auibus dirripiantur ad prædam, vnguibus appręhensos gestare lapillos, & in gutture arenam deferre, sic per mediā aeris regionem conuolantes, non à rapacibus auibus audiuntur, non à ventorum distrahuntur turbine, sic fœliciter, & tutò transeunt. Sic Christianus, hoc mundi mare enauigaturus, vt ad optatum æternæ fęlicitatis portum perueniat, ne à superbis, & inanis gloriæ ventis, qui in fluctuante huius mundi dominantur pelago, à recta cæli diuertatur via, & à rapacibus dæmonum per voluntatis consensum perturbetur volucribus, qui, velut animarum pyratæ thesaurum bonorum operum à nobis surripere tentant; vt Gregor. hom. 11. in Euang. ait: *Maligni spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident*; debet humilitatis, & ieiuniorum arenam, inglutire; pęnitentię, & mortificationum petram deferre, vt Apostolus ad Galat. 6. g. *Ego stigmata Iesu in corpore meo porto*; sic nec altiùs per carnis, proprias vires excedentem, maceratione, ad cælum debet tendere; nec demissiùs, per ciborum ingluuiem, ab assumpta abstinentia deflectere, corpus grauādo, & ad imā sensualium voluptatum mente declinare; sed medium inter excessus, & defectus, voracitatis, & seueræ abstinentiæ proportionatum viribus, iter carpere, vt Diadochus de perfectione spiritua-li, ait: *Vt corpus multò cibo onustum, languidum, & segnem facit; sic nimia continētia victus, debilitatem facit; vt ea pars animæ, quæ in contemplatione, versatur in mæstitia, & sermonis fastidio*; extremis igitur reiectis, quę ad vitia protendūt, discretionis, vt tutissimū, medium assumamus cum D. Basilio de ver. virgin. concludentes, qui ait: *Sicut gustui, ad omnes passim cibos liberè frena laxare, noxium reuera, at perniciosum est; ita necessaria illi alimenta negando, corpus iufirmum, ac validum reddere irrationabile prorsus, ac stultum est: extrema enim quæcunque, ait sapiens quidem periculosa sunt: nam sicut per ciborū abstinentiam lasciuiens equus noster aurigam, quacunque vult pessimè præcipitem fert, ita per nimiam abstinentiam, propositum impedit virtutis iter*; plura alia, hic, idem Auctor ad rem habet.

Mos à natura gruib⁹ insertus, ne à ventis distrahantur, & à volucribus rapacibus dirripiantur.

Greg.

Pœnitens inter excessus, & defectus extrema, medium mediocritatis, iuxta vires tenere debet.

Diadoch.

Basil.

Condonandum autem aliquid ætati, tempori, regioni, & consuetudini. tex.

§. II. Ieiunij, & pœnitentiæ forma, ad rationem ætatum, temporum, regionum, consuetudinis, moderanda.

1 VT igitur sciamus, quibus, & quoties cibus, siuè secundum quantitatem, siuè secundum qualitatem, pro vitiorum morbis curādis, spiritualiter ægrotantibus, ad ieiunium expediat exhiberi; ad hoc præscribendum, tria necesse est examinare; primò tempus, quo possit ieiunium commodè adimpleri, vt potè si Veris, si Æstatis, si Autumni, si Hyemis. Secundò ieiunantium ætatem animaduertere, si puer, si adolescens, si vir, si senex

Declaratur tēpus, ætas, & consuetudo ad ieiuniorum obseruationē.

senex, si crescentis, si consistentis, si deficientis ætatis, vt horum viribus conformis proportionata ieiunij regula dimetiri possit; tertiò attendenda est consuetudo, quæ secundum etiam ieiunantis naturam regionis, & loci erit perpendenda.

2 Ratione temporis considerandum est ieiunium, quod præscribitur. Tempore enim Veris, & Hyemis Quadragesimalia, & Quatuor Temporum ab Ecclesia, ad animarum medelam salubriter instituta sunt ieiunia; Præcipuum enim ieiunium, quod est Quadragesimale consultissimè ferè in principio Æquinoctij hyemalis, Sancta instituit Ecclesia; hoc enim tempore, ex Solis accessu caro incipit vigere, sanguis feruere, & consequenter corpus spiritibus, qui multum ad luxuriam prouocant, repleri; quod aues continuò suo ostendunt garritu, & anima suo quoque motu, & inquietatione: debebat igitur Sancta Ecclesia hoc præcipuè tempore carnis huiusmodi furorē hoc Quadragesimali solemni temperare ieiunio. Ratione etiam naturali probatur, his temporibus præcipuè debere institui ieiunia, tunc enim faciliùs obseruari, & adimpleri possunt; quia vt diximus Aphor. 15. *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda*; quæ quidem alimenta, corpus, ad ieiunia sustinenda roborant, è contra æstate, & Autumno cum non tanto naturali calore illud vigeat, sed cum is per totum corpus dispersus euagetur, non ità facilè possit homo cibos digerere, ideò parua; vt diximus ei sunt alimenta ministranda, quibus non ità benè, ferè viribus eneruatus, ieiuniorum potest onus sustinere; congruè igitur Quadragesimale, & Quatuor Temporum ieiunium, quod Martij, Septembris, & Decembris celebratur Vere, & hyeme obseruandum, appositè Sancta instituit Ecclesia.

Ratio cur tēpore hyemis, & veris Quadragesimalia, & quatuor tēporum ieiunia, ab Ecclesia instituta sint.

Hippocr.

3 Sicut Leuit. 4. iusserat Moyses pro peccatorum expiatione, hostias, & sacrificia Deo immolari; nos quoque ad nostrarum veniam consequendam culparum, decimas dare, & corporis nostri sacrificium Deo offerre debemus, vt ad Rom. 12. a. *Vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*. Dicebat Phariseus inani tū gloria ductus Luc. 8. *Decimas do omnium, quæ possideo*; nos verò humiliter omnium bonorum nō temporalium extrinsecorum, sed etiam corporalium, ieiunijs carnem macerando, offerre debemus decimas: Decimatio totius anni, sunt Quadragesimæ dies; Annus enim in trecentos sexaginta dies resoluitur; de quadragenario ergo numero sublatis sex diebus, Dominicis scilicet, remanent triginta sex in abstinentia, ecce anni decimatio in ieiunijs Deo offerenda; ideò S. Eligius Nouiomensis Episc. hom. 13. ad penitentes ait: *Qui ergo in hac Quadragesimali dierum obseruatione dedimus decimas possessionum nostrarum, debuimus dare, & decimas corporum nostrorum*; quare hoc tempore, in diligenti ieiuniorum obseruantia nos fore solicitos admonet, D. Gregorius in hom. & hab. de consecr. dist. 5. p. Quadragesima, vt huiusmodi decimas Deo in abstinentia offeramus; verba D. Gregorij: *Quadragesima summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea, præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quæ infirmitatis impedierit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies, decimæ sunt anni*.

Elig.

Quadragesimalia ieiunia, sunt decimę ꝑ peccatis nostris Deo offerēdæ.

Greg.

4 Meritò igitur Quadragesimale ieiunium Veris tempore ab Ecclesia est institutum; nam sicut hoc

tempore

Ieiunium Quadragesimale, quare tempore Veris institutum.

tempore flores enascuntur, arbores frondescunt, olera germinant, plantæ, & terra noua viriditate conuestiuntur; Ità etiam hoc ieiuniorum quadragesimali tempore, virtutum flores germinant, arbores, & plantæ animarum boni exempli reuirescunt frondibus, & sanctæ spei viriditate induuntur, animata rationalis creaturæ terra, viuacis fidei germina emittit, & ieiunij fœcundata irriguo, ad saluberrimos pœnitentiæ fructus proferendos disponitur; vnde meritò sponsus sponsam alloquitur, Cant. 2. *Surge propera amica mea, columba mea, & veni; iam enim hyems trãsijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra &c.* quibus verbis animatur etiam ad opus iniunctum, & de temporis opportunitate redditur alacrior. Ait D. Ber. ser. 58. in Cant. *Tempus faciendi* (inquit) *ò sponsa, quia hyems transijt, quando operari nemo poterat, imber quoque, qui inundatione facta operiebat terram, culturas impediebat, vel sata necabat, vel seri vetabat, is inquam imber excurrit, abijt, & recessit; flores apparuerunt in terra nostra, vernalem profectò tẽperiem adesse signantes operandi, commoditatem frugum vicinitatem, & fructuum.* Hoc igitur tempus ieiuniorum Ver desiderabile animabus nostris nominat Chrisostomus serm. de ieiunio, sic: *Iucundi sunt ieiuniorum dies, spiritale animarum Ver, & fidissima tranquillitas animorum.* Hoc igitur ieiuniorum tempus obseruare expedit, vt sciat Prælatus, siuè etiam Confessor, quando hæc subditis imponere, & imperare ieiunia debeat.

Bern.

Chris.

5 Ratione etiam ætatis, ieiunia obseruanda; vt si puer, si adolescens, si consistentis ætatis, si senex firmis, vel infirmis sit viribus; pueri enim, & adolescentes, si ad tertium septenarium non peruenerunt, ab Ecclesia ob ætatis augmentum à ieiunijs eximuntur, & rationem supra attulit Hippocrates aph. 14. dicẽs: *Qui crescunt plurimum habent calidi inati, plurimo quoque egent alimento*; è contra verò loquendo de ieiunijs, ait Aph. 13. *Senes facillimè ferunt ieiunium; secundò loco, qui ætatem consistentem habent; minus adolescentes, minimè horum pueri*; quam quidem sententiam maximè verò in pueris D. Th. 2. 2. quæst. 147. art. 4. ad 2. confirmat, vbi dicit: *In pueris maximè est euidens causa nõ ieiunandi, tũ propter debilitatem naturæ, ex qua prouenit, quod indigent frequenti cibo, & non multo simul assumpto; tum quia indigent multò nutrimento, propter necessitatem augmenti*; quare non debemus statim graui ieiuniorum iugo puerorum colla subdere, sed paulatim his assuescere.

Ratione ætatis, ieiunia obseruãda; hoc in pueris, & senibus, præcipuè declaratur.

Hippocr.

D. Thom.

6 D. Hieronymus exemplum præbet de asello, qui nimio grauatus onere, vel fatigatus itinere, licet multis flagris verberatus, vlterius progredi renuit, cuiuscunque domus diuerticula quærẽs; sic puerorum, vel adolescentum tenera adhuc ætas, nimia abstinentiæ fatigatione debilitata, ieiunio attenuata, propria munia minimè obire, & perficere poterit, à rectò operis incepti itinere, & calle deuians, & paulatim declinans; quare ait: *Displicent mihi in teneris immoderata ieiunia: experimento enim didici asellum in via cum lassatus fuerit quærere diuerticula.*

Exemplum aselli in via fatigati, diuerticula quærentis; sic in pueris &c.

Hieron.

7 Senes, licet sani ieiunium facillimè ferant, vt diximus cũ Hipp. n. 4. supra, multi tamen valetudinarij, quibusdam corripiuntur, & persæpe detinentur morbis, prouerbio enim dicitur: *Senectus ipsa est morbus*, & canam etiam multi ante tempus, & multis ægritudinibus affectam

Senes, licet facillimè ieiunia ferãt, quia tamen persæpè valetudinarij, ieiunia non sustinent.

affectam ætatem attingunt, & quadragesimo quinto anno senescunt; alij sexagesimo anno, robore præstant; quare alij natura imbecilles viri, & adolescentes ieiunia non valent sustinere; alij minimè hæc recusant. Harum igitur ætatum, naturarum, virium, & complexionum, & passionum, in ieiunijs præscribendis ratio est habenda. His, etiam aliæ causæ accedunt, quæ animaduertẽdæ sunt à superioribus, quæ à Summistis quatuor enumerantur, infirmitas, paupertas, labor, pietas, quibus à ieiunijs quis excusari meritò potest.

Ieiuniorum cõsuetudo, potest attẽdi ratione personæ.

8 Ratione consuetudinis quoque ieiunia consideranda à Superiore, quę multipliciter attendi potest; primò ratione personæ, quæ si dum sanitate fruebatur solita erat semel bis, vel ter in die comedere, talem etiam consuetudinem, & æger proportionaliter debet retinere; talem enim habitum sibi natura contexit, quare habitum soluere difficilè est, & cum iactura ægrotantis naturæ, hoc fieret, quæ sic pasci consueuit. Item assuetus quotidiè bis comedere, in ieiunio potest aliquid loco cenæ ientaculi assumere ratione potus, ne natura ex vnica, & simplici comestione, in qua rigorosi ieiunij ratio consistit, sic assueta lædatur; maximè verò si ex simplici comestione nimis frãgerentur vires; debilitaretur corpus, & ad propria officia peragenda inhabilis redderetur.

Potest etiã consuetudo attendi, ratione loci, & regionis. August. Decret.

9 Secundo potest attendi consuetudo, ratione loci, & regionis, quapropter S. Augustinus ad Inuar. vt habetur etiam in decretis dist. 12. can. illa autem 5. alia verò vbi dicitur: Alia verò, quæ per loca terrarum regionesq; variãtur, sicut est, quod alij ieiunant sabbatum; alij non: Alij verò communicant quotidiè Corpori, & Sanguini Domini: Alij certis diebus accipiunt; & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest; totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes; quod enim neque contra fidem catholicam, neque contra bonos mores esse conuincitur indifferenter est habendum. Variæ locorum, & regionum consuetudines vigent.

Ieiuniorum consuetudines, Romæ, in Hyspanijs, in Romanĩa, in Lombardia.

Mediolani quatuor primis diebus Quadragesimæ, iuxta Romanum ritum, nec ieiunia seruantur, nec Mercurij, & Iouis diebus à carnibus se abstinent Mediolani existentes. In Hyspanijs propter piscium penuriam, & lacticiniorum, capite, & pedibus Veruicum vescuntur tempore ieiunij. In Romania solum cibis quadragesimalibus. In Insubria lacticinijs extra Quadragesimam ieiunantes vtuntur; quare D. Ambrosius Diuo Augustino, vt hic refert dixit: *Cum Romam venio Sabbatum ieiuno, cum Mediolani sum non ieiuno; sic, & tu ad quamcunque Ecclesiam fortè veneris eius morem serua; si cuiquam non vis esse scandalum.*

August.

APHORISMVS DECIMVSOCTAVVS.

Æstate, & Autumno, cibos difficillimè ferunt; hyeme facillimè secundum locum, Ver habet. tex.

Ordo Medicinę corporalis.

EGIT Hippocrates in præcedēti aphorismo, quando possimus victus mensuram adinuenire, pro ægrorum corporibus alendis; egit scilicet de tempore, & quantitate victus exhibenda in genere; ægri, ægritudinis, & virium natura considerata; nunc verò agit de tempore in particulari, quo tum illi, qui secunda, tum illi, qui aduersa valetudine vtuntur, rarò, vel sæpiùs, cibos, & alimenta requirunt; vel facillimè, vel difficillimè cibos ferunt; & qui noxam, vel commodum, vel vtilitatem possunt afferre; & à temporibus anni incipiens, hoc declarat: ait igitur: *Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferunt &c.*

Medicina corporalis.

Si hunc aphorismum cum quintodecimo conferamus, hoc argumentum deducemus: Si Ventres Hyeme, & Vere calidissimi sunt, Æstate, & Autumnò è contra; ergo si per ea tempora alimenta copiosiora, per hæc pauciora erunt exhibenda: & vtrobique eadem caloris militat ratio; quia si hyeme, & vere calor innatus plurimus, æstate, ergo, & Autumno erit paucus; quia secundum Philosophum: *oppositorum eadem est disciplina.* Neque censendum est, hunc aphorismum cū quintodecimo coincidere;

Philosoph. Quomodo hic Aphorismus, à 15. differat.

nam in 15. ait Hipp. de quantitate continua, hic verò de quantitate discreta; ibi de quantitate cibi sanorum, in hoc de quantitate cibi ægrorum; ibi de maiori, & minori ciborum copia, hic de facili, & difficili tolerantia; ibi dixit hyeme dandum esse multum cibi; hic verò quærit an illud multum, sit vna, vel pluribus vicibus dandum. sic Sanctor. Hoc igitur definit, & concludit, hic Hippocrates dicēs. Æstate, & Autumno, siuè ægris, siuè sanis, paucam ciborum, seu alimenti quantitatem esse exhibēdam; quoniam difficillimè per hęc tempora cibos ferunt, sicut è contra facillimè, hyeme; Vere autem medio modo; quoniam ferendi cibos, mediam habet facilitatem; Horum igitur ratio, à natiuo calore vt diximus desumitur, secundum quod maior, & minor est, ita cibos plures, aut paucos exigunt. De hyeme, iam diximus; De æstate autem, & Autumno hic sermo est. Æstas enim magno extrinseco abundat calore, & ventres paruo natiuo vigent calore, quare paruus singulis vicibus, cibus est exhibendus, quia imbecillimi sunt ob paruum calorem natiuum; ideò nec cibos appetunt, nec attrahunt, nec concoqunt, nec distribunt. *Secundum locum, Ver habet.* Hic aduertendum diligenter, quod sumitur

Sanctor.

Quare Æstate, & Autumno, siuè sanis, siuè ægrotis pauca ciborum quantitas, sit exhibenda.

Ver, quomodo sumatur, tũ hyemi, tum æstati appropinquans.

Ver, non secundum se totum, sed secundum eam partem, quæ æstatem præcedit; hæc enim vt, æstatis dispositio, huius quoque naturam, & effectus sortitur; sicut in 15. accipitur ver, secundum eam partem, quæ hyemi contigua est.

Ordo medicinæ spiritualis.

Egimus, & nos moraliter in antecedenti aphorismo de mensura cibi spiritualis, ieiunij præcipuè, & pœnitentiæ, quæ ægro peccatori, secundum huius vires, & spiritualis morbi naturam, à Superiore variè, discretionis calculo est taxāda. Egimus etiam de tempore, in generali, dicentes. *Condonandum esse aliquid tempori, ætati &c.* nunc in præsenti agimus de tempore in particulari; quo, cibus spiritualis præcipuè correctionis, vti dicemus, ægro peccatori exhibendus sit, quando facillimè, nec ne ferre valeat, ad culpæ emendationem, & ad animæ purgationem; ait igitur, Auctor: *Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferunt, Hyeme facillimè.*

Medicina spiritualis.

Hoc enim æstatis, & autumni tempore, summi, & extremi dominantur calores, maximè verò æstate, cum Sol est in Leone, in quo signo, secundum Albumazar, oritur Canicula, quæ est stella feruentissima significari potest tempus, quo peccatores iræ, & vindictæ v. g. furore efferuescunt, iuxta illud Psal. 88. *Exardescat sicut ignis ira tua*, & sicut ait D. Th. 1. 2. quæst. 48. a. 2. *Quod motus iræ est causatiuus cuiusdam feruoris sanguinis, & spirituum circa cor*, & etiam D. Damasc. lib. 2. fid. ortod. cap. 26. ait: *Quod, Ira est feruor eius, qui circa cor est, sanguinis ex euaporatione fellis:* Vel autumno, dum inter cōtentiones, & lites actu inardescens versatur; Autumno enim, secundum eius primam partem, quæ proxima æstati succedit, dominatur Libra, quæ domus litium contentionum, ac furtorum dicitur, secũdum Misaelem: hoc .n. tempore, vt diximus correctionis cibos ægri peccatores difficillimè ferunt, vt egregiè D. Greg. 30. mor. c. 7. ait: *Quid prodest eo tempore irascentem corripere, quo alienata mēte, non solũ aliena uerba percipere, sed semetipsum vix ualet tolerare. Hyeme verò facillimè*; est .n. hyems secundũ Isidorum, tempus frigidum, & humidũ, flegmatis generatiuũ, ex quo datur intelligi, quod tempore, quo calor iræ, & feruor vindictæ cessit, actualiũ peccatorum desijt ardor, & mansuetudinis frigus accessit; tunc flegmaticus peccator factus, facillimè correctionis cibum recipit, & tolerat ad emendationem, vt Psal. 89. *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur*; quasi diceret peccator; quia iræ calor abscessit, admonitionum, & correctionum cibum, vltrò feram. Et vtriusque tam æstatis, quam hyemis moralis proportionaliter ratio adduci potest, quod æstate hac, peccatoris, ira exardescentis, rationis paruus calor est, qui correctionis, admonitionum, & præceptorum cibos matura iudicij consideratione concoquat ad emendationem, & discernat ad passiones reprimendas, & calor extrinsecus, dominantis iræ, & furoris plurimus est, toto corpore dispersus, omnes sensus à recta operatione diuertens, quare spirituales correctionis cibos difficillimè suffert, vt D. Th. 1. 2. quæst. 48. a. 3. ad primum ait: *Perfectum iudicium rationis passio iræ præoccupat, quasi non perfectè rationem audiens, propter commotionem caloris velociter impellentis, quæ est materialis in ira, & quantũ ad hoc impedit iudiciũ rationis*; iuxta illud Catonis. *Impedit ira animum, ne possit cernere verum.* Hyeme verò morali, quo natiuus

Albumazar Æstate. Quando Sol est in Leone, Canicula, quę est stella feruentissima, oritur.

D. Thom.

Damasc.

Misael.

Greg.

Isidor.

Ratio, quare peccator iræ, & furoris tempore correctiones non admittit, è contra verò, ira sedata, acquiescit, adducitur.

D. Thom.

Cato.

rationis

rationis calor multus est, quo tempore integrum in homine sedato dominatur, & præualet iudicium, sic enim hoc tempus vocari potest, hyems, qui est per modum contractionis, cui, vt ait D. Th. loc. cit. proportionatur frigus; correctionis, facillimè, tunc fert spiritualis æger, cibos; quos matura concoquit consideratione, distribuit discernendo, quod sibi vtile ad emendationem, dignoscit. *Secundum locum ver habet*. Sicut Ver mediũ tempus est inter æstatem, & hyemem, sic significare potest tempus, quo peccator, nec totaliter actualis peccati ira, & furore est accensus, nec omnino sedatus, tunc enim medius modus, hoc tempus dici potest ad correctionem, & licet non perfectè attingat bonum virtutis, non totaliter tamen tollit virtutem, nec præcepto contrariatur, vt Philosoph. 2. Ethic lib. 2. *Si parum*, ait, *discedatur à medio, non est contra virtutem; sed si multum discedatur, corrumpitur virtus in suo actu*. Posset secundo aphorismus exponi: Æstas, & Autumnus, prosperitatis tempus designat; hoc enim tempore terræ colliguntur fructus, & bona omnia ad vitæ sustẽtationem suppetunt; sic peccator temporalium bonorum, & mundanæ prosperitatis vigente æstate, spirituales diuini Verbi, & correctionis, ad eius animæ salutem, & sanctorum operum, cibos, facilè refugit, reijcit, quos tamen afflictionis hyeme spõte admittit, iuxta illud Gregor. in mor. *Aurem cordis tribulatio aperit, quam sæpè prosperitas huius mundi claudit*. Posset etiam tertio exponi aphorismus, quod tempore iuuentutis, & adolescentiæ spiritualia, & sancta monita reijciuntur, & tempore senectutis recipiuntur. Ex quibus omnibus paragraphos opportunos ad discursum eliciemus.

D. Thom.

Ver, tempus quo nec omninò ira exardescit, nec omninò sedatus, peccator existit, dici potest.

Philos.

Philos.

Secunda expositio aphorismi.

Greg.

Tertia expositio.

Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè. tex.

§. I. Peccatores, iræ, & actualium vitiorum calore exardescentes, non facilè correctiones admittunt, quas tamen iræ, & furoris calore sedato, non recusant.

Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè. tex.

§. II. Mundi prosperitates amantes, non facilè spiritualia, & cœlestia bona admittunt, angustiarum verò tempore, facillimè.

Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè. tex.

§. I. Peccatores, iræ, & actualium peccatorum calore exardescentes, non facilè correctiones admittunt, quas tamen, & iræ, furoris calore sedato, non recusant.

1 NON semper spiritualibus ægris, culpa delinquentibus, correctionis cibus est ministrandus; sed debitis seruatis circunstantijs, quibus deficientibus inutilis foret correctio omnis: Ex differentia, quæ inter præcepta diuinę legis affirmatiua, & negatiua intercedit, hoc dignosci potest; ad præceptorum negatiuorum obseruantiam, quis semper, & ad sem-

Correctio fraterna facienda, maximè verò temporis opportunitate cōsiderata.

D. Thom.

per tenetur; ad positiuorum verò obseruantiam, nisi debitis circunstantijs interuenientibus, quæ requiruntur ad hoc, vt actus virtuosus dicatur, non tenetur, vt D. Th. 2. 2. quæst. 33. a. 2. habet, loquens de correctione: *Vt scilicet fiat, vbi debet, & quando debet, & secundum quod debet*; cum igitur corrigendi furor, & ira opportunitatis temporis circunstantiam, ad sanam adimat correctionem, meritò à correctore omittendum, vt importunū, hoc correctionis suadetur munus; vt Aug. in p. de Ciu. Dei, habet: *Si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis*.

August.

2 Ex Eccles. 8. habemus: *Non incendas carbones peccatorum, arguens eos, ne incendaris flamma peccatorum illorum*; experientia patet, quod si quis in ignitum carbonem insuflauerit, acriorem excutiet flammam, & in insuflantem ipsum, intortas suscitabit scintillas; sic ira furens, & iracundia feruens, moralis ignitus dici potest carbo, in quem, si quis minùs prudens importunæ correctionis, acri insuflauerit spiritu, procul dubio, maiorem furoris excitabit flammam, & mordaces conuitiorum, contumeliarum, & litiū meritò in se prouocabit sintillas; ideò à tali correctionis forma abstinendum, nos suadet Sapiens Ecclesiast. 8. *Non incendas carbones peccatorum, arguens eos, ne incendaris flamma peccatorum illorum*. Mens enim furore, & iracundia alienata à recto iudicio declinans, non sustinet monitores, obiurgationes repellit, salutis non sana verba percipit, monita spernit, pręcepta reijcit, quinimò sui

Correctio in iratum, velut in ignitum carbonem insufflatio.

velut minimè compos, se ipsum nō valet sustinere, vt clarè Greg. 30. mor. cap. 7. ait: *Quid prodest eo tempore irascentem corripere, quà alienata mente, non solum aliena verba percipere, sed semetipsum vix valet tolerare*.

Greg.

3 Deficiente aqua Populo Israelitico in deserto, Moyses, & Aron ad Dominum oratione confugiunt; qui iussit Moysem, simul cum fratre congregare populum, & loqui ad petram; quæ à Moysis virga inde percussa, in fluenta erupit, vt Num. 20. *Tolle virgā, & congrega populum, tu, & Aron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas*. Hic dicam ego, si loqui ad petram Moyses debebat, ad quid virgam tollere pręcepit Deus? & si virga aquas è petra Moyses educere debebat, ad quid ad petram loqui mandat, & quomodo huic ad audiendum, & Moysi obaudiendum sensus inerat, vt dicat Deus: *Loquimini ad petram?* & quare indè percutit silicem, si solo verbo, à petra poterat aquas educere? quomodo verba in verbera, pręter præceptum inuertuntur? Huius mysterij sensum, quæso quantum in nobis est parumper indagemus, ex differentia, quæ inter petram, & silicem intercedit, petra enim, vt sic, lapidem mortuum, vt ita dicam indicat, silex verò viuum lapidem, ex quo ignis educitur, vt Virgil. p. Eneid.

Cur Moyses pro locutione, vtitur virga, vt aquas è petra educeret.

Silicis scintillam excutit Achates.

Virgil.

Suscepitq; ignem folijs &c.

quid mysterij ex hoc educitur? Peccator potest considerari vt petra, vt lapis mortuus; & vt silex, lapis viuus; hic ignem in se virtualiter cōtinet, petra verò, vt lapis mortuus ignis expers est, sic peccator, sedata ira, & iracundiæ furore pacato, minimè excandescens, vt petra

est, ad quam simpliciter loqui pro correctione sufficit, vt emendationis aquas emittat; ideò dicitur: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas*: verum peccator, vt silex, iræ, & furoris ignem continens, obiurgationis virgâ, velut ignario percussus, indignationis, litium, conuitiorum, & contumeliarum flammas emittet, quod si emendationis aquas ediderit, hoc Moysis Correctoris miraculo adscribendũ; quare D. Chrisostomi consilio standum, qui in suo dialog. lib. 2. ait: *Non vniformiter secundum mensuram delictorum increpationes quoq; oportet inferri, sed diligenter aspicere eorum, qui deliquerunt vires, atque propositum, ne fortè volens rupta sarcire, maiorem operetur diruptionem; & cupiens erigere collapsa, casum inferat grauiorem.*

Peccator, vt simplex petra, & vt silex in ordine ad correctorem, cõsiderari potest.

Chris.

4 Qui indignatione, seu ira furentem increpare, & actualium peccatorum calore æstuãtem corripere, sibi in animum inducit, hunc, illi satori assimilari posse crediderim, qui semen secus viam seminauit, quod à viatoribus pessundatur, & à volucribus cæli diripitur, vt Luc. 8. *Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud*. Secus viam correctionis semen, illum Correctorẽ, veluti moralẽ satorem diuini Verbi iacere censerem; dum in via iræ, seu potiùs in furoris cursu incedentem, delinquentem audet corripere peccatorem; quare benè Ouid. p. amor. 2.

Ira furentẽ corripiens, satori comparatur; qui secus viam, semen iacit, & quomodo.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori.

Difficiles aditus, impetus omnis habet.

Ouid.

quare efficit, vt sanctum correctionis semen, irrisionis cõculcetur pedè, & superbiæ vestigijs à peccatoribus terratur, & pessundetur tempus: *Et volucres cæli comederunt illud*; hoc est Dæmones, hoc sanctum ab aure peccatoris abripiant semen; ne à delinquentis terra excipiatur, & ad emendationis fructus radices emittat: In terram igitur bonam, ad emendationis fructum aptam, correctionis semen iaciendum; contritionis effossam vomere, lacrymarum irriguo facilem fœcundari, & diuinorum præceptorum rectitudine exsulcandã, quæ non iracundiæ calore arescat; non culparum sterilescat duritie, sed pœnitentiæ disposita semini, emendationis pacatos valeat edere fructus, in cælestis gloriæ horreo reponendos; vt Matth. 13. *Triticum autem congregate in horreũ meum.*

Qualis debeat esse terra, in quam correctionis semẽ est iaciendum.

5 Alio quoque Aphorismo liceat nobis nostram sententiam corroborare: ait Hippocrates lib. 2. aph. 10. *Non pura corpora, quanto plus nutries, tanto magis lædes*: alimento enim, magis malorum copia humorum nutritur, quam ægrorum corpora corroborentur; nam sicut si aquam limpidissimam in cænosum puteum funderimus, totam cænosam reddemus, sic prauis humoribus in corpore existentibus, quod aduenit alimentum, licet sanum, & optimum, coniunctum, in eorũdem corrumpetur naturam, & malam transibit qualitatem. Huiusmodi impurum corpus dici potest peccator, dum malis actualium peccatorum vexatur, humoribus, dum atra præcipue vindictę, & irę accenditur bile; correctio spiritualis, vt diximus cibus dici potest; & animæ alimentum, quo esurientẽ, & culpa famescẽtem diuinam gratiam, peccatorem cibamus, & à mortis periculo sæpe eripimus, vt Psal. 32. *Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame*; qui igitur hæc non pura, irascentium corpora, siuè mentem enutrire quærit, hoc correctionis cibo increpationis

Hippocr.

Sicut alimento, non purgatum corpus, magis læditur, sic correctione, irę, & furoris flamma exardescens.

alimento

alimento, magis lædet, quia ita iam accensus, vt supponimus, ad vindictam magis exardescet, indignatione commotus incalescet, obdurescet culpa, in contumelias in correctorem irruet, & maledicta loco emendationis euomet; ideò benè explicans hunc aphorismum, in morali quoque sensu S. Gregor. ait: *Sicut cibus carnalis, si ventrē inuenerit, diuersis humoribus occupatum, magis nocet, & nullum præstat auxilium; ita cibus spiritualis, si aliquem inuenerit malignitate pollutum, magis eum perdit, non sui natura, sed accipiētis vitio.*

Greg.

6 De nitro referunt naturæ obseruatores, quod si aquæ infundatur, non crepitat, non obstrepit; imò ad pannorum maculas detergēdas confert; è contra verò si in acerrimo aceto ponatur, strepit, concrepat, & quasi indignabundus, tantam minimè ferre valens acritudinem non conquiescit, & suam ad maculas abstergendas, denegat virtutem impartiri. Nitrum istud, fraterna dici potest correctio, quia sicut nitrum, vt ait Isidor. lib. 16. cap. 2. est lapis subalbidus, & lucidus, sali similis in sapore, & valore, & habet virtutem dissolutiuam, consumptiuam, & macularum à pannis abstersiuam, & est amarū; ideò, ex hoc conficiuntur medicinæ: sic correctio est veluti mysticum nitrū, subalbida charitate, quæ Deus est; Lucida, quia diuinum in se includit præceptum, vt Ps. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*; Sali similis, secundum virtutem, ad peccatorum fatuitates saliendas doctrina, & admonitione, seu animaduersione condiendas, ad peccatorum putores extinguendos, vt August. lib. p. de Ciu. Dei cap. 6 super illud Matth. *Vos estis sal terræ*, ait: *Neque accipienda est terra ista, quam corporeis pedibus calcamus, sed homines, qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis, & extinguendis putoribus, Apostolicum Salem, Dominus misit in Mundum*; habet hoc morale nitrum, virtutem dissolutiuam culparum per cohortationem, vitiorum consumptiuā, per reprehensionem, & per effectū contritionis, abstersiuam per confessionem, quæ peccati maculas abstergit, & animæ sordes delet; iuxta illud Is. p. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*; & tandem est amara, *Quia veritas odium parit*, & quia, vt ad hebr. 2. dicitur: *Non videtur in præsenti esse gaudij, sed mœroris*; Est enim animæ medicina; sed ad rem nostram, istud mysticum fraternæ correctionis nitrum, potest aquæ infundi, & acerrimo aceto; infunditur aquæ, vti elemento placido, dum peccatori ira pacato, & peccati furore sedato, fit correctio; tunc enim ad vitiorum maculas, è conscientiæ panno abstergendas, maximè confert, iuxta illud Matt. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Verum è contra si acerrimo aceto, hoc est peccatori indignatione commoto, ira turbato indignatione, & furoris calore exacerbato, hoc correctionis infundatur nitrum, non peccatorum maculæ tolluntur, non à culparum sordibus conscientię pannus abstergitur, sed indignatione commotus peccator obstrepit, impatiens verbis, & contumelijs corrigentem insultans, crepitat; nec medicina efficitur salutis sed venenum potius, & diabolicum virus, quod per potentiarum venas diffusum, dispergitur ad mortem, vt Prou. 29. *Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus super eum, superueniet interitus*; quare meritò concludit idem Sapiens Prou. 25.

Nitri effectus, in aqua & in aceto positi, symbolum correctionis, pacato, & irato peccatori, factæ.

Isiod.

August.

Acetum

Acetum in nitro ponit, qui carmina cantat, cordi pessimo.

7 In 11. huius libri Aphorismo, dixit Hippocrates: *In accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare nocuum est*; vti moraliter etiam ibi exposuimus, nunc in alium sensum huius aphorismi explicationem transferentes ad rem præsentem dicamus; quod istæ accessiones dici possunt irascibilis hominis, iræ, & furoris actualis passiones; hoc enim tempore à correctionis cibo abstinere oportet; nam tunc cibum dare nocuum est, cum increpationes ira furens odat, & in increpantem, hunc persępe contumelijs afficiendo, acrius inuehat: quare remedium est, furoris, & irę accessione sedata, magis opportunè tunc correctionis cibum proferre, ideò benè etiam Seneca ait: *Medici vetant admoueri remedia, cum morbus in accessu est, ac sæuit; sed non cum se remittit.* A simili videre licet in homine aduersæ fortunæ afflictione ex improuiso dolore correpto, consolatorem eo tempore non admittere, consolationibus allatis molestas aures præbere, nullis solatijs aquiescere, nisi aliqua tẽporis interstitie, dolore sedato, vt idem Seneca ait: *Ad primos illos iræ, aut doloris motus, non est adhibenda consolatio, vel admonitio, sed vbi tempore cœperint esse leniores.*

In moralibus accessionibus irascentis peccatoris, cibos correctionis non debemus præbere.

Senec.

Senec.

8 Experientia cernimus, quod tranquillum, & pacatum mare facilè enauigamus, feruens verò iratum, & turbulentum nauigantia ligna reijcit, & recusat. Hoc iratum mare morale peccator dici potest, iræ, & iracundię furore feruens, vt Is. 57. d. *Cor impij, quasi mare feruens*; dum igitur peccatoris cæcis turbidarum cogitationum nubibus mentis obducitur cælum; dum vindictę audiuntur tonitrua; irę corruscant fulgura; accensi furoris micant, fulmina; dum indignationis aqua feruet; alterati cordis fluctus intumescunt; actualium peccatorum ineuntiunt turbines; & amaritudinis exuberãt spumę; tunc hoc peccatoris imperiosum mare, obiurgationis nauigia reijcit, nauigantia correctionis ligna abijcit, correctorum imperium recusat, & obiurgantium dominium repellit; verum mẽtis peccatoris obserenato cælo, vindictæ, & indignationis cessante tonitruo, transactis irę fulgoribus, furoris fulminibus; alterati cordis demissis fluctibus; pacatum, & tranquillum hoc mare, correctorũ, & correctionum ligna admittit, admonitionum nauigia sustinet, obiurgatores, natatores, & nautas non recusat.

Peccator, vt mare feruens, & pacatum, quomodo correctionis nauigia reijciat, & ferat.

9 *Phreneticus*, ait Plut., *non accersit, nec admittit medicum ob morbi vehementiam*; sic dicamus, nos iræ summo calore correptus, velut phræneticus extra se rapitur, vt propterea, nec animæ suæ morbum agnoscat, nec salutis remedia, nec medicos correctores deposcat. Olla dum feruet, si ignem adijcias, aquas effundit; sic peccatori, qui ad vindictam iræ calore feruet; vel actualium vitiorum flamma succẽsus ebullit, si repræhensionis, siuè correctionis ignẽ admoueas, furoris sui aquas, quas turpiter, & malitiosè iam ebibit, vt Iob. 15. b. *Bibit quasi aquam iniquitatem*, in Correctorem, hunc contumelijs afficiendo, & insultibus monitorem exasperans, fraternæ charitatis ignem extinguens, effundẽs, nequiter dispergeт; ideò dicitur Ecclesi. 8. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illius*; quare benè Liranus hic sic ad rem nostram explicat: *Non incendas carbones, scilicet quando sunt obstinati, vel in passione positi, quia tunc non meliorantur*

Iratus peccator phrænetico comparatus, medicum, nec medicamenta requirẽs.

Ollæ ferueñti, quomodo comparatur ira accensus peccator.

Liran.

rantur; sed deteriorantur &c. deindè ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum, subdit: *Qui correctionem tuam non ferentes, prouocabunt te ad iram.*

August. 10 Ait D. Augustinus. *Palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis, & ægris oculis odiosa lux, quæ puris est amabilis.* Huic pani, ac luci correctionem fraternam comparare posse cēserem; panem in primis dicerem correctionem, quæ dum à peccatore, vt cibus mentis assumitur, & considerationis dente teritur, ad animæ, & salutis æternæ cōfert, nutritionem; lucē pariter appellarem, quia præceptum Dei est correctio, vt patet Mat. 18. 6. *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum inter te, & ipsum solum*, & per consequens lucis in se nitorem includit, iuxta illud Ps. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, scilicet dicam ego mentis oculos peccatoris ad culparum suarum agnitionē, & ad emendationis iter carpendū, viam suo sternit splendore; modo ad nos iste spiritualis correctionis panis palato sano pœnitentis bene dispositi, non iracundia elati, sed pœnitentia pacati, suauis est, quia ad animę nutritionem hunc in cordis stomachum ingestum recipit, vt Prou. 9. *Argue sapientem, & diliget te*, verum palato non sano, peccatoris iracundiæ ægritudine adhuc laborantis pœna est, quia non sustinet correctionem, sed potiùs excandescens ira corrigentem insultat Superiorem, vt Prou. 21. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum, qui autem rectus est corrigit viam suam.* Idem de luce correctionis dicere possumus, quæ sanis, & lippientibus oculis obijci potest: sanus enim pœnitentis oculus, hanc correctionis lucem aspicit & ad huius delectatur, aspectum;

Correctio pani, ac luci cōparatur, quę sicut sano palato, & oculis sanis sunt suauia, sic ægris, & lippientibus oculis odiosa.

iracundia autem lippienti, odiosa, ideò Plut. *Oculo lippienti non est admouendum lumen; nec animus affectu laborans, grauem admittit admonitionem.* Plut.

11 De Tauro refert Plinius lib. 8. cap. 21. quod est animal indomitum, ceruicosum, & elatū, & præcipuè in India, quod dorsum ità habet durum, quod munitus quadam firmitate silicea, respuit omne telum; veruntamen, quando sub ficu alligatur, subito mansuescit, & ad opportuna laboriosa sibi conuenientia opera trahitur. Peccator ira furens, iracūdiæ calore feruens, indomitus taurus dici potest, qui nullo correctionis freno regitur, nec patitur gubernari; verum sub ficulnea, sedati furoris (est enim ficulnea arbor suaues, & dulces edens fructus) mitescens, correctionis vinculo, ad rectos pœnitentiæ sulcos ducendos alligari potest; quare opportunum tempus pacati scilicet furoris, ad peccatoris emēdationem correctione inquirere, & expectare debemus. Hinc est quod non obseruato debita temporis circunstantia, & correctionis forma multa incommoda sequuntur; ait Sapiens Ecclesiast. 20. *In conuiuio vini, ne arguas proximum*; quare cum Io: Episcopus Iuniperum Bergomensium Regem in conuiuio repræhendere ausus fuerit hic, illum equi ferocissimi insidijs, è medio tollere conatus est.

De Tauro, qui licet indomitus tamen sub ficulnea mitescit, sic peccator, ac indomitus equus &c.

Io: Episcopus, Iuniperum Regem Bergomensem, arguēs in conuiuio.

Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè. tex.

§. II. Mundi prosperitates amantes, non facilè spiritualia, & cælestia bona admittunt, angustiarum verò tempore, facillimè.

1 Æstas

ÆSTAS, & Autumnus, quo tempore vehementes in terris Solis dominantur ardores, omnia bona suppetunt, maturescunt, & ad vitæ sustentationem, & ad delicias colliguntur fructus, mundanæ prosperitatis symbolum est, in qua velut in eius felicitatis centro, animus conquiescit hominis, si conquiescit: & quia terrenæ, & temporales delicię spiritualibus, non cohærent, nec consociantur bonis; sic amatores mundi, qui mũdanis his prosperitatibus toto inhiant affectu, spiritualia, & cælestia, vt in pluribus bona posthabent; Si quidem ait Apost. ad Galat. 5. *Caro cõcupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem.* Aperta Saluatoris nostri parabola est, Luc. 14. *Homo quidam fecit cænam magnam, & vocauit multos,* sed vocati omnes, suas assumentes excusationes, ad hanc cęnam conuenire renuerunt, sub prætextu villam emptam videndi; iuga boum aquisita probandi; & vxoris ductæ. Hæc parabola, nostrum ad rem dilucidat intentum. Iste homo quidam, secundum D. Cyrillũ: *Deus pater est;* secundum Liranum: *Est Christus verus Deus, & homo fecit cænam magnam, id est statuit cælestem beatitudinem, quæ vocatur cæna, eo quod est refectio ultima;* quam quidem sententiam, etiam astruit D. Gregorius homil. 38. in Euang. qui ait: *Per cænam intelligit vitam æternam;* hæc enim solum vera refectio, quæ desiderij, & voluntatis nostræ complete satiat appetitum, vt idem Greg. hom. 36. in Euang. ait: *Fecit cænam magnã, quia satietatem nobis æternæ dulcedinis præparauit.* Ad hanc misticam cænam vocauit multos, hoc est omnes, per Sinecdoche pars pro toto, quia vult omnes homines saluos fieri; ideò dicitur; Luc. 14. *Et misit seruum suum hora cænæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia.* Et quis est iste seruus, audite D. Gregorium: *Per hunc ergo seruum, qui à Patrefamilias ad inuitandum mittitur Prædicatorum Ordo significatur;* qui quidem Ordo noster est Sancti Dominici, qui pręcipuè Prædicatorum Ordo, vocatur. Verum vocati venire neglexerunt; & quænam huius negligentiæ, & tantæ ommissionis causa fuit? & quis ita vecors, & delicijs exsaturatus, vt cælestis gloriæ cænam non appetat, quæ omnium desiderabilium bonorum famem, sitimque expellit, sempiternas cælestis beatitudinis delicias non quærat? quare igitur vocati ad hanc cœnam conuenire renuerunt? Ecce causam; Superbia mundi, terrenæ facultates, & sensualium voluptates sic illorum vocatorum, mentes, à tanto cælestis gloriæ conuiuio abduxerunt; quare rationem hanc subdens textus, ait: Luc. 14. *Primus dixit villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te habe me excusatum;* isti sunt superbi, ait Liranus hic: *Per dominium villæ emptũ, quia superbi volunt alijs dominari;* Secundus subdit: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa;* per hunc intelliguntur cupidi terrenis diuitijs, & facultatibus nimis intenti, idem Lir. *Et alius dixit: Vxorem duxi,* & isti sunt carnales, & lasciui carnis lenocinijs vacantes. Ex quibus omnibus patet, quod mundi prosperitates, temporalium sollicitudo, & sensualium appetituum amor, ab æternæ gloriæ cœna retrahunt inuitatos; de quibus Gregor. hom. 36. in Euang. ait: *Dum hunc terrena cura occupat; illum alieni actus sagax cogitatio deuastat; alterius etiam mentem voluptas carnalis inquinat; fastidiosus quisque ad æterna vitæ*

Parabola cœnæ, ad quam venire renuunt inuitati; quę sit horũ excusatio.

Cyrill.

Lir.

Greg.

Greg.

Mystica cæna, æterna gloria, ad quam omnes vocati sumus.

Greg.

Seruus Patrisfamilias, ad inuitandum missus, Ordo Prædicatorum signatur.

Mundi deliciæ, & sensus voluptates, à cęlestis gloriæ conuiuio, homines retrahunt.

Lir.

Greg.

vitæ epulas, non festinat.

2. Ad dictorum veritatem adstruendam, aliam Saluatoris nostri libeat audire parabolam, de illo Satore, cuius seminis pars, cecidit secus viam; alia supra petram; alia inter spinas; alia denique in terram bonam; considero modo ad rem nostram, illud semen, quod cecidit inter spinas, de quo dicitur, Luc. 8. *Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud*; huius parabolæ sensum, ipsa Æterna Sapientia exposuit, quare ait D. Gregor. hom. 15. in Euang. *Quam enim semetipsa veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non præsumat*: hæc enim igitur sunt diuinæ veritatis verba, hanc explicans parabolam. Luc. 8. *Semen est verbum Dei; quod autem inter spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum*; ex quibus verbis clarè elicitur, quod sensualiũ voluptatum, temporalium bonorum, & diuitiarum spinæ, vt D. Greg. hom. 15. in Euang. *Spinæ sunt* (scilicet diuitiæ) *quia cogitationum suarum punctionibus, mentem lacerant, & cum vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant*; dum in huius mundi agro crescunt, etiã in humani cordis terra, merito, desiderio, & profectu Diuini Verbi, quod omnibus spiritualibus bonis præstat, succrescentem sementem, ne Sanctorum operum fructus cælesti gloria dignos proferat, & ad æterni præmij maturitatem deueniat, totis viribus, suffocare contendunt.

Greg. Voluptatũ, & diuitiarũ spinæ, bonæ voluntatis, sanctorum operũ crescentem sementem, suffocant.

Greg.

3 Quod si adhuc Diuini Verbi semen, & spiritualium bonorum, qualiter à terrenarum deliciarum, seu etiam diuitiarum spinis suffocetur, animaduertere exoptamus, ad impuram illam Herodis Regis cenam mente conuoluemus: dicitur Mar. 6. *Cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit Principibus Tribunis, & primis Gallileæ*. Vocat cænam in qua nox culpę, & vitiorum tenebrę inter luxuriæ faculas ingruebant; quę quidem cœna natalis Herodis, in scenam mortis transit, & conuersa est Pręcursoris. Luxuriæ accenduntur in hac noctis cœna faculæ; vt incestus ministri spectentur, qui sancti huius dapes recisi capitis Ioannis afferrent in disco. In hac cæna debacchabatur ebrietas, sicut in deserto, ieiunium sanctificabatur Ioannis: Tripudiantium conuiuarum resonabat strepitus, sed diuini vox Verbi morte obmutuit: Ebrietatum pocula, sancti huius diluũtur sanguine, ecce Ioannes diuini Verbi semen à deliciarum spinis suffocatum; quare D. Fulgentius ait: *O humana dementia, vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes*.

Ex delicijs Herodis, mors sequitur Præcursoris.

Fulgent.

4 Sed quæso terram, in quã semen diuini verbi iactum, auctum, accrescentes spinæ, illud suffocauerunt, propius, si libet intueamur. Hæc sterilis, cęlo animata, sed Deo emortua, & ab eodem reprobata Herodiaca terra; diuini Verbi semen, per pium satorem, Christi Pręcursorem Ioannem satum, recepit, vt Marc. 6. *Libenter eum audiebat*, scilicet Herodes, quod quidem etiam ad fructum bonorum aliquorum operum succrescebat; vt Marc. ibidem: *Et eo audito multa faciebat*; verum diuitiarum deliciarum, & sensualium voluptatum spinis erumpentibus, quas optimè cælestis detegerat sator Ioannes, sicut increpationis manu euellere nitebatur: *Dicebat enim Ioannes Herodi, non licet sibi habere vxorẽ fratris tui*, Marc. vt supra, Hanc sanctam sementem simul cum satore suffocare, & opprimere statuitur, quare

Spinæ deliciarum Herodis, diuini Verbi sementem, & satorem Ioannẽ suffocantes.

quare subdit textus: *Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat;* ideò in carcerem detrudi Ioannem, iussit Herodes: *Misit Herodes, & tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem, vxorem Philippi fratris sui.* Sic iustus, vt reus; Sanctus, vt peccator, Dei seruus, vt diaboli minister; qui dignus est præmio, pœna afficitur; qui vincula soluebat peccatorum, peccatorum vinculis nectitur, & in carcerem truditur, qui Verbi vox in deserto prædicatione spatiabatur: & ecce tandem suffocatio à spinis, sementis, & radicis, Ioannis nece abominanda, extirpatio: Luc. 8. *Et simul exortæ spinæ suffocauerunt illud;* Nam cum natalitia Herodis celebrarentur, in quibus enatabant deliciç, debacchabatur ebrietas, & crapula, vitiorum spatiabatur libertas, dissolutionũ dominabatur, & luxuria; vt ait Chris. homil. 49. in Matth. ait: *Voluptas, atque licentia omnia dicendi, audiendi, & faciendi maxima in ipsis erat,* ad saltatricis aspectum mors sequitur Prçcursoris: Ioannis caput in præmium traditur chorearum; sanguis iusti prætium fit incesti; lucerna charitate ardẽs, quç in carcere diù occulitur, necis emunctorio extinguitur per lictorem. Vox Verbi, vt diuino vniatur Verbo, mortis raucitate obmutescit; sic cæna lætitiæ in scenam transit mçroris, pocula in sanguinem, quo suam impius Rex, in pium sæuiens, tinxit purpuram crudelitatis; epulæ in venenum, & lenocinia cantorũ in epitaphia, inuertuntur mortuorum, & conuiuç, mortis fiunt spectatores, & triclinium honoris, spectrum efformatur horroris, vt eleganter Chrysol. ser. 127. ait: *In arenam vertitur domus; mensa migrat in caueam, fiunt de pransoribus spectatores; furore mutatur conuiuium; fit cibus cædes; vinum transit in sanguinem, finis opponitur natali, in ortu exhibetur occasus; conuiuium in homicidium commutatur, organa tragediam personant secularem;* & paulò post describens saltatricem puellam, caput Ioannis, consilio matris petentem, subdit: *Intrat bestia, non puella; quærit amputare, non saltare; discurrit fera non fœmina; spargit iubas per ceruicem, non capillos; membra dilatat amphractibus; sæuitia crescit augmentis; fit grandis crudelitate, non corpore, & singularis fera, vsque dum capiat prædam fremit ore, dentibus frendit, ferrum non suscipit, sed producit;* ecce qualiter à deliciarum, & voluptatum spinis Verbi diuini vox, sanctum semen in agro materni vteris sanctificatum, & in deserto prædicationis radices emittens, & accrescens exemplo sancto, & operibus, ad perfectionem virtutum, & maturationem sanctitatis auctum, suffocatur ad mortem; quare meritò concludit Chrysol. vt supra: *Audistis fratres quanta sit nata de voluptate crudelitas, de libidine impietas.*

In natalitiorũ Herodis celebratione, quç dissolutiones, & mala.

Chris.

Chrysol.

Chrysol.

Chrysol.

5 Qui sensualium affectuum pondere prægrauatur, non potest se in cælestium contemplationem erigere, & eleuari; puluis enim terrenarum voluptatum, mẽtis aciem perstringit, nè cælestia valeat adspicere; vt Isid. 2. lib. de summ. bon. cap. 42. ait: *Non potest ad contemplationem Dei mens esse libera, quæ desiderijs huius mundi, & cupiditatibus inhiat; nec alta conspicere potest oculus, quem puluis claudit.* Hinc est quod Spõsa in Sacris Canticis cõquerebatur se inquisisse, sed suum minimè inuenisse dilectum, ideò illius absentia, & amissione maxima tristitia afficiebatur; quod si causam, quare quæsitum non inue-

Terrenorum affectuum pondere prægrauatus, ad cælestia nõ potest subleuari mente. Isidor.

Quare sponsa suũ quæsitum, nõ inuenit dilectum.

inuenerit dilectum, petimus; modum, quo eum quæsierit inquiramus: Cant. 3. *In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni*. Lectulus est stratum, in quo quis noctu præcipuè ad quietem iacet, hominem adumbrat, qui in molli deliciarum, & terrenarum voluptatum culcitra, placidè conquiescit; inter mundi prosperitatum, & consolationum otia degit, vt Hug. Card. hic: *In lectulo meo iacens, idest in carnis voluptate. Vel in lectulo meo, idest in amore mundi quiescens*; in hoc lecto, cælestis animæ nostræ sponsus non inuenitur, vt August. 4. Confess. cap. 12. ait: *Quæsiui illum, & non inueni, quia nimirum non in laboribus, sed in delicijs quærebat illum, cum tamen de Sapientia Diuina scriptum sit:* Iob. 28. *Non inuenitur in terra suauiter viuentium*; è contra verò bonus latro, quia Christum in Cruce, in tribulationum, & ærumnarum lecto quæsiuit, sic inuenit, vt Luc. cap. 22. *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum*; ecce vox quærentis, & vocantis sponsum, in tribulatione: ideò inuenit, quare Christus respondit: *Hodie mecum eris in Paradiso*.

Hug. Card.

August.

In afflictionibus, quam in iocũditatibus inuenitur Deus; sic bonus latro.

6 Sed si adhuc accuratiùs caussam perscrutemur, quare conquisitum sponsa suum non inuenerit dilectum, est; quia in lectulo eum quæsiuit. Lectulus enim est stratũ paruum, & angustum, quod vix vnum capere potest: quando anima per charitatem vnum efficitur cum Deo, iuxta illud: Io: 4. c. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; & Apost. 1. Cor. 6. d. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*, benè in lectulo cordis nostri anima, & Deus stare possunt, quatenus vnum sunt; Verum anima terrenis diuitijs, delicijs, & carnis voluptatibus inhians, iam habet alios, quos amat; amat delicias, diuitias, & carnis voluptates, quæ cælestibus opponũtur donis, iuxta illud Matt. 6. *Non potestis seruire Deo, & mãmonæ*; cum igitur homo, illis terrenis adglutinetur delicijs, & vnum efficiatur cum istis, vt Matth. 6. c. *Vbi est thesaurus tuus, ibi, & cor tuum*, & istæ Deo opponantur, meritò ab humani cordis lectulo se elongat Deus, absentatur, & discedit cælestis animæ nostræ sponsus, cum in eodem lectulo, vt duo, Deus, & homo, minimè cohabitare valeant; ideò in hoc, vbi amisit sponsa, suum dilectum quærit, quare Bruno Signiniensis in hoc loco ait: *Quæ in lectulo quærit, in lectulo se amisisse cognoscit; nemo enim quærit, vbi se amisisse non intelligit; amittitur enim in mollibus, in delicijs, & in noxijs blandimentis, & inuenitur in aduersis*; quare communior expositio Catenę triũ Patrũ, & Cassiodori Philonis Carpathij, Bedæ, Anselmi, secundum hanc significatur, Deum minimè inueniri, dum quæritur in lectulo carnis, & voluptatum carnalium, per noctes ignorantiæ, & caliginis, & tenebrarum peccati.

Quomodo in animæ lectulo, nisi vnus, vel vt vnum, duo Deus, & homo, cohabitare potest.

Brun. Signi.

Caten. triũ Patr. Cassiod. Philon. Carp. Bed. Anselm.

7 Cum in vetito cibo peccat Adam, huius spirituali peccati morbo pro remedio occurrere statuens cælestis animæ nostræ medicus, pœnitentiæ pharmacum, ex sudore vultus sui distillatione præscripsit: vt Genes. 3. d. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo*; Sed priùs è Paradisi delicijs, in quo deliquerat eliminandum præcipit, vt Gen. 3. *Eiecit eum de Paradiso voluptatis*: sed dicam ego, non ne poterat in terestri Paradiso, Adam suam commodè agere pœnitentiam; suam lugere culpam, & peccati deflere miseriam? & meliùs quam alibi, in hoc loco pœnitere; vt iterum

videns

videns lignum, in quo peccauerat, ex obiecto culpæ seuerioris pœnitentiæ, & contritionis desumeret argumentum? Verum, vt remedium magis opportunũ, & ad Adæ salutem forè integrũ adiudicauit, hunc mutare aerem, è Paradiso ad pœnitentiam agendam eijciendum; non enim deliciæ pœnitentijs congrunt, non congruè voluptatibus, lacrymæ contriti cordis associantur, terrenis, iuxta illud poeticum, Ouid. de trist. lib. p. *Non est conueniens luctibus ille color*; quare Arnoldus Carnotensis, de opere sex dierum, ait: *Acturus pœnitentiam de loco voluptatis Adam educitur, quia voluptas, & luctus, non benè cohabitant, nec deliciæ, & religio ad inuicem complectuntur*.

E paradiso voluptatis ad peņitentiam eijcitur Adam; quia luctus, & voluptas non cohabitant.

Ouid.

Arnold.

8 Quare si à mundi, & peccatorum turbinibus animam nostram cupimus eripere, Deo adhærere, & seriosam agere pœnitentiam; à terrenarum deliciarum Paradiso exire, à voluptatum sensualium loco, vbi iam deliquimus, discedere debemus; vt Deum, & cælestem sponsum fructuosè quærere, & inuenire valeamus; Dicebat cælestis sponsa Cant. 3. a. *Surgam, & circuibo Ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea*; Sed quomodo surgit, & per vicos, & plateas ciuitatis, cælestem suum quærit sponsa, dilectum, in quibus vt in pluribus, vsuræ, & doli, mercesque dominantur vitiorum? iuxta illud Ps. 54. *Non defecit de plateis eius vsura, & dolus*; Sed ad hæc rectè Philo Carpatiorũ Episc. in Cant. tom. p. *Surgam, &c.* ait, *hoc est à præteritis vitæ meæ actionibus surgam, à malorum consuetudine discedam, discutiam conscientiam meam, & diligenter examinabo per circuitum actiones vitæ meæ; recogitabo annos vitæ transactæ*. Per vicos etiam, & plateas potentiarum incedens peccator, pœnitentiæ pede, conscientiæ suæ examine, contriti cordis vestigia figens, quærit, & inuenit derelicta anima dilectum, ad suorum remissionem peccatorum.

Terrenas delicias reijciat, qui animę suæ salutem quærit.

Phi. Carpat.

9 Hyeme verò angustiarum, & tribulationum mundanus homo Deum quærit, & spiritualia bona admittit, quæ prosperitatum autumno, & æstate neglexit; ideò ait Gregor. in mor. *Aurem cordis tribulatio aperit, quam sæpe prosperitas huius mundi claudit*; Et hoc est quod Propheta apertè inferre voluit, dum Ps. 76. inquit: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & nocte contra eum, & non sum deceptus*. Sed hic aliqua, quę in præsenti §. n. 5. tetigi repetere aliqualiter cogor, cur spõsa cælestis, quæsitum sponsum, & dilectum suum non inuenit, sicut Dauid? quæ enim inter hos differentia intercedit? Ambo Deum quærunt, & nocte quærunt, ambo Deo grati, illa vt cælestis sponsa, quæ dicebat Cant. 2. e. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, qui mutuo se amore prosequebantur; hic vt homo, & Propheta Deo gratus, & acceptus, qui erat secundum cor eius; tamen illa se dilectum suum non inuenisse quæsitum conqueritur; dicens Cant. 3. *Quæsiui illum, & non inueni*; hic autem, hunc se inuenisse, & petitionis suæ effectum assecutum fuisse, gratulatur; dum ait: *Deum exquisiui manibus &c. & non sum deceptus*, vbi D. Hyeronimus ait: *Quia sic clamaui, & opere clamaui, non sum deceptus, consecutus sum, quod volebã*. Quare ergo exauditur Propheta, non exauditur sponsa? Ex modo quærendi Deum cęlestis sponsæ, & Prophetæ, veritas patebit difficultatis; sponsa in lecto quæsiuit dilectum, vt n. 5. huius paragrophi intulimus,

Secunda pars moralis huius Aphorismi.

Greg.

Quare Dauid, & cælestis sponsa, Deum quærentes, ille, non ista inuenerit quęsitum.

Hieron.

& ideò

& ideò non inuenit, quia in quiete, non in laboribus requisiuit; Dauid verò tempore tribulationis, sic iste, non illa Deum, & sponsum suum inuenit, quem quærebat: quare Carpophorus hic, ad quæstionis solutionem ait: *Quia ista, & si manibus, & voce quoque, in lecto tamē quæsiuit, & in lectulo suo singulari, quietem agens; ille autem de tribulatione clamauit, & angustia*; ex quo deducere possumus, quod sicut prosperitates, & mundi voluptates, & deliciæ nos à Deo seiungunt; ita erumnæ, & tribulationes nos Deo coniungunt, & ad hunc recurrere orationibus stimulant; vti D. Gregor. Pap. *Mala, quæ nos hic præmunt, ad Deum ire compellunt*.

Carpoph.

In tribulatione, non in delicijs, Deum quærentes, inueniunt.

Greg.

10 Sed hic quęso adhuc ingruentem, & emergentem propellamus difficultatem; ait Dauid: Psal. 76. vt diximus: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui &c.* quomodo Dauid tribulationes, quas passus est, in vno die concludit? si multorum dierum ęrumnas pertulit, cur vnius diei tantum tempori eas adscribit? & horum vnum tantum diem nominat? satiùs erat dicere, in diebus tribulationis meæ, vel tribulationum mearum; cum multo tempore eas pertulerit; tum in filiorum rebellione, quam in eorumdem amissione; tum in bellis gerendis, & in cladibus perferendis, & in Saulis præcipua crudeli in eum ad mortem persecutione. Pro huius intelligentia difficultatis, recolite mecum id, quod Moyses Genes. p. intulit; quando Deus lucem creauit, & à tenebris eam discreuit: vt ait textus: *Diuisit lucem à tenebris, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem*; & indè subdit immediatè. *Factum est vespere, & mane dies vnus*. Sed quomodo diem à vespere incipit? secundum quod res se habent, ita nominari deberent; cum igitur dies à mane incipiat, & ad vesperam terminetur; meritò potius dicere debebat: Factumque est manè, & vesperè dies vnus, non ex opposito, cum à mane vesper succedat eiusdē diei; quomodo ergo Moyses ait: *Factum est vespere, & mane dies vnus*? Tostatus ait: *Quod vespere præponitur, quia tempus tenebrarum, fuit ante tempus lucis*. Quidam verò interpretes inter diem Domini, & diem hominum, hanc assignarunt differentiam; quod dies Domini à vespera incipit, & in diem lucidum terminatur: dies autem hominum à mane incipit, & ad vesperam terminat: Vesper igitur, qui noctem in se innectit, & tenebras inuoluit, dolores, pœnas, & amaritudines, sicut manè lætitiam, & iucunditatem includit, vt Ps. 29. dicitur: *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Deus igitur nō à prosperis, sed ab aduersis principium auspicatur; homo verò prosperitatis auidus, à manè prosperitatis vult principium suę vitæ assumere; Dauid tamen non à manè consolationum, & prosperitatum incipit, sed à vespere, qui est dies Domini, idest tribulationum suarum incipit diem, vt ad matutinum spiritualis, & æternæ lætitiæ in patientiæ præmium valeat terminare. In die igitur tribulationis ad Deū incipit recurrere. Greg. *Mala quæ nos hic præmunt ad Deum ire compellunt*.

Cur Dauid, vnum tantū diem tribulationū suarum nominat, cū plures illi fuerint.

Quomodo Moyses à vespere non à manè prius diem nominet.

Tostat.

Differentia, quæ inter diem Domini, & diem hominum, intercedit.

Greg.

11 Vtrumque tempus Æstatis, & Autumni, mundanæ scilicet prosperitatis, quo nec Deum, nec gloriam eius, insipiens homo quærit, & hyeme ærumnarum, & afflictionum, quando àd Deum necessitate compulsus, orationibus recurrit: in adulterę illius argumento, possumus animaduertere; Ose. 2. dicentis: *Vadam post amatores meos,*

lanam

qui dant panes mihi, aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum: ecce, prosperitatis tempus, quo à Deo quis recedit. Verum hyemis, hoc est tribulationum, & angustiarum tempore, illis verbis significatum, dum dicit Deus Os. 2. *Propter hoc ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam maceria, & semitas suas non inueniet; & sequetur amatores suos, & non apprahendet eos, & quaret eos, & non inueniet:* tunc his afflictionum se sentiens stimulis concitatam, ad priorem virum mentis suæ pedem, reuocare cogitat; ideò subdit idem textus: *Et dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem &c.* Hæc adultera, anima peccatrix est, quæ contra fidem Deo cælesti eius sponso, in sacro fonte pręstitam; dicens: *Credo in Deum: abrenuntio Sathanæ; omnibus operibus, & pompis eius,* impuri amoris, mundi, carnis, & dæmonis lenocinijs allecta, in horum amplexum irruens consensu, eorumdem, infami culpa, se copulauit, coniugio; cuius fornicationem redarguens sponsus, ait Hierem. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te;* & hoc tempore prosperitatis, dum omnium temporalium desirabilium bonorum, panis, aquæ, lanarum, lini, olei abundantia suppetit, sacrum, cęlestis sponsi violauit thorum, maculauit decus, dedecus intulit, vt D. Hieron. hic ait: *Dixerat meretrix: vadam post amatores meos, qui omnium rerum mihi abundantiam prabuerunt;* ecce prosperitatũ temporaliũ, ęstatem: sed hyeme afflictionis, dolorum, & diuinæ animaduersionis, adueniente; quia, vt ait Is. 28. c. *Tantummodo sola vexatio, dat intellectum auditui;* dum in hanc inuehens sponsus, inclamat, & eam minatur, dicens: Os. 2. *Propter hoc, ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet &c.* tunc necessitate compulsa, timoris diuinæ, afflictionis, ad verum sponsum, Deum redire, cogitat, vt ait Greg. hom. 36. in Euang. *Postquam ergo vias suas, spinis septas inuenit; postquã amatores suos apprehendere non valet, ad amorem viri prioris redit; quia, plerumq; postquam in terrenis desiderijs de impossibilitate lassamur, tunc ad Deum reducimur.* Quare concludendum, quod à nobis sæpè Deus prosperitatum, & appetituum nostrorum sensualium ęstatem, & autumnum auolare facit; & tribulationum nobis hyemem aduenire permittit, vt mundi illecebris abdicatis, ad cælestia, mẽtis alis conuolemus; & operum pede, per pęnitentiæ semitas, Deum inquiramus; ideò benè ait Hieron. hic ad rem nostram, concludendo nobiscum. *Ex quo intelligimus,* inquit, *quod prouidentia Dei, sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea, quæ cupimus, & varijs oppressi calamitatibus huius seculi, ac miserijs, ad Dei seruitutem, redire cogamur.*

Anima, in angustijs, Deum quærit, quem in prosperitatibus reliquit.

Hieron.

Greg.

Hieron.

12 De Sancto Antonino nostro Florentiæ Archiepiscopo, refertur, vt ex eius gestis constat; quod quadam die, dum vicum quendam, illius pertransiret Ciuitatis, super domunculam quandam paupercu-lam, mira claritate effulgentes, angelos quosdam conspexit; huius rei nouitate, & sancta curiositate permotus, hanc ingressus edicu-lam, de huius habitatoribus quærens, inuenit pauperculam viduam, à tribus eius filiabus associatam Virginibus, de manuum suarum laboribus, temporaliter mundo, spiritualiter Deo, sanctè viuentibus; quid egit Sanctus Præsul? harum pauperta-

S. Antonini, Historia de quibusdam fęminis sanctè in paupertate viuentibus, nõ ità in prosperitate.

paupertati, largissimis eleemosynis subuenit; Post dies aliquot, eandem domum repetens, supra tectum, non amplius angelos sanctos, sed dæmones animaduertit: Huius metamorphosis, & tantæ varietatis causam inquirens, inuenit illas mulieres, ex eleemosynarum copia prætiosas sibi ipsis vestes comparasse, lautè viuere, ab honestis solitis cessare laboribus, mundi vanitatibus incumbere, delicijs vacare, sensus voluptatibus indulgere, quę prius paupertate vexante, & necessitate impellente sanctè vixere; quare ad has ingressus, quæ primò, & secundò viderat, his fœminis patefecit, quas ad primam, & sanctã viuendi formam, redire est cohortatus; ostendens, quam grata, & chara sit Deo paupertas, & vana nocuuaque hominibus prosperitas; sic ad pristinam eas viuendi normã, suo reformauit, consilio; ideò appositè ait Seneca: *Segetes quanto vberiores, & vbertate sua franguntur, & prosternuntur; & arbores, quanto copiosiorem fructum habent, tantò faciliùs scinduntur rami, & pereunt*: sic homines ob vbertatem, & copiam fructus prosperitatis citiùs pereunt. Sene.

APHORISMVS DECIMVSNONVS.

His, qui per circuitum accessiones habent, nihil dare opportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni, ante iudicationes. tex.

Ordo Medicinę corporalis.

QVIA in antecedenti Aphorismo, dixit Hippocrates, Æstate, & Autumno corpora difficilimè ferre cibos &c. in præsenti aphor. excipit accessiones, & paulò ante iudicationes ipsorum morborum, in quibus accessionibus, sit hyems, vel ver, nihil cibi dandum est; quia in omni anni tempore, paroxysmi, vel tempus paulò ante crisim, cibum prohibēt; sic sentit Sanctorius. *His qui per circuitus &c.* Circuitus, ait idem Sanctor. est illud spatium, quod à principio vnius paroxysmi, vsque ad principium alterius, excurrit: Sanctor. Quid sit circuitus.

Illis igitur, qui stato quodam tempore paroxysmos patiuntur, nihil dare opportet. Oribasius, declarat hoc, nempe in die, qua fit accessio; si quidem natura aduersus morbũ dimicãs, duobus scilicet humori, & cibo deseruire nõ potest; & natura, dum est occupata in expellẽda materia morbifica, non debet cibis distrahi; *Neque cogere*, exhibendo scilicet vnica vice cibi quãtitatem, vt placuit Oddi de Oddis hic: *Sed subtrahere adiectioni, ante iudicationes*. Per id quoque tempus accessionum, idest dum adsunt, vel paulò post, aduenire debent, detrahendum esse ab adiectionibus, docet ante iudicationes, hoc est, Medicina corporalis. Oribas. Quare in accessionibus, vel paulò antè, nihil sit ægris dandum. Oddi de od.

morbo ad summum vigorem accedente, quo tempore iudicationes fiunt, maximè à cibis abstinẽdum, aut ab ea adiectione, quæ erat ex vsu toto morbo, per adiectionem, Oribasius ait, intelligere Hippocratem, quantitatem cibi dandi, antequam iudicatio efficiatur; per iudicationem, intelligit simpliciter Galenus quascunque accessiones. Nec hic Aphorismus superfluus iudicandus, licet in aphor. 11. dixerit: *In accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare nocuum est: Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet*; quia respondet Sanctor. hic in aph. 19. quod in vndecimo dixit Hippocrates abstinendum, in præsenti verò nihil dandum; Sed sic est, quod abstinere, & nihil dare valdè differunt. Similiter in 11. egit de victus quantitate, in hoc verò, de vtendi modo; prætere in hoc loquitur de iudicatione naturæ, additq; non esse cogendos ægros, in vndecimo verò, nec verbum quidem de his fecit.

Oribas. Galen. Quomodo hic aphorismus, respectu vndecimi, non sit superfluus. Sanctor.

Egimus, & nos in præcedenti Aph. de fraternæ correctionis, & aliorum spiritualium bonorum cibo, quatenus hunc, æstate, & autumno iræ actualis calore exardescens peccator, vel tempore prosperitatis, mundi amator, non facilè ferat; sicut hyeme pacati furoris, & angustiarum eundem, vt diximus cibum non recusat. In præsenti aph. excipiuntur diabolicarum tentationum accessiones, dum actu vigent, vel proximè futuræ timentur; in his nullus occasionum peccati cibus, sensui, ad malum propendenti, vel peccatori, qui per circuitum, statis temporibus, tales morales solitus est pati accessiones, in quibus sæpè deliquit consensu, est exhibendus; ideò dicimus.

Ordo medicinæ spiritualis.

His, qui per circuitum accessiones habent, nihil dare oportet. Illum per circuitum, dicimus moraliter pati accessiones, qui certis, & statis quibusdam temporibus, diabolicarum tentationum stimulis concitatus, in culpam elabi consueuit; iuxta illud Ps. 77. *Apposuerunt adhuc peccare ei*; hoc est, vt exponit Liranus hic: *Apparet recidiuum eorum in peccatum*. In principio igitur harum moralium accessionum, sicut in augmento, & statu: *Nihil dare oportet*: hoc est peccati omninò auferenda est occasio, vt ad Ephes. 4. *Nolite locum dare diabolo*; vti exponit Hug. Card. hic, qui ait: *Intelligit de illis, qui non vitant occasionem peccati*; si cuiuo sensui ad malum propendenti, occasionem dederimus, facilè in culpam corruemus; iuxta illud Ecclesi. 3. d. *Qui amat periculum, in illo peribit*. *Neque cogere*: Hoc exponi potest de illis, qui, vt Assidentes Diaboli, alios ad malum procliues, ad peccãdum, quomodolibet inducunt, iuxta illud Is. 29. *Consumatus est illusor, & succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant*. *Sed subtrahere adiectioni, ante iudicationes*. Per id quoque, dum diabolicarum tentationum accessiones ingruunt, vel proximè futuræ timentur, à consueto recreationum, & voluptatum cibo, aliàs licito, & minimè vetito, dum hic occasio, & fomes potest esse peccati, quodammodo abstinendum, iuxta illud Ecclesi. 21. a. *Quasi à facie colubri, fuge peccatum*, ex quibus aliquos paragrophos ad discursum breuiter tangemus.

* * *
* *
*

Medicina spiritualis. Lir. Quid sit per circuitum, moraliter pati accessiones. Hug. Card. Ad malum procliues, ad peccandum nõ sunt alliciendi. A minimis etiã peccati occasionib., declinandũ.

His, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet. tex.

§. I. Culpa delinquere solitus, ab imminentibus, futuri lapsus occasionibus, cautè cauere debet.

Neque cogere. tex.

§. II. Grauiter peccant, qui alios ad malum pronos, ad peccatum pertrahunt.

Sed subtrahere adiectioni, ante iudicationes. tex.

§. III. Dum proximè instantis culpæ periculum timetur, omnes omninò occasiones, peccato, quoquomodo circunstantes, resecandæ.

His, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet. tex.

§. I. Culpa solitus delinquere, ab imminentibus futuri lapsus, occasionibus, cautè cauere debet.

1 QVIA de hac materia peccati, videlicet vitandæ occasionis, satis diffusè in aphorismo vndecimo, me dixisse arbitror; ideò præsentem paragrophum, extremis tantum labijs attingam, & breui exarabo calamo. Primi parentis fragilitati, misericordiarum pater commiserans, illius culpæ pœnitentię opportuno occurrere decreuit remedio; quare è paradiso voluptatis exulare præcepit, vt Gen. 3. d. *Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso Voluptatis, vt operaretur terram*, & hoc ad pœnitentiam agendam, vt Arnoldus de operibus sex dierum, ait: *Acturus pænitentiam, de loco voluptatis Adam educitur*: Sed dicam ego quare in Paradiso terestri, vbi deliquerat, ad reatus sui pœnam purgandam Deus non reliquit, ibi non detinuit, & sicut foras terram fodere, & in vultus sui sudore, victum quærere mandauit? cur & hoc in Paradiso illo præstare, & exequi non pręcepit; siquidem ad operandum, ei paradisum locauerat, vt Gen. 2. *Posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum?* cur sterilescere ad eius manum, non præcipit terram; vt Cain dictum est Gen. 4. *Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos*; illius dulcedinem fructuum in amaritudinem conuerti? iuxta illud Deut. 32. e. *Vua eorum, vua fellis, & botri eius amarissimi?* & voluptatum, & deliciarum rosas, in afflictionum, & ærumnarum tribulos cõmutari, sicut dixerat Gen. 3. *Spinas, & tribulos germinabit tibi?* animalia eius imperium recusare, illius dominio reluctari? nonne meliùs erat in Paradiso ad pęnitentiam eum relinquere, sicut, ait Chris. conc. 2. de Lazaro hom. 18. *Vt assiduus conspectus renouans molestiam, exactiorem illi præberet sensum expulsionis à bonis*, vt quotidiè lignum vetitum adspiciens, ex illius aspectu, amissæ charitatis magis torqueretur ad pœnam; ad acriorem peragendam excitaretur pænitentiam; commoueretur ad luctum, disponeretur ad veniam? Vnam supra §. 2. n. 7. assignauimus rationem

Arnold.

Quare Deus noluit Adã, in paradiso agere pœnitentiam.

Chris.

Prima ratio eiectionis Adæ è paradiso.

rationem dicentes, ideò eiectum fuisse Adam è paradiso voluptatis, quia luctus voluptatibus non cohęrent; lacrymæ contritionis terrenis delicijs non consentiunt, vt Arnoldus loc. cit. *Quia luctus, & voluptas non bene cohabitant.* Secundò etiam possemus respondere, quo ad literam, ideò à paradiso fuisse expulsum; vt ait scriptura Gen. 3. *Ne fortè sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum*, semper miserrimus, culpa; vt bene Rup. Abb. de Trinit. cap. 29. ait: *Iam enim miser factus est* (scilicet Adam) *si æternus quoque sit, quid nisi miseriam æternam habebit? parcamus illi; ne hoc modo, malè sit, quasi vnus ex nobis; ne sicut quisquam nostrum æternus est: Æternus enim Pater, Æternus Filius, Æternus Spiritus Sanctus, sic ille æternus sit: & ob hoc, veracem se esse rideat oculus nequam Diaboli, qui Dei similem illum promisit.* Sed & tertiò ad rem nostram dicamus, ità fieri diuinam disposuisse sapientiam, vt extra Paradisum Adam eijceretur, vt noui peccati tolleretur occasio, ne intus manens ad vetiti ligni aspectum, eius denuò titillaret appetitus, ad culpam proritaret affectus, ex illius pulchritudine fructus alliceretur oculus; sic dulcedinis illius iam perceptæ memor, diuini pręcepti immemor, & obliuiosus factus, à diabolo suasus, & seductus, opportuna iam iam se offerente occasione, in eandem inobedientiam, in vetiti cibi esu, iterum rueret in culpam, & in æternum animæ prolaberetur interitum, iuxta illud Gen. 2. c. *In quocunq; enim die comederis ex eo; morte morieris.*

Arnold.

Secunda ratio; ne in æternũ viueret miser Adam.

Rup. Abb.

Tertia ratio, vt noui peccati tolleretur occasio.

2 Et ne hoc gratis à me dictum, & à veritate alienum existimetis, meam mihi videtur ex ipso textu Gen. 3. tueri posse, & roborare sententiam; nam commissa culpa in vetiti cibi esu, tantũ abest, vt Adam, & vxor eius pœnitentes ab eadem arbore, in qua peccauerunt, declinauerint, vt propè ipsam, occasionẽ proximam noui peccati non deuitantes, ad sui tegmẽtum peccati, folia ficus consuentes, adhuc permanserint, vt Gen. 3. *Abscondit se Adam, & vxor à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi*; quare maximè Deus indignatione commotus, vocans Adam, ait, Genes. 3. *Adam vbi es?* & quid est hoc verbũ Vbi es? nunquid aliquis locus est, in quo Deus non sit; *Si est in omnibus rebus per essentiam, præsẽtiam, & potentiam?* vt ait D. Th. p. q. 8. a. 3. nunquid aliquis est, qui à Diuinæ Maiestatis oculis, se possit subtrahere? si ait Apost. ad hebr. 4. p. d. *Omnia nuda, & aperta sunt, oculis eius.* Locum, vbi manet Adã, an ignorat Deus, vt dicat, & quęrat *Adam vbi es?* quomodo ille, *Qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra*, vt ait Ps. 112. Adam non videt? Ille qui tempus præteritum ad præsens reuocat, futurum, vt existẽs cognoscit, & omnia deniq; eius coexistunt æternitati, quærit Adam; quem non inquisitum videt, existentem; cuius mẽtem aspicit cogitantem; cuius voluntatem intuetur appetentem? inquirit Adam vbi es? hoc Diuinæ videtur Maiestati derrogare; quare August. in Reg. de delinquente ait: *Quod si à nomine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest?* Sed ideò quærit Deus Adam, vbi sit, non quod ignoret locum, non quod absconditum non videat, sed vt horum primorum parentum repræhenderet stultitiam, argueret infitiam, deprehenderet culpam, detegeret malitiam, quod à diuino aspectu se eripere cogitarent, sed maximè quod, cum in ligno deli-

Quomodo primi parẽtes, ab arbore peccati, post peccatum non declinauerũt.

D. Thom.

Quomodo Deus quærat Adam, vbi sit.

August.

Quęrit Adã, vt hunc, de loco arguat, à quo nõ recessit, dum peccauit.

querint in esu primi, ab eodem ligno, proxima occasione noua peccandi ablata, minimè recesserint; quare meritò è Paradiso eijcitur, vt ait D. Chrys. hom. 18. in Genes. Chrys. *Ne nunc, & lignum, quod vitam præbet continuam, attingere audeat, peccaturus perpetuò*.

3 Ab eisdem occasionibus, quę nobis peccati causa fuere, præcipuè cauere debemus. Olim Saluator Petro, gregis suæ custodiam commissurus, ab hoc petit, vt amoris sui erga ipsum testimonium proferat; quare illum interrogat, dicens: Io. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te*. Hæc responsio, si benè, hanc animaduertimus, non cum interrogatione congruit; Interrogatio enim innectit comparationem ad alios, quæ est, an ipse pręalijs Saluatorem diligat, & Petrus ommissa comparationis particula, tantum ad illud verbum simpliciter; *diligis me*, respondet; *Non autem addit, plus his*; sicut ait Diuus Augustinus hic. Responsio interrogationi conformari, & correspondere debet; si igitur interrogatio est comparatiua, quare comparatione relicta, tantum ad amoris sui substantiam, respondet, dicens: *Etiam Domine tu scis, quia amo te*, omisso, *plus his*. Sed benè sic respondere censuit Petrus, veritus ne si comparationẽ, vti omnibus odiosam, & iam sibi noxiam assumpsisset, in culpam, etiam tunc, sicut alias fecerat, prolaberetur: expertus enim fuerat, quod quando Saluator noster scãdalum prædixit, quod in eius morte Apostoli passuri erãt, dicens, Matth. 26. d. *Vos omnes scandalum patiemini in me in ista nocte*; ipse Petrus alijs omnibus se præferens, dixit: Matth. 26. d. *Et si omnes scandalizati fuerunt in te, ego nunquam scandalizabor*; à qua tamen fide, à fœmina interrogatus, ter Christum negando defecit: licet amarulentis lacrymis contractam culpam, deleuerit inde. Vtens igitur Christus, cum Petro, loquens, hac comparatione, dicens: *Simon Ioannis diligis me plus his?* recordatus illius primæ Petrus comparationis, in qua alijs se præferens, peccauit, veritus, ne hæc quoque comparatio nouæ superuenientis culpæ foret occasio, in respõsione, ab hac, se comparationis forma abstinuit; ideò ad amoris sui substantiam in Christum, cæterorum comparatiòne relicta, sufficienter se respondisse credidit: quare de Petro, quod de filijs Iacob à fratre Ioseph vocatis, quod exploratores essent, dicere possumus, quod Olcaster Genes. 42. intulit: *Non debent homines plusquam oportet aperire se, maximè cum examinantur, sat enim erat istis respondere, se non esse exploratores*; sic Petrus tantum respondit: *Tu scis Domine, quia amo te*. Aug. super Io. 21. *Non autem addit plus his*; quia ante liberalior in verbis, plusquam oportet fuerat, interrogatis tantum respondere, quo ad substantiam, didicerat.

Chrys.

Cur Petrus, quo ad substantiam amoris, non quo ad cõparationem Christo respondet.

August.

Non vtitur Petrus comparatione, Christo respondens, q. iam in comparatione alia, defecerat.

Olcaster.

August.

4 Ab omni peccati occasionibus nobis occurrentibus, pręcipuè cauere debemus; maximè, ex commissis culpis, noui lapsus, periculum perpendentes: Matth. 8. Cum in mari cum discipulis suis Saluator noster nauigio veheretur, à maximo ventorum, & vndarum turbine agitata nauicula, summo mortis, & instantis naufragij timore perculsi discipuli, ad Christum, pro liberatione confugiunt, vt Chrysol. serm. 20. ait: *Discipuli postquam viderunt sibi industriam nauticorum deperijsse, in se maria sæuire, se fluctus petere; aduersum se ventorum turbines conuenire, ad ipsum auctorem rerum, gubernatorem mundi*

Chrysol.

Cur Christus iubet mare quiescere, & spōsa Aquilonē abire, & Austrum aduenire.

mundi, elemētorum Magistrum trepidi confugerunt; sic Saluator horum votis, pro salute annuens, tranquilitatem imperans, mare sedauit: *Tunc surgens*, ait tex. Matth. 8. *imperauit ventis, & mari, & facta est tranquilitas magna*; Sed modo à mari, ad terram digredi liceat: considero nunc cælestem sponsam, quæ Cant. 4. ait: *Surge Aquilo, veni Auster, & perfla hortum meum*; iubet hæc Aquiloni abire, aliò secedere, & Austrum ad se inuitat: modò terram, & hortū sponsæ non deserentes ad mare redeamus; cur sponsa ad Sponsi cælestis exemplū, Aquiloni non imperat quiescere, sed abire? dummodo suos hic vehementes comprimat furores, in se furentes cohibeat flatus, ne in sponsæ hortum acriter perflet, & damna afferat, quid refert si præsens, vel absens sit? preterea si Austrum inuitat, & quare Aquilonem quoque nō admittit, cum vterque suo flandi fungantur officio? Cęlestis sponsa, quasi fragilitatis propriæ conscia, Aquilonem furentem, à quo multa in horto suo, eo flante damna pertulit, vt Ierem. p. *Ab Aquilone pandetur omne malum*, abire præcepit, potiùs quam præsentem silentium tenere; ac si intra se diceret: si præsens aderit Aquilo, scio eius potentiam, & damna allata, nescio an fragilitate mea, eius potero furorem comprimere, impetum retardare, vehementiam compescere, & ipse meis mandatis an parere voluerit; vehementer perflare solitus est: quare non sibi forè integrum iudicauit, si præsentem, licet silentem, admitteret, quem furentem, multa incommoda ei afferentem, detegerat, & infestum agnouerat; quod si Saluator ventis imperauit, hoc tutò fecerat, vt Dominus, cuius venti, quos de thesauris suis educit, imperio, reluctari nō valent, & mandatis obsistere, vt Greg. Niss. hom. 10. in Cant. ait: *Non enim eum iubet quiescere, quomodo in maris tempestate iussit Dominus fluctibus quiescere, & silentium agere; sed imperat, vt recedat, vt fugiat, vt absque vllo impedimento fluat Auster, nullo aduerso flatu obsistente eius imperio, dicens: Surge Aquilo &c.*

Spōsa Aquiloni amplius non credit, à quo mala, & dāna iam passa est.

Greg. Niss.

Neque cogere. tex.

§. II. Grauiter peccant, qui alios ad malum pronos, ad peccatum pertrahunt.

1 GRauiter peccare, & maxima propterea animaduersione dignos illos esse censeo, qui animas ad vitia propendentes, ad hæc opere adimplenda, consilio inducūt, ope, & auxilio pertrahunt; idcircò, vt eorumdem criminum rei, digni, quoque pœna mulctandi. Commune apud omnes Philosophos, Iuristas, & Theologos resonat axioma: *Quod est causa causæ, est causa causati*; idest effectus eius, sic D. Thom. 1. 2. q. 79. a. p. ad 3. & p. p. qu. 49. a. 2. ad 2. Legistæ etiam hoc intonant; *Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur*, l. dotem dedit, ff. de collat. bon., & l. manumiss. &c. cum igitur animarum seductor, has ad malum alliciens, consilio, & ope, ad peccatum perpetrandum influat, quod, peccatori suadet, eius quoque peccati causa, & particeps, erit iure dicēdus. Rursus *Si agentes, & consentientes pari pœna puniuntur*, vt iura clamant l. iubemus §. Economus C. de Sacrosanctis Ecclesijs, & cap. p. de offic. delegat. per consequens pœna, quæ peccātibus statuta est, eisdem seductoribus, & ad malum animas attrahentibus

Ad malum suadentes eiusdē mali causa censēdi, & rei iudicandi, pęnæ &c.

D. Thom.

l. ... collat. bono, & l. manumis.

l. iubem. §. Econom. C. de Sac. Eccl.

hentibus, consilio, & ope, meritò erit decernenda, secundum illud Rom. p. *Digni sunt morte, non solum, qui faciunt ea, sed etiam, qui consentiunt facientibus.*

2 Peccatum verè maximum, ego certè censerem, illius, qui natura ad culpam, & vitia incalescenti, occasionum escam, consilij, & auxilij fomenta, ad ignem peccati in huius corde suscitandum, ad infelicis animæ, combustionem ministrat: sicut Chris. in 5. Matth. ait: *Numquid qui ignem portat, vnde conflatur incendium, alienus est ab illo incendio? aut, qui gladiũ portat, vnde homicidium committitur, non ne est socius homicidij illius?* Et quod sit peccatum maximũ, ex sacræ scripturæ latibulis eruamus; Exod. 32. habetur, quod cũ Israeliticus populus cõsilio, & consensu Aron, conflatilem vitulum adorando, in idolatriam deuoluisset; magno propterea Deus indignationis furore accensus, hos omnes Idolatras ad mortem perdere decreuerat, nisi tanto furori Moyses, Dei amicus, suis supplicationibus, obstitisset, vt Ps. 105. *Dixit, vt disperderet eos, si Moyses electus eius, non stetisset in confractione in conspectu eius*; qui quidem Moyses, vitulum in puluerem redactũ, aquę infusum, eidem populo in potum dedit; inde ad fratrem Aron conuersus, ait: Exod. 32. *Quid tibi fecit populus, vt induceres super eum peccatum maximum?* Verum quidem est idolatriæ peccatum esse maximum: *Quod aliquis*, ait D. Th. 2. 2. quæst. 94. a. 3. *diuinum honorem creaturæ impendat; quia quantum est in se, alium Deum facit in mundo; minuens principatum diuinum*, sic grauissimum est peccatum, diuino repugnans præcepto edito, Exod. 20. *Non habebis Deos alienos*, vt etiam Ps. 80. b. *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum*; verum hoc peccatum sæpè à Diuina Scriptura, sine hoc adiectiuo, maximo inuenitur relatum, vt 4. reg. 10. f. cap. 13. a. 15. b. 16. a., vbi agitur de peccatis Hieroboam, filij Naboth, de quo dicitur: *Qui peccare fecit Israel*, peccato scilicet idolatriæ, & infidelitatis, tamen non additur, peccato maximo, sicut addidit Moyses; quæ igitur huius additionis causa censenda? dicens: *Vt induceres super eum peccatum maximum*? Hæc meo iuditio videtur ratio; nam cum iste populus ad idolatriam esset propensus, vt Aron, Moysi dixit, Exod. 32. *Tu nosti, populum istum, quod pronus sit ad malum*, & ad vituli adorationem, illum induxisset Aron, cum pronos ad peccatum inducere culpa grauis sit, meritò sub nomine peccati maximi, idolatriam hanc prodidit. Et verè maximum dici potest hoc peccatum, cum tria in se peccata innectat: malitiam, & consilium suadentis, consensum, ad malum peccantis, & effectum peccati &c.

Chris.

Maximè peccat, qui ad peccandum pronis, peccati fomẽta ministrat; hoc patet in Aron vitulum Israelitis formans ad adorandum.

D. Thom.

Idolatriæ peccatũ maximum, pręcipuè etiam quia Israelitæ ad eam propensi, vt declaratur.

3 Hos malè suasores, & ad peccatum pertrahentes, homicidas, & fratricidas animarum, vocare non erubuerim. Romulus, qui Vrbem totius mundi caput, suo decorauit nomine, hanc fraterno polluit sanguine; vt S. Leo serm. p. in Natali SS. Petri, & Pauli, ait: *Is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cade fœdauit*. Cain, qui suis falsis Abelem suasionibus ad campos allexit, in his, aduersus hunc fratrem, inuidię stimulis concitatus, antiquum in eum euomens odium, ei necem intulit; malè suasores ad malum, & vitia propensos homines ad peccatum euocantes, fratricidæ dici possunt, sunt fratres, qui ex vtero sanctæ matris Ecclesiæ, communi fidei sanctæ semine progeniti, prodiere;

Leo Pap.

Ad malum suadentes, fratricidæ vocari possunt. & quomodo.

cha-

charitatis consanguinitatis vinculo coniuncti, & Christi Sanguinis, & Sacramentorum lacte enutriti, & cibo depasti, fratrem suum occidunt, dum linguæ cuspide, malè suadendo, & dolosè ad peccatum pertrahendo, transuerberāt, & fallacis cohortationis gladio enecant, culpa; vt benè D. Augustinus ait: *Noli te ergo reputare non esse homicidam, cum fratrem tuum malè persuades; & vt scias, quod occidis, audi: Filij eorum dentes eorum, arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.*

August.

4 Ab hostium insecutione Sisara aufugiens, ad tentorium Iahelis, pro eius salute diuertit, vt Iud. 4. quæ in occursum fugientis aduenіens, apud se hospitem inuitat, qui lassus, fractis viribus, mœrore, & curis confectus, eiusdem tabernaculum ingressus, aquam, ad sitim ardentissimam extinguendam petit instanter à Iahele; quæ ad obsequium se paratum exhibet, pro aqua lac ministrat, hunc reficit, sudore madefactum curat; pallio ad quietem operit, sed ecce qualiter; obsequium in seruitiam mutatur; refectio in proditionem, & perditionem conuertitur; nam dum in quiete, sopore Sisara detinetur, Iahel ad illum silentio serpens, latenter accedit, ingressa, clauo, & malleo secum delato, sinistra, clauum in tempus capitis Ducis dirigens, illū dextera malleo fortiter percutiens, in cerebrum defixit; qui soporem morti associās, se priùs mortuum sensit, quam se moriturum agnosceret; sic in lacte venenum hausit; poculum, illa morte conditum exhibuit, in lactis dulcedine mortis amaritudinem degustauit ille, & extremi mœroris absynthiū deglutiuit; obsequiosę manus ad necem declinarunt; blanda verba, in proditionis silentium, & in iniquissima cædis facta reformat: hospitium vertitur in sepulchrum; potus non sitim, sed vitam extinguit: pallium, quod viuum iacentem tegebat, cadauer operit, & requiem requirens, defuncti requiem miserandam inuenit; sic mulier virum, imbellis bellatorem, non viribus, sed astu, non ense districto, sed clauo capiti infixo, non vigilantem, sed ob dormiētem superat, & euincit Ducem; & viuentem in strato, quiescētem victum strauit ad mortem. Sic peccatores ad malum proni, ab hostium infernalium tentationum conflictu, inertia aufugientes, in quo mente viriliter in dæmonem depugnare deberent, vt in commun. Apost. *Estote fortes in fide, & pugnate cum antiquo serpente*, & huius sugestionum ictus, fidei scuto fortiter retundere, vt p. Petr. 5. *Cui resistite fortes in fide*; terrenorū affectuum, & sensualium voluptatū siti exardescētes, vt 2. Cor. 11. *Datus est mihi stimulus carnis meæ*, ad assentatorū Iahelem confugiunt, vt illicitarum cupiditatum sitim extinguant: illi blanda ad spiritualem animę necem, verba componunt, in ipsorum iniquitatum tabernaculum inducunt, assentationum suarum lac exhibent, illicita media ad peccatum ob oculos mentis præponūt; auxilia præbent; sic miseri peccatores assentatorum allecti fallacijs, decepti blanditijs, lac peccati, consensus ore ebibunt; sensualium voluptatum poculum deglutiunt; verum, dum in requie peccati condormitare, in sensus strato cogitant; ecce hos in vitijs consopitos æterni reatus clauus ad eorum perditionem animæ temporibus infigitur; ideò Chris. in Polyer. l. 3. ait: *Adulator omnis virtutis inimicus est; quasi clauum figit in oculos illius, cum quo sermonem conserit; eoq; magis cauendus est,*

Quomodo Iahel, Sisarā interfecerit, & qualiter ab assentatoribus declinandum.

Male Suasores, Iaheli comparati, qui sub lacte adulationis mortē molliuntur.

Chris.

est, quo sub amantis specie, nocere non desinit; quare magis à lingua adulatoris, quã à persecutoris gladio, cauere debemus; quod si iste corpus, illa animam perimit; ideò Hieron. super Psal. *Plus nocet lingua adulatoris, quam gladius persecutoris.*

Hieron.

5 Et verè sub nomine lactis, assentatorum, deceptiones adumbrari possunt, iuxta illud Prou. 16. *Vir iniquus, lactat amicum suum, & ducit eum per viam nõ bonam.* Duo nutrix in filiorum educatione, munera prestat, hos lactat, & ambulare, seu rectos gressus ponere docet: Iste vir iniquus, assentator vocandus, qui iniquitatem meditatur in corde suo; qui si amicus, falsus est, dũ amicum nomine aspicit, verbo decipit, & re deludit: nutrix, vel potiùs lamia, sicut dicitur Thren. 4. *Lamiæ nudauerunt mammam lactauerunt catulos suos*; vel per eum Glos. super hunc locum, *Lamia, quasi lania, quia dicitur catulos laniare*, & tamen dicitur eos lactare; lactat amicum suum, dum in huius mentis, & cordis stomachum, ex illius oris dolosis vberibus, venenosum peccati, ad quod allicit, sub verborum simulatorum ad mala alliciendo, vel malefacta laudando, dulcedine, detrimentum, quod potiùs nutrimentum est animæ, infundit. Ab hoc lacte nos declinare admonet, Sapiens prou. p. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne aquiescas eis*: vbi Hieron. ait: *Duobus modis lactant peccatores, quos decipiunt: quia, aut ad faciendum scelera blandimentis allicunt; aut facta iam, fauoribus, quasi laudabiliter acta sustollunt.* Docet ambulare, sed malè, quia per viam iniquitatum, quam ipse teret, quæ foueis dolis, & occasionum peccati redundat, & repleta est, & per falsas vitiorum semitas, eiusdem mẽtis pedem, & gressus dirigit; ideò subditur: *Et ducit per viam non bonam,* quæ in æternæ mortis, in summum animæ præiudicium, terminat præcipitium, à qua detinere gressus suos, dicebat Dauid, Psalm. 118. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.*

Assentator quomodo vt nutrix diaboli lactat amicum suum, & per perditionis semitas hũc dirigat.

Glos.

Assentator, velut lamia, vel lania, qa, quos lactat verbis, laniat re.

Hieron.

6 Antichristi precursores, sicut Ioannes, Christi, isti assentatores ad peccatum animas pellicentes, vocari possunt. Antichristus, contra Deum veniet, vt Hilar. in Comment. in 24. Matth. *Aduersus Deum veniens*, ait, *honorem sibi Dei vendicat*; sic animas ad peccatum pellicientes, Antichristi Præcursores dici possunt; sunt enim contra Deum; primò ratione lethalis culpæ, cuius particeps sunt, dum in hanc, alios alliciunt, & adducunt, quæ diuinæ immediatè opponitur legi, & contra ipsum militat Deum: secundò, quia si Christus orandi formam præbet, methodum præscribit, vt in oratione Dominica dicamus: *Et ne nos inducas in tentationem*, hoc est, ne in assensum tentationum ruamus, vt Aug. de ser. Dom. ait: *Sic ergo, non hic oratur; vt non tentemur, sed vt non inferamur in tentationem*; ecce contra Christum animarum seductores, & illusores, Antichristi præcursores, ad tentationes euocant, ad peccatum animas attrahunt. Rursus si tempore Antichristi, ait Matth. 24. *Surgent Pseudochristi, & Pseudopheta, & dabunt signa, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi*; ecce quod isti Antichristi præcursores, Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, signa diabolica ostẽdunt, dum ad peccatum pronis, peccandi occasiones, & cõsilium prebent, auxilia præstant, mali exempli argumenta ministrant, media suppetunt, & tandem sub pelle ouina iustitiæ,

Assẽtatores Antichristi Præcursores vocari possunt.

Hilar.

August.

Quomodo mali suasores, signa, & prodigia ostendant; vt simplices, & iustos in errorē inducant, si possibile foret.

iustitiç, & apparentis boni, vt etiam ad peccatum iustos pertrahant, lupinam vitiorum, & eorum peruersæ voluntatis, & corruptorum morum rabiem contegunt; quare ab istis nobis cauendum admouet Saluator, Matth. 7. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Huiusmodi assentatores, vt Magi diabolici Pharaonis sunt, qui eorum malis actionibus, & suasionibus signa, & prodigia ostendũt, vt ad peccatũ alios alliciant, & perducant: si Stephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat signa, & prodigia multa, in gentiũ conuersionem; isti Pseudoprophetæ, non sancto, sed diabolico repleti spiritu, artium, & stratagematum suorum, vt animas decipiant, & perdant prodigia ostendunt, Sunt isti, velut alius Simon magus, qui suasionum suarũ, magicis artibus, homines dementant ad culpam: vocem Iacob sanctitatis apparenter habent, manus autem operis Esau, retinent ad decipiendum; coruinam in corde, malitia, nigredinem reseruantes, columbæ simplicitatem conuestiũt. *Vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*.

7. Quare si assentatorum, animas ad peccatum pertrahentium, grauis culpa est; grauissima quoque pœna, erunt isti animaduertendi. Ex lege habemus l. qui occidit ff. ad legem Aquiliam, quod si quis tempore ventoso ignem ponit in stipula propria, & ille ignis vineas accendit proximi, de damno respondebit; quia, qui dat occasionem damni, damnum dedisse videtur, quę quidē lex, in diuina suum habet fundamentum; habetur enim Exod. 22. *Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit aceruos frugum, siuè stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit*; pari modo dicere possumus de seductoribus ad malum animas pellicientibus, qui mali consilij, scandali, praui exempli, vel occasionis, & auxilij ignē peccatorum in agro humanæ mentis proximi accendunt, quo aceruus virtutum comburatur, cui messis salutis animæ ruina succedat, de damno; debitas diuinæ institiæ, pœnas luendo, respondere debebit.

Ex lege Ciuil.

Pœna assentatorũ, probatur, exēplo ignē in propria stipula, mittētium.

8. Quare in huiusmodi animarum seductores ad pœnam, minæ audiuntur à diuina iustitia, per Is. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem, in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum*, ad Assentatores, hæc videtur conuersa oratio; Væ enim aduerbium minantis est; *qui trahitis*, peccati obiecta proponendo, à quibus trahitur voluntas, vt Aug. tract. 20. in Io: *Trahitur animus, & amore si poetæ dicere licuit: trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio*: *Iniquitatem*, abstractum pro concreto, hoc est iniquos, siuè peccatores, ad peccandum; vel iniquitatem, quasi ex abdito in mente, & corde latitantem, ad extra per actualem culpam; *in funiculis vanitatis*; qui sunt suasiones, consilia, & media, quibus ad peccatum inducitur anima, vt Ps. 37. *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur*; quasi diceret, qui mala animæ meæ exoptabant, vt me ad peccatum pertraherent, locuti sunt vanitates, suasiones, consilia, & media, ad peccata perpetranda, proponendo; ideò eisdem pœnis, quibus, delinquentes, seductores subijci æquum erit; nam socius criminis, socius etiam pœnę debet esse, vt l. vnica §. pœnas autem, C. de rapt. virg.

Pœnæ comminatio, in animarum seductores.

August.

Morales funiculi, quibus trahuntur peccatores, ad culpam.

Ex lege ciuili.

Sed, subtrahere adiectioni, ante iudicationem. tex.

§. III. Dum proximè instantis culpæ periculum timetur, omnes omninò occasiones, peccato, quoquomodo circunstantes, resecandæ.

1 ECclesiast. 18. ait Sapiens: *Ante languorem, adhibe medicinam*. Languor animæ est culpa; antequam igitur hæc peccatorem apprehendat, debitis opportuno tempore, est remedijs præcauenda; vt Plutarcus ait: *Vt equis non in ipso cursu frenum inijcimus, sed ante cursum; sic qui propēsi sunt ad iram, aut ad libidinem, ante rationibus, monitionibus refrenandi sunt, priusquam in periculum ventum sit, præmunire debemus, vt magis in tentationis tempore, parati simus resistere*. Remedia igitur ad animæ salutem, ne in culpæ languorem incidat, in duplici differentia constituuntur; quædam sunt positiua, veluti pœnitentiæ, quæ sensum reprimunt, ne in peccatum labatur anima; quædam sunt negatiua, vt potè peccati occasiones, quę huic circunstant, quæ relinquendę sunt, vt peccati dispositiones; disposito enim per occasiones peccatoris subiecto, facilè culpæ introducitur forma; dū igitur peccati proximè instat morbus, occasiones omninò amouendo, remedio est præcauendus. *Ante languorem, adhibe medicinam*.

Plutar.

Quomodo futurum periculum, remedio opportuno est præcauendum.

Remedia alia positiua pœnitentię, alia negatiua, vti peccati occasiones relinquendæ.

2 Mirabilè sanè est illud præceptum, quod à Deo impositum est Abramo; Gen. 12. *Egredere de terra tua, de cognatione tua, de domo patris tui, & veni in terram, quā monstrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum*. Vocat Dominus Abram, & sub prætextu eius familiam ampliandi, honoribus eum decorandi, à patria, paterna domo, rursus à cognatione præcipit eum discedere, & aliò ad Domini placitum se transferre, & transmigrare. *Egredere de terra tua &c.* durum quidem videtur, & sensui valdè repugnans, hoc præceptum, vt à patria debeat quis discedere, à cuius amore, vix valet voluntas abduci, animus elongari, vt Ouid. p. de Pont. Eleg. 4.

Præceptum à Deo Abrahæ impositū à patria à domo propria, & cognatione, egrediendi.

Nescio, qua natale solum, dulcedine cunctos,
Ducit, & immemores, non sinit esse sui.

Ouid.

De cognatione tua: & quomodo Abram à parentum, & cognatorum affectu, cordi eius à natura inserto, poterit desiscere? dicitur enim, *Dulcis amor patriæ, dulce videre suos*; sed vlteriùs addit: *Egredere de domo patris tui*; quare egregiè D. August. ait: *Nouum probationis genus, habenti propria, exilia indicere peregrina; ingerere laborem itineris, quiescenti; imperare penuriam possidenti; & tantarum facultatum Domino, necessitatem imponere peregrinandi: Leue non est, cuique dimittere propria, & sectari aliena incerta; dimittere quod sciatur, quærere quod ignorat: quis enim propria sine dolore, & lacrymis derelinquit? Cui non est durum illos conscios naturalium parietes, dulcia illa limina, atque amabilem larem, quem, & parentum memoria, & ipsius infantiæ rudimenta commēdant: vbi incunabula illa, noui & mox orientis hominis famulabātur?* Sed ad quid Deum hæc singula Abramo præcipere? si discedit à patria, à paterna quoque domo, discedere necesse est; & rursus quomodo à patria mandat Abrææ disce-

August.

Adimplendi pręcepti difficultas.

discedere, à qua iam cum patre discesserat? sed hoc ideò Abrahæ Deus mandauit, vt disceremus, quod dum peccati periculum imminet, non solum ab occasionibus proximis, sed etiam à quibuscunque, si possibile foret, etiam remotis, omninò esse recedendum: Abram igitur à patria sua, corpore, sed non mente recesserat, ideò dicitur: *Egredere*, idest, *de terra tua*, Chaldea, vbi infidelitatis magnus vigebat error; ne huius mente quidem, inficeretur contagio, quare Strabus apud Lir. ait: *Tunc egressus fuerat corpore, non mente, & voluntate; habebat enim animum forsitan reuertendi; quando dictum est, egredere*: periculum enim imminebat, ne ad patriam remeans, sicut desiderio tenebatur, Abram, illorum ciuium infidelitatis scilicet, inuolueretur errore; ideò, ait Deus, vt Lir. hic: *Egredere de terra tua, idest longius recede ab ea*. Et hoc videtur per literam hebraicam, quæ sic habet: *Vade tibi de terra tua; quasi diceret pro vtilitate tua, vade*; hęc Liran.

Quomodo præcipitur Abrahæ à terra suo discedere, si iã cum patre ab ea discesserat. Prima expositio.

Strab. apud Lir.

Liran.

3 Iterum secundò moraliter, possemus hanc sententiam, rursus ad rem nostram exponere, Gen. 12. *Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum.* Hoc interpretari possumus, homini dictum, qui, vt ad sanctam illam cælestis beatitudinis perueniat, terram, vt Matth. 5. dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*; quæ terra, non mortalium, sed in æternum viuentium, secundum Antiph. *Portio mea Domine, sit in terra viuentium*; debet terram hanc noxiorum temporalium bonorum, & sensualium voluptatum, & desideriorum, re, & affectu dimittere, corpore, & mente ab his discedere, secundum illud ad Colos. 3. *Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram*; dicitur igitur: *Egredere de terra tua*, dicamus nos cum Glosa interlineali, à: *terreno homine*, vel: *de amore terrenorum*, vt ait Hug. Card. hic, vt Colos. 3. b. *Expoliantes vos veterem hominem, cũ actibus suis: Cum actibus voluptatum*, vt exponit D. Hieronymus hic, *Et induentes nouum: De terra tua*, hoc est terrenæ vanitatis, quæ nos mortales culpæ efficit; & in mortuorum terra nos detinet; si æternæ fœlicitatis, & viuentium terram promissam, cupimus adire; iuxta illud Chrisost super Matth. *Quandiù in hoc statu (scilicet homo) terra mortuorum est; cum autem liberata fuerit, de corruptione, fit terra viuorum, vt mortales hæreditent immortalem. De cognatione tua*, idest de naturali concupiscentia, quæ nobiscum nata est, ait Hug. Card. *Vel de pompis diaboli, eius societatem fugiendo*: de domo patris nostri, qui fuit Adam, in qua originali culpæ obnoxij, natura corrupta, nati sumus; sic ex his, à peccato, & peccati occasionibus omnibus, quantum fieri potest recedendum, deducitur.

Secunda expositio.
Egressionis Abrahæ, vt à terrenis recedamus, si cælestia cupimus adire.

Quid sit de terra egredi

Glos. interl.

Hug. Card.

Hieron.

Chris.

Quid sit egredi de cognatione, & de domo patris nostri.
Hug. Card.

4 Acutissimus Caietanus, ingenio, & dignitate Eminentissimus, quærit causam, cur Deus Adæ de suo peccato impegerit, & pœna eũ mulctauerit, & notat ex scriptura, hanc esse, Gen. 3. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti, ex quo præceperam tibi ne comederes, &c.* sed quomodo ex eo, quod Adam vxoris suæ vocem audiuit, hunc culpa damnat, & pœna mulctat? Pomum comedere, non vxoris suæ vocem audire vetuerat Deus; & quomodo, quod contra legem, & præceptum, non est, culpa est, & vitio adscribendum, & pœna ani-

Caiet.

Cur Deus, Adã punit, eo quod audierit vocẽ vxoris suæ.

maduertendum? Audire enim sicut videre, homini naturale est, & posito obiecto, quo ad specificationē actus, vt aiunt Philosophi, non potest in actum, potentia non exire, & cum in naturalibus, non mereamur, nec demereamur, (aliter in ipsum Auctorem naturæ refunderetur culpa) quomodo ex simplici vocis auditione Gen. 3. *Quia audisti vocem vxoris tuæ &c.* Adam erit culpa accusandus, & pœna damnandus? Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi: In sudore vultus tui, vesceris pane tuo?* Si Euæ vocem de proximo obloquentis (si hoc dicere fas est) & malè ouomentis, vel malè suadētis audisset, & ipse hanc monere, & corrigere dissimulasset, pœnam ob culpam ipsum subire, non incongruum erat; sed quia vocem vxoris, factum enarrantis audiuerit, quod culpa, & pœna damnetur, hoc arduum videtur: quomodo ergo Adam, vxoris suæ serpentem iam alloquentis, discursum enarrantis, vocem audiens à Deo punitur, vt culpæ reus? sed ideò Deus Adam pœna affecit, quia occasiones instātis peccati, sua reprehensione, non amouit: audiens enim vocem vxoris suæ, locus, & occasio fuit, vt ipse, in vetiti cibi culpam, prolaberetur; si enim audiens vxoris suæ vocem, de peccato, & serpentis consilio, illam debita correctione, vt æquum erat, repressisset; occasionē sibi ipsi amputasset peccati; quare Caietanus Gen. 3. *In hoc insinuatur facilior aditus datus mulieri ad persuadendum viro, qui præsens neglexit ipsam cohibere.*

Ideò punitur Adam, audiens vocem vxoris suæ, quia illi occasio fuit, vt in peccatum rueret.

Caiet.

APHORISMVS VIGESIMVS.

Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, siuè medicamentis, siuè aliter irritando, sed sinere. tex.

Ordo Medicinę corporalis.

HVC vsque in præcedentibus Aphorismis, egit Hippocrates de victu, ostendēdo præcipuè qualis victus ratio, in morbis acutis, constituenda sit, & quando, & quo pacto sit facienda, aut non, vasorum inanitio, & ægris competat; nunc ad euacuationem reddit; ostendens, quando præcipuè mediens, totum opus naturæ debet committere, & quando non scilicet ægri natura operante ex se, vel non integrè operante; ideò ait.

Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid &c.

Hoc nomen iudicatio, ait Galen. p. de diebus crit cap. p., non fuit primò inuentum ab aliquo medicorum, sed ab astantibus, qui maximā videntes infirmi exagitationem

Galen.

Medicina corporalis.

ipsum esse sub Iudice constitutum, iudicium expectantes, de vita, & morte, dixerunt; ob id inde inualuit consuetudo, vt ea, & indicatio, siue iudicium nuncuparetur, sicut, & subita conuersio ad sanitatem simpliciter, crisis nominatur. His præhabitis dicamus: *Quæ indicantur, & integrè iudicata sunt, nec mouere, nec nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere*; Idest, quando fit, vel plenè facta est crisis, & natura in ægro, per se operatur ad morbi expulsionem, & perfecta facta est iudicatio, vel fit; ita vt morbus perimit, aut desinit; oportet ipsi naturæ totum opus, medicum committere, & propterea nihil mouere medicamentis, scilicet purgantibus, nec nouare, nec aliter irritando, sed sinere; quia dum natura operatur per se, medicus debet esse merus naturæ spectator; quod si crisis esset imperfecta, nec posset integrè per se euacuationem perficere, tunc medicamentis, medicus subuenire debet, vt suum in perfecta critica euacuatione, natura, ad salutem ægri consequatur effectum, & inceptum opus adimpleat.

Quomodo, & vnde dicatur iudicatio apud medicos.

Quid sit crisis.

Dum natura operatur, medicus est simplex spectator.

Satis, & nos moraliter in antecedentibus aphorismis, egimus de spirituali, siuè morali victu, sicut de dieta, quæ fit peiciunium; de qualitate victus humidi, scilicet lacrymarum; de quantitate cibi, in ieiunio, vel pœnitentia, secundum vires pœnitentis, præscribenda; & de tempore, quo, victus præcipuè orationum, & fraternæ correctionis sit adhibendus, quando subtrahendus; ab occasionibus recedendo, vt diximus: nunc ad humorũ peccantium, vitiorum scilicet, & culparum euacuationem, animam infestantium, per pœnitentiæ pharmacum, discursu, est deueniendũ; Et quia hæc moralis euacuatio, potest esse per amaram diuini flagelli potionem, à cælesti medico præscriptam, vt Malach. 3. *Sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui*; Et ab ægro morali, scilicet peccatore, spontè, & voluntariè facta, vt Ecclesiast. 7. *De negligentia tua, purga te cum paucis*; ideò de vtraque agimus, & primò, quando peccatoris, siuè pœnitentis natura, per se operatur, v. g. in suorum spontanea accusatione, peccatorum, pænitentiam agendo; secundo cum ex se non integrè, & perfectè operatur in pænitentia, & sui accusatione, & est opus cælestis ope medici, & diuini flagelli pharmaco, ad perfectam vitiorum purgationem, vt declarabimus infra: dicimus igitur.

Ordo medicinæ spiritualis.

Quæ indicantur, & indicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere. tex.

Quod de crisi physica, in peccantium humorum, ad corporis salutem euacuatione, diximus; hoc itidem de morali, in peccatorum purgatione, siuè per pænitentiam, euacuatione, pro salute animæ, proportionaliter inferendum videtur; dicimus igitur: ***Quæ indicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare &c.*** Obseruandum igitur primò, quod duplex moralis hæc assignari potest crisis, alia perfecta, alia imperfecta. Perfecta est cum peccator in suæ conscientiæ tribunali, suam examinans causam delictorum, suam agnoscens culpam, se reum prodit, peccatorem accusat, & pœnitentiam contritus agendo, se vltro ad animæ purgationem, pænę adiudicat, & à se ipso reatus sui supplicia exigit; sic per contritionem, & seram pænitentiam; & integram confessionem, debito examine præuio con-

Medicina spiritualis.

Moralis crisis, siuè perfecta, siuè imperfecta, quæ sit.

præuio conſcientiæ, fit ſubita conuerſio ad gratiam, & ad animæ ſalutem, vt Act. 3. c. *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra*; ecce perfecta criſis. Alia eſt imperfecta, quando culparum commiſſarum perfectus dolor in confeſſione pœnitẽtis non interuenit, & eſt tantum attritus, tunc pœnitens, ſpiritualis medici videlicet Confeſſoris, ad perfectam ſalutis animæ criſim, abſolutionis medicamentum requiritur: dicitur enim: *Virtute clauium ex attrito fit contritus*: Quando igitur peccator, ſui ipſius Iudex, & tortor factus, culpam ſuam agnoſcens, propriam conſcientiam arguens, ſe ipſum reum iudicat, & pœnę adiudicat, pœnitentia reatum purgans culparum, tunc liber à Deo abſoluitur; ecce criſis perfecta, ideò ait S. Leo pap. in ſermon. *Non remanet iudicio condemnandum, quod fuerit confeſſione purgatum*; ſed, & clariùs Apoſtolus, Aphoriſmi moralis ſenſum ad rem noſtram explicat, dicens 1. Cor. 11. *Si nos metipſos diudicaremus, non vtique iudicaremur*; ideſt, vt exponit Caiet. hic: *Non puniremur diuino iudicio, ſi nos metipſos diſcuteremus*; ideò, cum talis ſit, aut facta eſt criſis, ait Hippocrates: *Neque mouere, neq; nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiuè aliter irritando*; Pœnitente enim per ſe perfectè iuſtitiam operante, nullus diuini rigoris in eum, Deo, locus relinquitur; nullas pro peccatis excogitatas pænas admouet, ſupplicia applicat; iuxta illud Hierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum, aduerſus eam, agam, & ego pænitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei*: quod ſi è contra imperfecta fuerit criſis, naturæ videlicet peccatoris, in ſui vitiorum ægritudine, in horum peccantium humorum expulſione, perfectè non operantis, in peccatorum confeſſione, non ſe accuſantis, ſed malitiosè, aliqua peccata reticentis, cœleſtis medici, dicam meliùs, Iudicis æterni, ope opus eſt, qui diuinæ iuſtitiæ ad pœnã pharmacum præſcribat, vt Aug. ſuper Pſal. *Si non confeſſus, lates, inconfeſſus damnaberis*; modo ad paragraphos deſcendamus.

Leò Pap.

Quomodo peccator ſe pœnitentia reum iudicans, non iudicatur à Deo.

Caiet.

Auguſt.

Quæ iudicãtur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiuè medicamentis, ſiuè aliter irritando. tex.

§. I. Peccator ſe accuſans, & à ſe ipſo culparum ſuarum pœnas exigens, diuinæ manus flagella, deuitat.

Quæ iudicãtur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiuè medicamentis, ſiuè aliter irritando. tex.

§. II. Perfecta ad ſalutem animæ criſis, eſt peccatorum ſuorum, pœnitentis, & contriti cordis, integra, & fidelis confeſſio.

Quæ iudicãtur, & iudicata ſunt, integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiuè medicamantis, ſiuè aliter irritando. tex.

§. I. Peccator ſe accuſans, & à ſe ipſo culparum ſuarum

pœnas

pœnas exigens, diuinę manus, flagella deuitat.

1 IAM antiqua in bene regulatis Republicis consuetudo inoleuit, vt plura in his tribunalia ad diuersas causas cognoscendas erigerentur, quorum vnum, alteri superiori subordinaretur, vt si minùs æquo, ius diceretur in vno, ad supræmum tribunal delatum iudiciũ, causa iniquitatis recognosceretur in alio: peccator, qui se iudicio discretionis iudicat, & in suarum confusione culparum, propriam arguẽs conscientiam, contra se causam dicit, iuxta illud Iob 10. *Dimittam aduersum me eloquium meum*; & sanctum, temporalis iudicij, quod finale præuenit, in se erigit tribunal, in quo Iudex mens constituitur, quæ in tota potentiarum, & sensuum prouinciarum ditione, principatur; vbi thronus, siue sedes iudicialis cor est, cogitatio accusatrix, testis conscientia, rea voluntas, tortor timor, pœnitentia carnifex; hoc temporale tribunal, æterno diuinæ iustitiæ subditur tribunali; sicut ab hoc regitur, vt ex D. Th. 1. 2. quæst. 93. a. 3. patet: si igitur in illo temporali per peccatorem pęnitentiæ iustitia tribunali ritè administratur, suam peccator agnoscens culpam, se ipsum accusans, & vt diuinæ iustitiæ arbiter in se pęnæ subeundæ sententiam inflectet condemnationis, & se pęnitentiæ ministris tradens, culpæ reatum purgabit, & contumaciam, firma in diuinæ iustitiæ tribunali, & rata non vltra recognoscenda, remanebit sententia; ideò Apost. 1. Cor. 11. *Si nos metipsos diudicaremus, non vtique iudicaremus*. Verum si in hoc cordis nostri tribunali, pœnitentiæ debitæ pro peccatis, ius non administrabitur, hæc ad supremum diuinæ iustitiæ, & Iudicij tribunal, graui pœna recognoscenda, deferetur iniustitia; quare D. Anselm. in 1. Cor. 11. ait: *Si in diuersas actionum, & cogitationum nostrarum partes, mentis oculos circunduceremus, & de singulis, quæ nos malè fecimus, aut cogitauimus, nos ipsos districtè pœnitendo iudicaremus, non vtique iudicaremur; idest plecteremur aduersitatibus. Ascendat igitur homo aduersus se tribunal mentis suæ, constituatq; se ante se, & in cordis sui iudicio adsit accusatrix cogitatio; testis conscientia, carnifex timor; postremò ab ipsa mente sententia talis proferatur, vt quid quid in se viderit, quod à Deo reprehẽdi possit, & puniri, ipse nunc in se ipso reprehendat, & puniat: peccata enim, siue parua, siue magna, impunita esse non possunt; quia, aut ab homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur*; & tãdem sic concludit. *Cessat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana*.

In Republicis, cur diuersa tribunalia, instituantur.

Peccator se pœnitentia iudicans, à Deo non iudicatur, ad pœnam.

Tribunal pœnitentis, in se ipso, & quale.

D. Thom.

Iudicium ab homine non cognitum, ad supręmum diuinæ iustitię tribunal, defertur.

Anselm.

2 Inuiolabilis, apud S. Inquisitionis Officium, lex inoleuit, quod si quis, alicuius criminis reus, spontè comparens, accusatorem præueniens pœnitens, suam culpam dicit, immunis à pœna, & absolutus absedit; verum ab accusatore pręuentus, vt reus, pœna animaduertitur; sic peccator, ne à diuinæ iustitiæ tribunali, debita pro peccatis, pœna animaduertatur, prior, vt spontè comparens, diabolum accusatorem præueniens, se reum agnoscens, suam apud diuinæ misericordiæ tribunal, exponat culpam, vt innocens euadat: contra se ferat sententiam, ne diuinæ iustitiæ, pœnas ferat; vt Is. 43. dicit. *Dic prior iniquitates tuas, vt iustificeris*. Vbi Chris. hom. 20. super Genes. tom. 3. dicit: *Non ait simpliciter, dic iniquitates tuas, sed adiecit,*

In S. Officio, reus accusatorem præueniens, vt innocens euadit; sic in diuinæ misericordiæ tribunali, se peccator accusans.

Chris.

adiecit, prior; hoc est; non expectes te arguentem, ne præstoleris, actorem ipse praueni, & rape sermonis principium, vt accusatoris linguam obmutescere facias. Et hoc consilium, maximè ad diaboli malitiam, & nequitiam retundendam, expedit; quia, ait August. *Diabolus peccati accusator est, si preuenimus in hac vita, nequitiam Diaboli preuenimus.* Quare peccator debet suarum culparum, se iudicem statuere, se ipsum accusare, reum iudicare, reatus sui causam cognoscere, se pœnæ damnare, vt D. Aug. lib. de vtil. ahen. pænit: *In tribunal mentis tuæ ascende contra te, & reum te constitue ante te, noli te ponere post te, ne Deus ponat ante te;* & penitentiæ prçtio à diaboli tyrannide suam redimere animam; vt diuini rigoris valeat effugere, & euitare sententiam; vt ait Chrisost. ser. 67. *Currat pænitentia, sententia ne precurrat.*

August.

August.

3 Postquam in via iniquitatis lassatus filius prodigus, qui suum à patre receptum, in longinguas remeans regiones, largè, luxuriosè viuens, prodegerat patrimonium, vt Luc. 15. Ad extremam tandem pauperiem redactus, aliorum seruituti se mancipare coactus, porcorum custos factus, horum commensalis esse cupiebat, eorumdem siliquis, & cibo ventrem exurientem, explere, & vexantem expellere famem, Luc. 15. *Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci mãducabant, & nemo illi dabat:* A fame igitur compulsus, à necessitate expulsus; à ieiunio intellectum recipiens; quia vexatio dat intellectum, quem crapulę, & voracitas abstulerant; per viam salutis, incedere cogitat, qui per viam diù cucurrerat perditionis; sic ad patriam, & patrios lares, & ad patrem pedem reuocare, festinat, & à quibus saturitas fecerat eum exulare, ieiunium reuocat; & quem, vt patrem, inobedientia non agnouerat, in seruum, iam talem culpa factum, se illi locare statuebat: pœnitentiæ igitur gressibus, propriæ salutis iter carpens, suam agnoscens culpam in se reuersus, suam arguens conscientiam, contra se, se iudicem statuens, pœnæ sententiam pronunciat, sic ait, vt Luc. 15. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: pater peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me, sicut vnum de mercenarijs tuis.* Et ecce quia peccatorem se prius accusauit, à patre inde veniam suorum inuenit, & obtinuit, peccatorum; quem iudicem metuebat, patrem recepit; & cui, vt Domino seruire disponebat, in pristinam reuocatur filiationem; sic pietatem, impietas, confessione promeruit; delictum, misericordiam inuenit; nuditas, operimẽtum; fames, saturitatem; ieiunium, vitulum saginatum, & cibus siliquarum, in domesticum oppipare commutatur conuiuium; conscientiæ reatus, primam indulgentiæ recepit stolam, & qui se in mercenarium locabat, in pristinum filiorum restitutus est honorem; porcorum custos, in condominum reuiuiscit; aliorum subactus dominio, seruitutis iugum excussit; qui obedientiæ aliorum erat obstrictus, optata filiorum fruitur libertate; & qui infami à paterno stipite, & nobilitate degenerauerat vita, honoris nunc decoratur anulo; quare Chrysol. ser. 3. *Sic pater iudicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula non flagella;* quare nostrorum peccatorum nos iudices simus, in nos pœnitentiæ sententiam feramus, vt diuini flagelli sentẽtiam euitemus, vt Chrysol. ser. 167. ait: *Ne iudicemur, Iudices simus; pænitentiam*

Cōfessione, seruitus in libertatem, impietas in pietatem, quomodo couertatur.

Filius prodigus se culparum suarū accusans, à patre absoluitur à seruitute, in filium iterū recipitur.

Chrysol.

demus

demus nobis, vt possimus nobis auferre sententiam.

Cur Dauid à peccato suo absoluitur à Deo, & Adam pro inobedientia, pœna plectitur.

4 Duo ex sacris paginis decerpta, quę inter se contraria videntur, hic breuiter loca referam. Considero Dauid Regem, adulterij, & homicidij labe pollutum; eodem tempore ad primi parentis culpam, me confero. Vtriusque culpa grauis, & pœna digna; hanc tamen vnus euadit, alter soluit; Vix Dauid culpa prodijt, pęnitentiæ confessione vocem edens: *Peccaui Domine*, 2. reg. 12. statim inuenit indulgentiæ locum, & culpæ assecutus est absolutionem, vt Nathan dixit 2. reg. 12. *Dominus transtulit peccatum tuum*; peccat Adam, & statim diuinæ iustitiæ Iudex, in eū insurgit, hunc in iudicium vocat, & culpæ ab eo licet confessione habita, vt reum pœnæ adiudicat, & exilio mulctat, vt Gen. 3. d. *Emisit eum Dominus Deus, de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est: In sudore vultus tui, vesceris pane*, Genes. ibi, *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, spinas, & tribulos germinabit tibi*; ecce pœnas, quibus eum ob culpam Deus animaduertit: & quare hunc ob peccatum, pœnæ damnat, & Dauid Regem, vt à culpa immunem, à pœna absoluit? vnde hoc; vt tanta culparum grauitas, diuersos condemnationis pœnæ; in vno, & absolutionis in alio, exitus sortiatur? nam vel hęc differentia attenditur, ratione personarum, vel qualitatis culpæ, si primum, cum Deus non sit partialis personarum acceptator, vt Coloss. 3. d. *Non est acceptio personarum apud Deum*, nullus hic interuenit differentiæ locus, nam, si Dauid, Regio erat honore decoratus; Adam omnium protoparens erat, ex cuius stipite, humanæ generationis germina pullularunt: si Dauid Rex potens erat, neque ob id diuinæ iustitiæ, ipsum æquum erat subterfugere rigorem; nam dicitur Sap. 6. a. *Potentes potenter tormenta patientur*; Si ex qualitate criminis perpenditur differentia, pœnæ infligendę, grauior in Dauide, quam in primo homine videtur esse culpa; Adam enim non ex se, sed alteriùs cōsilio, & mulieris suasione, corruit in culpam; Dauid autem ex se, & ex propria malitia, nullo instigāte, in peccatum lapsus est, imò & mulierem ipsam in adulterium adduxit: Adæ simplex, inobedientiæ culpa fuit; Dauid verò triplici peccati adulterij, homicidij, & scandali innodatus fuit, vinculo; Si Adæ datum fuit præceptum vetitum cibum non edendi, vt Gen. 2. c. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas*; Dauidi quoque per Moysem præceptum impositum fuit, vt Deut. 5. b. *Non occides, non mæchaberis*; Vnde ergo diuersus hic culparum exitus? absolutionis, & reatus pœnæ disparitas?

Collatio personarum Dauidis, & Adæ, & eorum peccatum, vtrum horum grauiùs.

Quare Deus ab Adā ob culpam, pęnas exegit. Variæ rationes.

Variæ possunt adduci rationes, quare Adæ hęc pœna inflicta est pro culpa, non Dauidi; primò, quia Adam humani generis caput erat, ne pœnæ pro culpa impunitas successoribus liberè peccandi ansam præberet: secundò quia erat primū peccatum, ideò acriùs pęna animaduertendum; secundum illud commune proloquium: *Principijs obsta*: tertiò, quia, vt in primo homine, grauior culpa ipsius reddebatur, quæ in posteros inde, originali culpæ obnoxios, est transfusa; ideò non erat pęnitentia omittēda, sicut nec ipsa culpa dissimulanda, ne cęteris in exemplum transiret: sed meliùs ad rem nostrā dicamus, ideò Adam, non Dauid pœnæ addixit Deus, quia Dauid statim ac, se culpæ reum per Nathā agnouit, sui ipsius Iudex factus,

Quare à Deo Dauidis peccatum, pœna non animaduertitur.

contra se condemnationis sententiam intulit, in confessione spontanea culpæ, dicens 2. reg. 12. c. *Peccaui Domino*; quare ex se vltrò, ad pœnitentiæ remedia inde recurrit, vt Psal. 50. *Miserere mei Deus &c. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco &c. tibi soli peccaui, & malum coram te feci &c.* rursus Ps. 6. dicebat: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratū meum rigabo*, & quia, vt D. August. de verb. Dom. ait, de peccatore:

August.

Quando se agnoscit, Deus ignoscit; ideò statim meruit ex voluntaria delicti confessione, pœnæ consequi absolutionem; quare ait Theodoret. quæst. 44. in Gen.

Theodoret.

Pœnam euasit, propter peccati confessionem; & contra se ferens sententiam, euitauit diuinam sententiam. Adam verò, non spontè comparens, sed à Deo vocatus, & inquisitus, vt Gen. 3. *Adam vbi es?* culpam suam aperire coactus fuit, nec in se, delicti causam dixit, sed in mulierem refundit, & culpam retorquet; dicēs Gen. 3. b. *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*; ideò debita culpæ animaduersione plectitur; si quidem, & originalis culpæ etiam in nos transmittit reatum; quarē Greg. super Ps. 31.

Greg.

Imputare sibi peccatum suum noluit Adam, quando dixit: mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi; vnde, quia se confiteri renuit, mortifera damnationis sententiam, ad posteros misit.

Apud Deum, qui se accusat excusatur, & confitens absoluitur.

5 Apud Deum qui se accusat, excusatur; qui se culpa condemnat, absoluitur; qui se reum iudicat, diuini iudicij sententiam euitat; quod in temporali tribunali, & iudicio contra accidit, vt Chris. hom. 20. super Genes. ait:

Chris.

In temporali iudicio, & profano tribunali, cum primum reus suum confitetur peccatum, iudex statim eum condemnat, & iuxta qualitatē delicti, ad mortem damnat; in pœnitentiali foro, fit è conuerso, solum expectatur peccatoris confessio, vt absoluatur; meritò igitur Dauid ad rem nostram, Psal. 31. intulit: *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*: sed quis est hic, tam bonus, numeris omnibus absolutus, vt à peccato immunis omnino reddatur, & liber euadat? maximè cum dicat Apost. ad Rom. 3. c. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*; & etiā Sapiens Prou. 24. b. ait: *Septies enim cadet iustus*, quod si nos à peccato immunes esse ostēramus, mendacij arguemur, vt p. Io. p. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; & clarè etiam Ambr. Epis. 3. ad Simplicianum, ait:

Qualis sit iste homo, cui Deus nō imputat peccatum.

Ambr.

Omnes sub peccato, qui carnem gerit culpa obnoxius est; si igitur omnes peccati iugo subdūtur, quomodo quis à peccato liber euadet, vt nullam in eo culpæ labem Deus inueniat, vt dicat Dauid: *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*? sed dicamus, peccator, qui se apud diuinam misericordiam peccati arguit, à Deo non arguitur, se accusans, excusatur à Deo; & dum se culpæ reum fatetur, & pœna dignum, à culpa, & à pœna à diuinæ misericordiæ Iudice, absoluitur; quare, vt iustus, nihil diuinis oculis detestabile, & reprehensibile, quod diuinam prouocet indignationem, & interpellat iustitiam, obijcit puniendum; ideò Ps. 31. ait: *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*; vbi Gregorius, nobis moralem tradens eruditionem, ait:

Greg.

Si nobis, peccata nostra imputauerimus, non nobis imputabit Deus; si ea satisfaciendo, punierimus, nullum, qui nos in futurum puniat, inueniemus.

6 Duo-

Pharisæi, & Publicani parabola, duabus bigis vterque cõparatus, & qualiter.

6 Duorum, scilicet Pharisęi, & Publicani factum parabolice à Saluatore editum, ad rem nostram in medium adduco; de quibus Luc. 18., quorum alter iustitiæ opera, superbia duce ostentans, in se summi Iudicis condemnationis sententiam inflexit, qui pęnam inflixit; alter verò se, propriæ causæ, suorum constituens Iudicem delictorum, contra se ferens sententiam, confessione iniquitatis, à delictis absolutus, diuino euasit iudicio, & pęnæ effugit sententiam; ait igitur Euãgelista Luc. 18. *Duo homines ascendebant in templum, vt orarent, vnus Pharisæus, & alter Pulicanus; Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias tibi ago, quia non sum, sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: Ieiuno bis in sabbato; decimas do omnium quæ possideo &c. & Publicanus à longè stans, nolebat oculos suos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Hos duos scilicet Pharisęum, & Publicanum, duabus bigis, & aurigis D. Chrisostomus comparat: hæ bigæ ambæ ad eũdem locum, idest templum petuut, vt Luc. 18. *Duo homines ascendebant in templum*; ambo eodem fine, *vt orarent*: verum diuersis vijs, sub diuersis aurigis vtraque incedebat; illa Pharisæi biga, à superbiæ ducta auriga, inanis gloriæ, bonorum operum onerata mercibus, quas humanæ laudis prætio venditioni exponebat, superbia, alta petebat, dum dicebat: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri &c. Ieiuno bis in sabbato; decimas do omnium quæ possideo &c.* quod si hunc superbiæ aurigam propius intueri exoptatis, notate textum, qui ait: Luc. 18. *Pharisæus stans apud se orabat*: stabat igitur, quia superbus alijs se humiliare renuit: *apud se orabat*, ait Basilius hic in Cat. aur. D. Th. *Non apud Deum, quia ad se ipsum redibat per peccatum superbiæ*, scilicet oratio, quæ diuinæ misericordiæ occlusas ad meritum, & gratiam, ianuas inueniebat; & ideò non est mirum, si in æternę damnationis ruit pręcipitiũ, vt Greg. ait: *Condemnatus est autem Pharisæus, cum incautè oraret.*

Pharisæi biga, à superbiæ auriga ducta.

Basil.

Greg.

Alia Publicani biga aurigam habens humilitatis, peccatorum pondere prægrauata, per asperas pęnitentiæ pergens vias, præ peccatorum confusione tardè, & lentè incedens: *Publicanus à longè stans, nolebat, nec oculos ad cælum leuare*; quare ait Aug. de verb. Dom. *De longinquo stabat, Deo tamen appropinquabat, & eum Dominus de propè attendebat*; quia igitur hæc Publicani biga, ab humilitatis ducebatur auriga, non poterat in præceps ruere; quia, vt ait Chris. *Humiliatus non habet, vnde cadat*; sic ad templum per gratiam ascẽdit fęliciter, & per peccatorum veniam in domum suam, iustificatus descendit alacriter Luc. 18. *Amen dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam, ab illo; quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Sed quare illa Pharisæi biga iustitiæ, & bonorum operum instructa mercibus, in condemnationis corruit præcipitium, non hæc Publicani, quæ graui peccatorum pondere, quod dorsum tendit, erat pręgrauata? quomodo iustitia, in demeritum, bonę opera in pęnam inuertuntur? qui, vt probus reputatur, vt improbus reprobatur? Pharisæus, qui nullo se peccatorum onere pręgrauatũ sentiebat, ad condemnationis terram deprimitur, & culpis depressus ad gratiam, & iustificationẽ subleuatur? quomodo cui merces debetur;

Publicani biga, ab humilitatis auriga, ducta.

August.

Chris.

Quare Pharisæi biga, in præceps ruit, & Publicani illa saluatur.

pęna præscribitur; virtus in vitium vertitur? & cui pęna debetur, vti culpæ reo, premium, vt innocenti tribuitur? quare ergo absoluitur Publicanus, & damnatur Pharisęus? ecce rationem; quia Pharisęus, se vt iustum iactauerat, & vt superbus, se alijs prætulerat, vt hos despiceret, & deijceret; Publicanus autem, se vt reum accusans, peccatorum suorum veniam humiliter petebat: *Deus propitius esto mihi peccatori*; vt innocens absoluitur, & se ipsum condēnans, à condemnatione liber euasit iudicis; sic biga iniquitatis, bigam iustitię; auriga humilitatis, superbiæ aurigam superauit; quare Chrisost. in conc. de Public. & Pharis. ait: *Geminos aurigas, & duas bigas in stadio positas, sermo præsens proponit; in altera quidē iustitiam cum superbia; in altera peccatum, & humilitatem; & vides bigam peccati, superare iustitiam, non proprijs virtutibus, sed humilitatis coniunctã; illam verò deuictam, non fragilitate iustitia, sed mole, & tumore superbia.*

Ratio quare Pharisæi deperditur biga, & publicani, altera saluatur.

Chris.

7 Mirabilis profectò est illa latronis in cruce pendentis, ad Christum conuersio, quem patientem, in cruce, Deum agnoscens, & confitens, sibi beneuolum ad gratiam futurum, fiducialiter exposcit: Luc. 23. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*; & ecce statim plus recepit, quam petijt, plus aquisiuit, quam quęsiuit, vt Ambr. *Vberior gratia, quam precatio; semper enim Dominus plus tribuit; quã rogatur*; pro sui memoria, quam à Redemptore quæsiuit, æterni præmij securitatem recepit, quare respondit Christus Luc. 23. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*: Sed quomodo Christus ita cælestis regni fit prodigus largitor, vt huius instantis latronis repētè faciat mercedem? Dicitur Matth. 11. b. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; & quam bonorum operum vim adhibuit latro iste, vt cæleste regnum, in cruce pendēs, morti suis sceleribus damnatus, valeat expugnare? an furta, homicidia, & grauia multa, ab hoc perpetrata, crimina, pro quibus erat cruci affixus, in cęlestis glorię, præmium transeunt? quomodo cęlestis patriæ repentè ciuis adscribitur, à qua multis sceleribus obuolutus, diù exularat? quomodo æternæ vitæ ianuas ingredietur, qui per latas vitiorũ vias, & diù percucurrit ad mortē? Verum cesset admiratio; ideò paradisi præmium est assecutus, quia sui ipsius accusator, testis, Iudex, & tortor, contra se, apud Deum testimonium dixit, reum statuit; condemnationis sententiam protulit; & vltrò se pęnæ addixit, & adiudicauit; sed quomodo? causam suam pro qua patiebatur, à Pilato cognitam, ad diuinam misericordiam transfert, recognoscendam; ad temporalem Iudicem delatus, se apud Deũ accusat priùs; coram Pilato sistens, ad Christi tribunal, modo recurrit; à Pilatò examinatus, & reus constitutus, apud Christum se reum vltrò prodit; à Iudice morti damnatus, se apud Deum morte dignum fatetur, dum ait ad collatronem, conuersus, Luc. 23. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? & nos quidem iustè, nam digna factis recepimus, hic verò nihil mali egit.* Vbi Cyrill. *Proprium reatum confessus est, subdens, & nos quidem iustè; nam digna factis recepimus*; quasi diceret, ait Chrisost. *Nos viuentes occidimus, hic mortuos suscitauit; nos aliena sumus furati, hic, & sua iubet tribuere*; sic pænas, quas in cruce patiebatur pro expiatione suorum compensat peccatorum; sic ab homine accusatus à Deo absol-

Ambr.

Qualiter Regnum cęlorũ, latronis, repentina merces fiat.

Bonus latro à Pilato dānatus, ad Christũ, pro eius salute, suam transfert causam.

Cyrill.

Chris.

absoluitur; reus constitutus, innocens declaratur; qui sua confessus crimina, erat morti adiudicatus, ad gloriam, sua peccatorum voluntaria confessione, transfertur Paradisi, vt Ambr. *Citò ignoscit Deus, quia citò ille cõuertitur*; ideò Luc. 23. dixit Christus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*; quare Chrisost. ait: *Hic fungitur vice Iudicis condemnatus, & incipit de veritate censere, qui coram Pilato post multa tormenta, confessus, est scelera.*

Ambr.

Chris.

9 A Regio igitur Propheta, si peccauimus, consilium nostræ desumamus salutis; qui ait, Psal. 94. *Præ ocupemus*, siue præueniamus, *faciem Domini in confessione*. Sed quomodo possumus inquit D. Petr. Chrysol. ser. 46. faciem eius, omnia præscientis, & preterita, & futura spectantis præuenire? *Quis*, inquit, *præuenit peccatorum cognitorem, scrutatorem cordium, cogitationum conscium, futurorum præscium, præsentem semper vbique?* sed respondet idem: *Non sensuum vicinitate, sed ingenij sagacitate; non velocitate pedum, sed prouida confessionis obsequio*: sed modum loquendi quæso prophetæ, adnotemus; non dicit præueniamus Dominum, sed faciem Domini; & quę erit ista facies Domini, quam confessione præuenire debemus? respondet Incognitus: *Quid est facies Domini, nisi Christus, per quem Dominus Deus cognoscitur? Iste est, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, cuius facies est aspera*, quare Propheta dicebat Psal. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis*: ne igitur hanc seueritatis faciem in die Iudicij experiamur, vel deterrentem videamus, vel videntes effugere possimus, hanc, confessione, & conuersione præueniamus, ideò idem Incognitus ait: *Pre ocupemus ergo faciem Domini, in confessione, antequam præoccupemur à facie iræ, & furoris eius in die mortis*: Patet exemplo filiorum Israel, qui videntes, quod Holofernes venerat ad ipsos perdendum; præoccupauerunt vertices montium, per quos ascendere poterat ad eos.

Chrysol.

In confessione, & conuersione, debemus faciẽ Christi Iudicis, pręuenire.

Incognit.

Incognit.

Quæ iudicãtur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, siuè medicamentis, siuè aliter irritando. tex.

§. II. Perfecta ad salutem animæ crisis, est peccatorum suorum, pœnitentis, & contriti cordis integra, & fidelis confessio.

1 CONfessio sacramentalis, bona, meritò iudicatio dici potest; primò iudicatio dicitur; quia peccata, Confessoris potestati, vel eiusdem iudicio, pro absolutione, examinanda, & discutienda etiam pro pęna, & pænitentia subdũtur, vt dicebat Saluator Luc. 17. c. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*: dicitur bona crisis, quæ est subita ad animæ salutem conuersio; si integra, & recta fiat, & vexantes peccatorum humores, contritionis calore concocti, debita confessionis curatione, absolutionis pharmaco euacuantur, vt Act. 3. d. *Pœnitemini ergo, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra*; hæc igitur confessionis iudicatio, vt sit bona, debet esse integra, & perfecta, vt scilicet omnium peccatorum Confessori sacramentalis manifestatio fiat: exemplum dat D. Th. in suppl. 3. p. quæst. 9. a. 2. in medicina corporali; quod sicut medicus debet cogno-

Quomodo confessio sacrãmẽtalis, bona iudicatio dici possit.

D. Thom.

Omnes morbi spirituales, Confessori, vt medico ad animæ salutem, aperiendi.

cognoscere non vnum, vel aliquos morbos, sed vniuersalem morborum in ægro constitutionem, vt debitis possit, ad salutem corporis occurrere, remedijs; sic medicus spiritualis, debet non aliquorum tantum morborum spiritualiũ cognitionem habere, in confessione ægri peccatoris, sed omnium morborũ, idest culparum, quas peccator diligenti conscientiæ examine præhabito memoriæ occurrentes contritus debet aperire, vt debitæ absolutionis remedium ei, ad animæ salutem opportunum conferatur: *Et ideò*, ait Greg. in Pastoral. *de necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet; quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis dissimulatio.*

Greg.

2 Qualiter autem debeat esse hæc confessionis iudicatio, vt bona, & perfecta reddatur, insinuat nobis Iob. cap. 10. illis verbis: *Tædet animam meam vitæ meæ; dimittam aduersum me eloquium meum; loquar in amaritudine animæ meæ; dicam Deo, noli me cõdemnare*; quæ sententia, sacramento pęnitentiæ, D. Gregorius adaptat, 9. mor, cap. 33. & 34., quod quidem sacramẽtum cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem, continet; dum enim ait: *Tædet animam meam vitæ meæ*; his verbis cordis contritio designatur, cum, tędio vitæ præteritæ, displicentia, & dolore cordis, & animæ amaritudine, singula mente rimantur peccata, vt Ps. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; vbi Ber. ser. 20. in Cãt. ait: *De mea misera vita, suscipe obsecro, residuum annorum meorũ; pro his verò, quos viuendo perdidi, quia perditè vixi, cor contritum, & humiliatum, Deus non despicies*; dum verò dicit: *Dimittam aduersum me, eloquium meum*; oris confessionem ostendit, propriam accusans culpam, arguens conscientiã; quia, vt ait Greg. 9. mor. c. 33. *Fortis mens relaxare contra se verba detestationis inchoat, quæ apud semetipsam prius infirmè verecundata, retinebat*: sed quomodo hæc oris confessio facienda? ait textus: *Dimittam aduersum me, eloquium meum*; quia apud Deum, non aliena, sed propria sunt in confessione detestanda peccata. Vel: *aduersum me*, quia peccata, non sunt excusanda, aut alteri tribuenda, vt Adam Gen. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*; sicut, & Eua, quæ suam in serpentem retorsit culpam &c. dicens Gen. 3. *Serpens decepit me*; vel: *aduersum me*, quia non virtutes propriæ, aut pietatis opera, sicut fecerat Pharisæus, se ipsum ostentans, sed peccata, & delicta, proprio Sacerdoti, in pænitentiali foro, in confessione sunt aperienda, non operienda. Vel: *aduersum me*, verecundiam, & confusionem insinuans, quam peccator de peccatis suis, debet habere: *Loquar in amaritudine animæ meæ: dicam Deo noli me condemnare*. Iob. 10. quasi dicere vellet, à me ipso iam sum iudicatus, ad quid ergo denuò iudicandus? Iudicis sententiam, hanc contra me ferens, præcucurri, ad quid noua testium depositio? vbi culpa patet delictorum meorum, à me pænas exegi, ad quid in me noua supplicia? Non punit Deus bis idipsum; si igitur dicam loquar in amaritudine, & hac pænitentiæ amaritudine pręcedente, fiducialiter dicam, & non timebo; *Dicam Deo; noli me condemnare*, ait Greg. *Amaritudo præsentis pænitentiæ, extinguit supplicia sequentis iræ.*

Greg.

Ad perfectionem sacramẽti pęnitẽtiæ, tria requiruntur.

Cordis contritio.

Bern.

Oris confessio.

Greg.

Qualis pænitentis in confessione, accusatio debeat esse.

Operis satisfactio.

A Deo non condemnatur, qui se ipsum, iam pœnitentia, condemnauit.

Greg.

3 Ad moralem igitur hanc confessionis iudicationem, vt perfecta sit,

sit, integritas requiritur, quę multis probari potest rationibus; primò enim dicerem, quod pars debet esse eiusdem rationis cum toto; cum igitur confessio sit pars pęnitentiæ, quæ integra debet esse, vt Magister sent. 4. distin. 15. ergo, & eius pars, scilicet confessio, eandem qualitatem, integritatē videlicet habebit; De essentia enim confessionis est, vt nihil sutrahatur de his, quæ manifestanda sunt. Secundò probatur integritas ratione absolutionis, quę debet dari super materia determinata peccatorum; nam cum forma, quæ est absolutio sit determinata, determinatam quoque materiam sibi proportionatam exiget, cum igitur confessio simulata, sit secundum aliqua peccata, & aliqua malitiosè occultata, indeterminata materia, per consequens, nec formam absolutionis confitens consequetur. Tertiò si non integra valeret confessio, sequerentur contradictoria, quod pœnitens consequeretur gratiam, & nō consequeretur; consequeretur ex confessione facta, & ex absolutione consecuta, non consequeretur, quia adhuc peccata habet malitiosè occulta, quæ non vult manifestare, quæ omnia contraditionem inuoluunt.

Magister sent.

Rationes, quare confessio sacramētalis, integritatem requirat.

4 Qui perfectè credit integram quoque faciet peccatorum suorum confessionem ait Apost. ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Corde creditur*, idest cor Deo datur, sicut ipse Deus poscit, Prou. 23. c. *Præbe fili mi, cor tuum mihi*; igitur quale est hoc cor, tale dari debet Deo, cum ergo in corde, vt in propria sede, mala consistant, à quo inde exeunt, vt Matth. 15. b. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, hæc sunt, quæ coinquinãt hominem*; hoc cor, ita sceleribus coinquinatum, Deo etiã in confessione mundandum, est totum offerendum, vt Psal. 110. *Confitebor tibi Domine, in toto corde meo*; sic confessionis patet integritas.

Cor, in quo vitia omnia regnant, in confessione pęnitens, totum debet Deo manifestare.

5 Vel secundo dicere possumus, qui perfectè credit integram facit confessionem; quia qui in Deum credit, hunc secundum omnia attributa, quæ Deo competunt, debet confiteri; hunc ergò, vt immensum, & omnia prospicientem confitebitur, sicut ait. D. Th. p. p. quęst. 8. a. 3. Deus est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam; quare omnia delicta sua peccator credere debet Deo innotescere; si sic credit, non debet cum Deo dolosè agere, aliqua delicta in confessione aperiendo, aliqua reticendo; sed omnia, nudè, sincerè, fideliter, integra confessione ei manifestare; sic suum hoc modo mundabit pœnitens, cor; nec huic Deus amplius imputabit delictum; nec pœnæ damnabit in iudicio, quem absolutum iam à culpa, & pœnitentia purgatum recepit ad veniam, vt Greg. Ps. 31. ait: *Illi quidem peccatum non imputabitur, in cuius spiritu mendacij dolus non inuenitur, qui se iustum esse non simulat; qui ea etiam, quæ iustè deliquit, non celat.*

Quomodo, qui perfectè credit Deo, integrã facere debet, confessionē.

D. Thom.

Greg.

6 Methodum, & formam integræ confessionis nobis præscripsit Dauid, dicens, Psal. 61. *Effundite coram illo corda vestra; Deus adiutor noster in æternum*: hoc est, vt explicat Hug. Card. hic. *Effundite per confessionem*; Vas enim recipiens immunditias peccatorum, sicut munditias cælestium donorum, cor est; quare si diuinæ gratię aquam viuam peccator cupit recipere, & degustare, debet peccatorum illecebra, è cordis sui vase effundere per confessionē, vt idem Hug.

In integritate confessionis, quomodo in cōspectu Dei, effundimus corda nostra.

Hug. Card.

Hug. Card.

Hug. Card. hic Psalm. 61. ait: *Cor enim peccatoris; quasi plenum est stercoribus, vnde Dominus non infundit ibi gratiam suam, nisi priùs stercora effundantur per confessionem. Effundite coram illo corda vestra*; Incognit. hic: *Scilicet prauas cogitationes cordis vestri emittite, sperando veniam, confitendo peccata, plorando ruinam*. Sed notate, ait, *effundite*, quasi funditus emittite, confessione integra, malas cogitationes, quæ in corde militãt, vt Ps. 15. b. dicitur: *De corde n. exeunt cogitationes malæ*; eas Confessori integrè reuelando: Vel effundite per lacrymarum effusionem, vt Aug. ait: *Per lacrymas, cor effunditur*, quæ contriti cordis symbolum sunt, vt Ioel. 4. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu*; quare Hieronymus hic Ps. 61. ait: *Si cum fletu, xi, occulta cordium reseramus, vt omnes faciunt sancti, adiutoria eius adipiscemur, nam quia hæc peccatores omittunt adiecit: Verumtamen vani filij hominum mendaces*. Mendaces in stateris; quia sicut statera est instrumentum, seu pondus iustitiæ, sic sub specie iustitiæ, hoc est boni operis, confitendo peccata mendaces sunt, quia integram non faciunt pænitentiam, sed veram simulant, ipsi veritati confessionis, mendacium adglutinant, integritate huius non obseruata; ideò ait Dauid: *Effundite coram illo corda vestra*, vbi Incognit. inquit: *Nolite intus retinere virus peccati*; sed effundite corda vestra, à prauis cogitationibus, has in cõfessione integrè reuelando, mundate, sic peccati virus tollitur, vt Aug. hom. 40. in Euang. *Peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente*.

Incognit. — August. — Hieron. — Modi quibus effundimus corda nostra in cõfessione. — Incognit. — August.

7 Inter alios ritus, quos obseruare præceperat Dominus in veteri lege, in leprosi emundatione, isti præcipuè erant; vt Leuit. 14. dicitur: *Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad Sacerdotem &c.* & post multa infert: *Cumque lauerit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aqua*: Iste leprosus moralis, peccator est, peccati lepra infectus, ad huius emundationem, se Sacerdoti offerre debet: vt Luc. 17. *Ite ostendite vos sacerdotibus*. Vbi August. lib. de vera, & falsa pænit. cap. 10. exponit: *Docens, inquit, corporali præsentia confitenda esse peccata*; debet vestimenta sua lauare, vitiosi videlicet habitus, quo peccatoris anima, peccando induitur, secundum illud Apostoli ad Colos. 3. b. *Expoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem*: debet lacrymarum aqua, contritionis smegmate, hęc animæ suæ vestimenta moralia lauare, sicut dicitur Is. p. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*; tunc igitur ait textus Leuit. 14. *Cum lauerit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aqua, purificatusque ingredietur castra*: Sed quid opus erat omnes pilos corporis abradere? si enim dixisset radere pilos barbæ, & faciei, vel capitis aliquos, ad decorem, & venustatem hominis, hoc satis erat; quare igitur omnium pilorum corporis, præcipitur rasura? Pili, peccatorum symbolum sunt; nam sicut capilli, ex superfluis corporis humoribus generãtur, sic peccata, ex deordinatis sensuum produntur, affectibus; ideò Dauid, iniquitates capillis comparat, vt Ps. 39. *Multiplicatæ sunt* (scilicet iniquitates) *super capillos capitis mei*; hos igitur iniquitatum omnium pilos, linguæ nouacula, in animæ, à lepra emun-

Ritus, leprosi mundandi, symbolum peccatoris confessione, purgãdi animã suã, & quomodo. — August. — Quid significet, leprosi vestimenta abluenda, & eiusdem omnes corporis pili radendi.

emundatione, debet peccator, ad confessionis integritatē, abradere; vt ait Lir. hic: *Per hanc rationem, significatur resecatio omnium circunstantiarum haresis*: dicamus nos, peccati. *Per lotionem verò corporis, pura, & perfecta confessio, designatur*; sic Liranus; nam sicut, qui lauatur totus aquæ imergitur, sic qui iustificationis castra cupit, mundatus ingredi, ab omnibus peccatorum maculis, lacrymarum aqua, integrè confessione purificari debet.

Lir.

APHORISMVS VIGESIMVS PRIMVS.

Quæ, ducere oportet, quò maximè natura vergit, & per loca conferentia, eò ducere conuenit. tex.

Ordo Medicinę corporalis.

QVIA in præcedenti Aphorismo, docuit Hippocrates, nihil agendū esse à medico, vbi iudicationes perfectæ fiunt, aut factæ sunt; idest cū natura ægri ex se operatur, in morbi expulsione, debet medicus esse merus spectator naturæ; quæ tamen, si deficit in eiusdem morbi expulsione tentata, & non potuit perficere, quod tentauit, tunc medici auxilio, & ope opus est: nunc tradit, in præsenti aphorismo, modum euacuationis, circa ea, quæ à natura non integrè iudicantur, aut iudicata sunt; ait igitur: *Qua ducere oportet, quò maximè natura vergit, & per loca conferentia &c.* Quæ non decernuntur, nec perfectè, seu integrè decreta sunt, per quam partem sint euacuanda, duplicem dat nobis Hippocrates intentionē: *Quò maximè natura vergit*, idest natura tentauit, & non potuit perficere euacuationem. *Et per loca conferentia*, & ea est regio, per quā natura tentauit. *Quæ ducere oportet*, sunt illa, quæ scripsit Hippocrates lib. 2. Aph. 12. dicens: *Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facilè consueuerunt*; loca verò conferentia, ea esse, ait Galenus hic; nempe *Intestina, venter, vesica, vterus, cutis vniuersa; ad hæc palatum, nares, cum cerebrum libet purgare; Vel fit euacuatio per sanguinis profluuium*. Cum igitur medicus dare intendit purgans remedium, ait Hippocrates, quod eò ducere, idest trahere debet peccantem humorem, quò natura inclinat, & tentat, idest ad eam partem ad quam humor ipse euacuandus inclinat; veluti si per partem infernam inclinare ostendit, per hanc partē per remedium purgans, medicus illum trahere debet humorem euacuandum; si per partem supernam, veluti per vomitum, per hanc similiter partem curare debet euacuationem. Quod si humor peccans ad partem non conferentem, inclinaret, & ad locum minimè commodum; per

Medicina corporalis.

Qualiter euacuatio fienda.

Hippocrat.

Galen.

Loca conferentia, ad euacuationē faciendam, quæ sint.

reuulsionem, in contrariam partem, medicus debet trahere.

Ordo medicinæ spiritualis.

Egimus, & nos moraliter in precedenti aphor., de animæ per pœnitentiam, purgatione, quod, quando ægri peccatoris scilicet natura, seù voluntas, in culpæ morbo, ad huius moralem, per pœnitentiam, euacuationem, ex se operatur, in sui, suarumq; coram Deo, accusatione culparum; nullum cælestis medicus diuini rigoris iustitiæ, & pænæ medicamentum adhibet, remedium apponit, vt Leo Pap. in serm. ait: *Non remanet in iudicio condemnandum, quod fuerit confessione purgatum*. Verum si ab hac morali peccati euacuatione, seu culparum purgatione, per pœnitentiam, siuè in sui accusatione, siuè in integritate Confessionis, vt diximus, peccatoris natura defecit, tunc cęlestis medici, seu æterni Iudicis pœnæ, & supplicij remedium requiritur, vt August. super Ps. *Si non confessus lates, inconfessus damnaberis; ad hoc damnat non confitentem, vt puniat superbum*. De modo autem huius moralis euacuationis, siuè punitionis, secundum quod est opus diuinæ iustitiæ; vel supernaturalis motionis, & attractionis ad gratiam, secundum quod est opus diuinæ misericordię, in præsenti agimus Aphorismo.

Leo Pap.

August.

Medicina spiritualis.

Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit &c. tex,

Hæc moralis animæ purgatio, & culparum euacuatio, secundum modum considerata, quæ secundum naturam peccati, genium, & inclinationem peccantis, media, & formã peccandi attenditur; Vel est purgatio per diuini flagelli pharmacum, vt ait Hug. Card. ad hebr. 13. *Flagellatio diuina, est medicina spiritualis, purgans à noxijs, & conseruans in bono*; sic secundum modum, formam, & qualitatem peccatis, & peccati, modus, qualitas, & forma diuinæ iustitiæ, peccatorem punientis, desumitur ad pœnam, secundum illud Psal. 27. *Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum*. Deus enim immitatur peccatores, in pœna, sicut isti deliquerunt in culpa, ideò subdit Propheta eodem Ps. 27. *Secundum opera manuum eorum, tribue illis; redde retributionum eorum ipsis*.

Hug. Card.

Purgatio peccatoris à Deo secundum modũ diuinæ iustitiæ, punientis, vel misericordiæ, ad gratiam attrahentis.

Et per loca conferentia eò ducere conuenit. tex. Loca conferentia, dici possunt pro nunc, media, viæ, & instrumenta, quibus peccator ad offensam diuinæ bonitatis, sua culpa processit; ijsdem proportionaliter medijs, vijs, & instrumentis, ad vindictam in peccatorem, diuina iustitia procedit, vt Sap. 11. b. dicitur: *Per ea peccat quis, per ea, & torquetur*. Vel hæc purgatio animæ, est per suaue diuinæ misericordiæ lenitiuum, peccatorem ad gratiam vocantis, vel quoquo modo attrahẽtis, seu animas emundantis, sic: *ducere oportet, maximè quò natura vergit*; Deus enim naturæ, & genio peccatorum ad animarum salutem se accõmodat, iuxta illud Pauli p. Cor. 9. *Omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrifaciam*; aiunt enim Theologi, quod Deus modificatur in causa secunda, hoc est ad modum causæ secundæ, siuè per modum naturæ, siuè per modum libertatis, operatur, ideò dicitur Sap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*. *Et per loca conferentia, eò ducere conuenit*. Hæc loca moralia dicere possumus, cum Galeno, vt supra in medicina corporali, esse, intestina, venter, vesica, vterus, cutis vniuersa, palatum, nares &c. Intestina possunt sumi genericè, secundum quod intus latent membra, sic cor dici potest locus, vel pars conferens

Loca conferentia, moralia quæ sint.

Deus peccatoris naturę ad huius salutem se accõmodat.

Quæ loca conferentia, moraliter ad vitiorum purgationẽ.

Pro intestinis, genericè, cor sumitur.

conferens ad euacuationem culparum; quatenus per contritionem, & dolorem diuinæ offensę conteritur, Deo adhærens, & seculi à se amorem euacuans, vt p. Cor. 13. dicebat Apost. *Euacuaui, quæ erant paruuli*; sic Deus placatur iuxta illud Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Vesica dici potest voluntas pœnitentis; nam sicut vesica est membrum, à natura dispositum, ad recipiendũ, & euacuandum superfluitates, sic voluntas pœnitentis, est veluti quędam vesica, quæ superfluitates vitiorum in profundo cordis per consensum aggregatas, per locutionem in confessione sacramentali, euacuat. Venter locus aptus ad crapularum, & ebrietatum humorem noxium purgandum; dum ieiunio restringitur, vt Chris. ser. p. de ieiunio ait: *Ieiuna quia peccasti; ieiuna, & vt non pecces*. Cutis vniuersa, corpus ipsum ad carnis lenocinia, cilicijs, & disciplinis purgãda; dum his, illa rebellis in officio reducitur, comprimitur, & flagellis edomatur caro; vt p. Cor. 9. dicitur: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*. Palatum ad Eucharistiæ sacramentum, per pænitentiã recipiendum, quo Deo vnimur, & per charitatem, vnum cum eo efficimur, vt Chris. hom. 60. ad pop. Antioch. *Hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus, & vna caro*. Nares ad sanguinis missionem, hoc est ad eleemosynarum elargitionem, quę nostras purgãt culpas, vt benè Aug. in serm. de diuite ait: *Eleemosyna mundat peccata, & ipsa interpellat pro nobis ad Dominum*. Addamus etiam nos, omnia corporis membra, esse ad animæ salutem, & peccatorum purgationem, loca conferentia, in pœnitentia agenda, sicut ad peccata patranda, media, & instrumenta fuere; quare ad Rom. 6. d. dicitur: *Sicut enim exhibuistis mẽbra vestra, seruire immunditia, & iniquitati, ad iniquitatẽ; ita nunc exhibete membra vestra, seruire iustitia in sanctificationem*; & secundum hanc expositionem aphorismi, idem dicere possumus de Prælatis, & Superioribus animarum, quoquomodo curam gerentibus, ad subditorum defectus moderandos, se eorumdem genio, naturæ, & inclinationi accomodãtibus, & per loca conferentia, vt diximus, peccatorũ humores, fraterna charitate, ad animæ purgationem, ducentibus. Ex quibus omnibus opportunos ad discursum, paragraphos conficiemus.

Pro vesica voluntas. — *Venter, locus aptus, ad crapularũ euacuationem.* — *Chris.* — *Cutis vniuersa, totũ corpus.* — *Palatum, quomodo, & istud, locus aptus euacuationis.* — *Chris.* — *Locus aptus, narium.* — *August.* — *Omnia corporis membra, loca apta, ad peccatorũ purgationem.* — *Superiores, ad subditorũ defectus moderãdos horum genio, se conformantes.*

Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit &c. tex.

§. I. Secundum modum, formam, & naturam peccantium, & peccatorum modus, & forma diuinæ iustitiæ, punientis, insurgit.

Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit &c. tex.

§. II. Quomodo Deus genio, & naturæ peccatoris, ad huius animæ salutem, se opportunè, accomodet.

Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, & per loca conferentia, eò ducere conuenit. tex.

§. III. Quilibet animarum Rector, in fraterna charitate,

se debet, peccatoris genio, & consimilibus medijs, vt expedit, ad eiusdem salutem aptè conformare.

Quæ, ducere oportet, quò maximè natura vergit &c. tex.

§. I. Secundum modum, formam, & naturam peccantium, & peccatorum, modus, & forma diuinæ iustitiæ punientis, insurgit.

1 VOlens Deus scelestium illarum vrbium, Sodomæ, & Gomorrhæ culpæ fœditate nauseantium, diuinæ iustitiæ stimulis concitatus, tantæ iniquitati, finem debito imponere supplicio; ex diuinæ indignationis silice, ignem pęnæ excutiens, & ex peccatorum fœtore sulphur efformans, diuinæ iustitiæ flagella, vt has, incendio deleret, ciuitates cælo demisit, vt Gen. 18. c. *Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham, sulphur, & ignem de cælo*. Sed quæso loquendi Moysis modum animaduertamus, ait: *Pluit Dominus &c.* quomodo hæc diuinæ iustitiæ flagella, ignis, & sulphuris pluuiæ nomine rectè denominari possunt, cum pluuia ex aquarum copia, è cælo descendentium, vt in pluribus efformetur? si hæc flagella sulphuris, & ignis sunt, quomodo pluuiæ nomine gaudebunt? non enim æquè benè vnius formæ denominatio, alteri formæ, contrarios illi, & oppositos effectus producenti, attribui posse videtur; & quæ maior inueniri potest contrarietas, hac, quæ inter ignem, & aquam intercedit? ignis enim si exsiccat, aqua humectat; ille ardet, ista illius ardorem extinguit; ille sitim excitat, ista sitim sedat; ille ascēdit, ista descendit; quomodo ergo, hæc diuinę iustitiæ animaduersio, sub nomine pluuiæ, quæ aquæ tantum propriè congruere videtur, exponitur, & declaratur? & quomodo ignis, qui leuissimum est elementum, sursum suaptè natura tendens, deorsum sub pluuiæ, & imbrium nomine declinabit? Verum quidem est pluuiæ, quæ communiter, & propriè aquis tribuitur, sulphuri, & igni, vt potè formæ contrariæ, denominationem naturaliter, haud posse competere; verum, si diuinę iustitiæ, quæ se culpis ad peccatorum pœnam conformat, modum pensemus; procul dubio absurdum non iudicabimus, ignis, & sulphuris supplicium, pluuiæ nomine designati; nam cum peccatum illud finitimarum vrbium fœdissimum; (castis quidem auribus, indignum affatu) contra naturam existeret; & cum Deus, secundum modum, formam, & naturam peccantium, modum etiam pœnę proportionaliter in remedium obijciat; meritò igitur illi nefandissimo sceleri, contra naturam, ignis etiam, & sulphuris naturam inuertens, sub pluuiæ nomine, ad illarum supplicium, & subuersionem, quasi in aqua, pœnā apponit, vt benè Chrisost. serm. de Adam, & Sodomitis tom. p. ait: *Erat autem ista quædam retributio, his, qui naturæ subuerterant leges; fœminas in masculis quærentes, vt inuerteretur, & in eis naturæ ordo, & fiat eis naufragium, ex igne, quasi ex aqua*.

Cur ignis, & sulphuris flagella, sub nomine pluuiæ, designentur.

In peccatum contra naturam, supplicium Deus, ad pęnā quoque accomodat.

Chris.

2 Aliquando mecum curiosè, animo reuolui, cur Deus inter cætera animantia, solum serpentem hominis incantationi subegerit, vt Ps. 57. dicitur: *Furor illis, secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturātis aures suas,* qua

Cur Deus, solū serpentem, hominis incantationibus inter alia animantia, subdiderit.

qua non exaudiet voces incantantium, & venefici incantantis sapienter. Forsitan dicetis, hoc illi in pœnam peccati, Euam seducenti contigisse; sed dicam ego, non ne satis, & sufficienti pęna à Deo mulctatus fuit, vt mox dicemus, si & adhuc hæc non adderetur, vt hominis incantationi subderetur? Verum si modũ, & formam defectus serpẽtis, Euam seducentis, & diuinæ iustitiæ punientis animaduertemus, hanc quoque pœnam pro culpa desuisse dignoscemus; videamus hoc: Incitauit Serpẽs diabolicus Euam, ad cibi vetiti esum, pro hac culpa Deus pœnam intulit serpenti, vt terram toto vitæ suæ tẽpore ederet; Gen. 3. *Terram comedes, cunctis diebus vitæ suæ*. Si serpens adduxit mulierem ad vetitum cibum aspiciendum, & carpendum; ità & Deus eum pœna mulctauit, vt supra pectus suum, terram serpens, incederet, vt Gen. ibi: *Super pectus tuum gradieris*; Si serpens fuit causa, vt Deus terrę malediceret, quæ Adæ spinas pro fructibus ederet; & ex hac, in sudore vultus tui, cibum ad victum sibi conquireret; vt Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi: In sudore vultus tui, vesceris pane tuo*; ecce quod serpentem pariter tali maledictionis pœna animaduertit, Gen. 3. *Maledictus es inter omnia animantia*. Si serpens humani generis caput Adam, induxit ad culpam; ecce Deus, illius caput in pęnã sub pedibus mulieris ponitur contriturum. Genes. ibi: *Ipsa conteret caput tuum*: Si serpẽs, ob culpam Adam inimicum Deo reddidit; & ecce, quod Deus serpenti in mulierem, perpetuum bellum indixit: Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*; ecce quomodo à modo, & forma peccati, modus, & forma pœnæ à diuina iustitia proportionaliter desumitur.

Serpentis culpa, Euam seducentis, & pęna conformis.

Verum quia dum serpens Euam seduxit, in ter hos colloquium intercesserat; æquum erat igitur, vt etiam secundum hanc partem, ipse serpens pariter puniretur à Deo inter cœtera animantia; quare si serpens dolosa verba adhibuit, ad Euam decipiendum, consentaneũ quoque erat, vt hominis carminibus, & incantationibus subderetur à Deo; ideò Aug. 10. in Genes. ad lit. ait: *Diuino consilio fuit, vt homo magis habeat vsus serpentes mouere carminibus, potiùs quam vllum aliud genus; etenim hoc non pauca iustificatio est, naturam humanam primitus, se serpentis seductam esse colloquio*.

Ex colloquio serpentis cum muliere, pœna quoque passiuæ incantationis datur eidem à Deo. August.

3 Hanc formam, & modum diuinæ iustitiæ, in puniendis peccatoribus, proportionaliter secũdum modum, & formam delictorum, & delinquentium seruandam, animaduertit Sapiens ad finale iudicium animum referens, Sap. 5. d. dicit: *Pugnabit in illo, orbis terrarum, contra insensatos*; Sed quomodo mundus, qui cælum ambit, ad hominis commodum, & beneficium creatus, contra insensatos pugnabit? cælum si immobile, vt Empyrium, ad hominis beatitudinem est conditum; si mobile, hoc continuò ad vitam, generationem, & conseruationem hominis, circumuoluitur; si terra, hæc cum omnibus sublunaribus, vt hæc homini deseruiat, condita est, vt Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; & huius dominio, omnia, tam cælestia, & terrestria, & aquatilia, animantia subduntur, vt ex eius priuilegio patet, Genes. p. *Dominamini piscibus maris, volatilibus cæli, & bestijs terræ*; quomodo ergo orbis terrarum, cõtra hominem Dominum suum, rebellis in die iudicij pugnabit? hanc difficultatem

Quomodo in iudicio finali dicitur, quod orbis terrarũ pugnabit contra peccatorem.

tem soluit D. Gregor. hom. 35. in Euang. dicens: *Omnia, quæ ad vsum vitæ accepimus, ad vsum culpæ conuertimus; sed cuncta, quæ ad vsum prauitatis inflexinus, ad vsum nobis inuertentur vltionis*; cũ igitur insensati peccatores, omnia, quæ sunt in hac mundi regione, ad vsum eorũ, sic concessa, siuè cęlum, siuè terram, elementa, & creaturas, in Dei offensam, in iniquitatis vsũ inuerterint; meritò, cum Summus Iudex, & media adhibeat ad pœnam, quibus peccator vsus est ad culpam; tempore finalis iudicij, ea omnia, quæ ad hominis seruitutem destinauerat, contra eundem peccatorem ad pœnam assumet, sic orbis terrarum contra insensatum peccatorem pugnabit, quare Greg. vt supra: *Qui ergo in cunctis delinquimus, in cunctis ferimur; vt impleatur, quod dicitur: pugnabit pro eo, orbis terrarum, contra insensatos.*

Greg.

Peccator, qui abutitur donis, à Deo datis; hæc in die iudicij, in pœnam cõmutabũtur.

Greg.

4 Et verè peccatores insensati dici possunt, contra quos, orbis terrarum pugnabit; quia bonum ad illorum vtilitatem à Deo tributum, in Dei offensam peruertunt. Dum Saluator humana carne indutus, ad nos venit, totum orbem terrarum in pace compositum, nobis tradidit; quomodo hanc, cum proximo seruamus, qui immortales persecutiones, odio stimulante, mollimur? quomodo hunc mundum, vt peregrinationis viam agnoscimus, & rectè viuentes incedimus, cui radicitus veluti nunquam perituro adhæremus? quomodo temporalia bona, veluti transitoria contemnimus, si hęc cęlestibus anteponimus? Quomodo corporis sanitate, in Dei obsequio, in nostri, & proximi salute vtimur; qui in carnis, & mundi voluptatibus huc vsque consumpsimus? Quomodo aurum, & diuitias, quas à liberali diuinæ misericordiæ manu abundè recepimus, largè, pauperum egestati subueniendo, effundimus; qui totum substantiæ nostræ patrimonium, in seculi vanitatibus, & illecebris prodegimus? meritò his, insensati peccatores torquentur ad pænam, quibus vtũtur ad culpam; quare Greg. loc. cit. *Cuncta quæ accepimus ad vsum culpæ conuertimus, sed cuncta, quæ ad vsum prauitatis inflexinus, ad vsum nobis vertentur vltionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis, ad vsum vertimus vanæ securitatis; peregrinationem terræ pro habitatione dileximus patriæ; salutem corporis redegimus in vsum vitiorum; vbertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis, sed ad peruersitatem intorsimus voluptatis; ipsa serena blandimenta aeris, ad amorem inseruire coegimus terrenæ delectationis: iurè igitur restat, vt simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitijs nostris, malè subacta seruiebant.*

Eruditio moralis, in peruertẽtes bona, à Deo eis tributa.

Greg.

5 Perpendamus quæso si libet, Dauidis persecutionem, à filio Absalon, vt 2. reg. 15. Quis enim cupiditatis furor, regnandi dominiũ, Absalonis mentem inuaserat, vt in patrem rebellaret, & in hunc conspiratione facta, regno, & vita priuare contenderet? Quia, si Absalon Dauidis filius erat, ergo cum Patre commune regnum habebat, cuius hęreditatem adeundi, indubiè sperare poterat; ait enim Apostolus ad Galat. 4. b. *Quod si filius, & hæres*; quomodo ergo, quod suum erat, vt alienum sibi arripere violenter tentabat? & quid pater, tam Deo charus, demeruerat, vt in hunc, filium, vt hostem insurgere, & ei insidias ad mortẽ molliri, permitteret Deus? Hunc diuini flagelli modũ, consimilem culpæ in Dauid, necesse est supponere; si diuini iudicij secreta indagare fas est, dicam; ideò, hoc,

Quæ vt causa Absalon in patrem conspirauerit, vt regno, & vita expoliare tentauerit.

acræ

Ideò Dauid amissionis regni, & vitę periculū incurrit, quia adulterio, alterius regnū rapuit, & Vriam occidit.

Io: Antioch.

acerræ persecutionis, priuationis regni, & vitæ periculi, flagello, à Deo affici, & percuti Dauid, permissum fuisse, quia hic alienum thorum violauerat, quod velut alterius regnum sibi vendicauerat, dum alienam sibi rapuit vxorem, per quam etiam homicidium, inde patrarat; ideò Io: Antiochenus ait: *Quod Dauid mulierem, qua erat in viri potestate, tanquam alienum regnum rapuerat; propterea, qui ex vxore natus, & erat filius, insurrexit tyrannus, volens abripere regnum patris.*

6 Plura ad sensum nostrum, ex simplici illius diuitis Epulonis narratione, vt Luc. 16. patet, argumenta desumere possumus, dum inter voraces inferni flammas infęlix ille excruciaretur; casu eleuans oculos, vidit Lazarum, quem ipse despexerat mendicum, in sinu Abrahæ; hunc exorat, vt illum ad sibi aquę refrigerium inferendum, mittat; vt Luc. 16. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meā, quia crucior in hac flamma.* Primò vidit Lazarum, videt fęlicem, quē aliquando existimauerat infęlicem: Videt Lazarum, vt sicut in hoc mundo eum mendicum spectās, ab eodem misericordiæ oculos auertens, oculo peccauit, sic in alio seculo illum fœlicem cernēs, magis ex huius fœlicitate, in oculo, inuidiæ stimulis concitatus, torqueretur ad pœnam.

Quomodo diues Epulo, eo modo quo Lazarū pauperem despexerat, torquetur, primò vidēs Lazarum.

7 Vidit secundò in sinu Abrahę, & quare in huius, non in alterius Patriarchæ, vt potè Isac, & Iacob, sinu vidit? cum omnes Deo chari, & in summa vitæ sanctitate degentes, maximè apud Dominum, hi Patriarchæ promeruerint? ad hoc respondet D. C[hrysost]. conc. 2. de Lazaro, dicens: *Non apud alium iustum Lazarum, sed in sinu vidit Abrahæ, hospitalis enim erat Abraham;* Quia gratia non destruit, sed perficit naturam; ideò voluit Deus pietatis, officiū, in quo maximè ille excelluerat, eidem in alio conseruari seculo, ad huius prę mium; & etiam, vt ex tali hospitalitate Abrahæ, magis diuitis accusaretur inhospitalitas; redargueretur impietas, puniretur crudelitas: quare Chris. vt supra, ait: *Vt igitur redargueretur diuitis inhospitalitas, propterea Lazarum cum illo videt;* vt ex Lazari lætitia, cum hospitali patre, ex tali visione magis excruciaretur ad pœnam, qui malè vidit ad culpā: sicut de Adamo ait D. Chris. Epist. 3. Ciriaco Episcopo: *Ita Deus Adamum punire volens, fecit eum è regione Paradisi terram operari, vt locū illum desiderabilem quotidiè uidens, maiorem in anima dolorem haberet.*

Secundo ex visione in sinu Abrahæ.

Chris.

Chris.

8 Videamus tertiò, quid petat iste Diues ab Abraham Luc. 16. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma:* petit ab Abrahamo misericordiam, quam non est consecutus, quia pauperi misericordiam ipse diues negauit: petit aquę guttam, ad pœnæ refrigerium, & non accepit, sed frustra, quia panis micas Lazaro non dedit, vt Chrys. ser. 66. *Quia diues*, inquit, *qui participem pauperem in bonis præsentibus audire contempsit; in futuris malis compatientem pauperem, non meruit inuenire; nec ardens, aquæ refrigerium percepit, æstuāti pauperi fame, panis refrigerium, qui negauit.* Sed diuitis quæso cruciatus animaduertamus, petit aquæ guttam ad linguæ refrigerium, quia flammis cruciabatur inferni, & quomodo, qui totus in tormentis mergitur

Tertiò ex pœna flammarum inferni.

Chrysol.

Quomodo diues aquæ gutta refrigerari in lingua petit, qui totus in tormentis erat.

Chrysol.

mergitur, solum de linguæ cruciatu conqueritur? *Quasi*, ait Chysol. *quod reliquum corporis ab incendio haberet immune*; cur maxima cordis symptomata, quæ patiebatur, non accusat? cur corporis dolores, quibus angebatur non prodit? cur animę angustias ad misericordiam non manifestat? dentium non eructat dolores, quibus præcipuè damnati afficiuntur, iuxta illud Luc. cap. 13. f. *Ibi erit fletus, & stridor dentium*? quare ergo tantum de linguæ cruciatu, tristatur pœna, & dolet? Possemus primò dicere, & etiam ad rem nostram; ideò maximè in lingua torquetur, quia lingua deliquit, & quia, ait Sapiens Sap. 11. c. *Per quæ peccat quis, per hæc, & torquetur*; cum igitur lingua, omissione peccauerit, à peccatorum suorũ confessione se abstinens, ideò in lingua cruciatur; vt D. Aug. de quæst. Euang. ait: *Quia ore fit confessio ad salutem, quam ille diues ob superbiam non fecit*. Vel peccauit lingua, quia vt immisericors, in miseros, Lazaro pauperi petenti eleemosynas negauit, vel dari non præcepit, vel quia superbus pauperem proteruis verbis insultauit, vt ait Hug. Card. hic Luc. 16. *An quia lingua magis ardet, quæ pauperi insultauit, quæ misericordiam denegauit: hæc procedit ad iudicium, quæ processit ad peccatum*. Vel in lingua mulctatur, quia in pauperem maledictiones intulit; vt Chrys. ait: *In lingua maius sentit incendium, quæ maledixit pauperi, pauperi misericordia cõtradixit*; vel in linguæ cruciatu præcipuè punitur, quæ in superbiæ verba lubrica cucurrit, vt Chrisost. *Quia*, ait, *multa eius lingua superba locuta est, vbi peccatum, ibi pœna*. Vel melius dicamus, ideò in lingua, in qua gustus præcipuè viget, cruciatur, quia linguæ, & sensui, super-

Prima ratio Diues torquetur in lingua, quia lingua incõfessus deliquit.

Secunda ratio, qa pauperi maledixit, & hũc insultauit, eleemosynas negauit. Hug. Card.

Chrysol.

Chris. Tertia ratio, qa sicut in lingua gustus, sic in hac pęna &c

fluis ebrietatum, & crapularũ conuiuijs, nimis, quotidiè, indesinenter indulgebat, & vacabat, vt Luc. 16. *Epulabatur quotidiè splendidè*; sic linguæ haustus gustus, in pęnarum amaritudinem, conuersus est linguę; vt benè Hug. Card. vt supra. *Hæc*, scilicet lingua, *degustat cruciatus, quæ pretiosos cibos, & odorata pocula degustauit*; quare D. Petr. Rauen. ser. 66. ad hunc infęlicem Epulonem conuersus, ait: *Tu diues, fulgens quõdam purpura, nunc tegere fimo, pro coccino vestire flammis; pro molli discubitu, sustine tormentorum dura; pro lautis ferculis, epulare pœnas; copias inopia compensa; ebrietates, siti digere; pro odoribus, aspergere fætore; & cui astiterunt voluptatis obsequia, astent tibi ministeria nunc pœnarum; quia ista, tibi despiciendo pauperẽ, taliter tu mutasti*.

Hug. Card.

Petr. Rauen

9 Mirabile quidem diuinæ potentiæ opus, in Dauide declaratur, vt p. reg. 17. cum Pastor Ducem, tyro veteranum militem, inermis armatum, puer gigantem, Israelita Philistęum Goliam, lapidis ictu prostrauit, & deiecit ad mortem; & de eius vagina, arrepto gladio, obtruncatum caput, erexit ad gloriam: primò enim in fronte percussit, vt ex p. reg. 17. dicitur: *Infixus est lapis eius in fronte, & cecidit in faciem super terram*. Et quare in fronte, non in capitis pulsu, non in alia parte ad mortem periculosa eum percuti permisit Deus? frons, ait D. Aug. est sedes superbię, & quia iste superbus Goliath Israelitas suo innixus robori, insultauit; & carnes Dauidis, feris discerpendas, & auibus ad pastum obijciendas minatus fuerat, dicens: *Dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestijs terræ*; ecce temeritatis suæ pænam subijt, in , in qua peccauerat, vt culpæ conformis correspondéret

Quare Dauid, Goliam in frõte percussit ad mortem.

ponderet pœna: sic in fronte vnde culpa processit, plaga refudit; ideò Diuus Augustinus tom. 10. de Monomachia Goliæ, & Dauid cap. 12. ait: *Et quia, omnis Superbia habet impudẽtiam frontis, in ipsam frontem, lapide veniente, deiectus est, frons, quæ habebat impudẽtiam superbiæ suæ, & vicit frons, quæ habebat humilitatem crucis Christi:* habebat enim Dauid cum funda baculum suum pastoralem: *Baculus Dauid*, ait Lir. hic: *Crux Christi*. Et sicut Goliath, superbia elatus, carnes Dauidis feris objiciendas, decreuerat, se forè victorem sperãs, ideò victus, illius carnes, cum corporibus Philistinorum cæsis, bestijs diserpendas ad pastum, expositæ fuerunt, & vaticinio successit, sicut dixerat Dauid 1. reg. 17. *Dabo hodie cadauera Philistim, volatilibus cæli, & bestijs terræ.*

August.

Lir.

10 Rursus consideremus, quomodo huius superbi gigãtis caput, Dauid amputauerit: nullum omninò, hic gladium habebat, quia inermis ad pugnam, nisi baculo, & funda munitus accessit; exemit è vagina Goliath gladium, quo caput illud superbię amputauit; Sed dicam ego si gigas mortuus iacebat, vt p. reg. 17. *Præualuitq; Dauid aduersus Philistæum in funda, & lapide, percussumque Philistæum interfecit*; ad quid huius caput amputare? hoc, dicunt multi, vt signum trophęi deportatæ victoriæ ad Saulem Regem deferret? sed dicam ego, ideò hoc permisisse Deum proprio gladio Goliæ huius amputari caput, quia, illo, Israelitarum carnificinam, facere disponebat, vt dixerat de Dauid 1. reg. 17. *Dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestijs terræ*, & quia vt Sap. 11. c. *Per quæ peccat quis, per hæc, & torquetur*; sic eodem gladio, quo alios perdere decreuerat, ipsius caput est, ad Dauidis gloriam amputatum; secundum illud Aug. de verb. Apost. ser. 4. cap. 9. *Gladio, quem portabas, te inimicus occidit, armis tuis te vicit; armis tuis te interemit*; & hoc verificari potest, cum multi dicant Goliath, dum percussus cecidit, & etiam, dum in hunc Dauid inualuit ad capitis obtruncationem, nondum illum expirasse, sic proprio gladio gigantis, huic, Dauid vitam ademisse.

Gladio proprio, quo Golias alios interficere disponebat, ipsius caput est obtruncatum.

August.

Quæ, ducere oportet, quò maximè natura vergit &c. tex.

§. II. Quomodo Deus genio, & naturæ peccatoris, ad huius animæ salutem, se opportunè, accommodet.

1 Omnipotenti Deo, sicut infinita inest virtus, sic nec modus quicunque ad diuinæ voluntatis effectus producendos, deesse potest; cum igitur Deus, sit ille, de quo Sap. 8. dicitur: *Attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, meritò in causa secunda, cum per modum naturæ, & libertatis, prout occasio exigit, operetur, & in qualibet re, secundum conditionem eius, vt D. Th. 2. sent. d. 25. a. p. ad 3. & art. 2. ad primum; & 3. c. g. c. 66. 67. sic naturę, & genio, & conditioni peccatoris se accommodat, vt huius salutem operetur.

D. Thom.

2 Peccator, per culpam diaboli seruus redditur, vt Io: 8. d. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*; vt hunc igitur à peccati seruitute, redimeret, & à diaboli tyrannide eriperet, Rex gloriæ, hic se in seruum quoque, & in pœnis comitem, ei adiunxit, vt vti seruus, pœnas pro peccatore debitas persolueret,

& vt Rex gloriæ, & Redemptor, in pristinam diuinæ gratiæ à diaboli seruitute erutum peccatorem, assereret libertatem: hinc est, quod tanti mysterij minimè ignara, Sanctissima Virgo, Angelo filij Dei incarnationem edicenti, quod ille, qui ab eius sacratissimo prodibit vtero, Rex erit; vt Luc. p. *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*; & paulò post addit: *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nō erit finis*, Sanctissima Virgo respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; Sed quomodo inter se hæc dicta conueniunt? Angelus Mariæ filium nasciturum prodit, Regem, hęc seruum vocat, dum se ancillam, & seruam fatetur, nam quod ex serua nascitur, seruus est per legē, partus enim sequitur ventrem, vt l. partum, C. de rei vend. Si ergo Maria est ancilla, etiam filius, qui ex ea nascitur erit seruus, si igitur seruus, quomodo Rex? Verum si diuini mysterij arcana perscrutabimur, diuino afflatam spiritu B. Virginem, aptè respondisse comperiemus, fuit enim Christus seruus, & Rex: Seruus, vt ad Philipp. 2. a. dicitur: *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*, quod ab eodem Saluatore comprobatum fuit, Matth. 20. d. *Filius hominis* (inquit) *non venit ministrari, sed ministrare*, se peccatori seruo, socium conformans, vt inde, vt Rex, sicut Angelus prædixerat, peccatorem diabolicæ seruitutis iugo ab eo excusso, ab infernali potestate eriperet, & in pristinam diuinæ gratiæ, & innocentiæ libertatem vendicaret; sic hunc nasciturum Regem, Beata Virgo Maria seruum prodit, mundo edit, quia huius saluti, & animarum beneficio erat eum mancipatura; ideò Thom. de Villanou. serm. p. ait:

Quomodo Maria, Christum seruū prænunciat, quem angelus Regem futurū, prædicit.

l. partum C. de rei vend.

Grandi mysterio, altissimoque Deitatis instinctu, conceptura Deum, sui meminit ancillatus; vt oriētem à se filium, mundi obsequio manciparet.

Thom. de Villanou.

3 Isaias ait, quod Christus venturus est in mundum, qui in vtero matris suæ existens, seruus procedet, ait igitur Is. 49. *Formans ex vtero seruum sibi*; sed quomodo seruus vocabitur in vtero, qui ex vtero procedens, Rex inde vocatur; vt Luc. 2. dicebāt Magi: *Vbi est, qui natus est Rex Iudeorum?* quomodo, si seruus est, Regis potietur titulo? & quonam pacto si Rex est, aliorū, vt seruus subdetur dominio, mancipabitur obsequio? quomodo iste Rex, seruus erit, & Dominus? De aquila proditur, quod auiculas videns retibus interceptas, ipsa velut harum regina, his commiserans, se vltrò, quasi captiuam impingit, & innectit retibus, quæ tamē inde vnguibus rostro, & alis discerpit, & infringit; sic sibi, & auiculis, liberum euadendi campum, aperit; sic Christus velut Aquila, secundum illud, Deut. 32. b. *Sicut aquila, prouocans ad volandum pullos suos*, videns animarum nostrarum auiculas, diabolicarum artium retibus, culpa illaquetas, & interceptas, in hæc se veluti seruum, & captiuum immittit, & innectit; ideò ait Is. 49. *Formans ex vtero seruum sibi*, & ad Philipp. 2. b. *Formam serui accipiens*; verum peccati, suæ diuinitatis alis, fortitudinis suę virtutis rostro, vt Rex, & Dominus, & Redemptor disruptis vinculis, diaboli confractis retibus, eius potentię, in pristinam nos Dei reuocat libertatem; ideò Ambr. pręfat. in Ps. 35. ait: *Aduertè mysterium ex vtero Virginis, idem seruus exiuit, & Dominus; seruus ad operandum; Dominus ad imperandum*; vt Apost. ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum, factum*

Ex vtero Virginis Christus, q vt seruus procedit, vt Rex à Magis inde vocatur.

Ambr.

factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionē filiorum reciperemus; vbi D. Hieron. ait: *Christus sub lege factus est, vt peccatum in carne vincens, credentes in se, à legis vinculis liberaret*.

Hieron.

4 Vt ad se trahat animas, horum se genio conformat Deus, moribus, & inclinationibus, accommodat. Angelus pastoribus, nati Saluatoris gaudia prænuncians, vt ad huius agnitionem, fidem, & adorationem traheret, dedit signū dicens; Luc. 2. *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator mundi, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid, & hoc vobis signum, inuenietis infantem, pannis inuolutum, & positum in præsepio*. Sed dicam ego, iste puer natus, ad cuius adorationem inuitantur Pastores, licet infans, non ne est Rex gloriæ, qui in præsepio iacens, in nubibus tonat? qui in stabulo manens, in cælis residet? inter bruta collocatus super Seraphim sedet? qui pannis inuolutus, hominem immortalitate conuestit? qui de Virginis vtero prodiens in tempore, è sinu Patris ab æterno procedit? qui licet homo, Deus tamen est, qui hominem æternę fœlicitatis corona condecorat? cur ergo non aliquo summo diuinitatis nomine pastoribus annunciat, vt potè dicēs: Inuenietis Sapientiam Patris, Verbum Dei, Æterni Patris Filium, Angelorum Dominum, Regem Gloriæ, Mundi Dominatorem, sicut Mundi Saluatorē eum prodit? Luc. 2. *Quia natus est vobis hodie Saluator Mundi, qui est Christus Dominus?* Sed Deum, & seculorum gigantem, infantem vocat, pannis inuolutum denunciat, qui cælestis gloriæ purpura tegitur, in præsepio positum, qui totum pascit mundum. Sed dicamus, quod per Angelum, Angelorum Rex, in terris nascens, sic voluit pastoribus innotescere, se horum moribus genio, naturæ, & inclinationibus accomodans, vt hos ad sui raperet cognitionem, traheret ad fidem, ad summæ veritatis confessionem adduceret, & vt verum animarum nostrarum aduenientem, hūc agnoscerent, & adorarent, pastorem; ait igitur Angelus: *Inuenietis infantem positum in præsepio, pannis inuolutum*; Infantem nominat, ne seculi gigantem eundem expauescerēt; sicut ad primum Angeli aspectum, nati Saluatoris gaudia annunciantis, timoris, & tristitiæ, signa edidere, vt Luc. 26. *Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt, timore magno*; vocat infantem ne pastores, vt simplices regia terrerentur maiestate; in pręsepio, dixit inueniri, vt nascentis humilitas proderetur; in præsepio, vt eum, qui natus erat, pastorem agnoscerent; pannis inuolutum, vt in eo paupertatis insignia proderet, & nullatenus timerent; vel in præsepio ponitur, quia pastores pręsepia, & caulas amant, & colunt; sic conformia pastoribus, signa regij diuini infantis edit; ideò Landulph. Cart. ait: *Ideò sic locutus est Angelus, quia Pastores erant simplices, humiles, & pauperes, vnde ne timerent accedere, aut dubitarent credere, datū desuper illis est signum, suis moribus conforme, infantia scilicet humilitatis, & paupertatis*.

Quare Angelus pastoribus Christum natum sub nomine infantis denunciat.

Conformia pastoribus, Angelus his signa edit, vt illos ad Christū alliciat.

Landulph. Cart.

5 In terris, humanis his spolijs iudutus, in sanctissimo ortu suo apparens Saluator, vt se Deū proderet Creatorem, qui in initio mundi cælum, & huius luminaria creauerat, stellam quoque nascens protulit, vt D. Fulgentius: *Puer natus nouam stellam fabricauit*, quæ in

Fulgent.

supremis cæli regionibus rutilans, exorti iustitiæ Solis indicabat aduentum; sicut, hanc Magi, sideralium artium cultores peritissimi, aspicientes, auspicati sunt. Hoc magni nati Regis inditium esse: quare hac duce stella, ab oriente ad siderum conditoris adorationẽ, magna fulti fide, Bethlem, ad sacrum præsepe veniunt. Sed dicam ego, cur Christus, stellam hanc, Magis nuncium misit, quæ hos ad sacram ędiculam, & ad Christi Saluatoris nati adorationem adduceret? quomodo hæc tantæ legationis fungetur officio? quomodo hęc rationis, & linguæ carens vsu, sermonis nescia, tam Summi Regis nunciabit aduentum? quomodo, quę sensu caret, alijs cognitionis sensum indet? quomodo Magis carpendum indicabit iter, ducatum præstabit, stella quæ nullum nouit, nec est apta proferre sermonem? non ne meliùs erat Magis nuncium, hominem mittere, sicut Moysem ad Pharaonem, Isaiam ad Ezechiam Regem, misit Deus? Vel Angelum, sicut Pastoribus destinauerat, & Archangelum Sanctissimæ Virgini; vt tantorum sacramentorum mysteria ediceret? Sed ideò, hoc signo Stellæ, Christi natiuitatem voluit Deus manifestari, sicut per Angelum Pastoribus; hæc enim inanimata progreditur, alios ducit; muta loquitur; est enim sicut Angelus Pastoribus, lingua cælorum, vt Aug. serm. de Epiphan. ait: *Pastoribus Angeli; Magis stella Christum demonstrat; vtriusque loquitur lingua cælorum*; vt se horum moribus genio, & inclinationibus accõmodaret. Magi enim vt ait D. Thom. 3. quæst. 36. a. 3. ad 2. non fuerunt malefici, sed Sapientes Astrologi, qui apud Persas, vel Chaldæos, Magi vocantur; cũ igitur manifestatio fieri debeat, secundum ea, quæ magis familiaria sunt illis, quibus fit manifestatio, vt idem Angelicus, vt supra a. 6. cum Magi in astrologiæ studio magistri peritissimi existerent, meritò per stellam ad fidem, ad Solis iustitiæ agnitionem, ad Christi adorationem, erãt alliciendi; vt idem D. Th. vt supra art. 5. ait: *Assuetis in consideratione cælestium corporum Natiuitas Christi manifestata est, per signum stellæ*; vt faciliùs horum mentes ad cælestium eleuaret cognitionem Sacramentorum; ad diuinum inuitaret amorem, alliceret ad charitatem, traheret ad fidem; ideò Chris. hom. 6. in Matth. ait: *Per consueta eos Dominus vocare voluit, eis condescendens*.

Cur Christus, Magis stellam, potius, quam hominẽ, vel Angelum, vt eos ad eũ duceret, destinauit.

Responsio. Magis stellã misit, quia erant Astrologi, horum genio se accõmodans.

August.

D. Thom.

D. Thom.

Chris.

6 Christus peccatorum morem gerit, vt hos ad pœnitentiam attrahat; hęc veritas in Apostolo Thoma clarè patet. E mortuis resurgens Saluator, cælos ascẽsurus, suos prius voluit inuisere Apostolos; à quibus vnus aberat Thomas, qui inde reuersus Apostolis nunciantibus resurrectionem Christi, dicentibus Io: 20. f. *Vidimus Dominum*, respondit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meũ in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*. O Thoma quid ais, quomodo de Christi resurrectione dubitas, quam cæteri Apostolorum affirmant, & veritas diuina, proprio ore comprobauit, dicens Matth. 27. *Post tres dies resurgam*? O maximum peccatum, quis te ab hoc poterit eripere? quomodo saluus eris, qui in tam magnum infidelitatis baratrum corruisti? sed mihi dicetis; nunquid ob id, salutis huius, spes frustrabitur? nunquid Thomę desperanda salus? nunquid qui creauit ad vitam, in culpam lapsum, non poterit à spirituali animæ morte eruere? Et quodnam,

Peccatum, infidelitatis Thomæ, & huius peruicacia.

ad hoc

ad hoc remedium adinueniemus? nunquid, dicetis, in Ecclesia sancta, Christus quæ ipse condidit, ad salutem animarum etiam Thomę, sacramenta reliquit? verum quidem est, & totum optimum; his tamen præcisè stantibus, nisi aliud interueniat, fortè non saluabitur Thomas: nunquid (subdetis) sacramēta de latere Christi prodeuntia, quę ex Sanguine Christi, infinitum sortiuntur valorem, ad Thomæ infidelitatis vulnus sanādum, non proderunt, quæ infinitos possent saluare mundos? Verum hoc totum, haud infici potest; verum adhuc repetam, quod ex his præcisè si hoc mihi dicere fas est, pace vestra, non saluabitur Thomas; temerarium prima facie, & à catholica veritate alienum dictum videtur; sed priùs quam, me temeritate damnetis, meam sententiā audiatis: Quibus se conditionibus ad credendum resurrectionē Christi adstringit Thomas? dicit se nolle credere, resurrexisse Christum, nisi hunc ipse viderit, vulnera quoque inspexerit, & palpauerit: Io: 20. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in loca clauorum, non credam*; quomodo hoc poterit assequi Thomas, & vulnera contingere? Iam die Sancto Veneris, redemptionis nostræ opus, adimpleuerat Christus; iam è sepulchro, tertia die resurrexerat; iam rumor erat, & vox, & fama instantis ascensionis suę ad cęlum resonabat, vt Io: 20. d. *Ascendo ad patrem meum, & patrē vestrum, Deum meum, & Deum vestrū*; interim delinquit, hac maxima culpa infidelitatis Thomas; si Christus ascēdit ad cęlum, amplius Thomæ, illum tangendi nō relinquitur locus; occasio tolletur, ergo facta hypothesi non credet, ergo in infidelitate permanebit, & vt hæreticus damnabitur,

Quibus conditionibus, ad credendam resurrectionem Christi, se obstringit Thomas.

Thomas; sic in hoc, his credendi suppositis conditionibus, quamuis infiniti valoris sacramenta existant, huius simpliciter non proderunt saluti. Sed ò magnam diuinæ bonitatis misericordiam, vt Thomam ab infidelitate eriperet, ad fidem reuocaret, ad pœnitentiam alliceret, suam ad cælum distulit ascensionem, sua in corpore sanctissimo, retinet, seruat vulnera, hæc Thomæ ostendit, huius se conditionibus accōmodat, vt Thomam lucrifaciat, corpus suum eidem, manibus contrectandum, & vulnera palpanda obijcit; vt Io: 20. g. *Dixit Thomæ infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis*; quasi diceret, Christus Thomæ: dixisti, te nolle credere, nisi me videris, & vulnera mea palpaueris, ecce hæc tibi seruaui palpanda, vt infidelitatis tuæ vulnera, tuo è corde sanarem; quare D. Hilarius 3. de Trinit. ait: *Dominus Thomæ fidem propositis conditionibus confirmaturus assistit, palpandi vulneris, & contrectandi corporis, dat facultatem.*

Misericordia Saluatoris, vt Thomam ad fidē reuocet, se huius conditionibus accōmodat.

Hilar.

Quæ, ducere oportet, quò maximè natura vergit, & per loca conferentia, eò ducere conuenit. tex.

§. III. Quilibet animarum Rector, in fraterna charitate, se debet, peccatoris genio, & consimilibus medijs, vt expedit, ad eiusdem salutem aptè conformare.

1 DEVM, quantum in nobis est, vt studeamus imitari, nobis suadet Apostolus ad Ephes. 5. a. dicens: *Estote imitatores Dei, sicut*

sicut filij carissimi, cuius imitationis formam in animarum salute inquirenda, præcipuè animaduerto; vt Chrisost. *Nihil est*, inquit, *quod possit nos facere imitatores Christi, quam fratrem nostrum corripere*; qui quidem modus, vt nobis ex voto succedat, Christo conformari oportet; peccatorum animas, vt lucrifaceret, harum se genio naturæ, inclinationi, & moribus accōmodās, vt in Apostolis videre est, quos, vt ad sui sequelā traheret cum piscatores essent, sub piscationis nomine, ad Apostolicum munus, & animarum conuersionem, vocauit, vt Matth. 4. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*; sic quilibet Superior, vt moralis animarum piscator, vt has ad pœnitentiam rapiat, ad conuersionem attrahat, correctionis hamum, verborum, vel actionum, earundem genio, & moribus conformium, esca dispositum, & adaptatum, ad spiritualem prædam, mittere debet, vt Chris. *Non arundine, sed sermone greges hominum, peritè capientes*.

Chris.

Deum imitari debemus, peccatorum genio ad horū salutem nos conformantes.

Chris.

2. Samaritanæ salutis cupidus Saluator, quæ corpus suum carnis lenocinijs, & impudicitijs locauerat, vt ad pœnitentiam traheret, huius se genio moribus, & conditioni conformat. Apud fontem Iacob, hanc hauritura aquam, Christus præuenit, super eundem fontē, lassus sedens, vt Io: 4. *Iesus defessus ex itinere, sedebat sic supra fontem*; ad quem ait textus: *Venit mulier ex Samaria haurire aquam*: Dixit ei Iesus: *Mulier da mihi bibere*: & quomodo contra fas legum conterraneorum, legislator, qui non venit soluere legem, sed adimplere, à Samaritana, aquam postulat Christus, cum sit Iudęus, vt huic hæc Samaritana obijcit Io: 4. *Quomodo Iudæus, tu cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis?* & quomodo sitit, qui sitientibus fluenta ministrat? qui copiosas è petra, manu Moysis, ad populi Israelitici sitim extinguendam, eduxit aquas, vt Num. 22. *Percussit virga bis silicem, & fluxerunt aquæ*: quomodo sitit, qui quadraginta dierum cōtinuum ieiunium, absque deliquio vllo, sustinuit in deserto? quomodo à muliere potum petit ille in deserto, cui cœlites cibum ministrarunt post ieiunium? cur ab angelo eodem, qui calicem passionis, eidem detulit in horto, ad fontem Iacob, aquæ haustum sibi deferri non præcepit? cur qui maris, ad Israelitici populi iter, profunda nudauit, aquam vsq; ad crepidinem putei, ad potum sibi ascendere non pręcipit? cur non poterat verbo, cui omnia obtemperāt, aquam haurire, qui solo verbo de sepulchro, mortuum Lazarum valuit resuscitare, absque eo, quod ex Samaritana conterraneorum legibus contradicendo, tam instanter aquam peteret? Verum si huius facti mysteria scrutabimur, comperiemus, non casu hoc à Christo gestum fuisse, vel ex indigentia propriæ naturæ à Samaritana aquam petijsse, qui omnibus affluenter fluenta ministrat, vt dictum est, sed vt Samaritanam ad fidem traheret ad pœnitentiam adduceret, ad suarum agnitionem, & confessionem, alliceret culparū, sicut hęc dixit: Io. 4. *Domine, vt video Propheta es tu*! Huius se genio moribus, & inclinationi, siuè occasioni conformans: Hæc venerat haurire aquam, sic aquam Christus petijt, vt viuam diuinæ gratię, illa aquam reciperet, vt Io: 4. *Mulier si scires donum Dei, forsitan petijsses ab eo aquam viuam*; de quà à Christo edocta, hanc ab eo postulauit: Io. 4. *Domine*

Christus à Samaritana aquas quærente, pœnitētiæ aquas, petit, vt diuinæ gratiæ aquas inde, in eam effūdat.

Cur Christus aquam petat a Samaritana, q̄ omnibus, aquarum fluenta ministrat, & omnia.

A Samaritana aquam petit vt hāc ad fidem, & pœnitentiā traheret.

da

da mihi hanc aquam, vt non sitiam iterum; quare Theoph. in Cat. au. D. Th. ait: *Congruè autem disputatio ad mulierē à siti sumpsit occasionem*; petijt à muliere aquam non naturalem, vt ipse reciperet; sed supernaturalem diuinæ gratiæ ad animæ salutem, illi, vt conferret: sitiebat non aquam fontis, sed gemitus cordis, non materiale requirebat poculum, sed suspiriorum pęnitentiæ, & lacrymarum potum exigebat, vt Chrysol. ser. 93. *Deus delinquentium esurit gemitus, sitit lacrymas peccatorum*.

Theoph.

Chrysol.

3 Mirabile ad rem nostram redditur Helisęi factum, viduæ mortuum filium ad vitam reuocantis; vt 4. reg. 4. dicitur: dum enim huius, ille resurrectioni insisteret, clauso ostio orauit ad Dominum, & super eum inde stans, manum suam manui pueri, os ori, oculum oculo adaptans, pueri carnem calefaciēs, super eum ositans, vitæ restituit: Puer iste peccator dici potest, secundum Prou. p. *Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient*: vel dicitur puer, vt distinguitur à viro, qui à virtute dicitur; peccator enim virtute caret, vitijs repletur; mortuus est iste puer stultus, qui à vera vita, quæ Christus est, culpa recessit, lacrymarum verè dignus, parentandus funeralibus; vt igitur ad vitam gratiæ reuocetur, ex tumba consurgat puer peccati, necesse est, vt animarum director, peccatoris se genio, naturæ, & inclinationi conformet, moribus accomodet, vt Hug. Card. p. Cor. cap. 9. ait: *Prædicator, & Prælatus debet se conformare eis, quibus prædicat, vel præest, in quantum potest*: ponendo os suum, super os pueri: hic ponitur potentia, pro actu, per metonymiam, os pro locutione; rationibus, verbis, & sermonibus corrigendi, quodammodo leni sermone cōformando, prout opus est, vt D. Hier. *Pater cum filio ad infantilia descendit, vt eum instruat*; vt ad emēdationis vitam reuocet; dicitur enim Prou. 10. *Vena vitæ, os iusti*; debet ponere oculum misericordiæ super oculum miseriæ delinquentis; huius compatiens peccato, & culpæ commiserans, vt Hug. Card. super Iob. 2. *Cum uolumus*, inquit, *aliquem à mærore suspendere, studemus, priùs mærendo eius luctui concordare, aliter non bene consolamur*: vel *oculum super oculum*; oculum pietatis, vt Ps. 31. b. *Firmabo super te oculos meos*, super oculos impietatis, & furoris, vt Psal. 30. *Turbatus est à furore oculus meus*; vel oculum considerationis, & consilij, siuè pœnæ, & seueritatis, super oculum superbiæ, ad hāc coarcendam; vt Ps. 17. d. *Et oculos superborum humiliabis*: manum super manum, manum auxilij, vt Ps. 88. *Manus enim mea auxiliabitur ei*, super manum delinquentis peccatoris, vt Iob. 15. *Tetendit aduersum Deum manum suam*; vel manum pænæ, manui culpæ, apponendo, vt Ps. 31. *Grauata est super me manus tua*; vel iuxta Psal. 54. *Extendit manum suam in retribuendo*; sic incuruatur super puerum demortuum peccatorem, ad spiritualem animæ resurrectionem; huius se naturæ genio, & moribus, vt diximus Superior quilibet conformans, vt p. Cor. 9. dicebat Apostolus: *Omnia, omnibus factus sum, vt omnes facerem saluos*; vbi Hug. Card. ait: *In his verbis dat formam Prælatis, vt omnibus se conforment*.

Puer ab Helisæo ad vitam excitatus; symbolum peccatoris, ad vitam gratiæ, qui reuocatur.

Hug. Card. Quomodo mortuus peccator, culpa, ad vitam gratiæ, reuocetur e. idem morē gerendo, superior.

Hieron.

Hug Card.

Hug. Card.

4 De quodam mente infirmo, memini me audisse, quod cum maximo quodam Melancholiæ laboraret morbo, se mortuum affirmabat, quapropter nullum cibum capere volebat; dicens, quod mortui non

non edunt: Quid egit prudens Medicus? huius ęgri se sermonibus, & moribus conformans, mortuum se pariter esse effinxit, in eodem simul loco, cum ipso consistens, præcipiẽs tamen assidentibus, vt occultè cibos deferrent, sic factum est. Tempore igitur prandij adueniẽte, quo eum fames vrgebat, ob oculos ægri, edere cæpit medicus, quod videns infirmus, cæpit medicum interrogare, cur ederet cibos, cum mortuus esset, tunc medicus respondit, hos cibos à morte fuisse delatos, vt his vesceretur, ne per campos Elysios transiens, deficeret in via; tunc æger dixit si hoc ita est, ego quoq, qui mortuus sum, cibum tecum assumam; sic comedit, & à melancholiæ morbo inde euasit; sic spiritualis animarum medicus, qui ægrum peccatorem, à culpæ morbo, & vitiorum melancholia curare, & liberare intendit, debet se peccatorum genio conformare, vt Christus, qui vt peccatores curaret, ad pœnitentiam alliceret, cum peccatoribus versabatur, & vt his diuinæ gratiæ cibum pręberet; materialẽ cum his cibum ipse sumebat, quod extrinsecè tantum obseruantes, & mysterium non attingentes Iudæi, dicebãt discipulis Christi, vt Marc. 2. c. *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Magister vester*? debet igitur spiritualis medicus cum infirmo peccatore, se quoque infirmum, & illius socium efficere, secundum illud Apostoli 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor*? illius morem gerens, eiusdem se genio accommodans, sic cælestibus diuinæ gratiæ peccatoris infirmi animam esurientem, satiabit bonis, & à peccati eripietur morbo, hinc est quod egregiè Chrysol. serm. 50. intulit: *Medicus, qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.*

De infirmo, qui se mortuum affirmans, quo modo à medico liberatus est, se illius genio conformante.

Chrysol.

5 Quædam mihi curiositas occurrit, vnde quærere velim cur Christus, Summam Pontificij in Ecclesia Sancta dignitatem; D. Petro, non D. Ioanni Baptistę contulerit, vt Matth. 16. c. dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claues regni cælorum &c.* Dignitates, vt iura disponunt, secundum personarum merita, sunt distribuendę; & quis maior meritis Ioanne Baptista inueniri potest, de quo, ipsa veritas testatur, Matth. 11. b. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*? hic materno sanctificatus in vtero, prophetico repletus spiritu, Christi præcursor erat &c. ergo melius huic, quam Petro, qui tantum abest, vt his priuilegijs fuerit decoratus, vt potiùs à promissis, in passione, Christum interrogatus negando defecerit, hæc summa erat conferenda dignitas: & si sancta est Ecclesia, à Spiritu Sancto ducta, meritò, huius caput, in vtero sanctificatus, videlicet Ioannes erat constituendus; vel quare non Angelus? si Christus magni Consilij vocatur Angelus, vt per Is. 9.; quare in sui locum in Ecclesia huius, caput, Angelum, non substituit; qui sapientia, & prudentia, vti homine pręstantior, potuisset aptius Ecclesiæ eiusdem gubernationi insistere? sed dicamus ideò Petro non Ioanni, neque Angelo Summi Pontificis in Ecclesia Christum claues, & potestatem tradidisse; vt potè illi, qui iam culpa deliquerat, vt in se ipso aliorum fragilitatem agnoscens, posset delinquentium misereri, & his etiã compati, vt Apost. ad heb. 5. a. ait: *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis, qui*

Cur Christus non Angelum, non D. Io: Baptistam, sed D. Petrum Ecclesię sanctæ Caput constituerit.

condolere poſſit ijs, qui ignorant, & errant; quoniam, & ipſe circundatus eſt infirmitate; cum igitur Angelus, alienæ ab homine ſit naturę, & à peccato immunis, ſicut & Pręcurſor Ioannes, qui in vtero matris, diuino fuit afflatus flamine, ſic nec ille humanæ miſeriæ, vt impeccabilis eſſet compaſſus; nec iſte vt innocens, ſe delinquentium naturæ, & genio ad horum ſalutem, accommodaſſet; quare Chriſ. hom. 80. in Nat. ait: *Ideò non Angelis, hæc eſt commiſſa poteſtas, qui nunquam peccauerunt, ſed homo paſſibilis ſuper homines ordinatur, vt dum in alijs ſuas recolit paſſiones, mitem ad eos ſe præbeat, & benignum*. Supremæ igitur auctoritatis in Eccleſia Petrus claues accipiat, cathedram conſcendat, vt qui iam culpa deliquit, poſſit delinquentibus, ad ſuorum veniam compati peccatorum, & horum genio naturæ, & moribus ad animarum ſalutem miſericors conformari.

Chriſ.

APHORISMVS VIGESIMVS SECVNDVS.

Concocta mederi, atque mouere, non cruda, neque in principio, modò non turgeant; plurima verò non turgent. tex.

Ordo Medicinę corporalis.

CVM in immediatè ſuperiori aph. egiſſet Hippocrates, de modo, quo medicus ordinare, ſeu præſcribere debet euacuationē, ſeu purgationem, quę fieri debet, *Quo natura vergit, & per loca conferentia*, vti diximus; modo agit de materiæ qualitate, quę expellenda eſt, & per pharmacū euacuanda, quę cocta eſſe debet, aut turgens; ideò ait: *Concocta mederi, atque mouere, non cruda &c.*

Medicina corporalis.

Quæ ſit materia cocta.

Concocta igitur debet eſſe materia, ſiuè humor peccans, qui eſt cauſa morbi, quę pharmaco expellenda ſunt: *concocta*, ſunt, quæ à natura, ſiuè calore naturali, euicta ſunt: *mederi*, dicitur quod medicamento purgatur, ſecundum Galenum in comment. *Atque mouere*, hoc eſt, alio auxilio à medicamine humores agitari, vt exercitatione, balneis, & huiuſmodi, ſic Galen. in comm. *Non cruda*; hic concluditur, quod ſola materia concocta, ſit euacuanda. *Neque in principio*, per principium, intelligendum eſt primum ægritudinis tempus; cum nondum apparent ſigna manifeſtæ concoctionis. *Modò non turgeant*. Ex Galeni ſententia in præſenti Commento, conuenit in principio, humores turgentes euacuare, qui de loco ad locū mouentur, & tranſfluunt, faſtidientes hominem, & quieſcere non ſinentes: humores verò in aliqua parte firmati, non mouendi, neque medicamento, neque alio auxilio, ante concoctionem. Galenus 4. aph. 22. ait quod oportet præire coctionem, ſubſequi verò diſcretionem, & poſtea eua-

Galen.

Galen.

Principium, in quo non eſt euacuatio tentādā eſt primum, ægritudinis tempus.

Galen.

euacuationem, vt bona sit iudicatio. *Plurima verò non turgent*; Galenus in Comm. ait, Hippocratem, hoc rectè addidisse, cum rectè doceat experiētia raro humores transfluere ab vna parte ad aliam; frequentiùs autem in aliqua parte quiescentes, toto morbi tempore concoqui; quare dicendum, quod materia cocta, medicamento pharmaci est euacuanda, & mouenda, non cruda; per crudam humores crassos intelligunt, & frigidos, & pigros ad motum. Circa enim humores crudos natura operatur, vt hos concoquat, quos inde concoctos discernit, & separat, eijcit euacuatione, vt potest; quod si ex se nequit, adiuuanda est medicamento. Neque in principio morbi dumodo non turgeant: qua ratione autem conueniat, in principio, ante coctionem, humorem turgentem euacuare; tunc enim, ait Galenus, est impetus naturę ad superfluitatum excretionem, si non in toto corpore, in partibus saltem principalibus, & tunc ad eos expellendos, natura incitatur, sic indiget aliquo, manum porrigente, hunc humorem motum, ad aluum deducente.

Galen.

Quid per materiam crudam intelligatur.

Galen.

Qua ratione, humor turgens, ante coctioné sit euacuandus.

Egimus, & nos moraliter, in precedenti aphorismo, de modo, quo cælestis Medicus, scilicet Deus, vel quicunque Prælatus, vel Superior, euacuare dicatur noxios peccatorum humores ab anima; siuè per pharmacum pœnæ, peccati morbo correspondentis; siuè alio modo, naturæ genio, inclinationi, & formę hominis peccati, & peccatoris, vt diximus, se accommodans, & conformans: in præsenti verò agimus, de qualitate materiæ, scilicet peccatorum, & noxiorum humorum culparum, qui pœnitentiæ sacramenti pharmaco sunt euacuādi. *Concocta medicare, & mouere, non cruda, neque in principio, modò non turgeant &c.* Quod, spiritualis æger, peccator videlicet, qui se spirituali medico sanandum offert, iuxta illud Chrysologi ser. 29. *Medicum, vt curentur admittant; confiteantur se peccatores*, medicamento purgatiuo Sacramenti pœnitentiæ, & absolutionis sacramentalis pharmaco, ad noxios peccatorum humores ægram animam infestantes, euacuandum, debet habere materiam pœnitentiæ, scilicet peccata, concoctam, igne doloris, calore contritionis, per conscientiæ examinis diligentem discussionem, vt Is. 38. c. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ*; sic enim ista peccatorum materia, ita concocta, euacuanda est, absolutione; vt egregiè Dauid Psal. 146. intulit, dicens de hoc cælesti medico: *Qui sanat contritos corde*; quibus verbis clarè patet, quod Deus, seù spiritualis medicus animarū, materiam peccati, absolutionis pharmaco euacuat, igne contritionis concoctā, & calore naturali contriti, & dolentis cordis pœnitentis, euictam; sic animas sanat, vt Hug. Card. hic ait: *Debemus ergo nos confringere, & conterere cor nostrum pœnitendo, confitendo, puniendo; & Deus sic contritum, alligabit, & sanabit, quia Samaritanus est sanans eum, qui incidit in latrones.* Hanc igitur peccatorum materiam charitatis igne concoctam, & contritionis calore euictam, Confessor absolutionis medicamento, euacuat, dum ait: *Ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis*; sic anima peccatoris sanatur, vt Psal. 106. *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Sequitur textus: *Non cruda*, scilicet materia peccatorum non est absolutionis pharmaco euacuanda, quæ contritionis calore non est concocta, in qua debitum conscientię examen, non

Ordo medicinæ spiritualis.

Medicina spiritualis.

Chrysol.

Materia peccatorum euacuanda, quomodo debet esse cocta.

Hug. Card.

Pharmaco absolutionis, quomodo peccatorum materia euacuetur, cocta, non cruda, neq; in principio.

nôn interuenit. *Neque in principio*; idest, dum peccator statim confiteri cogitat, nulla confessionis dispositione præcedente, nulla examinis conscientiæ suarum culparum, discussione præmissa, ad Confessorem accedit, vt D. Th. p. quæst. 87. a. p. c. ait: *Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis, perfectior pœnitentia, vt scilicet homo, actualiter peccatum commissum, detestetur, quantum in ipso est, vt scilicet diligentiam adhibeat, ad rememorandum singula peccata, vt singula detestetur.* Hæc enim materia cruda moralis peccatorum, quæ conscientiæ examine non est discussa, & contritionis calore concocta, non est, vt diximus euacuanda, vt idem Angelicus Doctor 4. sent. dist. 17. quæst. 3. a. 3. qui ait: *Nemo sacerdos debet aliquem absoluere, nisi æstimet eum contritum*: Verum addendum est, quod ait Hippocrates: *Modo non turgeant*: moralis materia turgēs peccatoris, animam maximè infestans, dicamus, quod sit mortis casus, vel aliquod repentinum vitæ periculum, dum interuenit, tunc enim absque alia dilatione confessionis, absolutionis pharmaco, est moralis animæ salutis euacuatio tentanda peccatorum; cum horum tempus concoctionis materiæ, pro opportuno examine conscientiæ, & debita dispositione, non suppetat; tunc enim pœnitentem pęnitere debet, quantum potest suarum culparum, & absolutio, & potestas clauium non est ei denegāda, & hoc, ad rem nostram videtur intulisse Chrysol. ser. 167. qui ait: *Si caro tumescat ex crimine; si vitiorum sanie fragilitas humana corrumpatur; tunc ęgris illa, quæ non sanis, pœnitentiæ medicina succurrat; ferrum compunctionis accedat, apponatur adustio; tunc doloris, adhibeātur suspiriorū; tunc fomenta tumentis Conscientiæ feruor euaporet.* Vltima textus particula: *Plurima verò non turgent*. Casus autem considerandi, vt in pluribus accidunt, secūdum quod, quisque opportunum tempus ad sacramenta pœnitentiæ ritè suscipiendum habet; ex quibus vnicum tantum ad discursum paragrophum deducemus.

D. Thom.

D. Thom.

Moralis materia turgens, quę sit, & quando euacuāda.

Chrysol.

Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principio &c. tex.

§. Vnicus. Pœnitenti, absolutionis beneficium, debito conscientię examine pręmisso, & peccatorum contritione interueniente, regulariter conferendum.

1 VNusquisque, qui absolutus Dominus non est, alterius debet subdi dominio, & potestati subiacere, ac propterea ad eiusdem Domini recognitionem, & tributum eidem, opportuno tempore, tenetur præstandum, vt Apost. ad Rom. 13. b. *Necessitate subditi estote*: deindè paulò post ad tributa descendens, subdit: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*. Clarè patet respectu Dei, neminem in hoc mundo absolutè vocari posse dominum; Deus enim solus, omnium absolutè Dominus est, cuius omnia subiacent potestati, vt Ecclesia canit: *Tu solus Dominus, tu solus Altissimus Iesu Christe*; nos igitur vt populus eius, illius subijcimur ditioni, vt Iacob. 4. b. *Subditi ergo*, inquit, *estote Deo*; cui debitum recognitionis præstare tenemur, vt ait D. Th. p. 2. quæst. 89. a. 6.

Omnes subditi sumus Deo, & huic tributū soluere tenemur.

D. Thom.

a. 6. ait, quod homo cum ad vsum rationis peruenit, tenetur sub peccato mortali, se ad debitum finem, qui Deus est, ordinare, & huic per consequẽs debemus tributum reddere, vt Luc. 20. e. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. Multa sunt tributa, quæ Deo debemus, inter alia, quod ad rem præsentem facit, consideremus Confessionis sacramentalis tributum, Deo à nobis præstandum: est enim confessio de Iure diuino, vt D. Th. in suppl. 3. p. quęst. 6. a. 2. quod tributum nobis per S. Ecclesiam præcipitur, persoluendum, vt D. Th. 4. sent. dist. 17. quæst. 3. a. p. qui ait: *Quod omnes tenentur confiteri, ex statuto Ecclesiæ; sed ex vi sacramenti, tantum existens in peccato mortali*: quale autem esse debeat hoc tributum, ostendit Dauid, quod, cum sit Sacramentum pęnitentiæ, in se præuiam contritionis dispositionem requirit, vt Ps. 9. a. *Confitebor tibi Domine, in toto corde meo*; hoc est ad consequendum absolutionis meritum, gratiam à Deo, & remissionẽ peccatorum, horum materia, igne charitatis, & contritionis calore, debet concoqui, sicut S. Leo pap. ser. 2. de Epiph. ait: *Sicut Magi, de thesauris suis, misticas Domino, munerum species obtulerunt, ita, & nos, de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus*.

Confessio peccatorũ, est tributũ, quod Deo debemus, ad hoc de iure diuino tenemur.

D. Thom.

D. Thom.

Materia peccatorum qualiter debet concoqui.

Leo pap.

2 Locutus est Dominus ad Moysem, dicens, Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Israel, tam de hominibus, quam de iumentis, mea enim sunt omnia*; cum igitur primogenitum in homine, quod primo generatur sit cor, vt ait D. Th. meritò, hoc sibi dicandum postulabit; hoc, debet esse victima pro peccatis, sacrificium pro anima expianda à vitiorum maculis; & quia sacrificium in veteri lege, iusserat Dominus pro peccato, igne comburendum; vt Leuit. 6. d. dicitur: *Hostia enim quæ ceditur pro peccato, non comedetur, sed comburetur igni*; sic cor nostrum, quod victima pro peccatis nostris, Deo, in confessione offertur, sacramentali, debet mortificationis mactari gladio, pœnitentiæ, & contritionis flamma torreri; sic enim Deo charum, gratum, & acceptum erit: vt Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*; & ita benè peccatorum materia, contritionis calore concocta, absolutionis sacramentalis pharmaco inde euacuatur.

D. Thom.

Pænitentis cor qualiter victima, pro peccatis, Deo offerenda.

3 Hoc confessionis tributum, Deo præstandum, contritionis ære, solui debet: Matth. 17. d. Iusserat Saluator, Petro, qui piscator erat, vt ad mare accederet, & primum piscem ascendentem, hamo caperet, à cuius ore staterem extraheret, ad soluendum exigentibus didrachma: *Vade* (inquit textus) *ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterẽ; illum sumens, da eis, pro me, & te*. Piscis, animal mutum est, quod maris etiam profunda petit; symbolum est peccatoris, in profundo culparum, & in imo vitiorũ vitam degens, vt Prou. 18. a. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit*; vt igitur Ecclesiæ Sanctæ Dei exactrici, pro debito confessionis soluatur didrachma; præcipitur Petro piscatori, idest Sacerdoti, & Confessori, vt prædicationis, & cohortationis hamo peccatoris piscem compræhendat secundum illud Chris. *Non arundine, sed sermone greges hominum peritè capientes*; vt ex ore piscis huius peccatoris, in iniquitate obmutescentis stater

Quomodo Peccator, piscis ex cuius ore stater culpę extrahitur, ad debitum Ecclesię persoluendum.

Chris.

stater culpæ, confessionis hamo extrahatur, ad debitorum nostrorum, quæ apud diuinam iustitiam contraximus, solutionem; iuxta illud Matth. 6. b. *Dimitte nobis debita nostra*; ideò D. Ambr. lib. 4. in Luc. cap. 5. ait: *Didrachma, non otiosè in ore piscis inuentum est, ex ore enim tuo iustificaberis; etenim pretium nostræ immortalitatis, nostra confessio.* Sed quale debet esse illud didrachma confessionis, quod est soluendum? moneta, siuè numisma priùs cuditur, maleo tunditur, trutinæ libratur pondere, literis inscribitur, & Regis, vel alteriùs Principis ad placitum in eo, figura imprimitur; sic ad staterem, peccatorum, qui ex ore muti piscis peccatoris, confessione eruitur, ad solutionem tributi nostri, Ecclesiæ sanctæ, debiti, requiritur, vt excudatur, diuinæ offensæ doloris percussione, maleo contritionis, mentis trutina, peccati grauitatem ponderando, & numerum peccatorum exacto conscientiæ examine, librando; charitatis literis inscriptis, & diuinæ gratię, & Saluatoris in corde pœnitentis figura impressa, tunc rectè debiti nostri Confessionis didrachma Ecclesiæ Sanctæ, per exactorem Confessorem soluitur, & per absolutionem pœnitens debitor liberatur. Huius confessionis didrachmę qualitas, à S. Ambrosio in hymno horæ tertiæ nobis exponitur, ad debitum nostrum persoluendum Deo, dicens: *Os, lingua, mens, sensus, vigor, confessionem personet, flammescat igne charitas, accēdat ardor proximos.* Omnes enim pœnitentis potentiæ, tam interiores, quam exteriores, quas à Deo recepimus, sicut ad culpam concurrunt, sic pęnitentiæ debent esse participes, & debitum Deo reddere tributum.

Ambr.

Qualis debet esse stater peccatorum, ad soluēdum Ecclesiæ, confessionis didrachma.

Ambr.

4 Se, polluta labia habere, accusabat Isaias; ad quem accurrit Seraphim, qui calculo ignito, ab altari forpice desumpto, tetigit illius labia, quæ ab immunditia peccati sui purificata fuere, vt cap. 6. ait: *Va mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum*; & paulò post inquit: *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigi hoc, labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Peccator cordis sui, & animæ dolo, malitia, & culpa inquinata, & polluta labia tenet, iuxta illud Ps. 9. e. *Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo*, quare, vt à sua iniquitate mundetur, se accusare debet coram Deo, diuinum timens iudicium, & iustitiam, compunctus, ac corde contritus, dicens: *Va mihi, quia pollutus labijs ego sum: Iuxta septuaginta Interpretes*, ait D. Hieronymus hic: *Isaias compunctum se esse testatur*; & subdit textus: *Et volauit ad me vnus Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meū*; hic declaratur modus, qualiter forma sacramentalis absolutionis, super materia, calore contritionis cocta, cōfertur peccatorum. Volauit ad me vnus de Seraphim, Iste Seraphim dici potest Confessor, Seraphim, ait D. Hieronymus hic: *Interpretatur, incendens*, qui ignem charitatis, in cor pœnitentis, ad pœnitentiam excitare debet, vt calore contritionis peccatorum, materiam concoquat ad cōfessionem; in manu huius mystici Seraphim, idest confessoris, est calculus, hoc est Sacramentum, & forma absolutionis, quem calculum forcipe auctoritatis suæ, clauium Sacrarum, quas de altari, hoc est ab Ecclesia Sancta recepit, tangit labia eius polluta, hoc est animam culpa coin-

In calculo Seraphim cum Isaia, qualitas formæ absolutionis sacramētalis, super materia peccatorū declaratur.

Hieron.

Hieron.

coinquinatam; vel labia, per quæ fit confessio, calculo absolutionis, qua inde anima purgatur; quare Chrysol. ser. 57. ait: *Petamus, vt ad corda vsque nostra, perueniat calor iste carbonis*, quo materia peccatorum contritione cōcoquatur, vt inde Sacramēti pœnitentiæ purgetur, & mundetur calculo; ideò Chrysol. vtsupra: *Immunda quoq; labia nos habere, pijs gemitibus defleamus; vt vnus iste de Seraphim, legis gratia forcipe accepto, de supremo altari, nobis ignitum fidei deferat sacramentum; talique moderamine, nostrorum tangat ora labiorum, vt iniquitates auferat, peccata depurget, & ora nostra; sic in flammam plena confessionis accendat, vt sit ista salutis adustio.*

Chrysol.

Chrysol.

5 Ad vitam Lazarum suscitaturus à mortuis, Mariæ, & Iudæorum lacrymas spectans Saluator, nostræ factus miseriæ, commiseratione finitimus, turbatus, & lacrymatus est, ait textus Io: 11. c. *Infremuit spiritu, & turbauit se ipsum, & lacrymatus est Iesus*; deindè ad sepulchrum perexit à quò amoto lapide, Lazarum ad vitam vocauit: vt Io: 11. e. *Voce magna clamauit: Lazare veni foras*; qui statim diuinæ obaudiens voci, è sepulchro viuus ligatis tamen manibus, & pedibus resurrexit; à quò, etiā vincula solui præcepit, & sic liberum inde abire. Iste Lazarus figura est peccatoris, culpa demortui, in sepulchro eius conscientiæ latitantis, obstinationis lapide obsignato, cui dicitur: *Veni foras*, exi per confessionem peccatorū, vt benè Greg. 22. mor. c. 13. ait: *Veni foras; vt nimirum homo in peccato suo mortuus, & per molem mala consuetudinis iam sepultus; quia intra conscientiam suam iam absconsus iacet, per nequitiam, à se ipso foras exeat per confessionem*: sic inde egressum iussit à vinculis solui: *Soluite eum, & sinite abire*, Io: 11. & quare à quibuscunque nexibus, & vinculis absolutum, non fecit Lazarum resurgere? vndè meritò admiratus Ambr. lib. p. Hexam. c. 7. ait: *Qui potuit vitam reddere, non potuit nexus soluere vinculorum? cui vinctis pedibus gressum dedit, huic non potuit ruptis vinculis incessum reddere?* Resurrectio hæc, symbolum est resurrectionis animę, à peccati sepulchro, ad vitam gratiæ per confessionem, & quia non datur absolutio, nisi præcedat confessio, sic nō datur solutio à vinculis, nisi priùs exeat à monumento, ideò ait: *Soluite eum, & sinite abire*; Ad quos iste sermo spectat? ad Ecclesiæ Prælatos, & Confessores: *Veniente foras*, ait Greg. vtsup., *Soluant discipuli, & pastores Ecclesiæ*: in hoc innuit auctoritatē, quā dedit Apostolis soluendi à peccatis, Christus vt Aug. tract. 49. in Io: *Ideò cum processisset mortuus adhuc ligatus confitens, & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius, ministris, hoc dixit: Soluite illum, & sinite abire; quid est soluite, & sinite abire? Quæ solueritis in terra soluta erūt, & in cælo.* Sed quod meliùs facit, ad rem nostram, quare hoc miraculum patraturus Christus, ante omnia lacrymatus est? si Dauid dicit, Ps. 103. d. *Lætabitur Dominus in omnibus operibus suis*? Sed ideò turbatus est, & lacrymatus est ante omnia, vt disceremus, quod, anima nostra culpa mortua ad vitam gratiæ vt resurgat, antequam exeat foras per confessionem, vt Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 7. *Exi foras delictum proprium prode, vt iustificeris; ore enim confessio fit ad salutem*, & antequam à vinculis culpę per confessorem absoluatur, debet priùs turbari per conscientiæ examen, lacrymas emittere, per contritio-

Lazarus in sepulchro, figura peccatoris, à Christo ad vitam gratis reuocati.

Greg.

Ambr.

Greg.

Quid significet Lazarū exire à sepulchro, & à vinculis, inde solui.

August.

Christus in resurrectione Lazari, ante omnia lacrymatus est, Symbolum contritionis ante confessionē peccatorū.

tritionem, si à culpæ cupit resurgere sepulchro, ad vitam gratiæ; quare Ambr. lib. de Ioseph. c. 10. *Turbauit se spiritu, cum Lazarum resuscitaret, vt priùs lacrymis suis, mortui delicta lauaret*; sic enim in resurrectione Lazari emisit lacrymas, vt pro peccatis nostris, in signum contritionis, lacrymas effunderemus, vt idem Ambr. vt supra: *Dominus fletibus Mariæ, ad fletum prouocatur, vt nobis daret exemplum.*

Ambr.

Ambr.

6 Ad cælestis vitæ gloriam, nos inuitans Regius Propheta, modum illius consecutionis aperit, dicens Psal. 99. *Introite portas eius in confessione:* Et quæ nam erunt hæ portæ, per quas ad salutem intramus? si solum per Christum intramus, & Christus vna tantum porta est, vt ipsemet testatur, Io: 10. a. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur*, quomodo plures assignantur portæ ad confessionem? sed dicamus, Christum esse ostium, & in eodem etiam plures inueniri portas: est ostium per fidem, vt Caietanus hic ait: *Si quis per fidem in me introierit*; & plures etiam in eo sunt portæ, per quas ad eum ingredi debemus, per peccatorum confessionem; & quæ erunt hæ portæ in Christo? huius vulnera: Ad cuius veritatis manifestationem, voco illum locum, hic, Cant. 2. d. vbi dicitur: *Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*; & quæ nam erunt ista foramina petræ, & cauerna, nisi vulnera Christi? vt ait D. Gregorius ibi: *Perforamina autem petræ, vulnera manuum, & pedum Christi, in cruce pendentis, libenter intellexerim, cauernam verò maceriæ, vulnus lateris*: ecce portæ sanctæ, per quas ad salutem animarum nostrarum, intramus, & quidem per peccatorum confessionem; quod vt nobis

Confessio est porta, p quam intramus in cælũ.

Quomodo Christus dicatur nostræ salutis ostiũ, & in eo plures sint portæ.

Caiet.

Greg.

clariùs pateat, alium scripturæ locum adducamus Luc. 2. e. dicitur de Christo: *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*: Christus signum fuit Iudæis, in quem eorum crudelitatis tela collimarunt, in crucifixione vulnera inferentes; modò ad nos, ad quid huiusmodi pœnæ, & vulnera? audite, ait textus citatus: *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*. Luc. 2. quæ quidem reuelatio, non fit, nisi per sacramẽtalem confessionem Deo, vt Orig. hom. 17. *Cogitationes malæ erant in hominibus, quæ propterea reuelatæ sunt*; & paulò post subdit: *si enim reuelauerimus peccata nostra, non solum Deo, sed his, qui possunt mederi vulneribus nostris, delebuntur peccata nostra*; ecce igitur vulnera Christi, portæ, per quas per confessionem ad Deum intramus; Cum igitur hæ portæ sint angustæ, per has gemitibus, suspirijs, & media contritione, ad animæ nostræ salutẽ per confessionem ingredi debemus, vt D. Hieronymus, in Psal. 99. dicitur: *Has portas nemo potest ingredi, nisi peccata confitendo purgauerit*: quibus verbis, confessio, & huius antesignana contritio nobis exprimitur, dum inquit: *purgauerit*: purgatio enim, vt in pluribus, fit per pharmacum, quod nauseans, & amarum est; sic confessionis medicina, nauseans est, ob peccatorum detestationem; amara in conscientiæ examine, & in peccatorum recordatione, vt Isaia. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ*; sic confessionis medicina, ad animæ salutem, præscribitur, secundum illud Is. 61. *Spiritus Domini ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, vt prædicarem captiuis indulgẽtiam, & clausis aper-*

Vulnera Christi, portæ sunt, per quas ad salutem intramus, per cõfessionem.

Orig.

Hieron.

Confessio, medicina, & qualis esse debeat, ad animæ salutem.

apertionem. Ecce contritio, cui subsequitur confessio. Sic: *Concocta mederi &c.*

7 Et vt nobis pateat, quatenus à suo antesignano, contritionis videlicet, Confessio ducatur, dicitur Luc. 13. f. *Contendite intrare per angustam portam*; Hæc porta confessio est, vt Albertus Magnus, ser. in die Cin. ait: *Confessio est porta, per quam intrant animæ in Paradisum*: sed quomodo angusta, nisi quia ab indiuiso contritionis associatur comite? sicut enim quis per angustam portam ingrediens, tristatur, cruciatur, dolet, gemit; si corpore obesus, attenuatur, & sæpè intrare volens, excoriatur corpus; sic per portam confessionis ad cælum ingredi, sibi gloriosè in animum inducens, necesse est, vt per angustos contritionis peccatorum, & angustiarum sibi aditus, aperiat, peccata sua defleat, eum culparum pœniteat; attenuetur ieiunio, qui crapularum ebrietatum, & sensualium voluptatum, obesitate distendebatur; excorietur, quandoque disciplinarum flagris.

Albert. Magn.

Quomodo confessio, sit porta augusta, ratione cótritionis.

8 Cum primum Petrus, Christum negauit Magistrum, hic, statim in eum suę diuinę misericordię oculos conuertit ad huius conuersionem, vt Luc. 22. *Respexit Dominus Petrum*; Illius oculi veluti gemini soles, culpa obnubilati Petri cor irradiantes, hunc ad sui maximi erroris agnitionē pertraxere, qui diuinæ gratiæ illustratus lumine, pœnitentiæ viam carpens, pedes in fugam conuertens, statim foras extra atrium, vbi deliquerat, & Christus aderat, processit; vt Luc. 22. dicitur: *Egressus est foras, & fleuit amare*. Sed hic quærit D. Ambrosius, cur Petrus Christi præsentię non astitit pœnitens, ad diuinam misericordiam implorandam, ad delicti sui veniam impetrandam, sicut diuinæ gratiæ fuit affulsus lumine, ad peccati sui grauitatem agnoscendam, & ponderandam? cur se diuinæ pietatis præsentiæ subtrahit; à viuo fonte diuertit; vt diuinæ gratiæ aquam hauriat, & veniæ peccati sui poculum degustet? Quis, vt à morbo curetur à medico recedit; cur, vt ad pœnitentiam inflammetur à diuino misericordiæ igne se elongat? vt veniam petat, à veniæ largitore discedit? sed hoc ideò egit Petrus, vt suo nos exemplo edoceret, qui in Ecclesia Caput futurus erat, priùs à nobis esse peccata contritionis calore concocta, piè deflenda, quam veniam in confessione petendo, absolutione euacuanda; secundum illud Is. 61. *Vt mederer contritis corde*; quare Ambr. in Luc. 22. ait: *Inueni, cur tacquit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet: antea flendum quam petendum*.

Petrus eius culpa, nos, prius flendum, quam veniam in confessione petendum, docet.

Ambr.

APHORISMVS VIGESIMVSTERTIVS.

Deiectiones, non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciantur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Atq; vbi vsq; ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

EGIT in immediatè antecedenti aphorismo Hippocrates, de materię qualitate, per pharmacum euacuanda, quæ scilicet cocta, non cruda esse debet, & qualiter medicus debeat medicamentum purgans, non in principio morbi, nisi turgens vrgeat adhibere; In præsenti vero agere intendit, de quantitate euacuandæ materię, quauis via, & in quouis euacuationis genere, fiat, quæ non consideranda est, secundum quantitatem excretorum, sed ab ægri viribus, mensura desumenda; ideò ait: *Deiectiones &c.*

Medicina corporalis. Galen.

Quantitas humoris euacuandi, certa cognitione, ex multitudine deiectionum haberi non potest, sed secundum Gal. 9. Meth. 10. metiri debet, iuxta virtutis tolerantiã; & sicut, pro qualitate morbi, molestum humorem euacuare conuenit, sic quantitatem euacuationis, humoris vexantis copiæ, corresspondere par est: ait igitur: *Deiectiones &c.* hæ deiectiones, siuè euacuationes, intelliguntur non solum illæ, quę à natura, quam illæ quæ, ab arte, & ope medici sunt intentę; quæ non à quantitate excretorum sunt attẽdendæ, *Sed si talia deijciantur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant.* Talia igitur deijciuntur qualia oportet, ait Io: Marinellus hic; si excrementa deiecta correspondent naturę morbi ægrotantis, anni temporibus, & regioni, vt in aph. 2., Vel secundum Gal. si redundans vacuatur humor, & qualia oportet, & cũ Euphoria, idest ferendi facilitate, euacuantur, quod in textu sequitur; & vbi conuenit, ad lipothymiam ducere, quę vacuatio, vsq; ad animi defectum, remedium est præstantissimum, in tribus, nempe in maximis inflammationibus, in febribus ardentibus, & vehementissimis doloribus, quæ euacuatio facienda est integris viribus.

Quantitas euacuationis, humorũ peccantium copiæ debet correspondere.

Io: Marinell.

Qualitas euacuandorũ humorum, quæ sit. Galen.

Ordo medicinæ spiritualis.

In antecedenti 22. aphorismo, egimus de euacuatione humorum excedentium, scilicet peccatorum, quę fit, per pharmacũ absolutionis, in confessione, à spirituali medico, hoc est à confessario, & de materia, huic remota confessionis, quæ sunt peccata, quæ calore contritionis cocta esse debent, non cruda, hoc est sine dispositione, neque in principio, hoc est sine debito præuio conscientiæ examine, & futurę emẽdationis proposito, modo materia, nõ sit turgens, propter aliquod mortis imminens periculum; tunc enim

non omnia, neceſſariò ſunt obſeruanda. In præſenti modò agimus apli., de quantitate deiectionum moralium, hoc eſt operum pœnalium, quę per pœnitentiæ pharmacum, ab ægro peccatore euacuāda ſunt, ad perfectam animæ ſalutem; quæ moralis euacuatio, ab ægrotantis ſpiritualis virium menſura, deſumenda eſt.

Medicina ſpiritualis.

Deiectiones non multitudine ſunt æſtimandæ: iſtę deiectiones, & moralia excrementa, intelligi poſſunt opera, per ſe moraliter bona, vt potè eleemoſynę, quæ excrementa dici poſſunt; ſunt enim de ſuperfluis diuitiarum, vt Luc. 11. vbi dicitur: *Veruntamen, quod ſupereſt date eleemoſynam*; quę quidem animæ ſaluti proſunt, vt Prou. 15. *Per miſericordiam, & fidem purgantur peccata*; & Sap. 7. a dicitur: *Et tanquam lutum æſtimabitur argentum*; denique omnia temporalia bona, ad animæ ſalutem ordinata, morales deiectiones vocari poſſunt, ad eiuſdem purgationem, vt ad Philipp. 2. b. *Omnia arbitror vt ſtercora*; vbi Hug. Card. *Temporalia enim ſtercora hirundinum, dicuntur*. Et poſſumus has morales deiectiones extendere etiam ad pœnitentiæ lacrymas, quæ ab homine funduntur pro culpis, & orationes, quæ ſæpe ſunt ſupererogationis bona; item ieiunium, quod eſt peccantium humorū corporalium quoq; & ſpiritualium ſcilicet peccatorum inanitio, & euacuatio Vel iſtę deiectiones intelligi poſſunt tribulationes, & pęnæ vt Pſ. 72. *Deiecisti eos dum allenarentur*. Et 2. Cor. 4. *Deijcimur ſed non perimus*, quia non ſolum quæ ſponte, & voluntariè à pecatore aſſumuntur .ſ. illud Pſ. 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi*, vt diximus, iſtę morales deiectiones conſiderandæ ſunt operum pœnalium, ſed quæ à celeſti, ſiuè ſpirituali medico, ad animæ noſtræ ſalutem, præſcribuntur, iuxta illud Pſ. 38. b. *Quoniam tu feciſti, amoue à me, plagas tuas*. Deiectiones igitur iſtę morales, quæ euacuationes ad purgationem animę conducunt, & ordinantur, quoquo modo, non præcisè ſecundum multitudinem, & materialem quantitatem attendendæ, & conſiderandæ ſunt, v.g. ſi ſpiritualis æger multas elargitur eleemoſynas; multum orat; multa in ſe bona opera facit; tribulationes ſuſtinet; *Sed ſi talia deijciantur qualia conueniunt*; ſi redundans culparum humor, euacuatur; ſi peccati morbo, & ægri ſpiritualis naturæ correſpondent huiuſmodi pœnalium operum deiectiones: vt potè ſi eleemoſynas, quas pauperibus elargitur à charitate promanant, ordinātur ad auaritiæ morbum curandum, an ad hypocriſim: ſi multum orat, humilis, ad peccatorum veniam implorandam tendit vt Publicanus; vel ad ſuperbiam, & inanem gloriam, vt Phariſæus; ſi pœnitentiæ opera multa facit, vt pro ſuis, ſatisfaciat culpis. *Et ægri facilè ferunt*; ſi ſpirituales ægri facilè ferunt operum pœnalium aſperitates, pro amore Dei, & pro ſuarum culparum expiatione, vt 2. Cor. 12. c. *Libenter gloriabor in infirmitalibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti*, & ad Rom. 12. c. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*; ſi multas lacrymas emittit, pro dolore peccatorum, & prę cordis contritione, vel pro bonorum tēporalium amiſſione, quia ait B. Laur. Iuſt. de orat. c. 7. *Tantūmodum flendum eſt aut pro paradiſo amiſſo, aut pro peccato commiſſo*. Hæ igitur morales operum pęnalium deiectiones quomodocunque fiant, dummodo peccati humor excedens euacuetur, debēt vſque ad lipothymiam ducere, vbi con-

Eleemoſynę, moralia excrementa, quomodo dicantur.

Hug. Card.

Quæ, morales deiectiones poſſunt vocari.

Qualitas, moralium euacuationū.

Laur. Iuſtin.

Quæ ſunt, quæ vſq; ad deliquium, euacuanda, expediunt.

conuenit ideo dicitur: *Atque vbi, vſq; ad animi defectionem, expedit ducere, faciendum; ſi æger poſſit tolerare*. v. g. malè ablati reſtitutionem facere, vt expedit pro ſalute animæ, vſque ad animi deliquium, vſque ad vltimum quadrantem, dummodo poſſit viuere ſecundum illum ſtatum, in quo primò erat ante vſurarum voraginem. Vel bona temporalia, & corporalia pro amore Dei, ad animæ ſalutem expendere, vt dicitur Matth. 19. c. *Si vis perfectus eſſe vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælo*. Vel etiam omnes ſuſtinere pænas, pro poſſe, dummodo culpæ quantitas tota euacuetur, & purgetur culpæ reatus, ſecundum quod ad animæ ſalutem conducit. Vel vſque ad animi defectionem etiam incluſiuè dicam ego, hoc eſt vſque ad mortem pro Sancta Fide, ad euacuationem hæreſum, pro amore Dei, & Sanctæ Eccleſiæ honore, vſque ſanguinem profundere pro non temporali, ſed æterna animæ ſalute; vt Petrus dicebat Luc. 22. d.: *Domine tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire*; & vt Eccleſiaſt. 4. *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia*. Ex quibus paragrophos depromemus.

Vſque ad deliquium, voluntaria Auctoris expoſitio, pro fide catholica, vſque ad martyrium.

Deiectiones, non multitudinæ æſtimandæ ſunt, ſed ſi talia deijciantur, qualia conueniunt. tex.

§. I. Opera moralia, etiam pænalia, non ſimpliciter ſecundum quantitatem, ſed ſecundum qualitatem, vt ad peccatorum purgationem, & animæ ſalutem conferunt, eſtimanda.

Et ægri facile tolerant. tex.

§. II. Pænitentiæ, ſiuè tribulationum, pro amore Dei voluntaria tolerantia, ad animæ ſalutem conducit.

Atque vbi, vſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare. tex.

§. III. Quantum fieri poteſt, ad animæ ſalutem peccatorum purgationi, pœnitentia inſiſtendum.

Atque vbi, vſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare. tex.

§. IIII. Ad animæ ſalutem, etiam pæna mortis, prout expedit, pro Domino ſuſtinenda.

Deiectiones, non multitudinè æſtimandæ ſunt, ſed ſi talia deijciantur qualia conueniunt. tex.

§. I. Opera moralia, etiam pænalia, non ſimpliciter, ſecundum quantitatem, ſed ſecundum qualitatem, vt ad pec-

catorum purgationem, & animæ salutem conferunt, æstimanda.

Albert. Magn. 1 ALbertus noster, non solum sapientia, sed, & sanctitate, Magnus, dicebat: *Non meremur verbis, sed aduerbijs*: & quænam erunt verba, & merendi aduerbia? verba in primis, dici possunt sermones, & dicta tantum, quę vix prolata euanescunt, iuxta Prouerbium: *Verba volant, scripta manent*: Verbis igitur, idest simplicibus dictis, non meremur; sicuti Saluator dixit, Matth. 7. c.: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine Domine, intrabit in regnum cælorum*; vt bene explicat D. Hilar. in Comment. 7. Matth. *Nunquid*, inquit, *Dominus non erit, nisi fuerit dictus à nobis?* Vel secundo, verba dici possunt, non simpliciter dicta, sed quæ coniugantur, modis, & temporibus variantur; vt potè opera in se moraliter bona, peccatoris tamen; & opera pænalia, quæ ex contriti cordis fonte non promanant; hæc verba, & nomina tantum dici possunt; quia opera mortua sunt, & nullum apud diuinam clementiam, meriti effectum sortiuntur, vt D. Thom. 4. sent. dist. 17. quęst. p. a. 2. q. 2. ad primũ, vbi ait: *Quod opus meritorium, non potest quis facere in peccato mortali existens, Deo acceptum; opus verò morale, quod est bonum ex genere, & ex bona intentione factum, potest etiam fieri à peccatore in peccato mortali existente, sed tantum opera mortua sunt*; & sic sunt tanquam non essent, & propterea, verba simpliciter sine merito dici possunt, quare licet plurimum ieiunet peccator, orationes multiplicet, plures eroget eleemosynas pauperibus, quia peccatores Deus non exaudit, sic verba dicuntur; tum etiam, quia si orat quis potest esse, vt ad inanem gloriam, suas dirigat orationes; si eleemosynas elargitur, vt ex malitia, & malo fine, vt potè, vt adulteretur, hoc agat: his itaque verbis nullatenus mereri possumus. Aduerbijs igitur meremur, & quænam erunt hæc aduerbia? Aduerbium Grammatici vocant, quod verbo adhæret: Aduerbia sunt, verè, piè, iustè, purè, sanctè, & fideliter, & huiusmodi, quæ si bonorum operum verbis adiungemus, profectò apud Deum promerebimur; vt potè, verè pœnitendo, piè eleemosynas erogando, fideliter confitendo, purè orando; quare Apostolus, hoc insinuare videtur 1. Cor. 13. a. qui ait: *Si linguis hominum loquar, & angelorum; si habuero prophetiam; si nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam*; ecce verba, seu nomina, quæ dicta tantum sunt: veniamus modo ad ea verba, quæ non casu declinantur, sed quæ, modo, tempore, & coniugatione, variantur, quæ vt in pluribus, facta, & operationes important, & resonant, ideò subdit Apostolus ibi: *Si distribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas; & tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ecce verba merendi: Verum si his verbis, aduerbia recensita, quæ charitati copulantur, imò identificantur, vt sunt piè, iustè, & huiusmodi non adiungentur, nihil animæ proderunt saluti; imò, vt ait D. Thom. 1. 2. q. 65. a. 2. c. *Ipsæ virtutes aquisitæ sine charitate, quæ est forma omnium virtutum, non simpliciter sunt virtutes, sed secundum quid dicuntur*.

2 Verba nomina, & opera, sine aduerbijs, virtutum, & charitatis, quæ est principium merendi, & cui attribuitur principale meritum, vt

D. Th.

Marginalia: Prouerbiũ. — Quomodo intelligatur, quod non meremur verbis, sed aduerbijs. — Hilar. — Duplex verbum, quod ore profertur, & grãmaticũ, verba, & facta, importans. — D. Thom. — Quę sint aduerbia, quibus meremur. — Verba, vt potè dicta, & opera, aduerbijs, quo modo copulanda. — D. Thom. Sine charitate, nõ simpliciter virtutes dicuntur.

D. Thom.

Verba, idest dicta, & facta Pharisæi, quomodo cum aduerbijs, non fuerint associata, meriti sibi nomẽ, non asciuerint.

Hug. Card.

D. Th. 1. 2. q. 114. a. 4. erant dicta, & facta illius Pharisæi, de quo Luc. 18. dicitur: *Pharisæus stans, hæc apud se orabat*: quia aduerbijs præcipuè, huic, *humiliter*, non erant associata; ideò illius operum, & orationum meritum, deperijt; quia videlicet non humilis se Deo, Deum orando, subijciebat, sed *stans* suam ostẽtabat superbiam, vt Hug. Cardin. hic ait: *Ipse situs corporis, exprimebat elationem mentis*; cum alioquin oratio, deberet esse humilitati associata; ait igitur textus Luc. 18. *Pharisæus, stans, hæc apud se orabat: Deus tibi gratias ago, quia non sum, sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri*: ecce orationis verba: ecce grati animi in Deum argumenta; & tamen reprehenditur, & reijcitur inde à Deo. Et quomodo oratio, quæ nos Deo vnit, Pharisæum à Deo seiungit? quomodo gratiarum actio, quæ ad maiora beneficia recipienda, hominem capaciorem reddit, à Deo beneficiorum omnium collatore, & remuneratore repellitur? si gratias agere desijsset meritò culpæ obnoxius extitisset; quomodo ergo gratias agendo, velut ingratus reprobatur? Ad hæc respondet D. August. de verb. Domini, quia his verbis orationum, & gratiarum actionum, quibus meremur aduerbium, hoc *humiliter*, quod est fundamentum, licet secundariũ, à charitate merendi, deerat, ideo Augst. *Quære autem in his verbis eius, nihil inuenies, quod Deum rogauerit: ascendit quidem orare, noluit Deum rogare, sed se laudare, & roganti insultare*. Sed etiam accipiendo verba, pro operibus, & factis, adhuc, & hæc aduerbijs carebant; nam dicebat, vt Luc. 18. *Ieiuno bis in Sabbato; decimas do omnium, quæ possideo*, & tamen ieiunij meritum, reprobatus is non

August.

Verba Pharisæi, etiam pro operibꝰ accepta, licet bona in se, quare à Deo repudiata.

assequitur; eleemosynarum, iustitiæ, & virtutum præmium non attingit, vt virtuosus, & gratus Deo, non admittitur, sed potius, vt ingratus dimittitur; non vt dignus inter iustos includitur, sed vt indignus, & reus excluditur, non vt beneuolus aspicitur, sed vt maleuolus despicitur; nec huius opera, licet in se bona, approbantur, sed vt vitiosa reprobantur; quare de Publicano, Pharisæi socio dicitur: Luc. 18.: *Dico vobis, descendit hic*, idest Publicanus, *Iustificatus, in domum suam ab illo*. Et quare hoc? si bona opera, quare vt mala repudiantur; si nullum bonum irremuneratum, sicut nec malum impunitum, quomodo ex bonis operibus culpæ reatus germinat? ratio est quia istis bonorum operum verbis, aduerbia hæc, Sanctè, piè, humiliter, fideliterq; deficiebant, tantum aduerbia, Superbè, iniquè, quæ charitati minimè consonant, adhibebat; & ad Deum non suas actiones, & orationes dirigebat, sed ad sui ostentationem extollebat; quare à meritò, meritò defecerat, vt Liran. hic. Lir. *Merita bonorum operum sibi regulariter tribuens, Publicano se prætulit*.

3 Deus enim ex qualitate affectus, bonorum operum quantitatem metitur, Luc. 21. ait tex. quod Saluator: *Respiciens vidit eos, qui mittebant munera sua, in gazophylacium, diuites; vidit autem, & quandam pauperculam, mittentem æra minuta duo, & dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plusquam omnes misit*. Sed quomodo Christus pauperculam diuitibus honore præfert; quomodo duo minuta, maximis diuitum muneribus præponderare facit, imò præexcellere? quomodo quę minus dedit, plus obtulit? Verum si diuini iudicij, quantum in nobis est arcana pe-

Qualiter paupercula, duo minuta, mittens in gazophylacium, diuitum donis antefertur.

netre-

netremus, si cęlestia facti huius mysteria rimemur, inueniemus Christum, vti cordium scrutatorem, priùs ad affectum, quam ad munera offerentis aspicere, contra hominum mores, & conditionem, qui priùs ad manus, & munera, secundariò ad affectum, vt possunt, respiciunt; cum igitur viderit hanc pauperculam, summam affectus sui, & desiderij quantitatem, actualis doni, & eleemosynæ paruitatem associari, & ex desiderio magno dandi; datum minimum, summo prætio computat, & pro maximo munere ducit, & compensat; quia, quod alij diuites, ex superfluis fecerunt, hæc sibi ex necessarijs, ad eleemosynam erogandam detraxit, ideò ait D. Hieronymus: *Non quantum, sed ex quanto desiderio dederis, considerat Deus*; & plus meriti, & honoris apud Christum promeruit, quia verbo huic, duorum minutorum, quæ obtulit aduerbium *verè* adiunxit, vt clarè Christus intulit dicens Luc. 21. *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit*: vbi egregiè ad rem nostram Hugo Cardin. ait: *Aduerbialiter, idest copiosius, idest ex maiori affectu*.

Hieron.

Viduæ illius duo minuta oblata, quomodo, clarè aduerbijs copulata.

Hug. Card.

4 Petrus à Christo vocatus, & in Apostolorum Collegium primus cooptatus, quadam die, ad Saluatorem conuersus, in hæc verba erupit, vt Matth. 19. c. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Vix ad Christi seruitutem, & societatem accedit, & statim suæ seruitutis, & societatis mercedem, & præmium postulat; Sed Petri quæso si libet parumper verba scrutemur; ait: *Ecce nos reliquimus omnia*; & quęnam erunt hæc omnia? si omnia reliquit, ergo omnia possidebat; quia non relinquitur, nisi quod prius possidetur, si omnia possidebat, ergo magnus Rex; non igitur cum fratre, pauper piscator erat; si piscator erat, quomodo se omnia reliquisse exponit, Christum sequendo? quare meritò, ait Chrisostomus in hom. *Qualia omnia, ò Beate Petre, arundinem, rethe, nauigium?* nunquid ædicula pro magnificis palatijs, rethe vetustum, & refectum, pro regno, ars piscatoria, pro regimine computatur populorum? nauigij quęstus, & exiguum lucrum, pro regio ęrario, & potentium prouinciarum æstimabitur tributo? quare Greg. in Euang. ait: *Vterque iste piscator, quid, aut quantum dimisit, qui penè nihil habuit?* sed difficultati, & obiectioni respondet tādem, & satisfacit idem Greg. vt supra, dicens: *Affectum hic debemus potiùs pensare, quam censum; multum reliquit, qui sibi nihil retinuit; multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit*. Reliquerunt igitur omnia, quæ licet parua, vt maxima sibi ducebant; reliquerunt omnia, quia cum paruo, quod re dimiserant, etiam affectum totum habendi, & possidēdi pro domino reliquerant, & si domini orbis terrarum fuissent, pro Domino etiam omne dominium despexissent: reliquerunt omnia, quia Deus, qui cordis affectum ponderat parua pro maximis sibi collata rependit; quare Origen. vt in Cat. Aur. D. Th. Matth. 19. ait: *Et si minima, cum fratre reliquit, sed non minima æstimata sunt, apud Deum considerantem, quoniam ex tanta plenitudine dilectionis, illa maxima reliquerunt, vt etiam si multas habuissent possessiones reliquissent*; & ideò benè etiam D. Hieron. super Matth. ait: *Apostoli quantum ad diuitias nihil, quantum ad voluntatem totum mundum reliquerunt*.

Quomodo Petrus dicit, se cum fratre omnia reliquisse, quę sint hęc omnia.

Chris.

Greg.

Greg.

Omnia dicitur reliquisse Petrus quia ad affectum eius respiciendū, qui totum, licet parum, deseruit, explicatur.

Origen.

Hieron.

5 Et quod pro magno, parum

ducat

Partem datam' sibi ex affectu, pro toto côputat sibi datum; hoc in D. Martino patet.

ducat Deus, quod sibi ex affectu ceditur, & ex corde quis largitur; attẽdamus ad D. Martini historiam. Cum Christus in forma pauperis, vel pauper in persona Christi, secundum illud Matth. 25. *Quod minimis meis fecistis, mihi fecistis*, rigidissimo hyemis tempore, D. Martino nudus obuiam venisset; & à transeuntibus misericordiam exposcens, ab alijs despiceretur, hunc, sibi misericordię meritum reseruari cælitus, intellexit Martinus, qui cum præter arma, & simplicem militię vestem, nil aliud haberet, arrepto è vagina ferro, quo erat pręcinctus, clamidem, fraterna motus charitate sibi, & pauperi diuisit; & media sibi retenta, alteram ad pauperis nuditatem tegendam, reliquit. Nocte igitur sequenti vidit Martinus Christum hac clamidis parte indutum, & clara voce percepit Angelorum multitudinem dicentium: *Martinus adhuc cathecumenus hac me veste contexit*; iuxtà illud Ecclesiast. 31. *Et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.* Sed quomodo se Martini veste indutum, angelorum præconio, asserit Christus, qui vestis partem tantum recepit? quomodo pars vestis, vestem conficit? quomodo eam partem dedit, quam sibi Martinus retinuit? quomodo pars pro toto compensatur? verum quia dantis affectum respicit Deus, ideò parum re datum, magnum ex voluntatis reputat, & vt acceptum, compensat, affectu; & partem pro toto se recepisse ducit, & gaudet ab eo, qui partem ex necessitate sibi retenta, totum dedit affectu, sic in parte vestis, integram vestem, se in paupere recepisse fatetur; ideò Hug. Card. super Matth. 21. *Martinus*, ait, *dedit dimidiam clamidem, & Dominus totam vestem sibi datam refert.*

Martini veste, se indutũ Christus dicit, licet partem tantum vestis, in paupere recepit.

Hug. Card.

Et ægri facilè tolerant. tex.

§. II. Pœnitentiæ, siuè tribulationum, pro amore Dei voluntaria tolerantia, ad animæ salutem, conducit.

1 CVM Saluator noster ad probaticam illam piscinam, quę Hierosolimis erat diuertisset, vbi multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, & aridorum, expectantium aquæ motum, degebat, vt Io. 5. in vnum triginta, & octo annorum, languoris infirmitate detentum, oculos conuertens ait, Io. 5. *Vis sanus fieri?* & quid aliud quærit, & petit infirmus, nisi à se morbum expellere, pristinæ reddi incolumitati? & propriam reparare salutem? & quare in hunc potiùs, quam in alium suæ diuinæ misericordię, ad salutem languẽtis Christus dirigit oculum? Viam nobis ad solutionem difficultatis sternit, idem Euangelista, loco citato Io. 5. dum ait: *Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quod iam multum tempus haberet, dicit ei; vis sanus fieri?* non casu à Saluatore nostro, qui Patris Sapientia incompręhensibilis, & insuperabilis est, & omnium intima cordium secreta rimatur, gestum esse arbitremur; neq; , vt huius languentis voluntatem, & desiderium edisceret, qui omnia nouit, interrogauit, sed vt Magister noster, nos patientiæ virtutem edoceret, vt disceremus, & sciremus, quod voluntaria passionum tolerantia, ad animæ, & corporis salutem conducit; ideò in hunc languentem diuinæ pietatis oculum dirigit, manum superni auxilij ad salutem admouet; quia videt hunc triginta, & octo annorum, languorum suorum mole-

Passionum voluntaria tolerantia, diuinam misericordiam interpellat, vt in languido &c.

molestiam sustinentem, singulis annis à morbo eripi sperantem. Quare Chris. hom. 36. ait: *Non hoc quarit vt discat, sed vt ostenderet istius patientiam, qui triginta, & octo annos habens, per vnum quemque annum, eripi ab agritudine expectans, assidebat, & non desistebat.*

Chris.

2 Dum, inter in eum ruentium populorum, & crepitantium lapidum, seu obstrepentium saxorum impetus, Prothomartyr Stephanus consisteret, pro fide catholica, pro qua strenuè decertabat, Spiritus Sancti rore perfusus, in cælum, & fidei auctorem, oculos dirigens, in quo iam interna eius mentis acies, quiescebat, regna sibi cœlestia patere conspexit, vt Act. 7. g. *Stephanus autem, cum esset plenus Spiritu Sancto, intendens in Calum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*; quare vocem in iubila tonans, & in futura gaudia resonans, ait Act. 7. g. *Ecce video Calos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei*. Sed quomodo Stephano aperti sunt cæli, & gloria Domini illi conspicua fuit? cum cæli incorruptionis signaculo claudantur, vt Iob. 37. c. ait, quod: *Solidissimi, quasi are fusi sunt*; & quomodo vidit gloriam Dei, cum in humanis constitutus Deum minimè videre, nec diuinam, oculus corporeus, valeat attingere maiestatem? vt D. Th. p. p. quæst. 12. a. 8., si nondum Stephanus certamen inierat, & pugnæ agonem consumauerat, quomodo oculus eius, vel mens ad æternę gloriæ præmium conspiciendum conuolarat? Huic difficultati satisfacere quærit Hug. Card. hic, dum ait: *Vidit visione corporali, sicut in corruscatione videtur signum diuisionis in calo, non tamen est. Vel spirituali, vel etiam ex parte instrumenti videndi, quia Dominus aperuit oculos eius, vt posset videre vltra etiam, sine apertione facta in calo*; Sed quod satius est, Vidit gloriam Dei, vt nobis sensum aperiret ad intelligendum, quod qui voluntariè pro amore Dei sustinet passiones, gloriæ præmium forè consecutum, & corpore pressum, sciret spiritu cælestibus esse consolationibus, recreandum; quare addit idem Hug. Card. *Vidit gloriam, vt tribulatus carne consolaretur spiritu, & videt calos, idest in ipsa passione, pramium videt; vt qui terrenam vitam pro Christo contempsit, sciat se meruisse calestem*.

D. Stephanus in cęlum oculos dirigés, lapidatus, vidit Christum, & quomodo.

D. Thom.

Hug. Card.

Quomodo, Stephanus viderit gloriam Dei.

Hug. Card.

3 Sed notate, quod ait Stephanus, non solum Cælos apertos gloriam Dei, sed & Iesum stantem à dextris Dei se vidisse. Sed quomodo vidit Iesum stantem? & quare non sedentem, vt exponit Dauid de Verbo Diuino Ps. 109. a. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*? & clariùs etiam Sancta intonat Ecclesia in Apostolorum Symbolo de Christo, de quo, ait: *Ascendit in Calum, sedet ad dexteram Patris*? Sed dicamus vidisse Iesum stantem, vt Stephanum animaret ad bellum, quem iam inuitarat ad præmium; vel stantem, vt se Saluator ad salutem ostenderet paratum, & ad diuini auxilij suppetias, ferendum illis, quos ad fortiter pro diuino amore perferendos labores promptos, & dispositos conspexerat. Sed quomodo videt Iesum Stephanus? nunquid triumphali amictum veste, qui victoriam resurgendo ab inferis reportarat; qui triumphator ad Cælū conscenderat; qui mortis iura dissoluit; qui Inferni claustra disrupit; qui tartareas fugauit legiones? nequaquam; vidit Iesum crucifixum, qui verum se patientiæ exemplar nobis præbuit in cruce, vt in hunc voluntariè patiens respiceret Stephanus, vt ad Hebr. 12. a. *Aspicientes in auctorem fidei*

Quomodo Stephanus vidit Iesum stantem, non sedentem.

Stephanus, vidit Christum crucifixum in gloria.

fidei, & conſumatorem Ieſum; ne in fidei glorioſo certamine titubaret, ſed fortiter, & viriliter pro Chriſto dimicaret; pro veritate contenderet; pro fide vſque ad mortem certaret, vt Bed. apud Gloſ. in Act. Apoſtol. 7. ait: *Ad confirmandam martyris patientiam, Cælum panditur; ne homo lapidatus titubet in terra, crucifixus apparet in gloria.*

Bed.

4 Potiora beneficia, quæ ex paſſionum tolerantia voluntaria deſumimus, ex patientiæ promptuario, & exemplari deducere poſſumus, ſcilicet ex S. Iob, de quo Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. ait: *Iob propter inſignem continentiam, & fidem eximiam, vt qui pauper quidem ex diuite; ex illuſtri, abiectus; ex pulchro deformis; ex ſano, morbidus factus ſit, eſt nobis præclarum exemplar propoſitus, pudore afficiens eum, qui tentauerat, benedicens ei, qui firmauerat.* Tale exemplar patientiæ nobis etiam imitandum, proponit D. Ambr. ſer. 64. qui ait: *Exemplum planè, quod non debemus animo deijci in aduerſis, habemus magnificum inclinari in triſtibus pœnitus neſcientem, qui omnem diaboli violentiam, veluti torrentis cuiuſdam aduerſus ſe turbinem venientem, immobili corde, & inconcuſſa mentis viuacitate ſuſcipiens, tanto clarior ex tentationibus factus eſt, quanto difficiliora, & pericoloſiora ei ſunt ab inimico intenta certamina*: Sed antequam victoriam conſolationum huius Sancti canamus, paſſionum certamen, examinemus prius. Adeò vir iuſtus fuit, & verax, vt ipſius Dei teſtimonio, talis fuerit comprobatus, vt non auderet Infernalis hoſtis, in eum, niſi à Deo iuſſus, certamen tentare, prælium inire: quod horrendum, totis intonans armis, miniſtriſque inſuper ſuis, in auxilium concitatis, terribili increpans tuba, prædonum corda face furiali ſuccenſa, impetibus crebris, paſſim totas hominis Dei facultates inuadit; ſubito rapina, igne, ferroq; vniuerſa vno momento diſperdit: hinc Iob, alta fidei radice robuſtus, tot nuncijs lugubribus tunditur, non mouetur, ſed tantum benedicit Deo, & facultates ſuas contemnendo, cuſtodit: At vbi Diabolus aggreſſionibus tantis, nihil ſe profeciſſe cognoſcit, omnem impietatis ſuæ rabiem, in filios eius effundit; nam cum ſolito more, vnanimes vna epularētur in domo; ſubito concuſſis toto nixu, quatuor angulis eius in confuſam molem parietibus, tectiſque labentibus, illam ſanctiſſimam fratrum cohortem ſepelit, antequam iugulet; quæ dum cibum capit, cibus efficitur mortis; & triclinium vertitur in ſepulchrum. Huius infauſti excidij nuncio recepto ſeruus Dei, ſidit veſtimenta ſua, vt expeditius cum hoſte pugnaret: contempſit denique in perditis facultatibus diuitem; in amiſſis liberis, diſſimulāuit patrem, in pœna ſui corporis, iuſtum; namque à ſummo capitis vertice, vſque ad imos vngues pedum, plaga inimici percuſſus, populoſis vlceribus non diſtinctus eſt, ſed totũ vnum vulnus factus; quare, ait Zeno ſer. de Iob: *Veruntamen in his omnibus, nihil aduerſus Deum improbè loquitur, non vxori illicita ſuadenti ſuccumbit, At non immiſſis inſultibus cedit, ſed victor crudelitatis, & impietatis in ſterquilinio fœtido ſcaturiente vermibus, ſedet, quia nihil paſſus, ſed ſolo Dei timore contentus.* & ecce victorię cõſtans in patientia triumphũ canit; beneficium, quod à Deo inde recepit; quare idem S. Zeno vt ſupra ſubdit: *O fœlix vir, qui mira patientia Deum promeruit, vicit, ſanitatem recepit, facultates, liberoſq; ſuos nõ perdidit, ſed mutauit.*

Clem. Alex. Ex S. Iob, patientię argumentum deſumere debemus.

Ambr.

Miſeriæ, & calamitates quas à diabolo paſſus eſt Iob, recenſentur.

In ruina domus, filiorũ Iob ſuffocatio.

Quomodo afflictiones, & proprias pęnas ſuſtulit Iob, & victor euaſit.

Zeno ſer.

Zen.

5 De Domitiano Imperatore, refert Sextus Aurelius, quod adeò sagittarum edoctus fuerit, vt inter distentos procul positos digitos, tela transmitteret: Tranquillus etiam ait apud Off. Textor. v. Sagittarij, nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisq; pro scopo dexteram, dextræ manus palmam, eundem Imperatorem, sagittas tanta arte direxisse, vt omnes per interualla digitorum, innocuæ euaderent; verum si puer minùs stabilem manum tenebat, digiti feriebantur: Sagittarius Deus omnium Imperator dici potest, vt Abac. 3. b. *Suscitans suscitabis arcum tuum*; sagittæ, quas iacit, tribulationes dici possunt, quas in homines immittit, vt Ps. 17. b. *Misit sagittas suas, & dissipanit eos*; & Psalm. 119. b. *Sagitta potentis acuta &c.* Puer, siuè vir, qui manus extendit, est ille, qui diuinæ iustitiæ subijcitur telis; qui, si in humanarum passionum tolerantia, firmam manum tenet, sagittæ innocuę transeunt, vt Ps. 76. d. *Etenim sagittæ tuæ transeunt*, nullam nobis noxam adferentes, sed nobis potiùs proficientes ad salutem; verum si manum dimoueamus, in pressurarum patientia inconstantes, facilè diuini rigoris feriemur ictibus, quare patientiæ locum nostrum dimittere, minimè debemus, vt diuinæ iustitiæ sagittas effugiamus; quare Ecclesiast. 10. a. ait: *Si spiritus potestatem habentis, ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*; & D. Ambr. de offic. lib. 1. cap. 21. tom. 4. explicat hunc locum esse patientiam: *Si preuenerit*, inquit, *& praeoccupauerit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum tuum; locus tuus patientia est; locus tuus sapientia est; locus tuus ratio est; locus tuus sedatio indignationis est.*

Off. Textor.

Historia Domitiani, in sagittandi arte mira dexteritas.

Si constantes in patiētia, diuini rigoris euitabimus tela.

Ambr.

6 Debemus adamantis, non arenæ naturam imitari; hæc enim facilè dissoluitur, ille malleatoris ictibus resistit, & non infringitur, vt Chris. hom. 35. ad pop. ait: *Arenæ spontè rumpuntur, adamas verò, nec malleis cæsus infringitur; ita ergo qui à semetipso nō læditur, etiam si tundatur ab alijs non potest lædi.* Debemus esse sicut hericius, qui se totum scopulis adijcit, vt ab vndis non dimoueatur, sicut grues, quæ petram inter pedes retinent peruolantes, nè à ventorum turbine distrahantur; non simus ad iniurias propulsandas in vindicta præparati, sed à Deo tribulationes immissas agnoscentes, sic patienter tolerabimus. Non simus, vt canes, qui relicto percussore, ad lapidem, percussionis instrumentum, hoc emordentes ad vindictam accurrunt; vt Dorotheus de accusatione sui ipsius doctrina 7. ait: *Nos cum verbum vllum, in nos dictum audimus, canes imitamur, hi enim, si quis in eos lapidem iecerit, iaciente dimisso, lapides remordent; ità nos Deo relicto, qui nobis tribulationem huiusmodi ad peccatorum nostrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc est ad proximum currimus dicentes: quare hoc mihi locutus est?* Debemus esse vt Leo, vel Fera magna, quæ catulorum latratibus non attendit, non turbatur, vt ait Seneca lib. 2. de ira cap. 15. *Ille magnus, & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus obaudit.* Debemus esse scopuli patientiæ intrepidè stantes, sic enim persequentium turbines in nos irruentes frangentur.

Non vt arena, sed vt adamas ob constātiam debet esse, homo, patiens. Chris.

Debemus esse vt grues, nō vt canes, in tribulatione.

Doroth.

Canis ad lapidem currens, relicto percussore.

Senec.

7 Necesse est ad animæ salutem patientię virtutem exercere, secundum illud Luc. 21. *In patientia vestra, possidebitis animas vestras.* Gen. 6. Volens Deus ab vniuersali submersione Noë, vt iustum eripere

huic arcam ad salutem sibi construere præcepit, quæ ex lignis leuigatis, siuè quadratis, vt D. Chris. & D. Augustinus exponunt fabricata est: quale est lignum quadratum? quod quadratum est, in quamcunque partem dimittitur, vel iacitur semper stat. Hæc arca in qua salus nostra reponitur, Ecclesia Sancta est, vt D. August. tom. 8. in Ps. 86. col. 3. ait: *Non enim frustra, de lignis quadratis ædificata est arca, quæ nihilominus figuram gestabat Ecclesiæ*, hæc igitur mistica Ecclesiæ sanctæ arca ex lignis quadratis fidelium, ex quorum aggregatione resultat, & efformatur, construi debet, vt ad Rom. 12. b. *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*. Debemus igitur nos esse quadrata ligna per constantiam, vt à nullo aduersę fortunę impulsu deijciamur, sed vt intrepidi per patientiam consistamus; quare idem Aug. ait: *Quid est enim quadrari? Attendite similitudinem quadrati lapidis, similis debet esse Christianus, in omni tentatione sua Christianus non cadit; & si impellitur, & si qua vertitur non cadit; nam quadratum lapidem, quacunque parte verteris, stat*.

Chris. August.

Arca ex lignis quadratis, figura Ecclesiæ, & huius fideliũ per patientiam.

August.

August.

8 Per patientię stadium, ad æternæ beatitudinis brauium, nobis est currendum, vt Apost. ad hebr. 12. a. *Per patientiam curramus, ad propositum nobis certamen*, sed quomodo currendum nobis est? ne in cursu deficiamus aduersitatum timore perculsi, & vt currendi modum discamus, subdit idem Apostolus: *Aspicientes in auctorem fidei, & consumatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*. Sicut enim in qualibet arte à Magistro regulas, & methodum assumentes, ipsum imitamur; sic in Christum auctorem fidei, in tribulationum, stadio nos percurrentes, ab ipso patientiæ regulas desumentes, vt eum imitemur, respicere debemus; sicut ait Hug. Card. hic: *Sicut in artibus, & agonibus ad doctores aspicientes, informamus menti artem purissimam, virtutem, regulas quasdam aspicientes, ita & hic, si volumus currere ad Christum, aspiciamus in eum, qui est auctor fidei, & consumatorem*, vt Mich. 7. b. *Ego ad Deum aspiciam, & expectabo Deum Saluatorē*, & 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum*. Persecutionem quis patitur, respiciat in auctorem fidei, de quo Ambr. super Luc. 5. ait: *Voluit Christus deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi, vt cum sis desertus à socio proditus ab ipso, moderatè feras*. Turbaris, tristaris, quia contumelia afficeris, ad vindictam cogitas? Aspice in auctorem fidei Christum, per patientiæ campum currentem, qui vt p. Petr. 2. *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur*. Passus es damnum in bonis temporalibus, quia à crassatoribus inuasus his expoliatus es? Respice in auctorem fidei, qui cum esset omnium Dominus, omnibus bonis expoliatus cruci nudus affixus est. Recepisti alapham blasphemaris, tristaris? Respice in auctorem fidei, quot enim alaphas sustinuit pro nobis, quot audiuit blasphemias à Iudęis, & contra eum falsa testimonia congesta sunt, tamen patienter sustulit, vt Gregor. *In opere siquidem nostræ redemptionis, multa dixit, multa fecit, dira sustinuit; in verbis autem contradictionem, in factis exprobratores; & in tormentis illusores; sic à peccatoribus sustinuit cōtradictionem, & illusionem*.

Per stadium tribulationũ, ad brauium beatitudinis æternæ, per patiētia, nobis currendum.

Hug. Card.

Ambr.

In tribulationibus, ne deficiamus, in Christum aspiciamus.

Moralis eruditio.

Greg.

9 In hunc fidei auctorem, per-

ſecutus, calumniatus, aſpexit Sanctus Petrus Martyr de Verona, in Religione noſtra prima martyrum roſa, & protomartyr Dominicanæ familiæ; qui, vt ait D. Antoninus 3.p. tit. 23. cap. 6. cum mentem ſuam in cellula, oratione ad Deum direxiſſet, & ſpiritu in cælum eleuatus eſſet, ecce à cælis virgines quædam, quarum deuotione maximè affectus erat, & diuino amore incenſus flagrabat, ad eum inuiſendum conuenerunt, quibus cum colloquium interceſſiſſet, & Fratres de eodē malè audientes, hoc in reprobum ſenſum diuertiſſent, ſiniſtram opinionem de ſancto viro auſpicati, hunc vt criminoſum ad Prælatum detulerunt, apud quem cum illarum ſanctarum Virginum hiſtoriam diſſimulaſſet, ne diuinam illam aperiret reuelationem, veluti conuictum reum exilio mulctatum, ad alium Conuentum diſmiſerunt, in pœnam potiùs meriti, quam demeriti; vbi, ad Crucifixi pedes prouolutus cum oraret, lacrymarum affluentia ingruente, ſuam apud Crucifixum innocentiam exponens, quæ ab ea peccati nota, in qua accaſatus, & mulctatus, erat liber, & abſolutus, vt ipſe optimè nouerat, qui omnia videt. Crucifixus ei reſpondit: Et Ego Petre quam commiſi culpam, vt me cruci affigerent Iudæi, & tot me pænis damnarent? Tunc Sanctus vir Dei apertè intellexit in patientia ſumma, pœnas, & huius mundi paſſiones eſſe ſuſtinendas. Reſpice in auctorem fidei, ex quo deindè ſequitur præmium, & corona quam patiens libenter pro amore Chriſti conſequitur; ideò ſubditur. *Atque in dextera ſedis Dei, ſedet*; hebr. 12. vbi Hug. Card. hic ait: *Ecce brauium poſt curſum, corona poſt triumphum; honor poſt ignominiam; quies poſt laborem*; vt ad Philipp. 2. b. *Propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen &c.*

Hiſtoria D. Antonin.

Virgines e cęlis deſcendentes, ad cellam S. Petri martyris de Verona.

Pœna iniuſtè huic ſancto inflicta.

Crucifixus Diuo Petro martyri cōquęrenti, qd reſponderit.

Hug. Card.

10 Quis igitur es, vt concludamus, qui patientiam non diligis? homo es, an fera? ſi fera, hæc ſæpè dum à venatoribus inſequitur, fugam arripit, nec his obſiſtit; tū igitur inſidiantibus, & perſequentibus, dum obſiſtis, peior fera ipſa efficeris; ſi homo es, vel Chriſtianus, vel barbarus, & infidelis es; ſi barbarus ſaltem homo es, homo dicitur ab humanitate, immanitatem igitur barbaricā in vindicta dimittere debes; ſi infidelis es, vel ſapiēs, vel inſipiens es; ſi ſapiens, agnoſcere debes patientiam, & tolerātiam malorum eſſe virtutem, & obiectū ex ſe amabile; nam ait Tull. in reth. *Patientia eſt virtus cōtumeliarum. & omnis aduerſitatis impetus æquanimiter portans*; & etiam D. Greg. ſuper Euang. hom. 35. ait: *Doctrina viri, per patientiam noſcitur, tantò ergo quiſque minus oſtenditur doctus, quanto conuincitur, minus patiēs, nec poteſt veraciter bona docendo impendere, ſi viuendo æquanimiter neſciat mala tolerare*; ſi inſipiens es, iam Sancti Vincentij ſtultorum domicilium te expectat. Si Fdelis, & Chriſtianus es, vel bonus, vel malus es; vel pius, vel impius es; ſi impius, dum malum, & illatas patienter iniurias toleras, tu furentis iram ſedas, vt Chryſol. ſer. 38. *Ira vincitur lenitate manſuetudine extinguitur furor, malitia, bonitate placatur; crudelitas pietate proſternitur; impatientia, patientia punitur*. Rurſus, ſi impius es, dū parcis inimico, & fers iniurias, & probra, iam pius efficeris, nam dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris*; quare Orig. ſuper Ezech. in hom. 10. ait: *Non enim mereberis miſericordiam, ſi iraſceris ad*

Patientiam reijciens, nō eſt homo, & peior fera, clarè probatur.

Tull.

Greg.

Chryſol.

Qualiter homo in omnibus patiēs eſſe debeat, quoquo modo conſideretur.

Orig.

pœnam. Si pius, & bonus es, ait Aug. super Io: hom. 58. *Tu bonus tolera malum, nam Christus Iudam, cum sciret furem esse tolerauit, & ad prædicandum misit, eique cum alijs eucharistiam dedit; nam si bonus non tolerat malum, ipse vindicta, iniuria, odio, persecutione etiam malus efficitur, sic duo mali, non tolerando, erunt, & vnus tantum impius, patientia dignoscetur offensi;* ideò D. August. de puero Centurionis, & habetur 23. qu. p. can. paratus etiam ait: *Paratus debet esse homo iustus, & pius patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt potiùs numerus crescat bonorum, non vt pari malitia, se quis numero addat malorum.*

August.

August.

Atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

tex.

§. III. Quantum fieri potest, ad animę salutem peccatorum purgationi, pœnitentia insistendum.

1 HVius veritatis testimonium, clarè à Dauide desumere possumus; qui cum adulterij, & homicidij culpa fordesceret, ad proprium lacrymarum fontem, continuò doloris cursu, fluentem, ad animæ suæ emundationem cucurrit, vt ipse dicebat, Psalm. 6. b. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo;* imò psalmos pœnitentiales, ad diuinam misericordiam interpellãdam, in amplam suorum peccatorum veniam contexuit vt Psal. 50. *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam &c.* Sed ad quid pœnitentiam aduocatam, & adiuutricem in sui tutellam aduocare? quæ suam apud diuinam iustitiam causam ediceret, ad veniam impetrandam, quam iam se reum constituens, coram diuina bonitate, confitens peccatum, obtinuerat: statim enim ac peccatum commisit à Nathan reprehensus, culpam sua confessione deleuit, dicens 2. reg. 12. *Peccaui Domino,* sic contritionis, & doloris medicamine, sui maximi criminis vulnus curauit, vt respondit Nathan ibi: *Dominus transtulit peccatum tuum,* ad quid igitur noua pœnitentia? Nunquid Dauid à culpa semel absolutus, mentem à pœnitentia auertit, à ieiunio declinat, à lacrymis destitit? non profectò, sibi lacrimarum stratum Deo ad conquiescendum, contritione adaptatum ad pœnitentiam sternit, quod die, ac noctu ad nitidiorem animæ emundationem abluit; bellum corpori indicit, contra hoc disciplinarum acies instruit, ieiuniorum propugnacula construit, pœnitentiæ vigilat, in statione, vt Psalm. 12. b. dicebat Propheta: *Ne quando dicat inimicus meus, praualui aduersus eum:* maximum peccati vulnus, sibi ab inuisibili hoste inflictũ agnouerat, licet diuinæ misericordiæ cura sanatum, quod tamen metuens, ne iterum peccati sanie tabesceret, ne nouam vitiorum gigneret putredinem, vermes scaturirent, sæpè lacrymarum vnda aspergebat, & à continua pœnitẽtiæ medicina non destitit, vt Basil. sel. orat. 17. ait: *Concurrit cum culpa confessione, pœna absolutio; sic doctus Dauid, & accepta per confessionem gratia, non quieuit, sed quod pœnitentiæ stratum capessiuerat medicus, tenuit; medicamentum, ne quidem post curationem abijecit; & flẽs per omnem vitam,*

Basil.

Dauid licet peccati sui veniam obtinuerit, à pœnitentia tamen non destitit.

vitam, *clamabat*: *lauabo per ſingulas noctes lectum meum*; vt ſi poſſibile foret, peccantis humoris radicem, à ſe ſenſus euelleret, & peccati enaſcentis fomitem extingueret.

2 Non voce ſolum, ſed & opere aſſumendum pœnitentiæ onus, nec inde poſt veniam peccati hoc abijciendum. Mente recolo, illos duos in Euangelio, nobis Luc. 18. deſcriptos, gloriabũdum Phariſæum, & pœnitentem Publicanum; illum, orationem ſuam, ſuperbum ad inanem gloriam, iſtum ad Deum, humiliter effundentem; illum, qui arroganter opera ſua iactans, ſe ſocio prætulit, peccatori, iſtum, qui conſcientiæ propriæ reatu confuſus, verecundus non audebat oculos ad cælum leuare. Inuenio Phariſæum, à ſe abſolutum, à Deo condemnatum; & Publicanum à ſe accuſatum, à Deo excuſatum, & abſolutum; illum in ſua bonitate malum; iſtum in ſua impietate pium, declaratum; illum in ſua pietate, impium; hunc in ſuo ſcelere ſaluũ; illum in ſua iuſtitia iniuſtum effectum; iſtum ſe accuſantem in ſua iniuſtitia iuſtificatum; quare dicẽs, vt Luc. 18. *Deus propitius eſto mihi peccatori*; à longè ſtans ad Deum propius confeſſione acceſſit; ille verò Phariſæus temere ad Deum accedens, oratione, à Deo per ſuperbiã receſſit, & declinauit; hinc eſt, quod Deus Phariſæum, non Publicanum repulit; hunc iuſtum adiudicauit, humilem; illum ſuperbum reprobans; quare dicitur Luc. 18. *Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam, ab illo*; nempè, vt à Phariſæo, Publicanus ſecernatur: ſed notate verba, ait textus, quod Publicanus deſcendit in domum ſuam, iuſtificatus, ab illo, ſcilicet Phariſæo; ab illo, hoc eſt, præ illo; & quare, non dicitur ſimpliciter, iuſtificatus, & plenariè abſolutus? ſi à Deo eſt iuſtificatus, hoc ſufficit, ergo, vt iuſtus declaratus, ergo ſimpliciter iuſtificatus; non comparatiuè tãtum ad Phariſæum erat declarandus: nonne ex corde pœnitens, ſuam apud Deum Publicanus orationem direxit? non ne de ſua iniquitate dolens, propriam confitebatur culpam? nõ ne in contritionis ſignum, pectus tundebat, propriam, verecundus arguebat, conſcientiam? non ne apud diuinam miſericordiam, veniam eſt aſſecutus? & quare non ſimpliciter plenariam prædicatur à Deo ſuarũ obtinuiſſe, remiſſionem culparum, & delictorum abſolutam abſolutionem, & iuſtificationem? cur igitur non dicitur ſimpliciter iuſtificatus, ſed tantum à Phariſæo, id eſt præ Phariſæo? Sed dicamus, quod non initium ſolum pœnitẽtiæ, ſed completa, & perfecta pœnitentia, impiũ ſimpliciter iuſtificat, non ſolum ſimplex confeſſio, quæ ore fit, ſed actualis pœnitentia, quę opere perficitur, & perſeuerantia completur, vt D. Ephrem de pœnit. ait: *A verbis inchoat pœnitentiæ principium, quoniam, quæ verbo fit confeſſio, initium pœnitentiæ eſt*: *propterea ſalutis initia dantur Publicano, nec perfectè ipſum debitis liberauit, quia nondum perfectè pœnitentiam fecerat*; *non dixit*, *quod à condemnatione iuſtificatus ſit*, *ſed pluſquã Phariſæum iuſtificauit ipſum*; *vt diſcamus recipiſcendum eſſe*, *non ſolum verbo*, *ſed etiam opere*; requiruntur enim ad completam iuſtificationem pænalium operum, onera diù exercita, domando corpus, & aſſumptę pœnitentiæ diutinę, iugum ferre.

3 Hinc eſt, quod Chriſtus Paralytico illi, dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*, & non Mattheo, ſimpliciter à Chriſto vocato, & ad hũc venienti, ſed tantum dixit, Matth.

Phariſæi, & Publicani, inter hos collatio, & quare Publicanus, nõ Phariſęus à Deo iuſtificatus.

Non dicitur, Publicanus ſimpliciter iuſtificatus, ſed comparatiuè ad Phariſæum; quia nondum, ille pęnitentiam adimpleuerat.

D. Ephrem.

9. *Sequere me*; quia ille diutiùs in suis pœnis paralysis patienter latis, pro Domino mansit, quæ ad peccatorum suorum pœnitẽtiam computatæ fuerunt; hic verò tyro Christi, statim efficitur, ad huius sequelam vocatus, nondum pœnitentiæ castra fuerat ingressus. Conferamus quæso, si libet hæc simul duo Sacrę Scripturæ loca, Christus Paralyticum lecto decumbentem, sanitate donauit, sed priùs dixit, Matth. 9. a. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; Vocans verò Matthæum è telonio, simpliciter, dixit, Matth. 9. b. *Sequere me, & surgens secutus est eum*. Sed dicam ego, cur huic, sicut priuilegium præstitit diuinę vocationis, indulgentiam pariter, sicut illi non contulit plenariam absolutionis peccatorum? cur vocando Matthæum, quod est diuinæ gratiæ beneficia ei imperriri, in suam societatem recipiendo, & suorum Apostolorum in Collegium cooptando, nullam suorum peccatorum remissionis mentionẽ fecit? nonne, vterque à Christo respectus in suam gratiam accitus, & vocatus? nonne, vterque e periculoso, ærumnarum pelago erutus, ad salutis portum appulsus est? nonne vterque è mundi, & peccatorum tenebris, ad æternæ veritatis lucem aspiciendam, & contemplandam est euocatus? nonne vtrisque paria, charitatis, & diuini amoris, obsequia præstitit, signa edidit? nonne vterque, eodem efficacis diuinæ gratiæ, lumine affulsus? & quare æqualiter vtrisque diuinæ vocationis, & remissionis peccatorum, non contulit beneficia? difficultatis nodum clarè, sicut eleganter, soluit D. Chrysol. ser. 30. qui ait: *Meritò paralytico dicitur: dimittuntur tibi peccata tua, quia compensaras delicta doloribus; Publicano autem, dicitur; sequere me, vt sequendo me, repares, quod sequendo pecuniam, perdidisti*. Hoc, ideò inter se differunt, hi duo, quod paralyticus multa temporum serie, doloribus excruciatus, patienter sustulit, ideò hi dolores in pœnitentiam peccatorum compensati, remissionem sibi asciuerunt delictorũ; ideò, huic dicitur Matth. 9. a. *Remittuntur tibi peccata tua*; Matthæus verò Publicanus, recenter à Deo vocatus, à telonio, ad Christi sequelam, debebat incipere in societate Christi, pœnitentiæ noua negotiatione, Deo, sibi bonorum operum peculio, seu talento lucrari, quod malè lucrando in telonio, apud Deum in animæ suæ præiudicium, perdiderat.

Quare Christus Paralytico dixit: Remittũtur tibi peccata tua, nõ Matthæo, sed tãtum dixit: Sequere me.

Chrysol.

Ideò Paralytico, infertur remissio peccatorum ob cruciatus diutinos patiẽter toleratos, non Matthæo, qui nõdum se in pœnitẽtijs exercuerat.

4 Assumpta pœnitentia non est deserenda vllo modo, sed incunctanter, & indesinenter, vsque ad mortem, pro animæ salute, perficienda, & seruanda, vt Iob. 27. a. ait: *Iustitiam, quam cæpi tenere, non deseram*. Niniuitarum culpis, pro expurgandis, diuina accurrit misericordia, hos ad pœnitentiam vocans, quos, minis terrens mortis sententiam comminatur, per Ionam Prophetam, Ionæ 3. b. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*: his perterrefacti comminationibus Niniuitæ, fidem verbis Ionæ adhibentes, pœnitentiæ ad patrocinium, pro eorum salute, pro diuinæ rigore iustitiæ sedando, & lata sententia ab eis auertenda, trepidi confugiunt; quare superbis ceruicibus mortificationum iugum imponentes; ieiuniorum prædicatores effecti, his domarunt corpus, silicijs rubelles sensus compresserunt; sensualitatum vestimentis abiectis saccos induerunt, & in cineribus; & in mortis memoria continuò sedentes, assiduis, & efficacibus orationibus, diuinam, ad veniam, interpellabãt misericordiam

Mortis comminatio Niniuitis per Ionam, hos ad pęnitentiam adducit.

Ion.

Ion. 3. d. *Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus?* & ecce miſericordia motus Deus, ſentẽtiam in veniam inuertit; quare ſubdit textus ibid. Ion. 3. *Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis;* Et fortaſſis peccatorum venia obtenta, diuino placato furore, à pœnitentia quieuerunt? nunquid pœnitentiæ caſtra deſeruerunt? non profectò, conſtãtes in paſſionum curſu, ad æternæ ſalutis brauium contendere; expedit enim ad ſalutis animæ complementum, ne in noua ſenſus declinet peccata, maximè cum eorum finis, qualis futurus ſit, ſecuritatem non habeant, pœnitentiam vſque in finem ſeruare; ne deficiens, imperfecta redderetur conuerſio, vt D. Ephrem de pœnit. *Toto corde debet recipiſcens, pænitentiam agere, ſemperque eundem ſeſe exhibere, vt incæperat, nam ſi defecerit, indicium imperfectæ conuerſionis præbet.* Quare, Niniuitæ, ad hoc mentis oculos, veluti periti, & in pœnitentia edocti, dirigentes, non ſuſceptum munus conuerſionis deſeruerunt, ſed incœptum perfecerunt etiam comminationis ſententia immutata, & peccatorũ venia miſericorditer conſecuta, vt Baſil. ſel. orat. 12. ait: *Niniuitæ ſoluto, in eos edito decreto, pænitentiam ſalutis ſociam, non reliquerunt.*

Niniuitæ, mortis ſententiam effugientes, non ideò à pœnitentia deſtiterunt.

Ephrem.

Baſil.

Atque, vbi vſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare.
tex.

§. IIII. Ad animæ ſalutem, etiam pæna mortis, prout expedit, pro Domino ſuſtinenda.

1 SI pro corporali ſalute, vbi expedit, vſque ad animi defectionem, ſi æger poteſt tolerare, ad peccãtium humorum purgationem euacuationẽ, ducere ſuadetur, multò magis ad extremum vitæ temporalis deliquium per martyrium pro vita æterna ad animarum ſalutem, & peccatorum purgationem expedit deueniendum; iuxta illud Eccleſiaſt. 4. *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia.* Nomine deiectionum vocari poſſe martyrium cenſerem, quò vltrò pro Domino, & fide, vſq; ad animi deliquium incluſiuè, & vitæ conſumationem ſanguinem profundimus. Ad perfectam enim rationem martyrij ſpectat pro Christo mortem ſubire, vt D. Th. 2. 2. qu. 124. a. 4. c. & 4. ſent. d. 49. quæſt. 5. a. 3. vt etiam dixit S. Maximus in quod. ſer. de martyre: *Quod vincit pro fide moriendo, qui vinceretur ſine fide viuendo.* Expedit igitur, vitam pro Domino, ad animæ ſalutem expendere, ait enim D. Th. 3. p. q. 68. a. 2. ad 2. *Vniuerſalis abſolutio fit in perceptione baptiſmi, & in martyrio, propter quod dicitur, quod in martyrio, omnia ſacramenta baptiſmi complentur, ſcilicet quantum ad plenam liberationem à culpa, & pæna.* Propterea addit textus: *Expedit ducere*; hoc eſt martyrium ſubire, quia, qui pro fide, vel pro alio quocunque bono opere moritur propter Deum, martyr Dei efficitur; quia cauſa cuiuſcunque martyrij eſt veritas fidei, vt eſt per dilectionem operans, vt idem D. Th. vt ſupra a. 5. *Vel expedit ducere*; in teſtimonium Eccleſiæ Sanctæ, & Fidei; martyr enim dicitur teſtis, vt Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. c. 76. T. 6. Greg. 9. moral. 25. hinc eſt, quod Chriſtus præ-

Si pro temporali ſalute ad animi defectionẽ &c. multò magis, pro æterna vita ad martyrium, deueniẽdum.

D. Thom.

Maxim.

In martyrio culpa, & pœna tollitur.
D. Thom.

D. Thom.

Auguſt.
Greg.

præuidens Apostolos futuros martyres testes suos appellauit, Act. p. *Et eritis mihi testes, in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.*

2 Martyrij igitur pęna, pro Domino viriliter sustinenda, patienter toleranda. *Martyriū* enim, vt idem Angelicus Doctor, 2.2. quæst. 124. a. p. ad 3. ait: *Consistit in debita sustinentia passionum, iniustè inflictarum*, quare sanctos martyres D. Chrisostomus, ob constantiam in tolerandis passionibus, incudinibus comparat, qui pęnarū, & percussionum ictibus acerrimos dolores sustinentes ad laudem Dei resonabāt, ipsos tortores ad agnitionem fidei sanctæ euocantes, vt idem Chris. in Encomio 12. Apostol. qui ait: *Cum essetis, velut quædam animatæ incudes, dum verberaremini, eos qui verberabant fabricati estis, ad agnitionem*; quare meritò in illorū præconium insurgens S. Cyprianus Episc. lib. 2. Epist. 6. ait: *Tolerastis vsq; ad consumationem gloriæ durissimam quæstionem; nec cessistis supplicijs, sed vobis potiùs supplicia cesserunt*; ecce quomodo debet homo pro animæ suæ salute in agone mortis contra aduersarios fidei, pro fide contendere, & patienter tolerando pœnas pro cœlestis gloriæ victoria consequenda strenuè decertare; quare Philonius Carpatiorum Episc. Tom. p. Bibl. V. V. P. P. col. 457. super Ecclesiast. 4. super eum locum: *Pro iustitia agonizare*, ait: *Hoc*, inquit, *persuasi martyres mortes omnes, & sanguinis effusiones, durissimaq; supplicia, æquanimiter tolerarunt, atque vicerunt.*

D. Thom.

Martyrium, qualiter in sustinentia passionum consistat.

Chris.

Martyres, animatæ incudes, ob passionum tolerātiam.

S. Cyprian.

Philon.

3 Aliquali sanè admiratione detineor, dum mente recolo, quod Christus vocetur, pastor, vt ipse proprio ore fatetur Io: 10. c. dicens: *Ego sum pastor bonus*, sicut nos eius S. Ecclesiæ gregis oues, vt testatur Dauid Ps. 94. b. *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Et bonus quidem pastor, qui, non vt mercenarius videns lupum venientem dimittit oues, & fugit, & à lupis diripiendas relinquit, sed pro suarum ouium salute, & securitate vitam propriam periculo exponit, vt ait Saluator Io: 10. c. *Et animā meam, pono pro ouibus meis.* Si sic est videamus: Vocat Christus discipulos suos, & ait: Matth. 10. b. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*; quomodo bonus pastor, qui à lupis seruat oues, si has ad lupos mittit? fortassis dabit his ouibus suis virtutem, & robur, vt tyrannorum, & infidelium lupos superent, quia 1. Cor. p. d. ait Apost. *Infirma mundi eligit Deus, vt confundat fortia*; cum sæpè tyranni, martyrum constantiam, & victoriam spectantes, virtutem admirantes fidem Christi amplexi fuerint, sed hoc, non: ad luporum tyrannorum prædam, discipulorum suorum oues mittit, ideò subdit ibidem Matth. 10. b. *Tradent enim vos in concilijs, & in sinagogis suis flagellabūt vos*; imò tantum abest, vt iste pastor sanctus, ouium securitati prouideat, & saluti vacet; vt in proprias oues conspirare videatur ad mortem; dum ad Scribas, & Pharisæos conuersus ait: Matth. 23. d. *Ecce mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas; & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis, in sinagogis vestris.* Quomodo ergo bonus pastor erit Christus, si à lupina persequentium rabie, & furore oues proprias, non defendit? insuper, si lupis dispergēdas eas relinquit; quomodo pro harum salute, propriā vitam exponere dicemus Christum pastorem? Nihilominus bonus, vt est, sic nuncupandus, & confitendus Pastor, Christus; quæ veritas vt nobis clarius elucescat, Pastoris pro-

Quomodo Christus vocetur pastor bonus, cum tamen oues suas, idest Apostolos, inter lupos persequentiū, mittat.

prietates, & munus in ipso, si libet parumper examinemus, conditionē inuestigemus. Pastor enim primò, Ethymologicè à pascendo dicitur, Sic Christus pastor, qui fidelium suorum oues, non herbis, & folijs, sed suo prætioso corpore, & sanguine pascit, hinc est, quod D. Bern. ser. 3. in cant. admirabundus insurgit, dicens: *Res mira ipse pastor, ipse pasqua, ipse redemptor*; & D. Chris. hom. 60. ad Pop. Antioch. *Quis Pastor*, inquit, *oues proprio pascit cruore*:

Bern.

Chris.

Proprietates boni pastoris in Xpo collatæ.

Munus est Pastoris aberrantem ouem virga percutere, ad gregem reuocare, ne feralium bestiarum incursibus pateat; sic Christus tribulationis virga, errantem cedit peccatorem, vt à vitiorum semita ad Ecclesiæ Sanctæ gregem pœnitentia reuocet; est enim hæc consolationis virga, vt Ps. 22. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Pastor deperditam ouem, quærit, sic Christus dicitur ille Pastor, vt Luc. 15. b. qui inuentam ouem gaudens super humeros ponit, & ad gregem defert, dicens: *Inueni ouem meam, quæ perierat*.

Pastor percutit virga, ouem; deperditam quærit; sic Christus.

Pastor vellera ab ouibus aufert, lac mulget; sic Christus diuitiarum vellera detrahit ab Apostolis, dicēs, Luc. 10. a. *Nolite portare sacculum, neque peram*: lac sanguinis mulget, vt in D. Paulo, & S. Catharina Virgine, & martyre, qui lac pro sanguine decolati dederunt.

Vellera tollit, lac mulget, sic Christus.

Pastor cum pinguem animaduertit ouē, vel vendit, vel iugulat, pellem detrahit, in macello suspendit, venditioni exhibet; sic Christus cum fidelis animæ ouem meritis pinguem, animaduertit, iugulat, vt Præcursorem, & Paulum; pellem detrahit, vt in Bartholomeo; suspendit in passionis carnificina, & macello; ecce Andream, in patibulo crucis suspensum, vt dicitur: *Biduo viuens pendebat in cruce, pro Christi nomine*, *B. Andreas*; carnes exposuit vendendas, vt in S. Ioseph, qui venijt à fratribus, vel edendas obijcit, vt in S. Ignatio martyre, videre est, à leonibus dilacerato, & deuorato.

Ouem vendit, vel iugulat, pellem detrahit, carnes suspendit in macello, exponit edendas, sic Christus &c.

Ecce quomodò boni pastoris partes in Christo æquè cōcurrunt; verum hæc, inter temporalem, & æternum pastorem Christum, intercedit differentia, post ouis mortem, nil aliud ille amplius de hac cogitat, sed æternus Pastor Christus, in morte temporali vitam confert æternam, vt Io. 10. *Et vitā æternam do eis*;

Differentia temporalis, & ęterni pastoris, in ouiū morte.

ecce æterni pastoris bonitas, & prædicanda pietas, percutit vt sanet; diuitiarum vellere expoliat, vt cælestibus ditet thesauris; lupis tradit oues, vt has ad æternę beatitudinis caulam adducat: martyrum corpora, sanguine cruentat, vt anima meritorum purpura in regia refulgeat aula; vitæ pasqua ouibus suis negat, vt ad æterna pasqua, has reducat: temporali priuat luce, vt ad inaccessibilem lucem gloriæ euehat; ideò Chrysol. serm. 40. *Tali forma præcessit oues pastor; pastor ab ouibus non recessit, nec illas dedit lupis, sed tradidit lupos illis, quibus donauit, suos elidere sic prædones; vt occisæ vincerēt, laniatæ resurgerent; sanguine suo tinctæ, fulgerent regali purpura; niueo vellere perlucerent. Sic bonus pastor, pro ouibus, cum posuit animam, non amisit, oues tenuit non reliquit; nec destituit oues taliter, sed inuitauit, quas per mortales campos, per inter mortis, vitalia vocauit, & perduxit ad pasqua*.

Mala, & pœnas martyribus infert Christus, vt cælestia his, bona conferat.

Chrysol.

4 Quęcunque igitur pœna, etiam mortis, maximè, cum ad animę salutem conferat, non timenda sed pro Domino viriliter sustinenda; quare Saluator, postquam futuras passiones, discipulis suis, imminentes prædixit, dicens Matth. 10. b. *Ecce ego mitto vos, sicut oues*

inter

inter lupos; ne cum tempus inſtantis paſſionis immineret perterrerẽtur, eodem capite Matth. 10. c ſubdit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*; ac ſi dicere vellet, qui corpus occidunt inimici ſunt, qui circa hoc tantum habent poteſtatem, non in animam: de hac, non de illo, curandum; hæc immortalis eſt, & corruptibilibus hiſce corporis, exuenda ſpolijs, vt onere carnis ſoluta, libera ad cęlũ poſſit euolare, & cum Deo fœliciter perẽnare; quare corpus, quod agrauat animam, in quo ſenſus ſuum exercet dominium, diſciplinis, & ieiunijs domate, mortificationibus ſubigite; ne ſuperbũ in rationem tumens, ad culpam impiè, pro viribus inſurgat; quare ſi opus fuerit, etiam morti, pro fide, & anima veſtra ſeruanda, illud exponere, ne vereamini; ideò poſtquã dixit Matth. 10. b. *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum*, ſubdit immediatè: *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*; quaſi inferre velit; vt ſimplicitatem columbæ præferant, vt fidem ſeruent & animam, ſerpentis prudentiam imitentur, corpus vltrò tortoribus obijciant, dum perſequuntur; pœnas pro amore Dei patienter tolerando; ſerpens enim hoc à natura ſibi inditum ſeruat, vt caput innocuum cuſtodiat, & tueatur, reliquum corpus percuſſionibus atterendum, exponit; ſic nos, cum ſe occaſio offert, pro fide, vt caput, quod Chriſtus eſt, ſeruemus, totum corpus morti exponendum, ne vereamur; quare Aug. lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 16. t. 3. ait: *Sicut ſerpens totum corpus, pro capite ſeruando obijcit ferientibus, ita pro capite noſtro, quod eſt Chriſtus, corpus potiùs perſequentibus offeramus; ne fides Chriſtiana, tanquam caput, necetur in nobis, ſi parcentes corpori, negemus Deum*.

Pro fide, & animæ ſalute vſque ad mortem decertandum.

Quomodo ſerpentis prudentia ſeruetur.

Auguſt.

5 Hoc caput, ſcilicet Chriſti fidem, vt ſeruemus intactam, & immaculatam, totum corpus, quarumcunque pœnarum percuſſionibus, etiam martyrij, exponendum eſſe, prout occaſio poſtulat, ex D. Petri verbis, inſtruimur; dum pro Chriſto magiſtro ſuo, mortem ſe exhibet ſponte ſubiturum, dicens, Luc. 22. *Et ſi oportuerit me mori tecum non te negabo*. Voluntas ſubeundi martyrium pro Chriſto, Petro non deerat, quoties occaſio opportuna accidiſſet, & hoc interim ſufficiens erat, in animi præparatione, martyrium ferre. Eſt enim martyrium, veluti ſacratus currus, quo in cæleſte capitolinum, fidelis anima, quæ in hoc mundo pro Deo, & fide certauit ad mortem, contra Tyrannos, & fidei hoſtes, triumphatura conſcendit; qui currus quatuor vehitur rotis, ſcilicet fortitudinis, patientiæ, charitatis, & fidei; fortitudinis, vt elicientis principaliter; patientiæ, vt elicientis conſequenter; charitatis, vt imperantis; & fidei, vt finis; vt ex Angelica Doctrina D. Th. 2. 2. queſt. 124. 2. p. & 2., colligi poteſt. Voluntatem noſtram aurigam dicerẽ, ad ducendum hunc martyrij currum, quæ requiritur, vt ſit prompta, & expedita quotieſcunq; opus fuerit, vitam pro Domino exponere; hanc animi promptitudinem, tenetur habere vnuſquiſque fidelis, vt idem D. Thom. loc. cit. a. p. 3. habet; qui ait: *Martyrium eſſe de præcepto, ſecundum præparationem animi tantum; vt cum opus fuerit pro Domino mortem ſubeat; ſed non tenetur ipſe martyrium quærere*; Ideò in Sancta Eccleſia, mos religioſus inualuit, vt dum legitur Euangelium, auditores ſtent, & non ſedeant, ſicut ſtatuit Anaſtaſius

Martyrium, vt currus, quatuor vectus rotis, & iſtæ quæ ſint, declaratur.

D. Thom.

D. Thom. Quilibet fidelis debet eſſe, animo promptus ad martyrium ſubeundum, nõ tamen debet hoc quærere.

Pap. de conſecrat. d. p. Apoſtolica, vt ad prælium pro Chriſti fide ſeruanda promptitudo notetur; ſic B. Petrus, cum à temporalium bonorum pondere ſe exoneraſſet, ſequēdo, cum fratre Chriſtum, vt ille dicebat Matth. 19. a. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*; iterum, vbi expediat etiam ſanguinem ipſum pro Chriſto, ad mortem ſe exhibet profuſurum, vt Matth. 26.: *Paratus ſum tecum in carcerem, & in mortem ire*, cui confeſſioni, ſeu exhibitioni, tādem actuale crucis martyrium acceſſit, quod cum fratre pertulit, ad præmium æternæ fœlicitatis, vterque inde aduolans. Et ideò D. Aug. ſuper Pſal. 57. ait: *Iam verò in martyrio primo confeſſio eſt, & pro illa quicquid acciderit tolerādi ſequens aſſumitur fortitudo; deindè poſt omnia tolerata, finitis anguſtijs, latitudo conſequitur in præmio.*

Auguſt.

6 Ad rem noſtram, non prætermittendum duxi, illius inuictæ fœminæ in Dei amorem conſtantiam, cuius nomen, ſicut ipſa ſeculum contempſerat, ſeculo perierat, in cælis, vt reor, adſcriptum: Vidit hæc inter illos decem millia martyres, qui *cæli aſtra*, & *Eccleſiæ flores* à D Baſilio nuncupati ſunt; quorum corpora cruciatibus à tyrannis extincta, plauſtris imponebantur, vt ad rogum ducerentur, & eorumdem memoria martyrum, ſuis obrueretur cineribus; animaduertit inquam hæc ſancta mulier, filium ſuum Milithonem nomine, ex eodem martyrum choro adhuc ſpirātem, altiorem ſupereſſe, quem carnifex à cæteris ſegregabat martyribus, ea fortaſſis ductus ſpe, fore vt adoleſcēs fidem abiuraret Chriſti, & ad idola animum deflecteret, iniuſtis Tyranorum parens decretis. Quid ex hoc aſpectu egit pia mater? plus doluit de ſuperſtite filio quam de proprijs mortuis, aliæ ſolent dolere genitrices: non doluit, quod neci eſſet addictus, ſed potiùs quod à nece eſſet reuocatus, vt Greg. Niſſ. & D. Baſil. præclara Eccleſiæ ſanctæ lumina, & ſanguine germani referunt: *Vt vidit*, inquiunt, *humanitatem carnificis, erga virum fortem, contumeliam non tulit, ſed illum quidem increpabat, quod à commilitonibus, & collegis, Athletam ſegregaſſet*; admiratus inſuper, quod in conſpectu filij multis cruciatibus fatiſcentis, & iam penè animam exhalantis, non deficiebat; dolore non cruciabatur, dilecti pænis, ſed potiùs tormenta ad complemētum martyrij, addi poſtulabat, ait: *Nunquid tale aliquid, quale matribus accidere ſolet admiſit? nunquid viſcera eius commota ſunt? aut tunicam circumſidit? aut filios circumfuſa eſt calidis vlnis torporem, ac defectionem refouens, & refocillans? Remoue iſthæc; Etiam dicere aliquid eiuſmodi, abſurdum eſt*. Et ſtatim introducens matrem ipſam filium alloquentem ait: *Non meus*, inquit, *filius es tu, non mei partus germen, quoniam Deum recepiſti, ſecundum Deum natus es: Accepiſti poteſtatem, vt filius fleres: curre ad patrem tuum, ne relinquaris à tuis coæuis, ne ſecundus ad coronam venias, ne irritum facias votum maternum: non offendes matrem ſi victor, ſi triumphator euaſeris.*

Baſil.

Mater, videns filium Milithonem, adhuc viuētem, inter illos decem milia martyrum, quid dixerit.

Greg. Niſſ. Baſil.

Baſil.

7 Sed antiquioribus relictis, ad recentiora me exempla confero: Teſtis ſit Iapponia, Eccleſiæ militantis ara, fœcundiſſima virtutum area, quæ multorum martyrum ſeminata oſſibus, & irrigata ſanguine, vberes Chriſtianorum ſegetes, cęlo protulit, è quibus illa Tecla, vt Phœnix inter odores, ſic inter filios deflagrauit; nam pro Chriſto rogum ſubitura à filijs animabatur,

Præclarum exemplum Teclæ, cum filijs pChriſto, mortem ſubituris,

tur, & eosdem ipsa animabat: Eia mater, inquiunt illi, vitã quam à te recepimus mortalem, immortalem à Deo recepturi, Domino consecremus; meliorem mortui sortiemur conditionem, quam viuentes consecuti sumus: nulla de nostris pęnis, te cura excruciet, sed potiùs de coronis recipiendis spes erigat, tuam ad solatium mentem: ambulabimus inter prunas, sed potiùs inter plumas, æternæ voluptatis: decumbemus inter flammas, vt in mensa cælesti recumbamus; sic filij, matri dulciter præcinebant; & hæc filijs: pergite ò filij, pro vita vestra, vestram libenter vitam hanc mortalem profundite: Hic rogus, vterus vobis erit, non maternus, sed diuinus: lac æternæ dulcedinis sugetis, si vestrum pro Christo fundetis sanguinem: pergite ad tormenta, vel potiùs ad trophęum; quare mater non tam pro filiorum cruciatibus dolebat, quam pro coronis repositis, exultabat.

APHORISMVS VIGESIMVSQVARTVS.

In acutis passionibus, rarò, & in principijs medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

QVIA superiùs Hippocrates docuit in Aph. 22. quando purganda sint corpora, videlicet quando materia humorum est cocta, vel quando turget; adhuc duo supererant considerandà; primum ad quam mensuram euacuari possent corpora, & hoc præstitit in aphorismo antecedenti; secundum erat declarãdum, in quibus morbis, & quãdo, & quomodo, materia turgens maximè verò in morbis acutis, foret euacuanda, & hoc in pręsenti docet Aph. vt Sanctorius hic.

Sanctor. *In acutis passionibus, rarò, & in principijs, medicinis purgantibus vti.* Qui, & quales sint isti morbi acuti, satis in superioribus aphorismis, maximè verò in septimo declarauimus. *Rarò:* hoc aduerbium super duo potest cadere, vel supra ipsa medicamenta, vt sensus sit, vt ait Io: Marinellus: *In morbis acutis, rarò, vti oportet medicamento purgante; nisi aliquid vrgeat;* Vel supra ideam morbi, & materiam peccantem, quæ rarò in morbis acutis turgeat; vel vt placet Sanctorio hic, quod humores turgentes rarò ad intestina inclinationem habeant. Ponimus igitur duas conclusiones, quarum prima est: In acutis passionibus, siuè morbis acutis, vt legit Galenus, rarò vtimur medicamento purgante, nisi dum turgent, idest, dum materia ad excretionem sui proritat, & gliscit; tunc enim pharmaco leniente; vti licet, & hoc in principijs, idest prima, vel secunda die, ait enim Hippocrates lib. 2. aph. 9. *Cum morbi inchoant,*

Medicina corporalis. Io: Marinel. Sanctor. Prima conclusio. Galen. Hippocr.

incho͡at, si quid mouendum videtur, moue: Et hoc cum præmeditatione, faciendum: hæc est secunda conclusio: In morbis acutis, dum materia turget, & purgatio est instituenda, hæc cum præmeditatione fieri debet, consideratis scilicet morbi qualitate, ægri natura, ætate, num aptus, vel ineptus iste sit, ad huiusmodi purgationẽ; anni temporibus, regione &c. de quibus in secundo aphorismo, sufficienter diximus; *Cum præmeditatione*, cũ securitate, & moderatione explicat Io: Marinellus.

Secunda conclusio.

Io: Marinel.

Diximus & nos quoque moraliter in aphorismo 22. *Concocta medicari, atque mouere, non cruda &c.* hoc est peccatorum materia, quæ est, & dicitur materia remota pœnitentiæ, non debet absolutionis pharmaco euacuari, nisi fuerit, debito conscientiæ examine præmisso, contritionis calore concocta, vt diximus; remanebat propterea, adhuc inuestigandum, ad quam mensuram pœnitentiæ, pro peccatorum purgatione, & ad animæ salutem, expediat deuenire, & hoc in antecedenti, egimus aphorismo: rursus remanebat dicendum; quando, & quomodo in morbis acutis grauium peccatorum, seueræ correctionis, seu etiam animaduersionis, pænæ pharmacum ad animarum salutem, sit adhibendum, & hoc in præsenti aphorismo; ideò ait Hippocrates:

Ordo medicinæ spiritualis.

In acutis passionibus, rarò, & in principijs medicinis purgantibus, vti. Morborum acutorum nomine, moraliter possumus intelligere grauia peccata, vt in aphor. 7. in medicina spirituali satis declarauimus; breuiter igitur tantum ad rem nostram dicam: In morbis acutis grauium peccatorum, rarò rigorosæ correctionis, obiurgationis, & animaduersionis pharmaco essẽ vtendum, ne delinquentis confusio sequatur, & ne occulta, omnibus aperta prodatur culpa delinquentis, quod charitati opponitur, iuxta illud Catonis: *Quantumque potes, celato crimen amici*; nisi tamen materia turgeat, idest peccatum in animæ præiudicium gliscat, accrescat, vel proritet, & ad excretionem pœnæ, & rigorosæ correctionis, & obiurgationis stimulet, vt Aug. lib. 2. de serm. Dom. ait: *Rarò, & magna necessitate, obiurgationes adhibendæ sunt; ita tamen vt in his, etiam ipsis, non nobis sed Deo seruiatur instemus*; ex quo deduci potest, quod necessitate vrgente, dum peccantes vitiorum humores moraliter turgent, vti diximus, remedium purgans correctionis seu animaduersionis, statim in principio spiritualis morbi; est pharmacum ad animæ salutem, & peccatorum purgationem adhibendum; ideò ait Hippocrates: *In principijs medicinis purgantibus vti*; iuxta illud Aug. in Reg. *Statim admonete, ne mala capta progrediantur, sed de proximò corrigantur*; ne scandalum pariat, & in præiudicium delinquentis, & in animarum salutis damnum, ac periculum vergat; Et in malum proximi transeat exemplum; quare melior est in manifestis peccatis seuera delinquentiũ animaduersio, vt isti corrigantur, quam aliorum cum illis periclitetur salus, vt Greg. in registro; qui ait: *Manifesta peccata, non sunt occulta correctione purganda, sed palam sunt arguendi, qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione, sanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur: dum enim vnus corrigitur, plurimi emendantur, & meliùs est pro multorum salute vnus condemnetur, quam per vnius licentiam plurimi periclitentur*. Quomodo autem, hoc correctionis,

Medicina spiritualis.

Morbi acuti morales, grauia peccata.

Cato

Augus.

In præiudicium famæ, nisi necessitas cogat, correctio differenda.

Augus.

Greg.

ctionis, & obiurgationis pharmacum, necessitate vrgente sit exhibendum, hoc docet Hippocrates, dicens: *Et hoc cum præmeditatione faciendum*; spirituali medico, examinando diligenter, morbi scilicet peccati qualitatem, & ideam; ægri delinquentis naturam, num aptus ineptusue ad correctionem, & emendationem videatur; anni tempora, regionem &c. vti moraliter aph. 2. §. vltimo diximus, & vt infra, ex quibus tres paragrophos ad discursum, deducemus.

Quæ in grauium peccatorum obiurgatione, à Superiore præmeditanda.

In acutis passionibus, rarò, & in principijs, medicinis purgantibus vti. tex.

§. I. Qualiter rarò, in acutis grauium peccatorum morbis, seueræ correctionis, siue animaduersionis pharmacum, sit adhibendum.

In acutis passionibus, rarò, & in principijs, medicinis purgantibus vti. tex.

§. II. Cum in acutis grauium peccatorum morbis, horum materia, ad peccati excretionem, pœnitentia proritat, seueræ correctionis, siue animaduersionis pharmacum, non differendum.

Et hoc cum præmeditatione faciendum. tex.

§. III. Purgatio animæ, in acutis grauium peccatorum morbis, seueræ correctionis, vel animaduersionis, pharmaco; diligenti præmeditatione obseruanda.

In acutis passionibus, rarò, & in principijs, medicinis purgantibus vti. tex.

§. I. Qualiter rarò, in acutis grauium peccatorum morbis, seueræ correctionis, siue animaduersionis pharmacum, sit adhibendum.

1 Diximus, rarò in acutis grauium peccatorum morbis, seueræ correctionis, & animaduersionis pharmacum, esse adhibendum, nisi cum peccati materia stimulat, vt modo dicemus, vt peccatoris famæ consulatur: hoc in Ioseph animaduertere licet, vt Gen. 45. qui cum toti Egypto principaretur, fratres suos allocuturus, à quibus venijt, & quibus venditionis suę crimen erat exprobraturus, aulicos, & Egyptios omnesque adstantes, quibus minimè innotuerat scelus, ne audirent egredi aulam præcepit, vt Gen. 45. dicitur: *Precepit, vt egrederentur cuncti foras, vt nullus interesset alienus, agnitioni mutuæ*. Sed dicam ego, si illos ab aula exclusit regia, ne audirent, quare eleuauit vocem, vt ab eisdem posset audiri? vt Genes. ibi n. 2. & 3. *Eleuauit vocem cum fletu, quam audierunt Egyptij, omnisque domus Pharaonis, & dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit?* si nolebat audiri, cur vocem eleuauit, vt audiretur, & quare adstantes priùs ad talẽ auditionẽ non admisit? Verum quidẽ est, eleuasse Ioseph vocem, vt eum fratres sui agnoscerent, non tamen, vt hos proderet, proditores: nam quando eorum crimen obijccit, eos propè

Quomodo Ioseph, aulicos excluserit, ne fratrũ suorum, crimen venditionis audirent.

Ioseph fratres suos, submissa voce, de eorũ scelere redarguit.

propè se venire iussit, & submissa voce de eorum crimine redarguit, vt ab Egyptijs non posset audiri, vt horũ fratrum suorũ decori, famæq; consuleret, ne ignotum Egyptijs, proderetur crimen, & vt scelestes, & impij haberentur, & contemptui essent; quare Liran. hic ait: *Accedite ad me &c. Istud inquit, volebat dicere submisse, & ideò fecit eos propè venire, ne Egyptij audirent proditionem, quam fecerant, & sic eos despicerent.*

Lir.

2 Cum Christus Samaritanæ huius esset obiecturus, sicut optimè nouerat, turpitudines, detecturus crimina, vt eã ad pœnitentiam alliceret, ad suam misericordiam prouocaret, vt eam liberiùs posset redarguere, eiusdem decori, & famę à Christo consultum est, vt suos discipulos in Samariam, mitteret obsonatum, vt Io: 4. *Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.* Et quare ad emendum cibos, omnes suos dimisit discipulos, cum vnus tantum sufficeret, tantò magis cum Saluator inuisibili potiùs pœnitentium, quam corporali recrearetur cibo, vt Chrysol. ser. 93. *Deus delinquentium gemitus esurit; sitit lacrymas peccatorũ?* & ipse Saluator, manifestè, de hac Samaritana dixit ibi, Io: 4. d. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*; respondens discipulis, dicẽtibus: *Rabbi manduca*; cur quosdam apud se discipulos non retinuit, vt ab ipsis inde Samaria redeuntibus, admirationis locum amoueret; suspicionis (si hoc dici fas est) auferret occasionem, si quidem his redeuntibus, dicitur Io. 4. *Et continuò venerunt discipuli eius, & mirabantur quod cum muliere loqueretur?* Sed dicamus, consultò id egisse Christum, discipulos suos in vrbem mittens, vt Samaritanæ consuleret famę, vt sola cum solo, eo videlicet, qui cordium secreta rimatur, liberiùs posset crimina prodere; culpas confessione detegere; animæ maculas proferre, & ipsa à Christo pænitentię aquas petente, æternæ vitæ fonte, diuinæ misericordiæ viuas, exhauriret aquas, vt vitiorum sordes ablueret, animæ maculas, pœnitentiæ vnda abstergeret, sic salubri non confunderetur correctione, & ad bonam frugem reduceretur suorum confessione peccatorum; quare Salm. tom. 4. tract. 20. ait: *Iussit discipulos recedere, vt pudori eius solitudine consultum esset, & vt liberiùs posset eius flagitia detegere, atque arguere, ac vt nos inde discamus proximum secretè primum, ac salubriter corrigere.*

Christus, Samaritanę turpitudines obiectu. rus, quomodo huius famæ consuluit.

Chrysol.

Salm.

3 Correctionis formam in grauioribus etiam culpis, nisi aliquod periculum, & præiudicium interueniat animarum, quatenus moderanda sit, ex hoc haurire possumus, quando Spiritus Sanctus super Christum baptizatum, in specie columbæ apparuit, & super Apostolos in forma ignis; Spiritus Sanctus, Correctoris formã gerit, vt Io: 16. a. *Cum venerit Paraclitus, arguet mundum de peccato*; Cum igitur Christus in aqua Iordanis, ab eo sanctificata, nostra in se assumpta delicta purgans à Ioanne baptizaretur, Spiritus Sanctus columbæ speciem assumens, super eum descendit; quid censendum est, hoc nobis velle innuere? nisi quod ad nostra purganda delicta, corrector columbæ naturam præferens, sine felle existens, mansuetudinem seruare debet, mitius agendo, ideò Gregor. hom. 30. in Euang. ait: *In columba ergo super eum apparere debuit Spiritus, qui non veniebat, vt peccata iam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret.* Apostoli delin-

Quare Spiritus Sãctus super Christum in specie columbę & super Apostolos in forma ignis descẽderit.

Greg.

enim vt homines peccatorum formam gerentes, qui vt capita in Christiana Republica poterant delinquere, vt de facto deliquerunt, ex quibus vt Superioribus in inferiores, poterat subditos scandalum promanare; in igne, seueræ correctionis argumento, æquum erat Spiritum sanctum descendere, vt scilicet grauius, ad eorum, & inferiorem salutem corriperentur, vt Mar. 16. c. *Nouissimè recumbentibus illis duodecim; apparuit* (scilicet Iesus) *& exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt*; & à se ipsis, cum Superiores essent, ad inferiorum emendationem futuram delinquentium, & animarum purgationem, grauiores pro culpis, vt exemplar cæteris essent, pœnas exigerent; ideò sequitur idem Greg. loc. cit. *At contra per discipulos*, ait, *in igne, debuit Spiritus sanctus demonstrari, vt hi, qui erant simpliciter homines, atque ideò peccatores, eos contra semetipsos, spiritualis feruor accenderet, vt peccata quibus Deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent.*

Greg.

4 Ex illa Saluatoris nostri parabola, Luc. 10. proposita in illo viatore, latronum præda facto, bonis temporalibus expoliato, vulneribus confosso, semiuiuò relicto, vino, & oleo in plagarum remedio curato à Samaritano, mentis nostræ sensum exculpere possumus; non exasperatæ correctionis in grauium peccatorum vulneribus, remedium adhibendum. Iste viator, peccator dici potest, qui carnis, & sensus vias peruagatur, & velnti cæcus perambulat, secundum illud Sophon. p. d. *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt*; & in via iniquitatis lassatur, vt Sap. 5. a. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis*: hic miser viator, à prædonibus Dæmonum, tentationum armis inuasus, vt Greg. hom. 11. in Euang. *Maligni autem spiritus, iter nostrũ, quasi quidam latrunculi obsident*; spiritualibus, diuinæ gratiæ, innocentiæ, & bonorum operum, & meritorum, eiusdem consensu voluntatis expoliatur indumentis, vt Ambr. lib. 7. in 10. Luc. *Hi*, ait, scilicet Angeli noctis, *ante despoliant, quæ accepimus indumenta gratiæ*, & vulneribus culpa confossus, semiuiuus relinquitur; nam in peccati strato iacens, à diuinæ misericordiæ medico inuisus, potest contritionis puluere assumpta, pœnitentię potione ebibita, pristinæ diuinæ gratiæ adhuc sanitati restitui; sic à Samaritano, qui Christus est, & nostri custos, sic enim Samaritani nomen resonat, curatur; oleo, & vino, illius vulneribus medetur, quo facto nobis innuitur, peccatorũ læthalium vulnera, non esse acerbo obiurgationis, & seueræ correctionis, sed mansuetudinis oleo curanda, cui aliqualis rigoris vinum, secundum opportunitatem admiscendum; ideò ait Greg. 20. mor. *In vino morsum districtionis adhibet, in oleo molitiem pietatis.*

Ex Parabola, Viatoris vulnerati, mitis correctionis modus, ex vulnerum medicamento.

Greg.

Ambr.

Peccatorum vulneribus, oleo mansuetudinis; & vino districtionis, vt occasio postulat, medendum.

Greg.

In acutis passionibus, rarò, & in principijs, medicinis purgantibus vti: tex.

§. II. Cum in acutis grauium peccatorum morbis, horum materia, ad peccati excretionem, pœnitentia proritat, seueræ correctionis, siue animaduersionis pharmacum non differendum.

1 PEccatum, est materia turgens, seu instabilis, diuinam iustitiam ad pœnam prouocans, iuxta illud Os. 12. d. *Ad iracundiam me prouocauit Ephraim*; quare non est mirum, si in peccatorem diuina indignatio consurgens, hunc pœnis afficiat, & diuinæ iustitiæ cultores, vt Prælati, & Superiores, in seueras correctiones, & animaduersiones, prout occasio postulat, in delinquentium pœnam erumpant. In metcorologicis, docent Philosophi, de natura fulminum, tonitruum, & fulgurum, agentes, quasdam exalationes à terra prodeuntes, ad nubes vsque ascendere, & in harum pectora, & viscera penetrare; nubes huiusmodi exhalatione affecta, huius vim, seu violentiam, haud pati, & continere valens, rumpitur, & in hac nubis incisione, tria concurrunt, tonitrus, lumen fulguris, & fulgur ipsum egrediens, & acriter feriens; quare si cælum in terram huiusmodi ferientia mittit iacula, ipsa terra sibi imputet, quę huiusmodi exhalationum, ad fulmina gignenda, materiam ministrat. Nubes, dici possunt Dei ministri, Correctores, Prędicatores, vt Is. 60. *Qui sunt isti, qui, vt nubes volant*, Et D. Aug. super Ps. 96. ait: *Quæ sunt istæ nubes Dei? Prædicatores veritatis*; & D. Greg. lib. 17. mor. 12. cap. 2. ait: *Idcircò nubes vocari solent, quia, & corruscant miraculis, & verbis pluunt*; sed dicamus nos ad rem nostram, quod morales istæ nubes, idest Superiores &c. minarum asperitatibus vocibus tonant, obiurgationum splendore corruscant, & pœna, & animaduersione fulmina in peccatorem iaculantur; sed vnde ista minarum tonitrua, pœnarum, & seueræ correctionis generantur fulgura, & fulmina procedunt? ex peruersi sensus malitiæ, & naturæ peccatoris vitiata terra culparum exhalationes procedunt, quæ ad nubes hoc est ad superiorum aures, & oculos ascendunt; qui Superiores, cum horum peccatorũ instabiles ob malitiam, turgentes obscandala, & alia mala, vitiorum exhalationes sustinere amplius non valeant, eisdem animarum rectoribus quodammodo vim faciunt, & impellunt, vt fracta eorum mansuetudinis nube, minarum generentur tonitrua, & ab eadẽ seueræ animaduersionis morali nube, fulmina erumpant.

Tonitruum, fulgurum, & fulminum generatio, ex quibusdam terræ exhalationibus, quid moraliter significet.

August.

Greg.

Subditorum peccata. Superiores ad pęnas prouocant, declaratur in fulgure. & fulmine &c.

2 Huiusmodi morales exhalationes, fœtentis peccatoris, & carnis nauseantis, culpę maximæ, dici possunt, infamium illarum Sodomæ, & Gommorrhæ ciuitatum, quæ ita peccatorum fœditate computruerant, vt meritò in harũ supplicium, sulphuris, & ignis incendio fuerint concrematæ; hæ inquã exhalationes, ad diuinæ iustitiæ cælum accumulatæ, ascenderunt, vt Gen. 18. c. *Clamor Sodomorum, & Gommorrhæ multiplicatus est*; ecce peccatorum magnæ, & multiplices exhalationes, quæ ad nubes vsque ad diuinæ misericordiæ ascenderũt, secundum illud Exod. 2. dicitur; *Ascendit clamor eorum ad Dominum*; Quarum fœdissimarum culparum exhalationum molestia, & grauitate, affecta diuinæ misericordiæ nubes, quasi vim passa, ecce hæc impatientia, vt ita dicam, disissa, in iustitiam conuersa, tonitrua minarum, & fulgura prodit, dum ait Deus, Gen. 18. *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, opere compleuerint*. & postmodum dira ignis, & sulphuris fulmina ad illarum ciuitatum consumptionem erupcrunt, vt Gen. 19. c. *Pluit igitur Dominus, super Sodomam, & Gommorrham, sulphur, & ignem de cælo*.

Sodomæ, & Gommorrhæ fæditates, diuinum prouocantes, supplicium.

3 Præ-

3 Prçceperat Dominus, vt Leuit. 14. In expiatione leprosi sacerdoti, vt assumeret de sanguine hostię, quæ pro leproso immolabatur, vt poneret eum super auriculam dexteram leprosi, vt tex. Leuit. 14. dicitur. *Assumens Sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ eius, qui mundatur.* Et quid quæso sibi vult huiusmodi ritus? quid ad expiationem lepræ per totum corpus dispersæ, impositio hæc sanguinis super auriculam facit? remedium enim ibi, vbi morbus viget, applicandum; quomodo ergo sanguis hostiæ auriculam inungens leprosam, eiusdem lepram sic dispersam, & toto corpore dominantem emundabit? lepra significat peccatum omne, sic Orig. in diue. hom. 5. & communiter Doctores. Lepra, ait Galenus, scabiei genus est, deformi crusta obducens cutem, ab atra nascens bile, corpusque vehementi pruritu infestans; est autem lepra contagiosus morbus, vt aiunt Medici; sic nos quoque dicamus, culpæ lepra, in se deformitatem habet; quod malum, peccati proprium est, pruritum in corpore generat, ecce culpæ morbus ad excretionem pœnæ proritantis, vt diximus; tunc, huius leprosi moralis, scilicet peccatoris auricula, in qua correctio exercetur; seueræ correctionis, & animaduersionis maturè est intingenda, Sanguine, ne cum talis peccatorum grauium abominabilis lepra malo exemplo, scandalo, vel alio periculo contagiosa increscit, alios tali morbo inficiat, &: *Ne*, vt ait D. August. *Contagione pestifera plurimos perdat*; quare Hug. in Reg. D. Aug. cap. 7. ait: *Melius est enim pro multorum saluatione vnus condemnetur, quam per vnius exemplum plurimi periclitentur*; ecce ad peccatorum grauium lepram purgandam, qualiter in auricula, idest per correctionem, seuerę obiurgationis, & animaduersionis sanguine intingendo, est maturè remedium adhibendum, vt B. Vmbertus in reg. D. Aug. cap. 89. *Alia sunt peccata in actu, circa ista statim adhibenda est admonitio; sicut igne accenso, statim currendum est ad aquam, sine expectatione.*

Sanguis hostiæ, super auriculam leprosi positus ad emundationem lepræ, quid signet.

Orig.

Galen.

Peccatoris curatio, ab auricula ab Ecclesię ministris, Correctoribus, debet inchoari, sanguinis intinctione seuerę obiurgationis.

August.

Hug. Card.

B. Vmbert.

Et hoc, cum præmeditatione faciendum. tex.

§. III. Purgatio animæ, in acutis grauium peccatorum morbis, seueræ correctionis, vel animaduesionis pharmaco; diligenti præmeditatione obseruanda.

1 Multa sunt quæ in fraterna correctione nobis ad animæ à peccatis purgationem, consideranda obijciuntur; primò enim, an materia euacuanda, peccatorū scilicet, per correctionis, vel animaduersionis pharmacum, quæ scandalo, vel aliquo periculo turget, fluxibilis sit, hoc est peccata correctioni, & emendationi disposita sint, nec ne; quod si purgatio moralis animæ nulla speratur, correctionis pharmacum, non est adhibendum. Hinc colligere possumus, quare Legislator Moyses in Genesis codicibus, tam disertè, & accuratè ex professo de peccato Adæ egerit, & de angeli lapsu, nullam mentionem fecerit; & quare hoc peccatum silentio prætcrijt? non ne grauissimum fuit illud Cacodæmonis superbi Luciferi peccatum, qui se Deo coęquari in animum induxerat, & ęqualem Deo, sibi in cælis collocare sedem, &

Præmeditatio prima; an peccatū sit emendabile correctione.

Quare Moyses, de peccato Adæ, latè disseruit, & peccatum angeli subticuit.

longè malus, quam Adæ culpa, cum hęc ex fragilitate potiùs, quã ex malitia processerit? & quare tantum huius inobedientiæ culpa exageratur, & Luciferi maxima silętur culpa? Hæc meo iudicio, talis disparitatis, videtur ratio assignanda, quia Adæ peccatum, fuit fluxibilis materia, idest pœnitentiæ pharmaco expurganda, at verò materia superbiæ scilicet angeli, vt potè inflexibilis voluntatis, sicut appræhendentis immobiliter, sic materia influxibilis ad emendationem, ideò huius culpam subticuit, quia nulla remedij, & salutis spes supererat; vt Alcuinus in Genes. 7. ait: *Vides peccatum angeli tacitum, hominis autem patefactum; nempè, quia illud incurabile, hoc curatum.*

Alcuin.

2 Ex parte ægri peccatoris potest considerari peccati morbus, quod si leni simplicis correctionis remedio, potest ad emendationem purgari, non debet Pręlatus potenti seueræ animaduersionis pharmaco vti; ex Moyse, & Arone hoc deducere possumus, vt Num. 20. Iusserat Dominus Moysi, & Aroni fratribus, in deserti solitudine deficientibus aquis, populo Israelitico, pro remedio, vt ad silicem loquerentur, quę suas duritie portas adaperiens, copiosas ad sitim extinguendum, ederet aquas. Num. 20. *Tolle virgam, & congrega populum, tu, & Aron, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas*; Moyses verò ad petram accedens, hanc ommissis verbis, bis virga ad excutiendas aquas, percussit; quæ tamen petra diuinæ voluntati obaudiens, & virgæ Moysi, & huius desiderio correspondens, copiosè aquas effudit; vt ait textus ibi, Num. 20. b. *Cumq; eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta*. Hoc facto valdè indignatus Deus, maximis Moysem, & Aronem minis perterrefecit, dicens: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos, in terram, quam dabo eis*; Num. ibi. Et vnde tanta Domini indignatio, vt à Populi Israelitici ducatu Moysem, & Aronem ad promissionis terram repulerit? Si diuertit Moyses à pręcepto ordinem inuertens, verba in tactum, locutionem in percussionem commutans, non mihi videtur hæc illorum grauis culpa, si quidem tollere secum virgam præcepit, quid igitur necesse est magis loqui quam percuti, dummodo effectus sequatur, nihil de modo curandum. Moyses cum virga figura, & forma est Prælati, & Superioris, inferiorum defectus, & culpas moderantis; petra est peccator, vt Iob. 41. c. *Cor eius indurabitur, quasi lapis*; vt igitur misticus Prælati Moyses, à peccatoris petra, aquam pœnitentiæ, & emendationis educat, præmeditare, & cogitare debet, num locutione simplicis videlicet correctionis verbis, vti possit, antequam seuerę animaduersionis, & rigoris virgam adhibeat, quod si verbo potest; emendationis aquas à peccatoris silice correctionis verbo excutere, non debet animaduersionis, & duræ obiurgationis, virgam adhibere; quod si peccatoris durities, eò deuenit, vt aures habeat, & non audiat correctionis verba, tunc virgam ad debitam animaduersionem assumere, ad percussionem petræ, tactu pœnæ consentaneum est. Periculum est enim, quod dum virga pęnæ, & animaduersionis adhibetur, vbi simplex locutio posset sufficere, ne loco aquæ correctionis, & emendationis, ignem, furoris, & obdurationis excu-

Secundo, ex parte peccatoris considerãda correctio.

Moysis non locutione sed virga vtitur ad aquas, e petra excutiẽdas, à Deo reprehenditur.

Prælatus nõ debet vti virga, dum verbo potest corrigere, ne pro aqua emendationis ignẽ excutiat furoris.

excutiat iræ; quare diligenter hoc præmeditandum, vt Chris. in suo dialogo lib. 2. ait: *Non vniformiter, secundum mensuram delictorum, increpationes quoque oportet inferri, sed diligenter aspicere, eorum, qui delinquunt vires, atque propositum, ne fortè volens rupta resarcire, maiorem operetur diruptionem, & cupiens erigere collapsa, casum inferat grauiorem.*

Chris.

3 Ex parte peccati, seu morbi culpæ, licet grauis, correctionis pharmacum, seu remedium moderandum à Superiore curante, ne id quod occultum in confusionem delinquentis manifestè fiat; quare Christus formam huius correctionis fraternæ dedit, dicens, Matth. 18. c. *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum, inter te, & ipsum solum*; Vbi August. de verb. Dom. super hoc Matth. 18. c. *Qui secretò peccauit in te, secretò corripe; nam si solus nosti, & eum vis coram alijs arguere, non es corrector, sed proditor*; hinc videre licet quali moderatione, & prudentia vsus sit Nathan, vt Dauidi lenitiuum correctionis porrigeret, ad adulterij morbum, pœnitentia purgandum; ait textus 2. reg. 12. a. *Cum venisset ad eum, dixit ei &c.* Septuaginta transferunt: *Ingressus est Nathan, ad Dauid*, quod quidem verbum quandam emphasim habere videtur, si propriè expendatur ad correctionem &c. Non dicitur adiuit Regem, ad aulam regiam, non dicitur processisse, vt alloqueretur Regem, vel vt liberè eum coargueret, sicut Herodem Ioannes, sed dicitur, *Ingressus*, quasi intus gradiens, ac si in secreto conclaui, vt suam Regi aperiret culpam, quam sub peregrini, & ouis subreptæ similitudine aperuit; sic peccatum cum non ita esset manifestum, nec

Tertio ex parte peccati correctionis forma cõsideranda, ne occulta à correctore, prodantur.

August.

per eius correctionem, voluit innotescere nescientibus; quare D. Anastas. Niss. quæst. 8. in scripturam ex Eusebio Pamphilio, ait: *Ostendit oratio, quod non præsente alio, neque coram vniuerso populo, eum redarguit.*

Anastas. Niss.

4 Eccles. 31. ait Sapiens: *In conuiuio vini, ne arguas proximum.* Conuiuium vini, est illud, in quo multa, & diuersa degustantur, imò sæpè degluttiuntur pocula, ac propterea dum voluptas sensualis, & libertas spatiatur, plurima quoque vitia dominantur, ex quibus inde multa mala promanant, vt Eccles. 31. d. *Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Hoc conuiuium moraliter dici potest illud tempus, quo peccator furoris calore ex perpetrato peccato exardescit; nam sicut vinum multum potatum, vapores transmittit ad cerebrum, quod eneruat, & ab huius operatione impedit, nedum retardat, vt extra se, ad insaniam flectendo, saltem mente rapi videatur; sic furoris igne culpa accensus, adeò ira inebriatus ad insaniam vergit, vt propterea tunc temporis passiuæ correctionis locum non relinquat; quare prudenter actū fuisse obseruatum est, id quod p. reg. 25. habetur; quod volens Abigail virum suum Nabal arguere, super duritia, quam ostenderat nuncijs Dauid, non in conuiuio id egit, dum vini calore feruescebat, neque immediatè post prandium, quia ait Hipp. lib. 4. aph. 5. *Sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes*, sed opportunū tempus expectans, vsque ad crastinum, distulit, vini calore sedato, correctionē adhibere. Multa alia, quæ præmeditanda forent, modo breuitatis gratia omittuntur &c. vide aph. 2. 5. 8.

Quarto, tempus, & locus etiam à Correctore, ad peccantis emēdationem, excogitandus.

Hippocr.

APHOR-

APHORISMVS VIGESIMVS QVINTVS.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt, si contra difficulter. tex.

Ordo medicinæ corporalis.

EGIT Auctor in precedenti Aph. de acutis passionibus, quando in his purgatio instituenda sit; nunc autem, vt bona euadat, qualis esse debeat in præsenti, differit. Hic aphorismus in secundo huius libri continetur; ideò superfluus videtur, sed quia Hippocrates, ait Galenus hic, hac in parte libri, disputat de purgationibus à medico instituendis, cum omnes ad id necessarias distinctiones adhibuisset, hunc quoq, aphorismum adiungendum adiudicauit huic operi, vt præsenti negotio opportunum, non vt nouum quid adderet, sed vt ea, quæ in 2. aph. dixit, ad memoriam reuocaret, vt vndequaque completa, & absoluta de euacuando corpore disputatio redderetur; dicitur igitur: *Si qualia oprtet purgari &c.*

Galen.

Medecina corporalis.

Hic Hippocrates agit, non solum de purgatione, seu euacuatione, quæ sponte, & à natura fit, sed etiam de illa, quæ arte, & ope medici, indifferenter procedit, & instituitur: dicitur igitur: *Si qualia oportet purgari, purgentur*; quod scilicet medicus in ęgro debet euacuationis qualitatem, potiùs quam quantitatem aspicere, in purgationibus, nempe si humor peccans, & noxius, & superabundans, deijcitur, & euacuatur; qui causa est morbi, & qui ægrum exagitat, si enim talis fiat euacuatio, confert ad salutem, & bona iudicatur purgatio; quia sicut remota causa remouetur effectus, sic ab ægro corpore; noxio ablato humore, veluti causa ægritudinis ægrum infestantis, ægritudo quoque vti illius effectus, tolletur. Et quia natura à morbi molestia alleuiari gaudet, sic ægri, talem facilè ferunt euacuationem, ideò dicitur, *Et facilè ferunt.* Deinde partem oppositam tangit, dicens: *Si contra, difficulter*, idest si in huiusmodi purgationibus, aliter euenit, respectu qualitatis, quia scilicet euacuatio, non est talis, qualis esse oportet, & desideratur, cum superabundans, & noxius humor non deijcitur, qui ægrum exagitat, tunc nec talis purgatio ad salutem ægri confert; quia adhuc in ægro corpore morbi causa regnat, & per consequens, nisi ægrè talem euacuationis molestiam æger suffert. Quæ autem sint illa, quę veniunt euacuanda, quæ scilicet conueniunt naturæ morbi, ægrotantis, anni temporibus, regioni, vt in 2. aphorismo diximus, ad quem locum, remitto lectorem.

Ordo medicinæ spiritualis.

Cum supra in antecedenti Aph. moraliter de acutis grauium peccatorum passionibus diximus, in quibus quando seuerę correctionis, siuę

siue animaduersionis purgatio animæ à Medico Spirituali, & superiore instituenda sit; nunc ad peculiarem qualitatem moralem euacuationis culparum, in ægro peccatore, à superiore considerandam, onus assumimus, diuersam à secundo aphorismo, expositionem afferentes.

Medicina spiritualis. *Si qualia oportet purgari, purgentur &c.* Quæ moraliter in anima purganda veniunt, noxij peccatorum humores, intelligi debent, secundum illud Ecclesiast. 38. *Ab omni delicto munda cor tuum*, illi enim peccatoris animam exagitant, quia ait Ps. 50. Dauid: *Peccatum meum, contra me est semper*. Hæc moralis peccatorum purgatio, indifferenter attendi posset, non solum spontanea, quæ ab ægri peccatoris natura, in operibus pœnalibus vltrò assumptis, attenditur, quam illa, quæ, siue à spirituali, siue à cælesti medico præscribitur,

August. secundum illud August. super Psal. 21. *Intelligat* inquit, *homo medicum esse Deum, & tribulationem, medicamentum esse ad salutem, non*

In confessionis sacramẽto, anima, ab omni culpa purgatur *pœnam ad damnationem*. Hæc purgatio moralis animæ, Confessionis Sacramento, adaptari, & exponi meo iuditio potest, in quo verè anima ab omni peccatorum labe mundatur, iuxta illud Leonis Pap. in

Leo Pap. ser. qui ait: *Non remanet in iudicio condemnandum, quod fuerit in confessione purgatum*. Hæc igitur purgatio, confessionis sacramentalis pharmaco, secundum qualitatem considerari potest, vt actus virtutis est, & à charitate prouenit, sic enim meritorius est, vt D. Tho. in suppl. 3. p. quęst. 9. a. p., qui ait:

D. Thom. *Confessio, secundum quod est actus virtutis, est actus meritorius propriè, & sic confessio non valet sine charitate, quæ est principium merendi*. Vel potest attendi qualitas Confessionis, secundum huius conditiones, quæ si sic fiet, ad animæ salutem *confert*, quia ab infestantibus culparum noxijs humoribus purgatur, vt D. Thom. in Supplem. quęst. 102. p. ait. *Confessio,*

D. Thom. *secundum, quod in voto pænitentis præcessit, à culpa liberauit; postmodum autem in actu confessionis, & absolutionis gratia augetur, & etiam remissio peccatorum daretur si præsens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset. Confert*, quia pęnitens à culpa absoluitur, & ira Dei, atque vindicta cessat; vt Ambr. super Psalm. 118.

Ambr. ait: *Qui se accusat, & si peccator sit, iustus esse incipit; cessat enim vindicta diuina; si confessio præcurrat humana*. Confert, quia æterna pœna ei remittitur, vt Cassiod. in

Cassiod. Psalm. 77. ait: *O beata confessio, quæ æternum tollit opprobrium; nam quidquid reatum inuenerit, pænitentia perpetuis seculis, reddit absolutum*: Confert ad animæ emundationem, & culparum purgationem, vt Io: p. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*. Vel dicere possumus: *Confert*; ratione pœnæ temporalis, quia virtute inde clauium, pęna patienda minuitur, vt D. Thom. in Supplem.

D. Thom. ad 3. p. quęst. 11. a 4., qui ait: *Confessio operatur, præsupposita contritione, quæ culpam delet, & sic cõfessio ordinatur ad dimissionẽ pænæ. Et faciles ferunt*, quia anima à tali culparum molestia, confessione alleuiatur; quare Gregor. in pastor.

Greg. c. 38. ait: *Cum putredo, quæ interius feruet eijcitur ad salutem dolor aperitur*; sic lubens pœnitentias, ad peccatorum satisfactionem, pœnitens sustinet. *Si contra, difficulter*. Secunda pars probatur ex opposito, quod si confessio debitas sibi necessarias

sarias conditiones non trahit, quia nec contritus accedit pœnitens ad confessionem, vel integram malitiosè non præstat, debito conscientiæ examine posthabito, & pœnitentia neglecta; vel tantum vt bonus ipse videatur ab hominibus, confessionem habet; sic nec ad animæ salutem hæc confert confessio, sed potiùs in detrimentum eius vergit.

Non confert, quia absolutionis fructum non consequitur, vt clarè Theophil. in c. 5. ad Ephes. *Vt, quandiù*, ait, *opertum est vulnus, medicationem nullam admittit; sic & delictum, cum fuerit retectum, non confert, quia nec à culpa, nec à pœna æterna liberatur reatu.* Non confert, quia in die iudicij ad confusionem ipsius peccatoris; confessionem simulantis, turpitudines, in omnium oculis, nudabuntur, æternis inferni ignibus, addicti; vt August. super Ps. ait: *Ad hoc Deus exigit confessionem, vt liberet humilem, ad hoc damnat non confitentem, vt puniat superbum*; cum igitur in peccatoris ægritudine animæ, vitiorum, peruersę voluntatis, peccantes humores, animam molestantem competenti debitæ confessionis pharmaco non purgentur, mirum non est, si à retentis his humoribus noxijs suffocetur anima ad æternum interitum, quæ rectè confessione euomens, & euacuans poterat liberari, vt Orig. hom. 2. in Psal. 37. ait: *Sicut hi, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humores, vel phlegmatis, stomachò grauiter, & molestè, imminentia, si vomuerit, releuantur; ita etiam qui peccauerunt, si quidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati; si autem sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur simul euomit, atque omnem morbi digerit causam.* Ex quibus omnibus, paragrophos opportunos deducemus.

Theophil.

Orig.

Si qualia opportet purgari, purgentur, confert. tex.

§. I. In sacramentali confessione, si peccantes vitiorum humores, purgentur, hoc, ad pænitentis confert salutem.

Confert, & facilè ferunt. tex.

§. II. Verè pœnitentes, in animæ expiatione, pœnas ad satisfactionem peccatorum, libenter sustinent.

Si contra, difficulter. tex.

§. III. Peccatoris ficta, & simulata confessio, in illius animæ perniciem, & exitium vergit.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert. tex.

§. I. In sacramentali confessione, si peccantes vitiorum humores purgentur, hoc, ad pœnitentis confert salutem.

1 Animæ purgationem, per sacramentalem confessionem ordinari, diximus, & suppono, secundum illud Ecclesiast. 7. *De negligentia tua, purga te cum paucis*, quam moralem animæ purgationem confirmat D. Bern. Epis. 113. in Ps. 95. *Bonum animæ ornamentum*

mentum, confessio, quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit, purgatiorem. Hanc purgationem animæ prodesse, qui in hæresis luto sordescunt, negant, & ab hac abhorrent hæretici, & Pagani, dicentes, culpas opere cõsumatas lingua, & verbo, haud deleri posse, vt refert D. Aug. in Symbolum Ruffini tom. 4., qui ait: *Solent cum irrisione, aduersus nos dicere Pagani, quod ipsi nos decipimus, qui putamus crimina, quæ opere commissa sunt, verbis posse purgari, contra illud Eccles. 7. De negligentia tua, purga te cum paucis*. Hæc igitur moralis Sacramentalis confessionis purgatio, secũdum qualitatem conditionum confessionis, necessario attendenda, vt scilicet noxij peccatorum humores, euacuentur, sic enim ad animæ salutem confert, vt p. Io: 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus Deus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab iniquitate*; quod sub vmbratili figura Exod. 38. est animaduertere, vbi habetur, quod Deus præceperat Moysi, facere labrum æneum, cum basi sua, de speculis mulierum; hoc labrum, ante introitum tabernaculi constitutum erat, vt ministri Domini, antequam ad sacrificia offerenda Deo, ingrederentur, facies suas in speculis illis aspicerent, sic priùs has emundarent, antequam sacrificia offerrent. Nos igitur, sicut in Eucharistia Sacrificium Æterno Patri; sic in pœnitentiæ Sacramento cordis nostri contriti Sacrificium Deo offerimus; secundum illud Ber. Epis. 113. qui ait: *Cum mala tua confiteris Sacrificium est Deo, spiritus contribulatus*. Si igitur in illis vmbratilibus sacrificijs, omnem illam materialem maculam, delere oportebat, quanto magis in cordis nostri sacrificio, quod in confessione sacramentali adumbratur, Deo offerendum, culparum maculas, & deformitates, quæ animam nostram deturpant, diligenti præmeditatione, à conscientiæ nostræ facie, secũdum illud Ber. in cant. *Non potest, ait, eloquij vox, esse dulcis, nisi facies conscientiæ, sit decora*, abstergere debemus; quæ quidem præmeditatio, & attentio adhibenda, nobis ex eodem textu, innuitur, dum dicitur, Exod. 38. a. *Fecit, & labrum æneum, cum basi sua, de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi*; Et quare in speculis mulierum præcipuè, non in speculis virorum sacrificium oblaturi, debebãt facies suas aspicere, cum vtrorumque specula eadem repræsentent? Sed ideò dicitur de speculis mulierum, quia hæ non perfunctoriè tantum, vt homines, de quibus dicitur Iacob. p. d. *Comparabitur viro, consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo; considerauit enim se, & abijt, & oblitus est qualis fuerit*, in speculis inspiciunt, sed morosiùs, & longioris temporis tractu, se ad speculum componũt, vt nos disceremus, qualem attentionem, & diligẽtiam pro culpis expiandis, ad animæ salutem adhibere, & ad confessionem sacramentalem, accedere debemus.

Hæretici, & pagani, confessionis sacramentum, negantes.

August.

Moralis purgatio, per confessionem, secundum huius conditiones attenditur.

Quid, labrum æneum de speculis mulierum, ante introitum tabernaculi, signet.

Ber.

Ber.

Quare in speculis mulierum, non virorum, oblaturi Sacrificium facies suas aspicere debebant.

2 Qualitas igitur purgationis attendenda est, secundum confessionis conditiones, quæ sexdecim enumerantur; harum aliquas tangemus. Primò enim dicam quod debet esse lacrymabilis, *hoc est*, ait Caietanus in Summ. v. confessio, *contrita*, ideò Ioel 4. ait, Deus. *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, sed rursus addit, *in ieiunio fletu, & planctu*, vt ostendatur qualitas confessionis, quæ est per cordis contritionem, quæ lacrymis manifestatur, vt Aug. lib. de ver. & falsa pœnit. c. 10. *Quem pœnitet, omninò*

Caiet.

Præcipua conditio cõfessionis, vt sit lacrymabilis, idest contrita.

August.

pœniteat, & dolorem, lacrymis ostendat; sic enim confert ad peccatorum purgationem, vt aph. 7. §. 3. intulimus. Et meritò in confessione præcipua contritionis qualitas consideranda, nam si peccatum est auersio à Deo, & conuersio ad creaturas, quæ conuersio, & peccatum, ex cordis malitia promanat, vt Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*; quia, ait Philosophus: *Oppositorum eadem est disciplina*; sic conuersio ad Deum, erit per cordis contritionem, à quo si emanarunt peccata, bona quoque opera ad extinctionẽ peccatorum, pœnitẽtia effluere debent; vt Exod. 4. cum præcepit Dominus Moysi mittere manum in sinum, quæ leprosa extracta est, rursus sic in sinũ immissa, sanam protulit. Manus est symbolum operationum, quæ possunt esse malę, lepra peccati infectæ, & bonæ, gratię diuinæ sanitati restitutæ; hæ enim omnes operationes, siuè bonę, siuè malæ à corde cum proueniant, meritò cordis contritione, confessio qualificãda, vt Ecclesiast. 38. *Ab omni delicto munda cor tuum*.

In confessione præcipue contritio consideranda.

3 Ad hanc cordis nostri emundationem, per confessionem; vt ad animæ nostræ salutem conferat, nos inuitat Deus, vt Hierem. 4: dicens: *Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias; vsquequo in te morabuntur cogitationes noxiæ?* sub lotionis nomine confessio intelligi potest, vt Ricchar. Victor. tract. 1. de exterminat. mali. *Omnia*, ait, *in confessione lauantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, tranquillitas reddit, spes reuiuiscit, animus hilarescit*; in hac igitur sacramentali confessionis lotione, qualitas consideranda est, vt scilicet per contritionem, cor à noxijs vitiorum culpis, purgetur, sic enim confessio ad animæ salutem confert, ideò subdit Hierem. *Vt salua fias*; quare Ber. Epist. 113. in Psal. 95. ait: *Si peccata sunt, in confessione lauantur; cum mala confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus*.

Ricchard. victor.

Confessio animę lotio.

Ber.

4 Qualitas confessionis etiam potest considerari, in illa conditione, vt videlicet sit fidelis, & simplex, vt non composita, & artificiosa, sed verax, vt nudentur confessori, nedum cordis interiora, sed etiam extrinseca quæcunque, quæ peccato circumstant, vt nihil sit culpabile quod Confessorem lateat: Hinc est quod præceperat Deus, vt cum vitulus imolaretur, priùs detraheretur pellis, postea intestina abluerentur aqua, vt Exod. p. Pellis est extrema, seu extrinseca pars animalis, vt igitur intrinsecum pateat, & prodatur, extrinsecum amouendum; vt igitur cordis, & animę vitiorum intestina confessionis aqua abluantur, sacramentali hac lotione mundentur, vt pœnitens, verè cordis sui contriti valeat offerre sacrificium, pellis, idest extrinseca quęque, vt composita verba, & fictiones huiusmodi amouendæ, vt purum sit, & Deo acceptum cordis, & confessionis nostræ sacrificium. Quo ad qualitatem integritatis confessionis, satis in aph. 19. §. 2. vide locum.

Confessio fidelis, declaratur in vitulo imolando, à quo prius detrahebatur pellis.

Confert, & facilè ferunt. tex.

§. II. Verè pœnitentes, in animæ expiatione, pœnas ad satisfactionem peccatorum, libenter sustinent.

De hac materia vide quæ diximus Aphor. 2. §. 2. & 3. & Aphor. 23. §. 2. diffusè.

Si

Si contra difficulter. tex.

§. III. Peccatoris ficta, & simulata confessio, in illius animæ perniciem, & exitium vergit.

1 VNicam sententiam, bipartitam profert Sapiẽs, Prou. 10. *Vena vitæ, os iusti, & os impiorum operit iniquitatem*; ex huius secunda parte, prioris aduersæ partis consequentia deducitur, quæ est: si os impiorum operit iniquitatem, ergo os iusti, quod non operit sed aperit iniquitatem, vt Prouer. 18. *Iustus*, ait Sapiens, *prior est accusator sui*, erit vena vitæ, sicut iniqui est causa mortis, vt Prouerbio 10. b. *Nomen impiorum putrescet*. Ex metaphora venarum corporis, ex quibus sanguis emittitur, appositè allata sententia dilucidari potest. Est enim Chirurgorum regula, vt in phlebotomia apertio venæ non sit nimis parua, sed lata, & profunda, itaut sanguis non guttatim, sed liberè possit exire; ex paruo enim vulnere venæ, si tantum sanguis guttatim effluit, tunc non corruptus, & noxius; sed tantum bonus exit, corrupto in venis retento, qui saniem, & putredinem continens, ægro mortem affert, quod tamen contra accidit, si vulnus latum, & profundum fuerit, ex quo sanguis corruptus prodit, tunc facilè sanus redditur ægrotus: quare moralis Seneca Epist. 57. ait: *Omnia vitia in aperto leniora sunt, morbi quoque ad sanitatem tunc inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt*. Id ipsum de peccatore dicere possumus, si in cõfessione peccatorum cordis, & oris sui latè aperit venas; secundum illud Isiod. lib. Etymolog. qui ait: *Confessio, est per quam animæ morbus latens spe, consequendæ veniæ in laudem Dei aperitur*; corruptum vitiorum suorum sanguinem emittens, omnia peccata sua Confessori liberè aperiens, liber euadet ab ęternæ mortis reatu, ideò dicitur Prou. 10. *Vena vitæ, os iusti* quare Gregor. in pastoral. cap. 38. ait: *Vulnera clausa plus cruciant, nam quum putredo, quæ intus feruet eijcitur, ad salutem dolor aperitur*. Verum parua facta cordis, & oris apertione morali, ob confessionis imperfectionem, in qua tantum bonus sanguis effluit, bona opera proferendo, vt Pharisæus, & sanguis corruptus culparum non emittitur peccatoris, mors generatur æterna, vt Aug. super Psalm. *Si nõ confessus lates, inconfessus damnaberis*.

Ex Phlebotomia, forma veræ cõfessionis desumitur, & quomodo.

Senec.

Isiod.

Greg.

August.

2 Non rectè cordis, & oris aperta vena, in Confessione Deo, fratricidij corruptus sanguis ex spirituali ægro Cain exijt, cum culpam suam magis defẽndere, quam fateri Deo voluit, quæ hunc miserrimum in æternum inde pertraxit interitum. Considerare nos quęso libeat, cur Deus peccantibus Adamo, & Cain; Adamo maledixit Deus, non in persona, sed in bonis extrinsecis, & in terra; cum autem ad maledictionem Cain descenderet, huic in ipsa persona maledixit, vt Genes. 4. *Maledictus eris super terram*. Vnde horum maledictionum diuersitas? cur maiorem maledictionis pœnam in Cain, quam in Adam inflixit? non ne peccatum Adæ, quod totam humanę naturæ infecit sobolem, & quod vt originale adhuc in terra diseminatum, in humano genere germinat, maius est peccato Cain, qui vnius tantum viri fratricidio reus extitit? & quare seueriori pœna Cain, quam Adam maledictionis animaduertit

Cur Deus maledixit Adæ in bonis externis; Cain verò in persona, vtrisq; peccantibus.

Deus? Ad hoc respondet D. Athanasius quæst. 107. quia Adam sanguinem corruptum culpæ suæ, in confessione, ad apertionem venæ, Dei de inobedientia illius interrogantis emisit; Cain verò corruptum fratricidij sanguinem culpam tegendo, intus retinuit, ideò in se maledictionem meritò inflexit. D. Athanasij verba: *Propterea se Deum benignum cum Adamo, quam cum Caino gessisse, quia Adam confessus fuit, licet confessioni excusationem illam miscuerit: mulier, quā dedisti mihi &c. Cain verò peccatum suum, non confiteri, sed celare satagebat; cum enim ab eo quæreret Deus, vbi est Abel frater tuus? quibus verbis Dominus confessionem delicti sui misericorditer extorquebat; ipse secundum duritiam cordis sui respondit: Nescio: num custos fratris mei sum ego? noluit confiteri peccatum suum, propterea ei maledixit Deus, non verò Adā, qui confessus fuit.*

Athanas.

3 Duo, in cruce patientem Christum associabāt, latrones; quorum vnus ad cælorum regnum approbatur, alter ad gehennam reprobatur; ille Paradisi regnum petenti Luc. 23. *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum*; æternæ salutis gratiam inuenit, dicens Saluator Luc. 23. *Amen dicò tibi, hodie mecum eris in Paradiso*; illi verò latroni, tale non dixit verbum. Sed quomodo horum latronum, vnus tantum, non alter saluus fit? Si enim hi duo considerantur, quo ad naturam, ambo homines; si ad conditionem ambo latrones; si ad culpam, ambo maximis ad mortem damnati flagitijs; si ad pœnam ambo cruci affixi, & ambo cum Christo associati patiebātur; & tamen horum exitus diuersus redditur, vt vnus Paradisi efficeretur ciuis, alter verò reprobatus æterni ignis manciparetur carceribus; vnde horum procedit disparitas? Hæc est differentia, quia bonus latro in cruce, cordis, & oris sui venas aperuit, vnde corruptus culparum, & scelerum suorū sanguis effluxit ex aperta confessionis suæ vena, dum collatronem reprehendēs, sua peccata liberè, & apertè confessus est, dicens, Luc. 23. *Nos quidem iustè, nā digna factis recepimus*; seipsum accusans, Christum excusans, corruptum flagitiorū suorum sanguinē emisit; ideò animæ salutē assecutus, paradisi priuilegio decoratur, Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*; quare Chris. ser. de latrone ait: *Ecce quantum præstitit confessio, vt sine dilatione introduci Latro meruerit in Paradisum*; alter vero latro corruptum vitiorum suorum Sanguinem in cordis venis retinuit, dum Saluatori, à quo salutem petere, & ipse debeat, infidelis improperauit, dicens: Luc. 23. *Si tu es Christus saluum fac te ipsum, & nos*; ideo æger perijt, vt Prouer. 10.: *Os impiorum operit iniquitatem.* Chris.

Cum Christo in cruce, vnus Latro confitetur, & saluatur; alter nō confessus, quomodo reprobatur.

4 Copiosum diuinæ misericordiæ imbrem Dauidi è cælo ad huius salutem agnoscimus instillasse, dum à Nathan de adulterio reprehensus, vix peccati sui Confessionem edit, dicens 2. reg. 12. *Peccaui Domino*; statim diuinæ pietatis gratiam, & peccati sui veniam, & absolutionem est assecutus, vt respondit Nathan: 2. reg. 12. *Dominus transtulit peccatum tuum.* Ad alium quæso Sacræ Scripturæ locum libeat diuertere in Saulem p. reg. 15. Transgressus est Saul præceptum Domini, ob cuius inobedientiam Samuel Sauli dixit, vt p. reg. 15. f. *Pro eo ergo quod abiecisti sermones Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex*: Ad quæ respondens Saul, peccati sui contumaciam accusans, ait: *Peccaui, quia praua-*

præuaricatus ſum ſermonem Domini; qui tamen ex ſuæ culpæ confeſſione à Domino veniam non promeruit. Modo hæc duo ſcripturæ loca ſimul conferamus, Dauidis culpæ, & Saulis. Quare Dauid non Saul veniam peccati obtinuit? Ambo Reges, ambo Domini præceptum præuaricati ſunt; ambo de tranſgreſſione admoniti, ambo eadem pænitentiæ verba protulerunt, dicentes. *Peccaui*, & tamen non vterque, ſed alter tantum ſcilicet Dauid peccati ſui veniam obtinuit? Huius diſparitatis ratio eſt, quia Dauid corde contrito, & ore pleno pænitentiæ veræ verba protulit, dicens: *Peccaui Domino*, Saul aut non contritus, ſed timore futuræ amiſſionis regni, apparentis pænitentiæ ſimilia verba contexuit, dicens: *Peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonem Domini*: quare de Dauide Greg. in reſurrectione Lazari, ait: *Dauid Propheta ab illa facinoris tãti mole reuiuiſcens ad vocem Domini, quaſi foras exijt, dum per Nathan correptus, quod fecerat, accuſauit*; non ita Saul, ſed tantum ex timore pænitentiæ confeſſio præceſſerat, ideo illi, non huic dictum eſt: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*.

Quare Dauid, non Saul peccati ſui veniam obtinuit, cũ ambo diuini præcepti præuaricatores extiterint.

Greg.

5 Dum ad peccatum Iudæ mentem conuerto dubitari licet, cur peccati ſui veniam non promeruerit, & proditionis ſuæ abſolutionem non obtinuerit, ſicut Petrus, negationis ſuæ maculam, qui deleuit. Inuenio quod Iudam peccati ſui pænituit, dicens Matth. 27. *Peccaui, tradens Sanguinem iuſtum*; ecce quomodo ore proprio confeſſione culpæ, ſe reum accuſauit; inſuper malè accepti ſacrilega proditione pecuniam reſtituit, vt Matth. 27. *Et retulit triginta argenteos*, vt benè hic Caieta. ait: *Fatetur Iudas peccatum ſuum, & offert reſtitutionem pretij ad exonerandam conſcientiam ſuam*; & quare ex his pænitentiæ actibus abſolutionis gratiam non conſequitur? ex confeſſione facta à culpa liber non euadit? non ne dicitur Iacobi c. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini?* non ne clarè intonat Sapiens Prouer. 28.: *Qui confeſſus fuerit, & reliquerit ea*, ſupple peccata, *miſericordiam conſequetur*? Iudas, ſicut interpretatur confeſſio, ſic ſuam faſſus eſt culpam, quare ergo promiſſam confitentibus culpæ remiſſionem non obtinuit? ſed dicamus, quod hæc confeſſio, non fuit talis, qualis vera confeſſio eſſe debet, cum fidelis non fuerit, quia à fidei fundamento defecit, & incontritus in ſua perfidia perſtitit, & ſic quia huius imperfecta cõfeſſio fuit, peccati ſui remiſſionem non promeruit, quare S. Leo Pap. ait: *Dicendo peccaui tradens Sanguinem iuſtum, in impietatis ſuæ perfidia perſtitit, quia Ieſum non Dei filium, ſed noſtræ tantummodo conditionis, hominem, etiam in extrema mortis ſuæ pericula credidit, cuius flexiſſet miſericordiam, ſi eius omnipotentiam non negaſſet*.

Caiet.

Quare Iudas, cum ſuam confeſſus fuerit culpam, huius remiſſionem non obtinuit.

Leo Pap.

Ad animas igitur noſtras, vera, & ſalubri confeſſione purificandas, omni mentis ſtudio contendamus, vt contriti, peccatorum noſtrorum veniam petentes, hanc à Diuina miſericordia, conſequi valeamus; quod faxit Deus, omniũ bonorum largitor, qui viuit, & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Laus Deo, & B.V. Mariæ, Reginæ Sacratiſſimi Roſarij.

FINIS.

Tabula rerum notabilium, quæ in hoc libro continentur.

Primus numerus indicat Paginam, secundus Columnam.

Anima

Aulici

Quare

E

F

Filij,

L

N

O

P

Passiones,

Supe-

Victus

QVIA ob aſſiſtentiam incuriam, in primo Aphoriſmo plurimi irrepſere errores; quibus omnibus cum facilè occurrere non valeam, præcipuos hic adnotaui; reliquos benignitati Lectoris, prudentiæ calamo caſtigandos relinquo. Prima litera indicat paginam, ſecunda columnam, tertia lineam.

pag.	col.	lin.	errata	corrige
2	2	12	tranſualat	tranſuolat
3	2	41	Matth. 9.	Iſa. 61. 2.
4	1	11	vitiijs	vitijs
4	1	25	contrario	contraria
5	1	43	luſurioſa	luxurioſam
5	2	22	nanquam	nunquam
6	1	27	leproſus	leproſos
6	2	35	operariorum	operationum
9	1	35	ora ad parrem	ora patrem
9	2	15	vt non proces	vt non pecces
11	1	49	omni &	omnia
11	2	41	ab hoc educta	ab hac educta
12	1	20	dicent	dicens
12	1	34	nō erat locus in	nō erat eis locus
13	2	45	puluis eſt	puluis es
17	1	37	aſpciat	aſpiciat
17	2	35	meriendi	moriendi
23	2	7	firmenti	firmamenti
25	1	28	illecebroſas	illecebroſæ
27	1	14	ex quandam	ex quadam
30	1	4	cōprcheundātur	cōprehendantur
30	2	25	phantaſma	phantaſmata
31	1	1	quæcunque	quaſcunque
31	1	36	& hæc mundi	& hæ mundi
31	2	10	computabis	comportabis
32	2	15	plumis	plumæ
34	1	7	inneniri	inueniri
37	1	17	mitte panum	mitte panem
37	2	14	elargentes	elargientes
38	1	31	canabo	cænabo
38	2	33	miſericorde	miſericordes
39	1	32	locro	lucro
44	1	49	valeat	valeas
45	1	19	reſultat	reſulcat
48	2	3	conſtitutij	conſtituti
60	2	16	miniſtret	miniſtrant
61	1	28	filnum	filium
66	1	49	dicibus	radicibus
69	2	46	ſecimbere	ſuccumbere
70	1	9	diuinæ	diuino
72	2	26	nouaculum	nouaculam
72	2	40	nouacula	nouaculam
74	2	45	non potuit	non poterit
75	2	27	temporis	temporibus
77	2	38	tautæ n	tantæ n.
78	1	11	prōditoris	proditionis
78	1	44	oblatas	oblatam
79	2	41	anima	animam
80	2	42	imeginem	imaginem

pag.	col.	lin.	errata	corrige
81	1	12	heiuſmodi	huiuſmodi ani-
82	1	29	qualitor	qualiter (mam
83	1	11	diſſentiſſent	diſenſiſſent
84	2	42	ſibi	tibi
86	1	16	de diuit	de diuin. nom.
86	1	1	ſuam	tuam
87	2	48	mortuum	mortuam
98	2	21	getit	g[illegible]t
112	2	13	accurrat	acc[illegible]
127	1	18	repræhentione	rep[illegible]
136	2	14	vobis datum	vob[illegible]
270	2	33	oſſeruandum	obſ[illegible]
441	1	14	foueat eam	foue[illegible] eum
441	1	23	odioſi flatuum	odioſus
444	2	14	inſigna	inſignia
449	2	47	omnis	omnes
457	2	7	vt ſupta	vt ſupra
459	2	15	in inmeſum	in immenſum
463	1	42	ſantificatione	ſanctificationem
463	2	1	irinere	itinere
463	2	25	adſtibit	adſcribit
466	1	33	eſt cohibenda	eſſe cohibendam
483	1	8	Iuaate	Iuuate (cū
486	2	25	tali victu conſ.	qui tali victu
488	1	5	oculos tuos	oculos ſuos
488	2	42	qui ad canos	qui canos
492	1	48	deeſt recepit	
501	2	28	oraudo	orando
507	1	25	iuxra	iuxta
508	1	24	prouebatur	proueheatur
509	1	35	mottificationū	mortificationū.
510	1	25	inquretatiene	inquietatione
514	2	41	perſecte	perfectè
524	2	24	in aduerſis	aduerſis
532	1	1	in eſu primi	in eſu pomi
533	1	29	eo ſlante	eo flante
536	1	24	Vel per cū Gloſ.	Vel cum gloſ.
536	1	35	detrimentum	nutrimentum
536	1	47	dolis	doli
536	2	20	particeps	participes
538	1	8	laugor	languor
544	2	15	ſi erat vnum	ſicut vnum.
545	2	2	diuiuæ	diuinæ
549	1	1	innonocens	innocens.
557	1	29	vultus tui	vultus ſui
557	2	27	pugnabit in illo	pugnabit cū illo
586	1	40	inrrepide	intrepidè
588	2	8	tumigitur	tu igitur
612	1	32	petenti	petens